

G. Vertue del. & Sculp [illegible]

10 El

FRANCISCI GODWINI
Primo *Landavenſis* dein *Herefordenſis*
EPISCOPI
DE

PRAESULIBUS ANGLIAE COMMENTARIUS,

OMNIUM
Epiſcoporum necnon et *Cardinalium*
EJUSDEM GENTIS
NOMINA, TEMPORA, SERIEM,
ATQUE
ACTIONES MAXIME MEMORABILES
Ab ultima Antiquitate repetita complexus.

AD FIDEM
Monumentorum in Archivis Regiis, Lamethanis, &c. &c.
RECOGNOVIT,
Plurimis in locis (adjectis Annotationibus) ad veritatem reduxit,
Et perpetua demum Serie ad praeſens uſque Saeculum continuavit
GUL. RICHARDSON,
S. T. P.
Coll. *Emman. Cant.* MAGISTER, et Eccles. *Lincoln.* CANONICUS.

CANTABRIGIAE:
TYPIS ACADEMICIS EXCUDEBAT JOSEPHUS BENTHAM.
Proſtant Venales apud J. et P. KNAPTON et CAR. BATHURST Londini, W. THURLBOURN
Cantabrigiae, et JACOBUM FLETCHER Oxoniae.
M.DCC.XL.III.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Reverendiſſimo in CHRISTO PATRI,
AC DOMINO DOMINO
JOANNI,
PROVIDENTIA DIVINA
CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO,
Totius Angliae Primati et Metropolitano.

FRANCISCI LANDAVENSIS de Praeſulibus Angliae Commentarius poſt integri ſaeculi decurſum in lucem publicam evocatus, quem ſibi prae caeteris jure Patronum vendicaret, quam Illum qui titulos quibus illuſtratur ampliſſimos luculentiſſimo virtutum ſplendore viciſſim illuſtrat?

Veſtris

DEDICATIO.

Veſtris adeo ſub auſpiciis, Pater Reverendiſſime, noſtra opera qualicunque obſtetricante quodammodo renaſci jam gaudet *Godwinus*, veſtro ſub Patrocinio poſthuma quaſi vita felicius fruiturus, et in orbis Literati celebritatem prodire, novo plane habitu, novoque ſtipatus comitatu; Praeſulum quippe exhibens Catalogum ſive Hiſtoriolam ad uſque tempora praeſentia ſerie continua deductam.

Vereor ſane inſtituti hujuſce rationem et Scriptoris admodum Reverendi eruditionem et ſapientiam magnificentius verbis praedicare, ne forte viderer aliquam laudis partem ad Editorem derivare velle: quanquam certe in argumento ipſo ineſt honorifica quaedam dignitas, unde operi abunde gratiae pretiique commendatio accedere poſſit. Ea nimirum, quae de Praeſulibus Angliae inſtituitur, latè pervagatur Hiſtoria, non rerum modo Eccleſiaſticarum, verum etiam Politicarum adminiſtrationem, imo ipſam nominis Anglicani gloriam complexa; ita ut in Annalibus Britannicis locum principem jure ſibi vendicare poſſit.

Quamobrem viris piis doctiſque, et praecipue Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudioſis, operam videbor nec ingratam nec inutilem impendiſſe, qui hunc doctiſſimi Praeſulis commentarium ediderim recognitum, emendatum, auctum, et novo quodam ſplendore donatum; opus in quo Eccleſiae Anglicanae fama de-

decuſque continetur, eo inſuper nomine poſteris quoque profuturum, quod ſuae comitem laudis una trahat virtutum veſtrarum memoriam.

Reverentiam veſtram in excelſo poſitam ut non ſuſpicere et admirari animi eſſet plane ſtupidi et ingrati; ita eandem fuſius praedicare, laudeſque afferre ſplendidas et intemperantes, iſtud neque veſtra patitur animi magnitudo et modeſtia, neque noſtra ſcribendi ratio, quam quidem Ego tantum ab offenſione, quantum Tu ab adulatione abeſſe velis. Quod verò in homine Clerico et Academico eſt maxime laudandum, liceat mihi illud ſaltem praeconio debito commendare. Siquis enim in Academia literarum humaniorum ſtudiis ita ſe addixerit, ut indies aliquid in communem uſum fructumque protulerit; ita in Archaeologia Attica et Hiſtoria prophana verſatus, ut idem ſaepenumero ad Eccleſiae Chriſtianae Politiam et jura defendenda propugnator invictus prodierit; ita demum Philoſophiam Scholaſticam, imo Encyclopaediam excoluerit, ut Theologiae tanquam Reginae feliciter famulari docuerit, Academiae hac in parte Princeps et Theologorum Pater; idem interea non modo ingenii et eruditionis fama, verum etiam morum innocentia, urbanitate, ſeveritate venerabilis; ſiquis virtutum tantarum admirabili et ſaluberrimo praeëuns exemplo ad veram gloriam decuſque viam commonſtrarit, qua aemulatione ut Studiorum Ducem et Magiſtrum ſequi debemus? Imo verò eundem de Academia, de Republica et Eccleſia optime meritum, ad ampliſſimam in omnibus ſedem evectum quo plauſu et gratulatione comitari?

Digneris interim hoc noſtrae erga Paternitatem veſtram obſervantiae teſtimonium benigne accipere, noſtriſque porro in re literaria laboribus favere, in commune Eccleſiae et Reipublicae bonum. Diu Te ſoſpitem conſervet Deus, multoſque per annos *POTTERI* nomen Cantuarienſium claudat Catalogum.

Ita vovet

Paternitati veſtrae

omni obſequio

devinctiſſimus

Dabam Cantabrigiae
decim. Cal. Aug.
MDCCXLII.

GUL. RICHARDSON.

PRAEFATIO

EDITORIS.

DE Operis hujuſce Scriptore admodum Reverendo non neceſſe habeo multa praefari; ipſe per ſe ſatis notus noſtro non indiget Elogio, de Eccleſia Anglicana certe inter primos optime meritus, cujus Annales dum recitat, gloriam inſuper illuſtrat, ita tamen interea ut ſuas quoque laudes intertextas aeternitati conſecraverit.

De opere verò ipſo pauca quaedam occurrunt dicenda, tum ut contra obtrectatorum cavillationes praemuniri poſſit via, tum ut huic noſtro Antiquitatum Eccleſiaſticarum indagatori ſagaciſſimo non venia modo, ſed etiam meritis quaeſita laus conſtaret. Hujuſmodi Commentarium contexere, è ſtercore gemmas, è ruderibus theſauros eruere, è fumo dare lucem, quam plane ardui et ancipitis momenti opus fuerit, ii facile intelligunt, qui in Antiquitatum hujuſmodi ſtudio fuerint verſatiſſimi. Quamobrem mirari deſinet Lector aequus, ſi qui in hiſtoriae decurſu tam longinquae et obſcurae vetuſtatis monumenta complexae defectus inciderint; imo vero illud potius mirabitur è materie tam rudi, indigeſta, et recondita Hiſtoriam tam juſtam confici potuiſſe. Non illud eſt diſſimulandum, eam fuiſſe Eccleſiarum quarundam conditionem, ut per bellorum civilium et vetuſtatis injurias, Ceimeliis fere omnibus deperditis, vix ulla rerum, quae maximè eſſent memorabiles, ſuperfuerint monumenta, imo ipſae ruinae quodammodo periiſſe videantur. Reſtat ergo ut aliundè, quae paſſim ſparſae latuerunt, rerum notitiae conquirerentur, atque adeo hac in parte priſcae aetatis Scriptores in ſubſidium erant vocandi, et ii quidem ut plurimum Monaſtici, de quorum quidem fide et autoritate interdum merito dubitamus. Eſt certe quod aliquando credamus aliquam Hiſtoriarum, quas exhibent, partem fuiſſe è tabulis publicis, quae ad noſtra tempora non pervenerint, deſcriptam. Verum iidem, facili nimis obſequio permultis in rebus famam, à majoribus ore traditam, ſecuti, fabulis plane anilibus videntur ſe addixiſſe. Quamobrem hujuſmodi in cauſa Critico quodam acumine opus erat et judicio ſagaci, ut ex rerum congerie adeo involuta et obſcurata delectu habito id excerpi poſſet, quod ad Veritatis ſpeciem propius accederet. Praeterea cum anni ineuntis computus à Scriptoribus diverſis diverſus notaretur, aliis rationem Eccleſiaſticam, aliis Civilem ſequentibus, aliis à Chriſti Natalibus, aliis à primo Januarii, aliis à viceſimo quinto Martii calculum ineuntibus, ideo accidit ut rerum geſtarum Ordo Chronologicus aliquando turbaretur, ita ut quod ab his ad priorem, ab illis idem ad annum poſteriorem referatur. e. g. *Memorabilis illa Thomae Archiepiſcopi Cantuarienſis caedes, cum inter Chriſti Natalitia et Circumciſionis feſtum incideret, à ſcriptoribus diverſis non ad unius et ejuſdem anni computum refertur.*

Alia porro incidebat difficultas, quae effecit, ut tum res ipſae tum rerum geſtarum tempora aliquando minus accurate definirentur, ex eo orta, quod in Eccleſiarum diverſarum Ceimeliis, quae integrae extabant, tabulae publicae, cum res alienas et ad ſe non ſpectantes obiter recitarent, errores haud paucos admitterent, prae recitantium inſcitia aut Librariorum incuria. Hinc in Hiſtoricorum teſtimoniis nata diſcrepantia haud levis, quae quidem ut conciliari poſſet, et à falſo verum ſecerni, undique ſubſidia aliena conquiri oportuit, et per viarum quaſi devia praeëuntium veſtigia pene obliterata retractari, ut circumſtantiis omnibus excuſſis et perpenſis, aliquid certius aut veriſimilius aliquando tandem ſtatui poſſet.

Hujuſmodi ergo in cauſa, ubi conjecturae res permittebatur, ne mirum videatur ſi hanc licentiam Scriptor admodum Reverendus ſibi indulſerit; laudabitur certe induſtria, erranti venia dabitur: Si forte, adhibitis quae comparari poterant ſubſidiis, rem ipſam conjectura aſſequi non potuerit, abſit ut hoc ei vitio vertatur; ſi forte poſteris nova lux oborta res, jamdiu obſcuratas, felicius detexerit, abſit ut id huic Noſtro invidiam conſlaret, quaſi prae malignitate aut incuria Hiſtoriae fidem corruperit. Nefas eſſet ſi opus hujuſmodi ut numeris omnibus perfectum et abſolutum praedicarem; hoc res ipſa non patitur: non fieri poteſt quin plurimi defectus inciderint, et erit ſemper quod felicior poſterorum induſtria corrigat. Illud interea cupio, ne laude debita deſtituatur vir cujus induſtriae et integritati tot dignitatis ſuae ornamenta debet Anglicana Eccleſia; quem Regina Elizabetha, illa literarum et literatorum Judex ſagaciſſima et Fautrix munifica tanti aeſtimavit, ut ad Hierarchiam, cujus gloriam jamdiu obſcuratam ſcriptis illuminavit, merito promovendum exiſtimaret. De eo quidem quam magnifice ſenſerim, ex eo intelligi poteſt quod Commentarii hujus novam Editionem ornandam ſuſceperim: quid autem in ea ſit à me praeſtitum paucis accipe.

De prima Gentis Britannicae ad fidem Chriſtianam converſione diſſertationem integram, prout editio prior exhibet, repoſui; nihil ferè hac in parte vel addendum vel corrigendum arbitratus: quicquid hac de re dicendum reſtabat, è duobus autoribus celeberrimis USSERIO et STILLINGFLEETO depromi oportuit, ſatius exiſtimavi Lectorem ad libros laudatos, ſuo in genere perfectiſſimos, referre.

Praeterea id mihi ſedulo agendum putavi, ut quae ab eo fuerant praetermiſſa, ea aliquatenus ſupplerem. Hac certè in parte juſta erat adverſus Scriptorem Reverendum reprehenſionis et querelae materies, quod Teſtimonia, quibus praecipuè innitebatur narrationum hiſtoricarum fides, diſerte citata non produxerit: Non quaſi omnia ab eo gratis dicta arbitrarer, (imo vero haud dubito argumenta fidem facientia non defuiſſe, et fortaſſe graviora quam à me afferri potuerint) verum ut candidi Lectoris expectationi, et Scriptoris ſimul famae uno et eodem opere foret conſultum, haud abs re fore exiſtimavi autorum teſtimonia, quae ad rem pertinent, annexa exhibere, ut Lector ſuo uti poſſit judicio; ut Hiſtoriae autoritatis graviſſimae commendatio accederet; ut denique errores, ex eo nati quod monumenta ipſa aut antiquiſſima exemplaria oculis ſuis Scriptor non uſurpaverit, corrigi poſſent.

Textum, quem exhibet Editio anni 1616, ſecutus, quaecunque addita, immutata, vel quoad ordinem tranſpoſita reperiuntur verba, ea intra hujuſmodi σημεῖα [ ] incluſa diſtinxi; hac in re MS exemplaris, penes virum ornatiſſimum ROG. GALE Armig. quod Reverendus admodum Scriptor manu ſua emendavit, autoritate uſus. Rerum geſtarum ordinem Chronologicum in margine appoſuimus, qui quidem ubi ab editione 1616 diſcrepat aſteriſco * praefiſco notatur; ubi de novo affigitur, hiſce notis [ ] includitur. Et temporum quidem computum ad vulgarem noſtrum reduxi, Anni initio habito Martii 25.

PRAEFATIO.

Sentio equidem hac in parte exemplaribus editis errores aliquot irrepſiſſe, quos ad emendandos cum Hiſtoricos Scriptores jam editos adhiberem, eam repperi diſcrepantiam, ut eo ex labore nihil ferè profecerim; quare ad ipſa Antiquitatum Eccleſiaſticarum monumenta, quae tum in publicis tum privatis Ceimeliis aſſervabantur recurrendum duxi; quibus ſubſidiis uſus quid effecerim paucis expediam.

Atque hic imprimis mihi nominandus eſt ille ſupellectilis Antiquariae theſaurus pretioſiſſimus in Arcis Londinenſis *archivis, juſto ordine diſpoſitus, in quo quidem perſcrutando uſus ſum auxilio viri his in rebus verſatiſſimi,* GEORGII HOLMES *Armig. Archivorum Cuſtodis deputati; cujus humanitatem ſingularem ea qua par eſt gratitudine lubens recognoſco. Hic certe rerum geſtarum tempora et circumſtantias perſpicere licuit, de quibus in Regiſtris publicis ſingularum Dioeceſium, quippe vel deperditis nulla omnino mentio, aut mutilatis imperfecta tantum narratio reperitur. Extant enim Literae Patentes tum quae ad* Conge d'elire *ſpectant, tum ad Temporalium cuſtodiam vel reſtitutionem, &c. unde, ſi caetera defuiſſent argumenta, verè colligi poſſit circiter hoc ſpeciale tempus hunc vel illum Epiſcopum Dioeceſeos fuiſſe conſtitutum.*

Secundo loco mihi laudanda veniunt Archiva Lamethana, *quorum copiam mihi indulſit pro egregia ſua erga literarum genus omne benevolentia Reverendiſſimus Archiepiſcopus. Atque eſt illud quidem non ſine jucunda quadam admiratione memorandum, Tabulas ibi publicas tam longinqui temporis ſpatia complexas, et materie tam varia et multiplici refertas, fuiſſe tanta cum fidei et curae laude ſervatas. Quae ibi reperiuntur ad rem noſtram ſpectantia Catalogus hicce indicabit.*

Regiſtr. Peckham.
Winchelſey.
Raynold.
Iſlip.
Langham.
Wittleſey.
Sudbury.
Courtney.
Arundel, *duobus Tom.*
Chichley, *duobus Tom.*
Stafford } *uno Vol.*
Kemp.
Bourchier.
Moreton.
Moreton. } *uno Vol.*
Dene.
Bourchier.
Courtney.
Warham
Cranmer.

Regiſtr. Poole.
Vacationis *Archiep. Cant. poſt obitum Card.* Poole.
Parker, *duobus Tom.*
Grindall.
Whitgift, *tribus Tom.*
Bancroft.
Abbot, *tribus Tom.*
Laud.
Laud, *durante ſuſpenſione* Williams *Epiſc. Linc.*
Juxon.
Sheldon.
Sandcroft.
Tillotſon, *durante ſuſpenſione* Sandcroft *Archiep.*
Tillotſon.
Teniſon, *duobus Tom.*
Wake, *tribus Tom.*

Quae verò è Ceimeliis privatis ſubſidia erant oblata dum recolo, imprimis Edmundo Londinenſi *gratias quas habeo maximas referre cupio, qui pro benignitate ſua eximia exemplar interfoliatum, ſuiſque auctum obſervationibus* *mecum communicavit, ad quod quae referenda ſunt haec nota* MS. Lond. *ſignificat. In eo aliquot Apographa ex MSS. Codicibus deſumpta*, viz.

MS. Ca. 1. *Sive Apographum è* Ric. Parker Scelet. Cantabr. *ad recentiora tempora hiſtoriam producens.*

MS. Ca. 2. *Sive Catalogus Magiſtrorum et Sociorum Aulae Pembrochianae Cantabr. cum obſervationibus.*

MS. Ca. 3. *Sive Catalogus Praepoſitorum et Sociorum Collegii B. Mariae de Etona. Aliaque ejuſmodi quae ad rem noſtram minus ſpectantia praetermitto.*

Illuſtriſſimus et praenobilis Comes Oxoniae, ὁ μακαρίτης, *pro ſumma humanitate et benevolentia qua omnes complectebatur qui rei literariae operam navabant, uſum mihi trium librorum MSS commodavit, apographorum quidem; deſumptorum, ut poſtea oculatus teſtis deprehenderim, ex autographo.* ſc.

MS. Wood. *Quae in Godwinum commentatus erat rei antiquariae peritiſſimus* A. Wood, *hodie in Bibliotheca publica Acad. Oxon. aſſervantur. Ex iis notulae quaedam impreſſae in Waſaei Bibliotheca Literaria* 1721. 4°.

MS. Wren. *Ex Schedis* Matt. Wren *olim Epiſcopi Elienſis.*

MS. Oxf. *et* MS. Hutton. *Hae erant (ut poſtea comperi) Adnotationes Doctoris* Hutton, *quondam Rectoris de Aynho in agro Northantonienſi. Harum autographum mihi communicavit Vir literarum antiquitatumque laude ſpectabilis* Richardus Rawlinſon *LL. D.*

MS. Barlow. *Exemplar Godwini interfoliatum cum notis* T. Barlow, *olim Epiſcopi Lincolnienſis. Quod nactus ſum gratia et adjutu ejuſdem viri praeſtantiſſimi.*

MS. Trin. *E Coll. S. Trin. Cantabrigiae. MS. de tempore quo ſederunt Archiepiſcopi Cantuarienſes. Ad quam itaque ſedem hic liber ſolummodo ſpectare obſervabitur.*

MS. Trin. *Ex eadem Bibliotheca; Epiſcoporum Bathonio-Wellenſium hiſtoriam, ſive hiſtoriae totius tentamen, manu ipſius Godwini exaratum, complectitur.*

MS. Jeſ. *Annotatiunculae breves ex Bibl. Coll. Jeſ. Cantabrigiae, à Reverendo doctiſſimoque longe Cuſtode* Car. Aſhton *S. T. P. communicatae.*

MS. Aſap. *Obſervationes ad Sedem Aſaphenſem ſpectantes, à Reverendiſſimo* Iſaaco *Aſaphenſi hodie Epiſcopo amiciſſimè tranſmiſſae.*

MS. Tanner. Thomae *nuper Aſaphenſis Epiſcopi Notae, à Rev. ejuſdem fratre M^{r}. Tanner Commiſſario communicatae.*

MS. Sym. *vel* Symonds. *Obſervationes marginales Rev. Doctoris* Symonds *Rect. de Horningſhearth in agro Suffolcienſi.*

MS. Lufkin. *Iterum Rev. viri Tho. Lufkin Colceſtrenſis.*

MS. Baker. *Librum hunc in ipſo operis primordio mihi commodavit Rev. vir* Thomas Baker *S.T.B. nuper è Coll. D. Joan. Cantabrigiae, cujus peritiam in Britannicis Antiquitatibus, comitatem, humanitatemque in opera et conſiliis praeſtandis norunt omnes qui haſce literas vel leviter attigerint. Serò deprehendi ex MSS* Jeſ. Wren *et* Anſtis *haec potiſſimum fuiſſe deſcripta.*

MS. Lowth. *Sunt vel Obſervationes J. Battely nuper Archidiac. Cantuarienſis, ex munimentis iſtius Eccleſiae deſumptae, vel Rev. W. Lowth qui in ſacras paginas tam feliciter commentatus eſt. Has debeo humanitati Rev.* W. Lowth *Rectoris de Lewiſham in agro Cantiano. Notae* Regiſtr. Cant. Archiv. Eccl. Cant. Rot. Cant. *et* Chron. Elien. *ſignatae ex eodem ſunt MS.*

Annales Reg. Angl. *Liber MS. in Coll. Magd. Oxon. tempore Edv.* 1. *conſcriptus. Unde excerpta mihi humaniſſime tranſmiſit* Jo. Loveday *Armig. de Caverſham in agro Oxonienſi; qui etiam et obſervationes nonnullas* MS. Loveday *ſignatas adjecit.*

MS. Reg. *Liber MS. antiquitate ſatis venerabilis, ad Dioeceſin tantum Dunelmenſem pertinens, ex Bibliotheca Regia Cantabrigienſi.*

MS. Gale *et* MS. Anſtis. *Exemplaria duo interfoliata, maximi certè pretii, alterum à* Rogero Gale *Armig. de Scruton in agro Eboracenſi, alterum à* Joanne Anſtis *Garterio communicatum, cui quidem viro, in omni antiquitatum genere verſatiſſimo, non una de cauſa gratias à me deberi maximas lubens profiteor, tum quod non ſolum librorum Codicumque ſubſidia, ſed etiam per literas conſilia humaniſſimè communicavit, de rebus quae hinc inde dubiae occurrebant conſulenti.*

Et non praetereundum eſt, me praeſtantiſſimorum virorum Brown Willis *de Waddon in agro Buckingamenſi Arm. et* Jo. Lewis *Rect. de Mergate in agro Cantiano, et Rev.* Gul. Harris *de Landaff multoties uſum eſſe auxilio.*

Et hic quidem dolendum eſt mihi, quod, quae à viris quibuſdam doctis digeſtae erant obſervationes, currente prelo ſerius oblatae venerunt quam ut inſeri potuerint; et hac in parte recognoſcenda et laudanda mihi eſt humanitas Reverendi viri —— Parkin *Rect. de Oxburgh in Com. Norf. Jam et illud inſuper infeliciter accidit, non niſi poſt opus fere abſolutum repertas fuiſſe in Bibliotheca Lamethana obſervationes à viro harum rerum peritiſſimo* Henrico Whartono *congeſtas. Quae porro ad orthographiam vocabulorum Cambro-Britannicorum attinent, ea in parte operam mihi praeſtitit vir Rev.* Robertus Jones *Rect. de Worthingbury in Com. Flint.*

Si quae è ſcriniis privatis depromſerim, ea videar diſſimulaſſe, nulla ſcil. citatione diſerta facta, veniam dabit Lector cum intellexerit eas quas Codices illi MSS exhibent obſervationes fuiſſe ex antiquis ſcriptoribus vel publicis tabulis, quas citant, deſumptas; qua in cauſa, utcunque compilatorum induſtriae multum me debere fateor, ipſos ſcriptores tabulaſque publicas, quas diligenter inſpexeram, potius mihi citandos duxi. e. g. *In* MS. Anſtis *crebrae citationes occurrunt ex Ceimeliis in Turre Londinenſi depromptae, nihilominus, licet de fide viri accuratiſſimi nullus dubitem, cum tamen ipſas tabulas publicas oculis uſurpaverim, eae ipſae immediatè potius mihi erant citandae.*

Ani-

PRAEFATIO.

Animadvertet proculdubio Lector acceſſiſſe Epiſcoporum quorundam vitas quas Editio 1616 *non exhibet; ſciat ergo circa A.* 1622 *ab autore noſtro ſupplementi vice duas tantum ſchedas fuiſſe exaratas, quae cum in paucorum manus venerint, nunc prelo commiſſae in publicum prodeunt, à ſequentibus, quas nos attexuimus, narrationibus hiſce notulis diſcretae* ❋❋❋.

Amicorum enim quorundam conſilio et autoritate impulſus Praeſulum hiſtoriam ad praeſentia uſque tempora deductam deſcripſi; quod quidem eò libentius feci, cum ex continuo virtutum tantarum ſplendore, Eccleſiae Anglicanae gloriae ſuccreſcenti commendatio uberior acceſſerit. Sentio quam difficile ſit Hiſtoriam ſcribenti in offenſiones non incurrere; verum hac in parte ea uſus ſum animi moderatione ut neminis odium et invidiam merito meo provocare vellem, Reverendi autoris mei exemplum ſecutus, tam ab obtrectatione alienus quam adulatione: ita enim apertè loquitur, "*Ad ea tempora jam pene perventum, de quibus loquendum parcè; mihi judicans neque tutum illos reprehendere, nec decorum laudare (quantumvis verè) quorum memoria recens, et (ſi non ipſi) propinqui tamen et neceſſarii ſuperſtites apud nos vivunt. Erit fortaſſis tempus, quando me ad ſperatam in coelis patriam tranſlato, de meorum temporum Pontificibus ſcripta (quae jam nunc meditor) edi poſſint, ſine vel metu offenſae vel adulationis ſuſpicione* *."

Poſtremò exorandus mihi es, Benevole Lector, ut, quae à me animo certe bono et veritatis ſtudioſo dicta fuerint, boni conſulas; defectibus, quos ipſa operis inſtituti ratio non evitandos recipit, facilius ignoſcas. Quod elaboratum tibi offerimus probe intelligo quam ſit mutilum adhuc et imperfectum, novis acceſſionibus et ſubſidiis undique conquiſitis opus eſt ut aliquando auctius et emendatius prodeat, fidem certe noſtram et induſtriam non defuiſſe experiundo ſenties. Tu interea errores, qui fortè plurimi inciderint, benignus corrige; ita dum quoquo modo Hiſtoriae Eccleſiaſticae clarius affunditur lumen, aliquem laborum fructum percepiſſe videbor.

---

* In vit. Goodrici Elien.

Illuſtriſſimo, Potentiſſimoque Monarchae,

JACOBO

DEI GRATIA

Magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ Regi,

AC

Fidei verè Catholicae Propugnatori invictiſſimo.

A SANCTO AUGUSTINO (ſereniſſime Princeps) inter grandia numeratur miracula et Res maxime incredibiles, Chriſti Domini Apoſtolos, “ [a] ineruditos, libe- “ ralibus diſciplinis (ut ipſe loquitur) et omnino (quantum ad “ Philoſophorum doctrinas attinet) impolitos; non peritos “ Grammaticae, non armatos Dialectica, non Rhetorica in- “ flatos, piſcatores cum retibus fidei ad mare hujus ſeculi pau- “ ciſſimos miſſos, ex omni genere tam multos piſces (et tanto “ mirabiliores quanto rariores) etiam ipſos philoſophos cepiſſe.” In iis ſiquidem impletum eſt illud Prophetae, “ [b] In omnem “ terram exivit ſonus eorum, et ad extrema mundi, verba “ eorum.” “ Inter gentes quae Romani imperii fraenum acce- “ perant, non paucae (inquit Theodoretus [c]) ſecundum leges “ eorum vivere noluerunt. At noſtri illi piſcatores ac publicani, “ ſutorque ille noſter, cunctis nationibus legem Evangelicam “ detulerunt. Neque ſolùm Romanos, quique ſub Romano “ viverent imperio, ſed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos “ praeterea, Aethiopas, Perſas, Seras, Hircanos, Britannos, “ Cimmerios et Germanos, utque ſemel dicatur, omne homi- “ num genus, nationeſque omnes induxerunt, Crucifixi leges “ accipere; idque non armis uſi, non infinita vi militum de- “ lectorum, non immanitatis Perſicae violentia, ſed verborum “ ſuaſu, oſtenſa legum quas praedicabant utilitate.” Miraculi hujuſce tanti particulam egomet deſcribendam enarrandamque ſuſcepi; quatenus nimirum hanc tuam ſpectat Britanniam; et ſic ut potui deſcriptam, Majeſtatis tuae conſpectui exhibere, nomini conſecrare, non ſum veritus, tanquam materiam (modo

[a] De Civ. Dei. lib. 22. cap. 5. [b] Pſal. 19. 4. [c] De Cur. Grae. Aff. lib. 9.

pro dignitate ſcriptorem fuiſſet nacta) notitia certè ac penſitatione veſtra non indignam. Ex partibus ſiquidem cum conſtet duabus, hiſtoria nimirum duplici, quarum altera, de prima gentis noſtrae à Paganiſmi erroribus, ad Chriſtianae religionis veritatem converſione; altera, de ejuſdem religionis ad noſtra uſque tempora agit propagatione: Duas explicabit res, unde juſtiſſimae ampliſſimaeque gloriae duplicem palmam et veſtrae M. veſtraeque Britanniae deberi conſtabit. Hic videlicet loci, in hiſce tuis regnis, miraculum hujuſmodi, operationem habuiſſe, et primam, ac deinde efficaciſſimam. Conſtabit (inquam) *Omnium provinciarum primam Britanniam* (ut rectè Sabellicus[d]) *publicitus Chriſti nomen recepiſſe:* Unde *Primogenitae Eccleſiae* titulum ſibi debitum, jure ſuo, meritiſſimoque vendicat. Conſtabit etiam, pia M. V. ſollicitudine acerrimoque judicio, ita res Eccleſiae et Religionis adminiſtrari, ut nuſquam ab aevo condito, vel hic, vel alibi terrarum reperturi ſimus Clerum (abſit verbo invidia) vel numero copioſiorem, vel eruditione morumque ſanctimonia illuſtriorem, qui Evangelicae veritati adhaeſerint, quam hodie apud nos in hac veſtra Britannia. Praecones certe tam vita quam voce nobiliſſimi, orthodoxaeque fidei propagandae ſtudioſiſſimi, quicquid è contra vel Novatorum vel Papicolarum greges obganniant. In harum partium prima explicanda, eò magis libentiuſque inſudavi, quia ante aliquot annos, magno molimine anniſos nonnullos comperi, ut religionis noſtrae primos quaſi natales et proſapiam à patribus Romanis deducerent. Quae res tanta animi contentione ab illis agitata eſt; ut mirari ſubiiſſet adeo incaleſcere illos in re frigida; niſi quò hii tanti conatus tenderent, perſonatus ille Parſonius prodidiſſet[e]; quem non pudet, diſertis verbis affirmare, ideo quod à ſede Romana veritatis prima lux nobis affulſerit, eidem tantum nos debere, ut in rebus ad religionem ſpectantibus à Pontifice Romano diſſentire, nobis ſit flagitium. Cujus paralogiſmi antecedenti utcunque annueremus, quam infirma tamen eſſet conſequentia?

——[f] *Non quicquid turbida Roma*
Elevat, accedas: examenve improbum in illa
Caſtiges trutina.

Tertullianus, alludens fortaſſis ad illud Apoſtoli, [g] *Jeruſalem quae ſupra eſt, libera eſt et mater omnium*; eam vocat *Matrem et fontem religionis*. Et D. Auguſtinus in quadam cum Paſcentio diſcrepatione, [h] *Fidem et religionem à Graecis ortam*

[d] Ennead. 7. lib. 5.

[e] N. D. in triplici Converſ.

[f] Perſ. Sat. 1.

[g] Gal. 4.

[h] Cont. Marcion l. 2. Ep. 178.

pronunciat. Etſi igitur Romam, matrem et fontem religionis noſtrae fateamur, et Romae ortam ad nos eam promanaſſe: Qui tamen ſequetur, Romanorum Pontificum dogmata nobis ſemper tenenda, magis quam (ſi Tertulliano et Auguſtino credimus) Eccleſiarum Graeciae aut Hieroſolymitanae Antiſtitum? Tametſi igitur totum illorum argumentum fluxum ſit et invalidum; quia tamen antecedens illud ſuum comunt poliuntque, et quo magis offucias nobis faciant, hiſtoriam gentis Anglicanae corrumpunt: Operae pretium putavi, Eccleſiae noſtrae primos quaſi fontes et incunabula inveſtigare, et inventa fideliter lectori demonſtrare. Quod à me tam diligenter factum confido, ut jam jam poſthac, de harum rerum veritate nullum dubitationi locum exiſtimem relictum. Ad alterum illud quod attinet, haud quaquam probe officio fungi videar, quod in priorum Antiſtitum virtutibus praedicandis tam largus, in noſtrorum, poſt reformatam apud nos Eccleſiam, tam parcus plerunque extiterim. Sed ideo feci, quod eruditio illorum ſingularis, operibus ab illis in lucem editis, ſatis utplurimùm eluceat: Et vitae morumque integritas inde omnibus conſtet, quòd hinc Pontificii, illinc Schiſmatici, lynceis oculis omnia perveſtigantes, ſi uſpiam reperire poſſent quod vellicarent; neminem tamen vel minima macula potuerint aſpergere, quae excuſſa protinus, malignitatem ſimul obtrectatoris, et accuſati non proderet innocentiam. Deum precor Opt. Max. ut multos ac foelices annos M. V. largiatur; et poſtquam viſum fuerit, à regnis hiſce tranſitoriis ad Coeleſte illud ac perenne transferre; ut habeamus ex progenie tua, qui tam virtutibus quam ditionibus M. T. in perpetuum ſuccedant. Erit tum futurum, ut ſacerdotum noſtrorum pectora Urim ac Thummim inſtruantur atque ornentur; Et tanquam totidem ſtellae in dextra ejus ſplendeſcant, qui claves habet mortis et inferni, qui eſt A. et Ω. primus ac poſtremus, cui honor et gloria in ſecula ſeculorum.

M. V. humillimus ſacellanus,

FR. LANDAVEN.

AD LECTOREM PRAEFATIO.

ANTE *annos jam viginti, catalogum coepi colligere Epiſcoporum gentis noſtrae, nihil amplius ab initio meditatus quam merum catalogum. Urceum inſtitui, exiit amphora. Adjunxi paulatim uniuscujuſque tempora, mox etiam actiones, et res geſtas maximè memorabiles, donec tandem in volumen, fere quantum nunc cernis, ſuccreviſſet. Anglicanâ id linguâ conſcriptum, mancum adhuc et imperfectum, antequam duas Walliae ſedes potuiſſem deſcriberi (Bangorenſem et Aſaphenſem) amicorum tamen importunitas ut ederem extorſit, anno* 1601. *Quapropter, cum novam editionem Typographum poſtea moliri accepiſſem; non tantum veterem recognoſcere viſum, ſed multa porro inſerere quae deeſſe videbantur. Bangorenſes et Aſaphenſes Epiſcopos addidi: Eccleſiae Romanae Cardinalium, qui Angli vel fuerunt vel fuiſſe perhibentur, catalogum adjeci: Operae pretium denique putavi, tanquam apparatum neceſſarium praefigere, de prima gentis noſtrae ad fidem Chriſtianam converſione, hiſtoriolam. Ex tribus ita partibus hoc opus conſtabit; quarum prima, in quatuor eſt diviſa capitula. In primo nempe, de Apoſtolis agitur, qui hic apud nos praeſentes, Evangelicum ſemen in arvis noſtris Britannicis, ſua praedicatione ipſi ſparſiſſe perhibentur. In ſecundo, de viris Apoſtolicis (hoc eſt, iis, qui Apoſtolorum aevo vixerunt, et ipſorum diſcipuli probabiliter poſſunt aeſtimari) qui eidem operi incubuiſſe feruntur. Tertium, Lucii Regis continet hiſtoriam. Ac poſtremum denique narrationem habet, rerum ab Auguſtino hic geſtarum, qui Anglorum Apoſtolus vulgò nuncupatur. In ſecunda parte, vitas deſcripſi praeſulum Eccleſiae noſtrae, Cantuarienſis provinciae primùm (antiquitùs dictae Dorobernenſis) quae Suffraganeos habet unum ſupra viginti; ac deinde Eboracenſis, in qua hodie tres tantummodo numerantur, cum olim, Scotiae porro Epiſcopatus duodecim (S. Andreae Archiepiſcopatu nondum erecto) fuerit complexa. Poſtrema denique catalogum habet Cardinalium Anglicorum, quos viſum praeſulibus noſtris annumerare; primùm, quod homines extiterint ſuis temporibus clari, et propter potentiam plerumque, virtutibus etiam ſaepenumero celebres: Deinde, ut Ciaconii errores patefacerem, qui dum omnium Ro. Eccleſiae Cardinalium vitas videri vult deſcripſiſſe, de Anglis noſtris tam multa perperam retulit (in nominum praecipuè recitatione admodum ridiculus) ut incertam neſcio quam famam ſecutus potius videatur, quam è publicarum tabularum monumentis, aut aliis fidedignis authoribus, quae iis de rebus ſcripta reliquit deſumpſiſſe. Opus jam tot acceſſionibus auctum, typographo tradidi; qui, me dum excuderetur abſente, tam depravatè edidit et mendoſè* *uti pro meo vix poſſem agnoſcere. Quare, amicis ſaepe jam olim monentibus, ut publici juris hoc facerem, in Latinum ſermonem id convertendo; remque exteris hominibus (Anglicanae noſtrae vernaculae ignaris) haud ingratam me facturum aſſerentibus, jam tandem coepi auſcultare: Et ne editio tam vitioſa tot laborum fructu me privaret, haud inconſultum putavi, ſuſcepto verſionis labore, periculum facere, ſi typographum nactus meliorem, in lucem tandem poſſem emittere, quod ex me natum auſim profiteri. Erunt (ſat ſcio) qui vitio mihi vertent, quod de Epiſcoporum quamplurimis pauca dixerim, ſaepe etiam nuda duntaxat nomina appoſuerim. Ad veteres illos quod attinet, ac priſcorum ſeculorum Antiſtites; ſi quantam diligentiam adhibuerim, intelligerent iſti, quantum laboris inſumpſerim, ut oblivione obrutam eorum memoriam reſuſcitarem: Ignoſcerent mihi facile, quod, qui tam multos altiſſimo, ac tantum non letali ſopore preſſos expergefecerim et veternum illis excuſſerim, mortuis tamen et extinctis penitùs, vitam reddere non potuerim, luciſque eos facere participes. De modernis vero et noſtri aevi Praeſulibus, quod parcè fuerim loquutus, neque hominibus, eruditione, pietate, aliiſque virtutibus Epiſcopalibus, clariſſimis, debitas laudes aſcripſerim: Praeter ea quae jam antea dicta ſunt, haud aliam aſſero excuſationem, quam quod modeſtiae meae grave duxerim, virtutes eorum pro meritis decantando, adulationis ſuſpicionem incurrere; et gratiam ſive apud ipſos, ſive propinquos eorum etiamnum viventes ineundam, ſacroſanctae veritati praepoſuiſſe videri. Vix igitur aliquid de iis praeter facta commemoravi, niſi quatenus aliorum verba nonnunquam licuit mutuari, quae haud invitus ſubinde uſurpavi, ut de tantis et tam praeclaris viris ſententiam meam interponere non auſus, aliorum tamen judicia recenſendo, officio meo haud uſquequaque videar defuiſſe.*

Reſtat à lectore jam ut petam, ſtudia iſta mea boni aequique conſulat; quae ſi haud ingrata intellexero, animos mihi faciet ad tentandum, ſi Epiſcoporum Scotiae atque Hiberniae, aut ſaltem praecipuarum earundem Eccleſiarum, catalogum poſſim contexere; id quod jam molior, et ſpero me brevi praeſtiturum, ſi ſperatam facultatem, de eis rebus notitiam conſequendi, nactus fuero. Deum interim Opt. Max. omnibus votis precor et obteſtor, ut quae jam exhibeo, ad gloriam ejus et Eccleſiae ſuae cedant utilitatem.

Provinciae Cantuarienſis EPISCOPATUUM
INDEX,
TAM VETERUM QUAM MODERNORUM.

ASAPHENSIS —— pag. 631.
Bangorenſis —— 617.
Bathonenſis —— 363.
Briſtolienſis —— 563.
Cantuarienſis Archiep. —— 37.
Ceſtrenſis —— 312.
Ciceſtrenſis —— 499.
Cornubienſis —— 396.
Coventrenſis —— 312.
Criditonenſis —— 395.
Dorceſtrenſis —— 280.
Dorobernenſis Archiep. —— 37.
Dunwicenſis —— 424.
Elienſis —— 247.
Elmhamenſis —— 425.
Elvienſis —— 632.
Exonienſis —— 395.
Glaſtonienſis —— 370.
Gloceſtrenſis —— 551.
Herefordenſis —— 477.
Landavenſis Archiep. olim —— 591.
Legeceſtrenſis —— 280.
Lichfeldenſis Archiep. olim —— 307.
Lincolnienſis —— 281.
Londinenſis Archiep. olim —— 169.
Menevenſis —— 571.
Norwicenſis —— 427.
Oxonienſis —— 543.
Petroburgenſis —— 557.
Ramſburienſis —— 335.
Roffenſis —— 519.
Sariſburienſis —— 329.
Seolſeienſis —— 499.
Sherbornenſis —— 330.
Sidnaceſtrenſis —— 280.
Sunningenſis —— 333.
S. Davidis Archiep. olim —— 571.
S. Germani —— 395.
S. Petroci —— 395.
Tawtonenſis. —— 395.
Thetfordenſis —— 426.
Wellenſis —— 363.
Weſtmonaſterienſis —— 570.
Wigornienſis. —— 447.
Wiltonienſis —— 335.
Wintonienſis —— 201.

PROVINCIAE EBORACENSIS.

CARLEOLENSIS —— 761.
Ceſtrenſis —— 775.
Dunelmenſis —— 725.
Eboracenſis Archiep. —— 647.
Haguſtaldenſis —— 719.
Lindisfarnenſis —— 718.

* * *

EPISCOPATUUM MODERNORUM
SERIES.

PROVINCIAE CANTUARIENSIS.

CANTUARIENSIS Archiep. 37.
Londinenſis —— 169.
Wintonienſis —— 201.
Elienſis —— 247.
Lincolnienſis —— 279.
Coventrenſis et Lichfeldenſis —— 307.
Sariſburienſis —— 329.
Bathonenſis et Wellenſis —— 363.
Exonienſis —— 395.
Norwicenſis —— 423.
Wigornienſis —— 447.
Herefordenſis —— 477.
Ciceſtrenſis —— 499.
Roffenſis —— 519.
Oxonienſis —— 543.
Gloceſtrenſis —— 551.
Petroburgenſis —— 557.
Briſtolienſis —— 563.
Menevenſis —— 571.
Landavenſis —— 591.
Bangorenſis —— 617.
Aſaphenſis —— 631.

PROVINCIAE EBORACENSIS.

EBORACENSIS Archiepiſc. —— 647.
Dunelmenſis —— 717.
Carleolenſis —— 761.
Ceſtrenſis —— 775.

CARDINALES —— 781.

p. 29.



H. Gravelot, inv. et del.

F. Vivares Sculp.

DE PRIMA
BRITANNIÆ NOSTRÆ
AD
FIDEM CHRISTIANAM
CONVERSIONE

Cap. I.

POST Chriſti Domini glorioſam illam in coelos aſcenſionem, aliquot per annos Hieroſolymae manſiſſe Apoſtolos ejus, in Actorum ſuorum hiſtoria[a] ſatis liquet. Jacobo verò ad iniquiſſimum Herodis mandatum capite plexo, Petro etiam ad eandem poenam deſtinato[b] (à qua tamen ſummâ Dei bonitate liberatus eſt) ſaeviente etiam in caeteros perſecutione: Omnes (praeter Jacobum qui frater Domini vulgo appellatur, quod genere propinquus eſſet, et Eccleſiae Hieroſolymitanae Epiſcopus relictus eſt) Omnes (inquam) diſceſſerunt illinc, et per diverſa abeuntes, ad eas orbis regiones amandati ſunt, ad quas Spiritus Sanctus privato inſtinctu velle eos proficiſci ſignificavit. Sic nimirum Chryſoſtomus[c]. “Apoſtoli prædica-

---

[a] Act. 8. 1.

[b] Act. 12. 3.

[c] Homil. 70. in Matth. cap. 22. Tom. 7. p. 681. Edit. Bened.

“ verunt Judaeis, longoque temporis ſpatio caeſi, et flagellati in Judaea “ manentes; ac demum ab ipſis propulſi, in gentes profecti ſunt.” Claudii Caeſaris anno ſecundo, Chriſti autem nati 44. hanc ſive ſeparationem, ſive diſperſionem Apoſtolorum factam non abſurde conjicit [d] Baronius; quanquam non deſint, qui biennio ſerius eam accidiſſe autument.

Ut de tempore non ambigamus, certum eſt, [e] Joannem Evangeliſtam in Aſia ſedem fixiſſe, ibique ad decrepitam uſque aetatem in Evangelica doctrina propaganda deſudâſſe.

Andraeas, peragratâ [f] Aſiâ, inter Scythas, Sacas [g] et Sogdianos Chriſtum annunciavit, et inde Graeciam petens, cùm in tranſitu apud Thracas, Macedonas, et Theſſalonicenſes novae legis ſemina ſparſiſſet, vitam tandem finiit in Achaia.

Thomas, iter in [h] Parthiam inſtitutum, ad [i] Indiam uſque et Aethiopiam intendit, imo et ad Taprobanam inſulam ſi [k] Nicephoro credimus. [l] Sepulchrum ejus etiamnum hodie ab Indis oſtenditur. [m] Matthaeus apud Aethiopes aetatis reliquum videtur tranſegiſſe, quemadmodum et [n] Matthias: Bartholomaeus, in Armenia, [o] Lycaonia, [p] Albania et citeriori [q] India: Et Judas Thaddaeus in [r] Meſopotamia, Arabia ac Idumaea. Philippus, poſtquam ſuperiorem Aſiam peragraſſet, et Schytharum aliquas regiones, in Gallia multum temporis contrivit, ut inter alios nonnullos [ſ] Iſidorus diſertis verbis affirmavit: Quod mendoſe ſcriptum (Gallia pro Galatia)* Baronius exiſtimat. Si apud Graeculum quempiam is id legerit, quod in errorem hujuſmodi illum perduxerit, Ammianum Marcellinum audiat docentem, [t] *Gallos ſermone Graeco Galatas dici ſolere & Celtas*; aut ſi mavult Theodoretum, [u] qui illud D. Pauli enarrans (*Creſcens in Galatiam*) *ſic* (inquit) *Gallias appellavit.*

De Britannia noſtra hucuſque altum ſilentium, quam tamen in hac provinciarum partitione non neglectam, his verbis diſerte aſſerit Nicephorus, [x] *Aegyptum & Lybiam alius, alius item extremas Oceani regiones, & inſulas Britannicas ſortitus eſt.* Id quod porro tradiderunt ante illum Theodoretus [y] ac [z] Sophronius.

Ex illis duodecim qui poſt mortem Jacobi minoris et Judae proditoris, Apoſtolorum nomine inſigniti ſunt, tres adhunc reſtant commemorandi, qui omnes dicuntur (quam vere non pronuncio) operam plus minus navaſſe, in illuminandâ Evangelicae doctrinae radiis noſtrâ Britanniâ. Simon ille qui “ quod Cana Galilaeae oriundus Cananaeus, propter flagrantem in Magiſtrum ſuum ardorem (ut loquitur [a] Nicephorus) Zelotes “ cognominatus eſt; is, coelitus adveniente ſancto ſpiritu, Aegyptum, “ Cyrenem et [b] Africam, deinde Mauritaniam et Lybiam omnem Evangelium depraedicans percurrit, eandemque doctrinam ad occidentalem “ Oceanum inſulaſque Britannicas perfert.” Sic Nicephorus. Sed et à [c] Dorotheo id ipſum aſſeritur, qui etiam adjicit *occiſum eum & ſepultum ibidem.* Et [d] Graeci in Menologio horum ſententiam ſecuti videntur.

---

[d] Annal. Tom. 1. in Ann. Chr. 44. [e] Euſeb. Eccl. hiſt. l. 3. c. 1. Edit. Cant. p. 87. [f] Euſeb. ib. Niceph. l. 2. c. 39. & l. 8. c. 6. [g] Sophron. apud Hierom. de ſcr. ecc. [h] Euſeb. l. 3. c. 1. Orig. in Gen. l. 3. [i] Greg. Naz. hom. ad Arian. [k] L. 2. c. 40. & l. 3. c. 1. [l] Oſor. de reb. geſt. Eman. l. 3. [m] Socr. l. 1. c. 19. Edit. Cant. p. 49. [n] Sophron. apud Hieron. de ſcr. eccl. Niceph. l. 2. c. 40. [o] Chryſ. in hom. de 12 Apoſt. T. 8. inter ſpuria. [p] Sophron. ubi ſup. [q] Socr. l. 1. c. 19. [r] Niceph. l. 2. c. 40. [ſ] De vita & ob. Sanct. * Martyrolog. Maii 1. [t] Lib. 15. [u] In 2 Tim. 4. [x] Lib. 3. c. 1. [y] De cur. Gr. aff. l. 9. [z] Sophron. in Catal. [a] Lib. 2. cap. 40. [b] Iſid. de vit. & ob. 55. [c] In Synopſi. [d] Baron. Martyr. in Oct. 28.

Quod ad D. *Petrum* attinet; lectorem nolim lateat, vehementer, omnibuſque ingenii nervis contendere Pontificios (ac in primis perſonatum illum Parſonium Jeſuitam, qui alieni nominis velo faciem obnubit, dum conſcripti ad id opuſculi, N. D. profitetur authorem) hunc Apoſtolum, ſicut Eccleſiae Romanae primum Pontificem, ſic noſtrae Britannicae primam fundatorem extitiſſe. Et hanc quidem ſententiam, tribus praecipue teſtimoniis nituntur comprobare; quae ſingula expendere, pauloque diligentius, quanquam paucis, examinare, inſtituti noſtri ratio poſtulabit.

Occurrit primo in loco, aſſertio, ſed nuda, Simeonis Metaphraſtae; de quo homine ſi non ſufficit dixiſſe, quod de Sozomeno Melchior [e] Canus, *Graecus is fuit, & haec natio eſt, ſemperque fuit ad mentiendum promptula*; quam dignus ſit fide, judicet [f] Baronius, cujus verba libenter uſurpaverim, de eo hac in cauſa laturus ſententiam: ſic enim ille: *Sicut in aliis multis ibi à ſe poſitis errare Metaphraſtem certum eſt, ita & in his hallucinatum eſſe conſtat.* Ac jure profecto tum demum poterat mendaciſſimi nebulonis ſtigmate inurere, quem ter, ſi non quater mendacii ac falſitatis tum nuperrime arguiſſe deprehendet, quiſquis paucula folia locum illum praecedentia evolverit.

Illum igitur ut relinquamus tanquam mentione vix aut ne vix dignum, accedamus ſi placet ad verba illa Canonis, cui Innocentii Epiſcopi Romani prætexitur authoritas. Ea ſic habent: [g] "Manifeſtum eſt, in omnem Italiam, Hiſpaniam et Africam atque Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ſucceſſores ejus conſtituerunt ſacerdotes." Haec vero quid quaeſo ad Britanniam noſtram? de cujus ad fidem converſione ſi quicquam confirmant, hoc eſt, quod neque ad Petrum Apoſtolum, neque ad eos quos vel ipſe vel ſucceſſores ejus conſtituerunt ſacerdotes, ea ullo modo tribuenda eſt. Quis enim non videt, Innocentium, dum limites nititur deſignare illarum Eccleſiarum, quas Apoſtolus praedictus aut ordinati ab illo inſtituerunt, noſtram plane excluſiſſe, quae nec in provinciis illis ab ipſo enumeratis reperitur, neque haberi poteſt una ex inſulis interjacentibus. Si de Sardinia, Corſica, Balearib aut Melita lis fuiſſet, viciſſet forſitan Jeſuita. Sed haec noſtra ſub alio quaſi ſole ſita, hujuſmodi finibus nullo modo comprehenditur. Nam, praeterquam quod nominatim haud recenſuerit (etſi omnium noſtri orbis inſularum nobiliſſimam) qui Siciliam non omiſit, quintae ejus parti vix parem; ſi illam denotare habuiſſet in animo, alio uſus fuiſſet vocabulo, inſulaſque dixiſſet, non interjacentes, ſed adjacentes.

Tranſeamus jam ad tertium illud teſtimonium, quod deſumitur ex opuſculo quodam Gildae Britanni, cui titulus, *In Eccleſiaſticum ordinem acris correptio:* ubi cùm de vitioſis moribus clericorum ſui temporis pluribus conqueſtus eſſet, dicit tandem, [h] "Multos habere ſuam Britanniam, praecepta Chriſti ſpernentes et ſuas libidines votis omnibus implere curantes, ſedem Petri Apoſtoli immundis pedibus uſurpantes, ſed merito cupiditatis in Judae traditoris peſtilentem cathedram deſidentes." Ex quibus probari contendunt Pontificii, Praeſulibus Britannis (de quorum nonnullis hic loci ſermonem inſtituit) cathedram a Petro Apoſtolo primum collocatam. Quid lynces iſti videant neſcio: Ego certe tam oculatus non ſum ut perſpiciam, aliud hic dici, quam hypocritas hujuſmodi, qui cupiditatibus ſuis aedificationem Regni Chriſti poſtponunt, Judae potius proditoris, aut (ut poſtea is loquitur) Nicolai immundi haeretici ſucceſſores videri, quam Petri aut cujuſquam alterius Apoſtoli.

---

[e] Theol. loc. l. 11. cap. penult.

[f] Annal. eccl. Tom. 1. anno Chriſti, 44.

[g] Epiſt. ad Decent. diſt. 11. c. Quis neſciat.

[h] In initio.

Apage igitur Parſoni cum iſtis tuis Innocentiis et Metaphraſtis, donec clariora attuleris aut fide digniora. Nam quod ad Alredi Rievallenſis nugas illas attinet, aut Gulielmi Eyſengrenii hominis novi, ac recentiſſimi ſcriptoris narrationem; miſeret me tui, qui tam tenuiter inſtructus in hujuſmodi arenam auſus ſis deſcendere. Ne tamen haec tua tam praeclara dona irremunerata videantur; habe tibi ſi placet duas rationes, quas ſi recti judicii lance velis perpendere, plus multo ponderis habere reperies, quam aut Rievallenſis ſomnia aut Eyſengrenii tui temeraria illa et ſine authore effata.

Caeterorum Apoſtolorum labores, itinera, peregrinationes, cùm tam diligenter a ſcriptoribus ſigillatim recenſeantur, prout jam antea retulimus; Si D. Petrus, princeps (ut vultis) Apoſtolorum, hucuſque penetravit, uti Evangelii lucernam in hâc ultimâ Britanniâ et alio quaſi orbe accenderet; portenti hercle inſtar erit, hunc tantum conatum, omnes omnium generum ſcriptores adeo latuiſſe, ut neque apud noſtros, neque alios ullos paulo antiquiores, mentio ejus vel leviſſima uſquam facta fuerit, praeterquam apud Metaphraſtem, fluxae ut noſtis fidei hominem, qui octingentis et amplius annis poſt obitum D. Petri vixit (circa annum videlicet ſalutis 900.) ac denique qui vitam traduxit in loco tam procul hinc diſſito (Conſtantinopoli) ut res noſtras exquirendi facultatem non habuerit, multoque minus ea de noſtris Eccleſiis tradendi, quae tam multi inter nos egregiè docti ac antiquitatis ſolertiſſimi indagatores nunquam tamen reperire potuerunt.

Deinde quum omnes, qui huc adveniſſe D. Petrum contendunt, (Baronius, Parſonius et reliqui) adventus hujuſmodi tempus non aliud deſignent, quam id quando Claudii Caeſaris edicto Judaei omnes Roma pulſi ſunt (cujus rei mentio, non ſolum in ſacrâ [i] Scripturâ, ſed & in aliis affatim ſcriptoribus [k] reperitur) [l] Metaphraſtes certe Parſonii noſtri praecipuus athleta (ſi quicquam hoc habet ponderis) diſertis verbis aſſerit, Petrum Româ tunc temporis diſcedentem, in Africam rectâ perrexiſſe, ubi Eccleſiae Carthaginenſis fundamenta jecit, eique Creſcentem diſcipulum ſuum reliquit Epiſcopum, tumque per Alexandriam Aegypti iter facientem, Hieroſolymam petiiſſe. His aſſentitur Onuphrius Panvinus in [m] Annot. ad Platinam, qui nullâ mentione factâ itineris alicujus à D. Petro in Occidentales aut Aquilonares mundi plagas ſuſcepti; *Edicto* (inquit) *Claudiano quo Judaei pulſi ſunt, Petrus Româ exire coactus, Hieroſolymam reverſus eſt.* Et ne poſt breviorem aliquam moram diſceſſiſſe, ac Occidentem verſus iter denuo inſtituiſſe ſuſpicemur, adjicit, *concilio ibi Apoſtolorum de abroganda circumciſione & morti beatiſſimae virginis interfuiſſe*, atque inde Antiochiam relicto Hieroſolymae Jacobo Apoſtolo, profectum, ſeptem ibidem annis uſque ad Claudii obitum et Imperium Neronis permanſiſſe. Hoc ipſum à Bellarmino porro aſſeritur, qui his in verbis peregrinationes D. Petri deſcripſit [n]: “ Ex Judaea anno

---

[i] Act. 18. 2.

[k] Oroſ. lib. 7. Sueton. in Claud.

[l] Die 29. Jun.

[m] Ad vitam S. Petri.

[n] Tom. 1. de Rom. Pont. lib. 2. cap. 6.

“quinto à paſſione Domini Petrus profectus in Syriam, Antiochiae fixit ſedem et manſit annos fere ſeptem Epiſcopus ejus urbis. Non tamen hoc ita accipiendum eſt quaſi nunquam ex Antiochia toto illo tempore egreſſus ſit; imo vero eodem tempore peragravit vicinas provincias, Pontum, Aſiam, Galatiam, Cappadociam et Bithyniam. Inde autem profectus anno ſeptimo Epiſcopatus Antiochenſis (qui erat undecimus à paſſione Domini) rediit in Hieruſalem, ibique comprehenſus, ab Herode in vincula conjectus eſt in diebus Azymorum. *Act.* 12. ſed paulo poſt ab Angelo liberatus, eodem anno (qui erat ſecundus Claudii) Romam venit, ibique ſedem fixit ac tenuit annis 25. Nec tamen toto eo tempore quo fuit Epiſcopus Romanus manſit Romae ſed poſteaquam ſeptem annis Romae praedicaverat, rediit in Hieruſalem, expulſus à Claudio ex urbe una cum caeteris Judaeis.” Et poſt pauca; “Itaque cùm audiſſent ii qui erant Antiochiae Petrum veniſſe in Hieruſalem, miſerunt ad eum Paulum et Barnabam, et tunc factum eſt concilium Hieroſolymitanum. Mortuo autem Claudio, rediit Petrus Romam et ibidem vitam finivit.” Huc uſque Bellarminus.

Haec cùm ita ſint, quanquam glorioſum in primis duceremus, à tam inclito nobilique parente, ſpiritualis noſtrae cognationis ſtemma deducere; hinc tamen ratio, illinc teſtium fide dignorum contrarium aſſerentium penuria, ut credamus firmiter, cogit, à Divo Petro nunquam viſam hanc noſtram Britanniam, imo neque aliquam aliam Europae partem quae Italiae ſit ab Occidente.

De Sancti Pauli ad nos acceſſu, probationes habemus quanquam haud plane luculentas, quae tamen multò magis fidem faciant quam quae ad D. Petri apud nos praeſentiam confirmandam allata ſunt.

In eo ipſo capite ubi dicit, [o] omnes regiones à Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum ſe repleviſſe Evangelio Chriſti, cupiditatem ſuam in Hiſpanias proficiſcendi, mentione ejus bis factâ, profitetur, ſi forte prophetico ſpiritu eam profectionem ibi loci non praedicit, quod [p] Theodoretus affirmat. Et cum, poſtquam è carcere ſolutus eſt (Imperio Neronis quinto) multos annos (ſeptem puta vel octo) ſui juris ac liber vixerit; cur putemus ab hac cupiditate explenda eum abſtinuiſſe, cùm ejus ſummam facultatem habuiſſet?

Pontificii noſtri nihilo ſeciùs, haud aequo animo patientes, ab alio fonte boni quicquam fluere quam à ſua Roma; huic de profectione D. Pauli in Hiſpanias ſententiae pertinaciſſime refragantur. Innocentius Pont. Rom. diſerte negat, “Apoſtolorum quenquam aut in Hiſpania, aut in aliqua alia regione docuiſſe, quae in Occidentali mundi plaga ſita ſit. Legant (*inquit* [q] *ille*) ſi in iſtis provinciis alius ullus Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe.” Aquinas [r] Thomas, authoritate nixus Gelaſii Pont. (qui apud [ſ] Gratianum D. Paulum aſſerit implere non potuiſſe quod promiſit) in Hiſpaniam nunquam eum profectum contendit. Dominicus porro [t] Soto aliquot rationes (ſatis futiles quidem illas) adducit, quibus hanc eorum ſententiam confirmare nititur. Illarum praecipua (quo tamen nihil dici potuit abſurdius) à nemine antiquorum hujus profectionis mentionem factam affirmat. Cùm re vera uno quaſi ore omnes qui ea de re ſcripſerunt (pauciſſimis exceptis) in Hiſpaniam D. Paulum (ut promiſſa exolveret) profectum tradiderint; [u] Dorotheus, [x] Hieronymus, [y] Epiphanius, [z] Chryſoſtomus, [a] Gregorius, et [b] Anſelmus. [c] Theodoretus porro adjicit (quod antea memoravi) *ſpiritu prophetico eam profectionem praedictam, & idcirco neceſſario implendam fuiſſe.*

---

[o] Rom. 15. 19. [p] In Rom. 15. ver. 24 et 28. [q] Epiſt. ad Dec. diſt. 11. c. Quis neſcit. [r] In Rom. 15. [ſ] Decr. par. 2. Cauſ. 22. Quaeſt. 2. cap. Beatus. [t] In Rom. 15.

Haec omnia, ſi quid ad Britanniam noſtram, perconteris; reſpondeo eorum nonnullos, de hac Pauli in Hiſpanias profectione ita loquutos, ut ſatis probabiliter colligi poſſit, ſic itineris rationem eum inſtituiſſe, uti ante reditum alias complures regiones ac inter eas Britanniam noſtram inviſerit.

Sic nempe [d] Hieronymus, "Paulus effuſus eſt ſuper faciem univerſam terrae, ut praedicaret evangelium de Hieroſolymis uſque ad Illyricum; et aedificaret non ſuper alterius fundamentum ubi jam fuerit praedicatum, ſed uſque ad Hiſpanias tenderet, et à mari rubro uſque ad Oceanum curreret, imitans Dominum ſuum et ſolem juſtitiae, de quo legimus, à ſummo coelo egreſſio ejus, et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, ut ante eum terra deficeret quam praedicandi ſtudium."

Theodoretus vero magis adhuc perſpicuè in eandem ipſam ſententiam; [e] "Quando (inquit) appellatione uſus Romam à Feſto miſſus eſt, defenſione audita abſolutus et in Hiſpaniam profectus eſt, et ad alias gentes excurrens, eis doctrinae lucem attulit." Et alio loco; [f] "Poſtea in Italiam venit, et in Hiſpanias pervenit, et inſulis quae in mari jacent utilitatem attulit." Denique ne his verbis (*ad alias gentes, & inſulis quae in mari jacent*) utrum Britanniam noſtram deſignarit ulterius ambigamus, aſſerit [g] diſerte (ſi Jeſuitae credamus) apud Britannos noſtros fidem Chriſtianam eum praedicaſſe. Neque diffiteor, tantundem fere Theodoretum innuere in loco citato. Hoc ipſum confirmat (ſi forte Poetica licentia non fuerit uſus) Venantius Poeta Chriſtianus (antiquus tamen) qui ejuſdem Apoſtoli laborioſas profectiones enarrans, haec cecinit,

"[h] Tranſiit Oceanum vel qua facit inſula portum,
"Quaſque Britannus habet terras, quaſque ultima Thule.

Sophronius [i] porro Patriarcha Hieroſolymitanus, diſertis verbis aſſerit Britanniam noſtram eum inviſiſſe. Nec deſunt (Jeſuitae antedicto ſi fidem adhibeamus, nam librum ab eo citatum, videre, mihi nunquam contigiſſe, fateor) qui tempus ipſum deſignent adventus ejus, quartum videlicet Neronis annum, Chriſti vero quinquageſimum nonum. Quâ in re allucinatum conſtat; neque enim ea tempora coincidunt. Et videtur ad cauſam dicendam vocatus Paulus anno Neronis tertio (qui fuit Chriſti quinquageſimus nonus) ac in cuſtodia, ſed laxiori, poſtea per biennium detentus; ut profectionem vel in Hiſpaniam, vel Britanniam, ante annum Domini 61. Neronis quintum non potuerit ſuſcipere.

Haec ſunt quae de Apoſtolis habui dicenda, quatenus ipſi coram apud nos praeſentes, fidei doctrinam in Britanniâ noſtrâ praedicaſſe videantur.

---

[u] In Synopſi. [x] In Iſa. 11. 11. et in Amos 5. 7. [y] Haereſ. 27. [z] Hom. 76. in Matt. Tom. 7. p. 725. Edit. Par. [a] Moral. l. 3. c. 22. [b] Rom. 1. 5, 6. [c] In Rom. 15. [d] In Amos 5. 7. Tom. 3. p. 169. [e] In 2 Tim. 4. 17. [f] In Pſal. 116. [g] Lib. 9. de cur. Graec. affect. [h] Ven. Honor. Clem. Fort. [i] Sermo de nativit. Apoſt.

CAP. II.

NUNC poſtquam de Apoſtolis verba fecimus, ad diſcipulos eorum deſcendamus, illos nempe qui evangelium apud nos praedicaſſe feruntur. Ac horum certe duos duntaxat reperi de quibus uſquam ſit mentio, Joſephum Arimathaeum, qui Chriſti Domini corpus condidit ſepulchro, et Ariſtobulum, de quo Apoſtolus Rom. 16. [k] *Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli domo.* Hunc dicit Martyrologium [l] Romanum, fuiſſe (non Petri ut vult Parſonius) ſed Apoſtolorum diſcipulum; et quod curſu praedicationis peracto, Martyrium conſummavit. [m] Dorotheus et Menologium porro Graecorum (ut perhibet ſaltem [n] Baronius) adjiciunt, miſſum ad Britannos evangelicae praedicationis causâ Britanniaeque Epiſcopum factum: Cumque de ejus hinc receſſu nemo quiſquam ſcriptorum quicquam prodiderit; hic omnino apud nos nec alibi, vitam finiiſſe, iſti tanquam è tripode pronunciant. His exiſtimatur Nicephorus aſtipulari, cùm tamen ille de Britianâ, non de Britanniâ loquatur, Italiae nimirum provinciâ à Brutiis inhabitatâ. Verum enimvero eſto ut vultis, vincatis, litem ulterius non movebo in hac cauſa, modo hoc unum audire ne gravemini: Iſta ſi vera ſint, amandatum huc a D. Petro Ariſtobulum, praedicaſſe hic evangelium, et hic etiam Martyrium conſummaſſe: Infoelix quanquam fuerit Petrus primus noſtrae gentis (ſic enim vobis placet) Apoſtolus, qui tantorum ſudorum tam tenuem reliquerit memoriam; infoeliciorem tamen multo dicendum Ariſtobulum iſtum, Legatum ejus, ſcilicet à latere, de quo, cùm Eccleſiae hujus noſtrae Protomartyr fuerit (omnia namque vobis concedimus) hiſtoricorum tamen noſtrorum nemo hercule nemo, quicquam plus vel minus mutiverit; cùm de Sancto Albano (quem primum pro Chriſtiana fide ſanguinem hic loci fudiſſe autumamus) ejuſque de agonibus, per multa volumina conſcripta habeamus.

Ad Joſephum quod attinet Arimathaeum, de ejus ad nos acceſſu et rebus hic geſtis, tot habemus et tam locupletes teſtes, ut quilibet perſpicere poſſit qui plane ſtupidus non ſit, è re Pontificiorum non eſſe, harum rerum veritas ut innoteſcat, quod perſonatus ille tam leviter eas et tanquam canis ad Nilum, tam meticuloſe attingat. Convenit igitur ut eis ſigillatim et prolixius paulo recenſendis operam navare non pigeat.

Si fidem adhibere licet veteri cuidam manuſcripto Vaticanae [o] Bibliothecae, “ certum eſt Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham et Marcellam pediſſequam in quos Judaei majori odio exardeſcebant, tempore diſperſionis Apoſtolorum non tantum Româ pulſos, ſed una cum Maximino diſcipulo navi abſque remigio impoſitos, in certum periculum mari fuiſſe creditos, quos divina providentia Maſſiliam tradunt appuliſſe: Comitemque ferunt (inquit ille) ejuſdem diſcriminis Jo-

---

[k] Ver. 10. [l] In Marc. 15. [m] In Synopſi. [n] In Martyrol. die 15. Mart. [o] Baron. Annal. Tom. 1. anno Chriſti 35.

“ ſephum ab Arimathaea nobilem decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam navigaſſe, illicque diem clauſiſſe extremum.”

Cauſam hujus transfretationis ſi libet exquirere; Freculphus [*] Epiſcopus Lexovienſis (qui floruit Anno Domini 840) hanc refert. Philippo Apoſtolo, aut (ut nonnullis placet) Evangeliſtae (horum ſiquidem res geſtae ut plurimum confunduntur) magna fuere certamina cum Druidibus Gallicanis, “ quorum diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata exiſtimatur; adeo ut, etiamnum tunc qui eam rem cognoſcere vellent, plerumque illò diſcendi cauſa proficiſcerentur.” Sic [p] Caeſar. Poſtquam igitur is intellexit, non magno freto hanc inſulam à Gallia diremptam, et paucarum horarum navigatione adiri poſſe; emittere placuit duodecim concionatores (quibus Joſephum praefecit) ut inſulanorum noſtrorum animos per ſuperſtitiones Druidum excaecatos, Evangelii luce illuſtraret. Perveniſſe huc feruntur anno ſalutis 63. et in fide Chriſtiana propaganda multum elaboraſſe: locum vero ubi ſedem fixerint, non alium fuiſſe quam illum ubi nunc ſita eſt Glaſtonia (vulgo Glaſtonbury) in Comitatu Somerſetenſi. Is paludibus tunc undequaque circundatus inſula habebatur, et illis à principe illius Regionis conceſſus perhibetur ut ibi ſedem figerent: Alios autem duos regulos, duodecim hydas terrae adjeciſſe (dicitur hyda à noſtris, tantum terrae quantum uno aratro colitur) quae in hodiernum uſque diem, duodecim hydae Glaſtonienſium nuncupantur.

Haec inſula tunc temporis Avallon dicebatur, hoc eſt, inſula pomorum, poſtea *Inis witrin*, vitrea inſula, et inde à Saxonibus poſt conſtructum ibi coenobium enatamque urbeculam, Glaſtonburie, quaſi urbs vitrea appellata. Hic loci Joſephus aediculam conſtruxit, ſibique et ſociis habitacula, quae variis poſtea incrementis ſic aucta et mutata ſunt, ut ibi Monaſterium viderint parentes noſtri, amplitudine ac magnificentia perpaucis in universâ Europâ (quantum autumo) poſtponendum. In hac aedicula, poſtquam in coeleſtem patriam Joſephus remigravit, anno viz. Chriſti 76. corpus ejus ſepultum aſſeverat [q] Balaeus antiquitatum Britannicarum diligentiſſimus perſcrutator; et majorum id traditione perpetua confirmatum, neque unquam à quoquam in dubium vocatum exiſtimo, donec Pontificiis viſum, Majeſtatis Romanae luminibus, neſcio quo modo officere hanc de peregrinatione Joſephi hiſtoriam ideoque ad fidem illi derogandam, nullam non lapidem movendum.

Pergamus igitur, cùmque perſonatus noſter Jeſuita, harum rerum teſtem nullum agnoſcere videatur (praeter traditionem) qui ducentis annis ſit antiquior; praeter dudum citatos, Freculphum ac manuſcriptum Vaticanum, en vobis adhuc alios producendos. Gulielmus Malmesburienſis ante annos 400. vita functus, in libro quem de antiquitate Glaſtonienſis Monaſterii perſcripſit, aediculam praedictam à Joſepho conſtructam diſertis verbis aſſerit. Patricius, Scotorum Hiberniam incolentium Epiſcopus ſecundus (ſi non primus) qui obiiſſe dicitur anno 491. “ Primam hujus coenobii Eccleſiam à duodecim Diſcipulis ſanctorum Philippi et Jacobi conſtructam ſcribit, et quod tres Reges Pagani ipſis duodecim totidem terrae poſſeſſiones dederant, *&c.*” Ac iſta ſe legiſſe in ſcriptis ſanctorum Fugatii et Damiani profitetur. Auguſtinus item, Saxonum noſtrorum dictus Apoſtolus, in Epiſtolâ quâdam ad S. Gregorium hâc de re, ſic loquitur: “Eſt in confinio occidentalis Britanniae, quaedam regalis inſula, quae antiquo vocabulo Glaſcon nuncupata, latis locorum dimenſa finibus, piſcoſis aquis, ſtagneis circundata fluminibus, & plurimis humanae indigentiae uſibus apta, ſacriſque (quod maximum eſt) dedicata muneribus. In ea ſiquidem primi Catholicae legis Neophytae, Eccleſiam, nulla hominum arte conſtructam (ut ferunt) imo humanae ſaluti à Deo paratam repererunt.” In quibus verbis, etſi de Joſepho nominatim mentionem non faciunt, tamen quod Diſcipulos Apoſtolorum et primos Catholicae legis Neophytas hic loci ſedem fixiſſe perhibent dicti Patricius et Auguſtinus, Joſephum praecipue ab illis deſignari mihi quidem ſatis clarum videtur.

---

[*] Tom. 2. Chron. L. 2. c. 4.
[p] Comm. l. 6. p. 130. Edit. S. Clark.
[q] De ſcript. Ang. cent. 1. cap. 22.
[r] Apud Leland. in aſſert. art.
[ſ] Antiquit. Brit.

Henricus praeterea ſecundus Anglorum Rex (quem obiiſſe conſtat ante annos 420.) in diplomatis quibuſdam profitetur, legiſſe ſe Chartas et conceſſiones multorum Principum huic coenobio factas, Gulielmi abavi ſui, Henrici primi avi, Edgardi, Edmundi, Edwardi, Elfredi, Bringwalthii, Kenthwini, Baldredi, Inae, Arthuri, Cudredi, necnon et Kenewallae hominis Pagani, in quarum nonnullis haec Eccleſia ſanctorum mater, in aliis ſanctorum ſepulchrum appellatur, ſimulque dicitur, ab ipſis Chriſti Domini Diſcipulis eam fundatam, Joſephum haud dubie intelligens, praetereaque (ut veriſimile eſt) Simonem Zelotem, de quo antea. Hoc ipſum diploma, Joannes Stous in annalibus ſuis, et manibus contrectaſſe, et oculis ſe vidiſſe atque legiſſe affirmat.

Liceat his adjicere Elogium quoddam antiquum, in aes inciſum et columnae affixum praedictae Eccleſiae, quod ipſe ego non ita pridem legi, apud Thomam Hughes juris egregiè conſultum Wellenſem, quod integrum et omnibus ſuis numeris perfectum lectori viſum exhibere, tametſi quae habet cuncta, non probem. “Anno poſt paſſionem Domini 30. duodecim ſancti (ex quibus Joſephus ab Arimathaea primus erat) huc venerunt, qui Eccleſiam hujus regni primam in hoc loco conſtruxerunt, quam Chriſtus in honorem ſuae matris et locum pro eorum ſepultura praeſentialiter dedicavit, ſancto David Menevenſium Archiepiſcopo hoc teſtante, cui Dominus Eccleſiam illam dedicare diſponenti, in ſomnis apparuit, et eum à propoſito revocavit, nec non in ſignum quod ipſe Dominus Eccleſiam illam primus cum coemiterio dedicârat, manum Epiſcopi digito perforavit; et ſic perforata multis videntibus in craſtino apparuit. Poſtea vero idem Epiſcopus Domino revelante, ex ſanctorum numero in eâdem creſcente, quendam cancellum in Orientali parte huic Eccleſiae adjecit, et in honore beatae Virginis conſecravit, cujus altare ineſtimabili ſapphyro in perpetuam hujus rei memoriam inſignivit. Et ne locus aut quantitas prioris Eccleſiae per tales augmentationes oblivioni tradatur, erigitur haec columna, in linea per duos Orientales angulos ejuſdem Eccleſiae verſus meridiem pro tracta et praedictum cancellum ab ea abſcindente. Et erat longitudo ab illa linea verſus Occidentem 90 pedum, latitudo vero ejus 26 pedum, diſtantia centri iſtius columnae à puncto medio inter praedictos angulos, 48 pedum.” Atque inſcriptio illa hactenus.

Recentiorum temporum ſcriptorum authores ſi placet audire, occurrit in primis [t] Jo. Capgravius (ſi forte inter recentiores is numerandus eſt qui ante annos 200. è vivis exceſſit) qui in ſuo Britannicorum Sanctorum Catalogo, Joſephum dicit Arimathaeum una cum filio ſuo Joſepho, et ſociis decem poſtquam in Gallia appulerunt, amandatum hùc a Philippo Apoſtolo, praedicaſſe hic evangelium ſub Arvirago Rege Anno Chriſti 63. et praedia quaedam ab illo accepiſſe inter vepres ſilvas et paludes in inſulâ quâdam dictâ *Inis Witrin*, hoc eſt, Inſula Vitri. Hardingus hanc de Joſepho narrationem antiquiſſimâ dicit traditione confirmari. Georg. [u] Major, Evangelii lucernam in Britannia primum accenſam eſſe per Joſephum Arimathaeum pronuntiat. Et [x] Sanderus (inter ſuos ſtrabones luſcus) *Britannos* (inquit) *ad fidem Chriſti primus convertiſſe, primamque Eccleſiam in illa natione erexiſſe perhibetur, Joſephus ab Arimathaea.* In quibus verbis tam Major quam Sanderus, non ſolum D. Petrum, ſed Ariſtobulum etiam (ejus ſi Diis placet Legatum) à munere Apoſtolatûs noſtri plane excludunt.

---

[t] In vita S. Joſephi.

Judicet nunc lector de iſtorum hominum aequitate, apud quos, unius Graeculi, hominis leviſſimi, ſententia, tot tam claris et omni exceptione majoribus teſtimoniis eouſque praeponderat, ut illi ſoli fidem non adhibere de adventu Petri, his adhibere de Joſephi, piaculum videatur, nempe quia Hieroſolyma proficiſcens, Romam Joſephus non divertit, ut ibi commeatum peteret, antequam ad has noſtras regiones accederet; vel potius (ut quod verum eſt eloquar) quia doctrinam hic tradidiſſe, et diſciplinam inſtituiſſe, illi quam hodie tuentur Pontificii haud uſquequaque conſonam, pluſquam veriſimile eſt. Certo ſiquidem certius eſt, pleraſque Eccleſias (cur non dicam omnes) Hiberniae, Scotiae, ac Walliae, in plurimis rebus, à praxi et diſciplina Romanae [y] diſcrepaſſe quo tempore Auguſtinus huc venit. Imo ſexcentis poſt annis (ſicut in Giraldo [z] videre eſt) Hibernorum nonnulla inſtituta reperies, Graecorum quam Latinorum Eccleſiis magis conformia. Paſchalis vero ſolennitatis celebratio ſecundum normam et morem orientalium, tam pertinaciter à Cambro-Britannis retenta, ne dicam pervicaciter; ſatis haud dubie indicio eſt, ex oriente religionis Chriſtianae ſemina accepta, idque in ipſa prima Eccleſiae infantia; ſaltem ſi verum ſit quod perhibet [a] Beda, omnes Apoſtoli Joannis ſucceſſores in Aſia poſt obitum ejus, et omnem per orbem Eccleſiam, converſam eſſe in obſervationem Paſchae die Dominica non niſi à quintadecima luna uſque ad viceſimam primam.

At enim ab haeretico aliquo hunc morem forſitan nuperrimè introductum: Sic namque Parſonius autumat. Ab haeretico forſitan aliquo? benè quod forſitan, nam, ſi quonam percontemur aut quando, non facilè ſe explicabit. Et cur nudae conjecturae fidem adhibeamus non video, praeſertim in re quae diſciplinam ſpectat; diſciplinam inquam, quae, quam doctrina, difficilius multo corrumpitur. Paulatim haec inficitur (doctrina) et occultè, rudiorum plerumque animis in errorem abductis, et ſilentio tegitur, donec ex inopinato fortis et metuenda exurgit: In illa verò ſemel ſtabilita, nihil mutari poteſt ſine ſtrepitu, nemo tam ſtupidus eſt qui non advertat illico; et qui paulò ſunt prudentiores, ſatis perſpiciunt, tutius multò eſſe nonnihil incommodi iis in rebus perferre, quam innovationis aleam ac periculum ſubire.

Quod de Damiano ac Fagano, Germano deinde ac Lupo objicitur, nunquam eos probaturos hunc morem Paſchatis celebrandi (antiquis nimirum

---

[u] In Praefat. quadam. Confut. Apol. c. 15. §. 3.

[x] In Praefat. ad lib. de Schiſ. Angl.

[y] Necnon et de aliis Eccleſiaſticae vitae diſciplinis controverſia nata eſt. Beda. lib. 3. cap. 25. Mota quaeſtio de Paſcha, tonſura et aliis rebus eccleſiaſticis. Beda ibidem.

[z] Gir. Cambr. Topograph. Hib. lib. 3. cap. 25.

[a] Ubi ſupra.

Britannis uſitatum) ſi uſurpatum à nobis hic reperiſſent, Romanorum inſtitutis tam contrarium: Reſpondeo, fieri poſſe, ut corrigendi operam et dederint ii et perdiderint, nec tamen ad noſtram notitiam id pervenerit: Probabilius autem videri, cùm aliàs hic haberent ſatis quod agerent, et res planè maximi momenti non eſſet; conſultius duxiſſe hanc intactam et intentatam relinquere, quam negotiis nimis multis ſimul eodemque tempore ſemet implicando, univerſae rei ſummam et tantorum laborum ſucceſſum in periculum conjicere.

Divus certè [b] Irenaeus Lugdunenſis Epiſcopus, in cauſa haud diſſimili ita judicaſſe videtur. Victorem ſiquidem Pont. Romanum, cum Aſiaticis Epiſcopis ferocius agentem, quod Eccleſiae Romanae morem non ſequerentur in Paſchatis ſolennitate, et jejuniorum tempore deligendo; reprehendit acriter, quòd pacem Eccleſiae conturbaret, tanta vi niſus abolere morem antiquitus traditum tamque diu ab illis Eccleſiis obſervatum.

Sed neque probabile eſt, voti compotes futuros, ſi in hoc ritu mutando aliquid attentaſſent. Reſponſum certe debebant expectare non aliud quam quale Auguſtino poſtea redditum eſt in eâdem causâ, hoc nimirum è Gratiano, “[c] Ridiculum eſt et ſatis abominabile dedecus, ut traditiones “ quas antiquitùs à patribus ſuſcepimus, infringi patiamur:” Aut ſi mavis hoc Auguſtini, “[d] In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei et inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt:” Aut denique illud Hieronymi, “[e] Traditiones Eccleſiaſticae (praeſertim “ quae fidei non officiant) ita obſervandae ut à majoribus traditae ſunt, “ nec aliorum conſuetudo aliorum contrario more ſubvertenda.”

Inficias iri non potuit, Eccleſias Aſiaticas per D. Joannem inſtitutas, Paſcha celebrare ſolitas decima quarta Luna. Et ut ita facerent, ab Apoſtolis in primo illo Concilio Hieroſolymitano ordinatum quis non credat, quando id quod tunc temporis conſtitutum eſt de abſtinendo à ſuffocatis et ſanguine, ad unum atque eundem finem tenderet, videlicet, *ne ſcandalum facerent Judaeis?* (ut rectè [f] Wilfridus apud Bedam.) Quâ de re ſic [g] Auguſtinus; “ Et, ſi hoc tunc Apoſtoli praeceperant, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne praefocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem et nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent ſimul et admonerentur, in ipſa arca Noe quando Deus “ hoc juſſit, Eccleſiam omnium gentium fuiſſe praefiguratam, cujus facti “ prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri.” Sic etiam prudenter B. Rhenanus, “[h] Opus fuit olim multa Chriſtianis indulgere, quod ſenes plerunque ad noſtram religionem converſi fuerint, “ ideoque haud facile adduci potuerint ut ſemel receptam conſuetudinem “ abjicerent. Nam

“ Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem,
“ Teſta diù.”

Ac iſta ut nobis omnia concedantur, non negarim tamen, quin harum rerum cauſa ſublata, tolli potuerint et effectus, quemadmodum et jam ſublati ſunt et fuerunt plerique ante tempora D. Auguſtini, qui poſt pauca, antea citatis ſubjicit, “ Vbi Eccleſia gentium talis effecta eſt, ut in ea nul-

---

[b] Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 24. p. 243. Edit. Cant. Socra. l. 5. c. 21. p. 290. [c] Diſt. 11. [d] Ad Caſulanum preſbyt. [e] Ad Lucianum. [f] Lib. 3. c. 25. [g] Cont. Fauſt. l. 23. c. 13. [h] In Tertul. de. Cor. militis.

“ lus carnalis Iſraelita appareat; quis jam hoc Chriſtianus obſervet, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, niſi quorum ſanguis effuſus eſt, aut leporem non edat ſi manu à cervice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui forte pauci adhuc tangere iſta formidant, à caeteris irridentur.”

Veterem igitur ritum illum Paſchatis celebrandi (nempe ob Orientalibus Eccleſiis acceptum) à majoribus noſtris non ſine cauſa mutatum confitemur; ita tamen, ut ſimul aſſeramus, et legitime olim inſtitutum, et ſeculorum aliquot praxi inolitum; neque temere abjici debuerit à Britannis noſtris, neque à Theologis praedictis de eo obolendo anxiè nimis elaborari; cùm et opus futurum difficile conſtaret, et alia momenti multò majoris haberent in manibus, faciliora tamen tractatu: Quanquam (ſicut antea dictum eſt) haud incredibile videatur, tentaſſe illos aliquid in hâc re, quod tamen nemo ſcriptorum memoraverit.

Primam hujuſmodi ritus Paſchalis apud nos originem ſi libet adhuc ulterius conſectari; nihil certe clarius, quam tum nuperrimè haud quaquam exortum, quando ita loquutus videtur Honorius Pont. apud [i] Bedam. Nam ante 70 annos à Columba et ſucceſſoribus ejus uſurpatum oſtendit Colmannus Lindisfarnenſis Epiſcopus, nemine contra tendente.

Ab archi-haeretico vero Pelagio aut ſceleſto illo Coeleſtio introductum dicere, perridiculum eſt; cùm nemo id unquam tradiderit ante Parſonium. Et quis ſanae mentis exiſtimarit, ſi ab illo acceperit initium, fieri poſſe, ut neque ab iis qui haereſes ejus confutarunt, neque ab illis qui damnaverunt, ulla ejus mentio facta fuerit?

Quapropter, ſatis liquere arbitramur, Paſchalis feſti celebrationem decimaquarta Luna, ſimul cum ipſa religione Chriſtiana hîc coeptam; atque hanc per Joſephum et ſocios ſuos primùm inter nos diſſeminatam, niſi forte à D. Paulo aut Zelote aliquod Eccleſiae fundamentum ante jactum, cuiquam libeat credere.

Huic capiti properabam jam colophonem addere, quando apud Nauclerum [k] mentionem occurrere video Timothaei (ad quem D. Paulus duas Epiſtolas conſcripſit) quaſi is Evangelium hic praedicaverit, et Lucium Regem ad fidem converterit. Sed quia temporum ratio id non patitur, nec quenquam alium reperi, qui haec tradat; dabit mihi veniam Nauclerus, ſi iſta non ſolum non vera, ſed nec veriſimilia pronunciem.

CAP. III.

QUANQUAM dubitandum non eſt Joſephum ſocioſque ſuos, in propagandâ Chriſtianâ religione operam ſedulo navaſſe; videntur tamen non ita multum profeciſſe, ideoque monaſticam tandem vitam amplexos, in praedicta inſula Avalonia conſenuiſſe. Siquidem ex illis quos Chriſto genuerunt, ne unum quidem nominatum repperi. Nam ad Claudiam Rufinam quod attinet, ſi vera ſunt illa quae hiſtoricorum noſtrorum nonnulli de ea perhibent, Chriſtiana religione imbutam oportet, longe antequam Joſephus huc appelleret; ut non ſine cauſa, Divi potius Pauli diſcipulam quam Joſephi, Balaeus conjiciat. Sed caetera audiamus quae de hac muliere ſcriptores noſtri tradiderunt.

---

[i] Eccl. Hiſt. l. 3. c. 25.

[k] Vel. Gen. 7.

“ Claudia Rufina (inquit [l] Balaeus) Britannici generis nobiliſſima mu-
“ lier, nominis claritudinem ex ingenti utriuſque linguae (Latinae et Grae-
“ cae) notitia per Italiam et alias mundi nationes commeruit. Maritum
“ habebat fortunis atque eruditione ſibi non diſſimilem (à quo cognomen
“ accepit) A. videlicet Rufum, cognomine Pudentem, Etruſcâ nobilitate
“ equitem inſignem, Poetam Bononienſem, ac Stoicae ſectae philoſophum
“ eruditum; qui tandem poſt Romanae militiae tribunatum, Senatorii
“ ordinis Romae vir factus, Claudianorum acta chartis commiſit, et ho-
“ minum vitia Socratico more ſatyris corripuit, adigebatque Martialem
“ Poetam (ut cui amantiſſimus erat) calamo plura reformare.” Id quod ipſe [m] Martialis fatetur in hoc carmine:

“ Cogis me calamo, manuque noſtra
“ Emendare meos, Pudens, libellos.
“ O quam me nimium probas, amaſque,
“ Qui vis archetypas habere nugas.

“ Ac ipſum quidem, ſicut ab humanitate, amicitia, liberalitate, pietate,
“ eruditione, ſtudio atque eloquentia Tulliana commendat; ſic uxorem
“ ejus Claudiam à forma foecunditate, fide conjugali, doctrinâ, linguis et
“ literis.” Sed ipſum (ſi placet) [n] Martialem audi.

“ Claudia caeruleis cum ſit Rufina Britannis
  “ Edita, cur Latiae pectora plebis habet?
“ Quale decus formae? Romanam credere matres
  “ Italides poſſunt; Atthides eſſe ſuam.
“ Dii bene, quod ſancto peperit foecunda marito,
  “ Quot ſperat generos, quotque puella nurus!
“ Si placeat ſuperis ut conjuge gaudeat uno,
  “ Et ſemper natis gaudeat illa tribus.”

Si de marito ejus libeat ambigere, eccum tibi ex eodem [o] Martiale,

“ Claudia, Rufe, meo nupſit peregrina Pudenti, &c.

“ Haec magno praedita ingenio mulier, ſcripſit (inquit Balaeus) tam
“ Latine quam Graece non pauca. Conſuevit illa Martialis praedicti (qui
“ et epicedio virum ejus in Cappadocia defunctum celebrarat) poemata
“ colligere, et ad Britannos Xenii loco mittere. Unde idem Poeta ſcribit [p],

“ Dicitur et noſtros cantare Britannia verſus.

“ Claudiam hanc Britannam cum Pudente marito fuiſſe Chriſtianam
“ ac D. Pauli Diſcipulam, et locus et tempus concordant: Immo ipſius bea-
“ tiſſimi Apoſtoli poſterior ad [q] Timotheum Epiſtola plane declarat. Qui
“ dum Romae eſſet alterâ vice ſub impio Nerone captivus anno Chriſti
“ 70 contractâ cum iſtis ex divini verbi miniſterio intimâ amicitiâ, hanc
“ ſententiam in ipſo Epiſtolae fine addidit: *Salutant te Eubulus et Pu-*
“ *dens, et Linus, et Claudia et fratres omnes.*” Haec Balaeus. Adjicit [r] Volaterranus (quod et Balaeus meminit) “ Pudentem Senatorem Roma-
“ num cum tota domo Chriſtianum factum, filios habuiſſe Pudentianam,
“ Praxedem et Novatum, omnes inter ſanctos una cum patre relatos; atque
“ ſorores poſt mortem parentum, ex eorum facultatibus ſanctis miniſtraſſe,
“ martireſque ſepeliiſſe. Et [ſ] Baronius, Majorum firma traditione prae-

---

[l] Cent. 1. c. 26. [m] Lib. 7. Ep. 10. [n] Lib. 11. Ep. 54. [o] Lib. 4. Ep. 13. [p] Lib. 11. Ep. 4. [q] 2 Tim. 4. 21.
[r] Lib. 8. [ſ] In annot. ad Mart. Maii. 19.

“ ſcriptum, domum Pudentis fuiſſe primum hoſpitium S. Petri, illic primum Chriſtianos conveniſſe ad ſynaxin, coactam Eccleſiam, vetuſtiſſimumque omnium titulum Pudentis nomine appellatum; hodie vulgo Eccleſia S. Pudentianae nuncupatum.”

Iſta jam omnia ſi quid ad rem perconteris; reſpondere liceat illius verbis qui Antiquitates Britannicas perſcripſit: “Hanc jam ad Chriſtum converſam (inquit ille[t]) non minus eſt veriſimile Chriſtiana dogmata ad Britannos miſiſſe ſuos, quam ante acceptam fidem Epigrammata Martialis. Nec veriſimile ſolum, ſed verum judicandum eſt in tam nobili familia fuiſſe cum Claudia gentiles ſuos Britannos qui una baptiſati fuerunt, à quibus Evangelii igniculi per totam gentem Britannam diſperſi, viritim ad multos pervenerunt.

Haud me latet, rationem temporum non pati, ut Claudia noſtra Pudentis tunc uxor, Divum Petrum Romam primum venientem anno Chriſti 44 (ſic enim placet [u] Baronio, Ciaconio et aliis) hoſpitio exceperit, deinde pro formoſa laudata fuerit à Martiale, imperante Nerva Trajano, ſub quo, annis poſtea plus minus 55, undecimus Epigrammatum liber editus eſt. Sed quid vetat confiteri, multa habere traditiones Pontificias, ab omni ratione et probabilitate abhorrentia, ac inter alia hoc ipſum de quo agitur? Quis enim eſt rerum Romanarum vel mediocriter peritus, qui ſtatim non videat Pudentis liberis nomina impoſita, à more illius ſeculi alieniſſima? ut de Pudentiana nihil dicamus, quae Pudentia potius aut Pudentilla, vel Rufa vel Rufilla nominanda eſſet, ſi illorum temporum conſuetudinem ſequuti fuiſſent; Quis hactenus audiverat Senatoris Romani filiae, nomen inditum, quod Graecam ſaperet originem?

Undè igitur Praxedes iſta? Paulò poſt haec tempora, veterem morem in his et multis aliis mutatum non ignoro; et vernis ac mancipiis nomina pro libitu ſemper impoſita. Sed in liberorum ac civium nominibus, certam fere legem ſequebantur adhuc (multòque magis, ingenuorum, Equitum ac Senatorum filiis) quam contempſiſſe, piaculum duxiſſent. Sed iſta ut mittamus, ſi Claudiam hanc, teneram tunc temporis virgunculam, quando ſecundam ad Timotheum Epiſtolam Paulus conſcripſit, anno viz. Neronis ultimo, (ſic enim tradiderunt omnes quos legi praeter unicum Baronium) Chriſtianam factam conjiciamus per Divi Pauli praedicationem una cum Pudente, et inde natam inter eos familiaritatem, quae poſteà ſub Veſpaſianis in conjugium coaluit; quid ſequetur abſurdi, ſi Claudiae hujus formam à Martiale laudatam dicamus ſub initium Trajani, quam ſalutarat Apoſtolus in Epiſtola praedicta, annis antea ferè triginta? Quanquam Epigramma illud (etſi ſub Nerva Trajano editum) citiùs tamen conſcriptum, liceat ſuſpicari; ut hujuſmodi laudationis tempore, quadrageſimum adhuc aetatis annum illa non exceſſiſſe potuerit.

In hâc conjecturâ (ſatis opinor probabili) ſi forſitan hallucinemur; conſtat certè, teſte Caſſiodoro[x], ſub Ethnicis adhuc Imperatoribus in extimis Imperii Romani provinciis, Chriſtianis permiſſum degere; quorum multi, eam ob cauſam, ut perſecutionem vitarent, Româ ſuâ relictâ, in Britannia noſtra haud dubiè conſederunt; interque eos (ad tempus ſaltem) noſter, ni fallor, Pudens, quem in hac Septentrionali mundi plaga moram aliquandiù traxiſſe oſtendit Martialis in hoc carmine:

---

[t] P. 4. Edit. 1729. [u] Annal. Tom. 1. [x] Trip. Hiſt. l. 1. c. 7.

“ [y] Cer-

“ [y] Cernere Parrhaſios dum te juvat, Aule, Triones,
“ Cominus et Schythici ſidera ferre poli;
“ O quam penè tibi Stygias ego raptus ad undas
“ Elyſiae vidi nubila fuſca plagae!
“ Quamvis laſſa tuos quaerebant nubila vultus,
“ Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
“ Si mihi lanificae ducunt non pulla ſorores
“ Stamina, nec ſurdos nox habet iſta Deos;
“ Soſpite me ſoſpes Latias reveheris ad urbes,
“ Et referes pili praemia clarus eques.”

Hujuſmodi advenarum opera partim, partim ſucceſſorum Joſephi Arimathaei et ſociorum ejus, Avalonienſis Collegii incolarum; Lucius Rex Britannicus inductus videtur, ad cervicem jugo Evangelii ſubmittendum: Omnium ut opinor principum primus, qui Chriſtianam fidem amplexus palam, ſubditis etiam ſuis publicè amplectendam propoſuit. Facinus planè memorabile; cujus ideo cauſas primum indagare operae pretium duxi; deinde modum ac rationes ejus, poſtremò etiam effectus enarrare.

Ad cauſas quod attinet, praeter illas quas ſupra recenſui, haud reticendum videtur id quod habet Galfr. Monumethenſis, *Serenaverant mentem ejus* (inquit ille de Lucio Rege verba faciens) *miracula quae tyrones Chriſti per diverſas nationes faciebant.*

Eâdem certe ratione permotum referunt M. Antoninum Imperatorem, ut, ſi non faveret Chriſtianis, at illos ſaltem perſequi deſiſteret, quando illorum precibus impetrata pluvia, exercitus ejus ſitis ſedata, hoſtes vero qui jam exitialiter imminebant, fulminibus crebris et coelitus prolapſis ignibus effugati ſunt, undè legio in qua militabant, pro inſignis facti miraculo mutato nomine ab ipſo Imperatore fulminea ſive Thaumaturga appellata eſt. Sic nimirum ex Tertulliano [a] Euſebius.

Ac iſta quidem omnia, ſic ut geſta ſunt, Lucio Regi ab Oratoribus Imperatoris enarrata, perhibet [b] Baronius; qui porro adjecerunt, Romanorum civium quamplurimos quotidie militiae Chriſti nomina dare, neque eos infimae ſortis, duobus jam Senatoribus Trebellio ac Pertinace ad Chriſtianam fidem converſis.

Culturâ nihilò ſecius hujuſmodi parum profeciſſent ſemina Evangelica in hoc fundo noſtro Britannico, niſi ſumma Dei providentia, Druidicarum ſuperſtitionem vepres quae tam multa per ſecula altas hic radices egerant, exciſae, ac jam tandem ſub hoc ipſum tempus radicitus extirpatae fuiſſent. [c] Hanc nimirum Religionem civibus tantum Romanis Auguſtus interdixerat, [d] Tiberius Gallis, [e] Claudius autem, quantum in ipſo fuit, ſuſtulit ac abolevit penitus, circa annum Chriſti quinquageſimum.

Sed haec mala tam ——
—— *per longas invaluere moras*,

ut brevi tempore perſanari non potuerint. Plinius namque de iſta ſuperſtitione verba faciens, annos poſt obitum Claudii plus minus quinquaginta; *Britannia* (inquit [f] ille) *hodieque eam attonite celebrat, tantis ceremoniis, ut dediſſe Perſis videri poſſit.* Marcus verò Antoninus, Princeps manſuetus et morum ſanctitate celebris, ſuperſtitionis iſtius immanitatem ac barbariem exoſus, edicto ſuo omnem ejus uſum prohibuit, neque deſtitit

---

[y] Ad A. Pudentem Lib. 6. Epig. 58. [z] Lib. 5. cap. 19. [a] Hiſt. Eccl. l. 5. cap. 5. p. 215. Tert. in Apol. c. 5. & in Lib. ad Scapulam. [b] Tom. 2. [c] Sueton. in Claud. cap. 25. [d] Plin. Nat. Hiſt. Lib. 30 cap. 1. [e] Ubi ſup. [f] Ubi ſup.

donec

tit donec eliminaſſet penitus et funditus ſuſtuliſſet. Sic nimirum ille qui Antiquitates Britannicas perſcripſit; neque idoneis hujus rei Authoribus caruiſſe ipſum exiſtimo, etſi à quibus id fontibus hauſerit, me certe (quod fateor ingenuè) adhuc lateat.

Purgato his ſentibus fundo, doctrinae Evangelicae ſemina jam olim hic ſed incaſſum ſparſa (ſicut antea docuimus) creſcere tandem coeperunt et fructum exoptatum producere. Sublatis Druidibus, Lucius ac Britanni ſui, qui caeterorum Ethnicorum polytheiſmum averſabantur (unum namque Deum colendum Druides teſte [g] Origine inculcarant ſemper) veritatis Evangelicae praedicationi aures exhibuerunt.

Veniamus nunc ad hujus converſionis modum, quem inter fide aliqua paulò digniores, primus expoſuiſſe videtur [h] Beda. Quanquam enim ex vetuſtis Menologiis hic videtur accepiſſe quae hâc de re tradidit, inter quae nonnulla extitiſſe valde antiqua non negarim; ea tamen quae hodie circumferuntur, propter quotidianas acceſſiones et incrementa (hoc ipſum fatentur et [i] Baronius et [k] Molanus) antiqua dici non poſſunt. Sed ipſum Bedam [l] audiamus: "Anno ab incarnatione Domini centeſimo quinquageſimo ſexto (inquit ille) Marcus Antonius Verus, decimus quartus ab Auguſto, regnum cum Aurelio Commodo fratre ſuſcepit: Quorum temporibus cùm Eleutherius vir ſanctus Pontificatui Romanae Eccleſiae praeeſſet, miſit ad eum Lucius Britanniarum Rex Epiſtolam, obſecrans ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur: Et mox effectum piae poſtulationis conſecutus eſt, ſuſceptamque fidem Britanni uſque in tempora Diocletiani Principis inviolatam integramque quieta in pace ſervabant."

Hac tota de re, Uſuardus vicinus noſter, qui Caroli magni juſſu Martyrologium compoſuiſſe dicitur circa annum 800. ne verbum quidem. Illud verò quod antiqui et genuini Martyrologii Romani nomine inſignivit Baronius, huic Bedae narrationi etiam illud adjicit, [m] "Miſiſſe Eleutherium ſanctos Damianum et Fugatium in Britanniam, qui Lucium Regem una cum uxore, ac toto fere populo baptizarunt."

Oratores Eleutherio à Lucio primum miſſos, hiſtoria Landavenſis Elvanum ac Meduinum nuncupatos perhibet, et "quod propter eloquentiam et ſcientiam quam habebant in ſacris Scripturis Elvanus conſecratus eſt in Epiſcopum, Meduinus Doctor conſtitutus."

Qui [n] antiquitates Britannicas conſcripſit ex Capgravio, et [o] Balaeus (ut videtur) ex Zelando aſſerit, Meduinum patriâ fuiſſe Belgam, Elvanum vero Britannum in Coenobio Avalonienſi educatum inter Diſcipulos ſucceſſorum Joſephi Arimathenſis et ſociorum ſuorum, qui per latos Britanniae campos Evangelicae doctrinae ſemina ſparſerunt per eundem Joſephum huc primum allata.

Utrum ab iſtis baptiſmi ſacramentum acceperit Lucius, an potius ab illis quos huc ab Eleutherio miſſos diximus, nemo opinor pro certo affirmarit. Certè, praeter nonnullos alios, hiſtoria Landavenſis ab Elvano et Meduino baptiſatum diſertis verbis aſſerit: Quanquam à plurimis traditum non iverim inficias, eoſdem illos quos Eleutherius huc legavit ut Eccleſiae ſtatum apud nos ordinarent, Lucium (ſiquid hoc ad rem) baptiſaſſe.

De iſtorum nominibus magnam reperio apud ſcriptores diſcrepantiam. Eorum alter à nonnullis Damianus, ab aliis Duvanus, atque ab aliis itidem

---

[g] In Ezech. 4.

[h] Eccleſ. Hiſt. lib. 1. cap. 4.

[i] In praecapit. ad Martyr. cap. 8.

[k] In praefat. 1. ad Uſuardum

[l] Eccleſ. Hiſt. l. 1. cap. 4.

[m] In Martyrol. 7 Kal Jun.

[n] Uſſer cap. 4. p. 27.

[o] Cent. 1. cap. 27, 28.

Dervianus, Deruvianus, Dimianus, Divianus, et Donatianus appellatur. Sed neque de altero illo planè conſentiunt, quem nonnunquam Fugatium, nonnunquam etiam et plerunque Faganum nuncupatum conſtat.

De tempore vero hujus converſionis adeo non conſpirant, ut vel inter antiquos vix quiſquam poſſit oſtendi, qui ab omnibus aliis non diſſentiat. Hiſtoria nempe Landavenſis annum Dominum deſignat 156. (quo ipſo anno Regem praedictum obiiſſe tradit Monumethenſis) Nennio placet nuncios praedictos Romam amandatos 163 non ad Eleutherium, ſed Evariſtum. Manuſcriptum quoddam Anonymum quòd penes me eſt, annum habet 164. Guil. Malmesburienſis de hâc re ſic loquitur, *fluxerunt anni ab adventu Diſcipulorum S. Philippi in Britanniam, uſque ad tempus quo Phaganus et Deruvianus huc appulerunt anni* 103. Unde conſtabit adveniſſe huc praedictos Phaganum et Deruvianum anno 165. Henricus de Erfordia haec omnia accidiſſe dicit anno 169. Marianus Scotus 177. Balaeus 179. Polydorus Virgilius 182. Baronius 183. Hiſtoria Roffenſis 185. Flores hiſtoriarum 187. ac denique Martinus Polonus (ne plures enumerando lectori ſim moleſtus) 188.

Quandocunque demum id fuerit quod hic, Rex tam pius, fidem Chriſtianam fuerit amplexus; hiſtoricorum noſtrorum plerique in hoc conſentiunt, quod non ſolum ipſum Regem, verum et Proceres, et Sacerdotes, et plebem denique univerſam hujus Britanniae partis quam nunc Angliam nuncupamus, Chriſtianos ſimul factos aſſerant; idola itidem tum ubique comminuta, templa ipſorum in Eccleſias converſa, fundos ſacerdotum miniſtris Evangelii attributos, et pro 25 Flaminibus totidem Epiſcopos, Archiflaminum trium loco, tres Archiepiſcopos conſtitutos, unum nempe Londini, Eboraci alium, ac in Civitate Legionum tertium, quae Carleona hodie appellatur, et in Monumethenſi comitatu ſita eſt. Ac de converſione Lucii Regis ſubditorumque ſuorum, haec ſunt quae apud antiquos perſcripta comperi.

Neſcius equidem non ſum, horum pleraque à viris nonnullis doctiſſimis, nec ſine cauſa, in dubium revocari; inter quos non deſunt, qui totam hanc de Lucio narrationem, ut falſam et commentitiam, integram damnant et rejiciunt. Horum rationes praecipuas, abs re fortaſſis haud fuerit, pauliſper perpendere.

Negatur in primis fieri poſſe, ut Rex aliquis hic in Britannia regni compos fuerit quo tempore haec geſta perhibentur; quia Romani rerum hic potiti, Britanniam in formam provinciae jam olim redegerant: quod clarius eſt quam ut veterum teſtimoniis debeat comprobari. Ubi igitur (inquiunt) tunc Regi locus in Britannia?

Huic objectioni duplici reſponſione occurritur. Magna pars hujus inſulae à Romanis nunquam ſubacta fuit, ea nempe quae jacit ultra primam illam praetenturam, quam poſuiſſe videtur Julius Agricola inter Bodotriam et Glottam, Hadrianus poſtea deſeruit, Lollius vero Urbicus ſub Antonino Pio reſtituit, et multo maximam Scotiae partem hodie complectitur. Quid ni igitur cenſeamus illarum regionum regnum obtinuiſſe Lucium? cui nimirum ſententiae videntur aſtipulari verba illa [p] Tertulliani tunc temporis viventis, qui, *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto refert ſubdita*.

---

[p] Adverſ. Jud. 7.

Sed non placet ut Scotia (quanquam nunc pars noſtri) nobis hanc gloriam praeripiat. Quapropter malo augurari in hac noſtra Anglia Lucium regnum obtinuiſſe. Et quo minus id ita fuerit quid vetat? De Cogiduno Regulo Britannico verba faciens [q] Cor. Tacitus, *veterem* dicit *ac jam pridem receptam populi Romani conſuetudinem, ut haberet inſtrumenta ſervitutis et Reges.*

Poſt everſos Mithridatem et Antiochum, Aſia minor fere tota in ditione Romanorum fuit, et in provinciae formam redacta ſicut et Syria. Qui tamen vel unum [r] Joſephi caput perlegerit, mentionem reperiet regum quinque qui illis in regionibus rerum potiti feruntur quanquam Romanorum Imperio ſubditis; videlicet, Sigerammis Emiſenorum, Archelai Cappadociae, Antiochi Comagenorum, Herodis ac Agrippae Chalcidis (quorum iſte filius, alter vero frater fuit Agrippae Judaeorum Regis) ac denique Alexandri Leſidis in Ciliciae Regis; qui omnes, aut ſub Auguſto aut poſt ejus deceſſum, Regio nomine gaviſi ſunt. Sed hujus generis ſexcentos commemorare in promptu eſt.

Caeterum illud obſervatione non indignum, rarò hujuſmodi regna ad filios aut ſucceſſores adeo integra permanaſſe, ut vel pluribus attributa, vel magna ditionis parte detracta, infirmiora quotidie non redderentur, donec tandem in illis locis regium nomen evaneſceret. Sit hujus inſtituti exemplum, Herodes ille magnus ſub quo Chriſtus Dominus carnem noſtram ſuſcepit. Hic [s] gratia apud Auguſtum eouſque valebat, ut regnum teſtamento ſuo conferendi, integram illi poteſtatem faceret. Cùmque ille haeredem filium inſtitueret Archelaum; eo tamen mortuo, dimidia tantum ditionis pars Archelao permiſſa dilatis aliquandiù Regiis inſignibus; reliqua conceſſa Antipae et Philippo fratribus ejus; Philippo autem paulo poſt obeunte, quod illi obvenerat Syriae diſpenſationi conjunctum eſt.

Hujuſmodi exemplis (quorum multa ubique occurrunt) perſuadeor, hunc Lucium noſtrum univerſae Britanniae Regem nunquam fuiſſe, imo nec potioris alicujus partis ejuſdem, quam tam multis ante id tempus annis Romani ſubegerant et in provinciae formam redegerant.

Et huic quidem ſententiae eo promptius accedo, quia ſi Caeſari, Tacito, Suetonio et aliis primae notae Romanarum rerum ſcriptoribus habemus fidem, conſtet nobis oportet, ab uno aliquo principe Britanniam, imo ne hanc Britanniae partem quam nunc Angliam nuncupamus, unquam regi conſuetam, niſi quandoque contigerit, ut imminente graviori periculo ab hoſte aliquo externo, plurimorum regulorum conſenſu, unus caeteris praeficeretur, donec redditâ pace, unicuique ſuam ditionem repetere liceret. Sic nimirum Caſſivelanus Caeſari bellum inferenti opponitur, quando regio Londino vicina Reges habuit quinque, quorum ab illo fit [t] mentio, nempe, praeter dictum Caſſivelanum, Cingetorigem, Carvilium, Taximagulum et Segonacem, quibus (puto) licet adjicere, Mandubratium Trinobantum Regem.

Et Caractacus ſimiliter, ut adverſus Oſtorium alioſque Duces Romanos rem gerat, eligitur, quem Silurum tantum Regem fuiſſe conſtat, etſi Cynobellini filium, illius nimirum quem univerſae fere Britanniae Monarcham ſomniant mythologi noſtri: Non tamen regium aliquod ſupra caeteros faſtigium, ſed (anne libet à [u] Tacito exquirere?) *multa eum am-*

---

[q] In vita Agric. cap. 14. [r] Joſeph. antiq. Lib. 18. cap. 11. [s] Joſeph. antiq. Jud. Lib 17. cap. 17. [t] Comm. Lib 5. [u] Annal. Lib. 12. cap. 33.

bigua, multa proſpera extulerunt, ut caeteros Britannorum Imperatores praemineret. Hos vero ſi Reges fuiſſe negaveris; idem ipſe teſtabitur, Venutium tunc temporis apud Jugantes, Cartiſmanduam apud Brigantes et Cogidunum alibi imperitâſſe. Ac Dio diſertis verbis Britannos tum non liberos, ſed diverſis Regibus ſubjectos aſſerit. Et Regum Britannicorum apud Tacitum, Suetonium, alioſque ſaepe fit mentio. *Domitae gentes, capti Reges,* inquit [x] Tacitus de Britannis verba faciens: Ac Suetonius, *ad imaginem bellicam et deditionem Britanniae Regum.* Juvenalis illud quid memorem?

“ Regem aliquem capies aut de temone Britanno
“ Excidet Arviragus.”

Nam ad poſteriora tempora id pertinet.

Sed in ſole meridiano quid lucem quaero? Hoc unum igitur adjicio; nullo teſtimonio quod quingentis annis ſit antiquius, oſtendi poſſe, unum aliquem totius inſulae noſtrae; imo nec illius partis quae Anglia hodie appellatur, imperium tenuiſſe (niſi forte temporarium quale ſupra deſcripſimus) anteaquam Romani hic rerum potiti ſunt.

Jam ut reliqua perſequamur, quorundam palato non ſapit (ac in primis ne meo quidem) tot derepente hic Epiſcopos conſtitui, idque per Lucium Regem, in eâ provinciâ, quam planè pacatam Romanos tunc poſſediſſe conſtat. Eccleſia ſcilicet noſtra tanquam Aaronis virga, uno eodemque tempore et germinavit et folia fructuſque affatim produxit.

In concilio certè Arelatenſi quod congregatum fertur anno Chriſti 325. Reſtituti cujuſdam fit mentio; et à Gennadio annis poſtea plus minus centum, Faſtidii; quorum uterque ſine alio titulo Britanniarum dicitur Epiſcopus. In animum equidem inducere non poſſum ut exiſtimem, tam anguſtis finibus et cancellis Eccleſiam Britannicam toto illo tempore concluſam, ut ab uno Epiſcopo regi potuerit. Concilio namque Ariminenſi (in quo fere omnes Occidentalium Eccleſiarum Epiſcopi videntur conveniſſe anno 363. quadringentos nempe accivit Conſtantius Imperator) tres interfuiſſe ex Britannia, teſtatur [y] Sulpitius Severus. Haec attamen cùm mecum perpendo, et ſimul conſidero, quam rara fiat mentio Britannicorum Epiſcoporum apud probatos ſcriptores circa haec tempora; pauciſſimos eos fuiſſe, antequam Germanus et Lupus huc transfretarent, pro certo mihi conſtituendum videtur.

De adventu igitur iſtorum, quorum Altiſiodorenſis ille, hic verò Trecaſinus fuit Epiſcopus, quod habet hiſtoria noſtra Landavenſis, lectori viſum proponere. “ Ad haereſim Pelagianam confutandam, ſanctus Ger-
“ manus Epiſcopus, et Lupus, à Galliae antiſtitibus ad Britannos miſſi
“ ſunt. Saepe tamen ante miſſis Legatis, à Britannis ad eos, imploranti-
“ bus auxilium contra tam execrabile periculum, quia tam prava doctri-
“ nae haereticorum non acquieſcebant, neque tamen confundere valebant.
“ Poſtquam praedicti ſeniores Pelagianam haereſim extirpaverant, Epiſ-
“ copos pluribus in locis Britanniae conſecraverunt. Super omnes autem
“ Britannos dextralis partis Britanniae beatum Dubritium ſummum Do-
“ ctorem, à Rege et ab omni parochiâ electum Archiepiſcopum, conſe-
“ craverunt. Hâc dignitate ei à Germano et Lupo data; conſtituerunt ei
“ Epiſcopalem ſedem conceſſu Mourici Regis, Principum, cleri et populi,

---

[x] In Agric. cap. 13. In Claudi cap. 21.

[y] Hiſt. Sacr. Lib. 2. p. 420. Ed. Lugd. 1647.

“ apud Podium Lantavi in honore ſancti Petri Apoſtoli fundatam, et cum finibus iſtis, &c.”

Anno Chriſti incarnati haec facta perhibentur 431. quo ipſo tempore (ſi non paulò ſerius, ut [z] Buchanano viſum) Palladius in Scotiâ Epiſcopos et Epiſcopatus primus conſtituit, ut ſimul et Scotis dati et nobis aucti Epiſcopi Epiſcoporumque ſedes Cathedrales videantur. Siquidem verum ſi ſit, Archiepiſcopis tribus, et Epiſcopis praeterea 25 tam diu ante haec tempora inſtructam fuiſſe Eccleſiam noſtram; mirari facile ſubeat, primùm, unde de iſtis tot per ſecula tam altum apud ſcriptores ſilentium; deinde quorſum Germanus et Lupus *pluribus in locis Britanniae Epiſcopos conſecrarent*, ac Dubritio quidem novam *ſedem conſtituerent apud Podium Lantavi*, ſi de Epiſcopis et Epiſcoporum ſedibus tam copioſè antea proviſum fuiſſet.

Caeterum in totâ hâc de Lucii rebus narratione, nihil eſt abſurdius, quam ſomnium illud, de Archiepiſcoporum et Epiſcoporum ſedibus ad Archiflaminum et Flaminum (ſi diis placet) Ethnicorum numerum aptandis. Commentum, pace dixerim doctiſſimorum virorum, qui hoc aut tradiderunt aut crediderunt, planè putidiſſimum et pluſquam puerile. Vix enim quenquam reperi praeter Jewellum et Sutlivium, iſta qui reprehenderit.

Huic tam lepidae ſententiae, primus fidem conciliaſſe videatur Feneſtella; quo, non eſſet opus teſte antiquiore, is ſi proferendus eſſet de quo tam crebram [a] Plinius facit mentionem. Ille vero, authore eodem Plinio, Tiberio adhuc regnante, è vivis exceſſit. Ut librum de Magiſtratibus Sacerdotiiſque Romanis qui illius nomine circumfertur, edidiſſe eum non ſit credibile: Sic enim is [b] habet. “Uti noſtrûm inter ſacerdotum gradus nonnihil intereſt, ut Epiſcopum, Archiepiſcopum, Cardinalem, Patriarcham et Metropolitanum; ita apud illos (Gentiles) Flaminum, Protoflaminum et Archiflaminum differentiam fuiſſe, idonei teſtes ſunt.” Haec ille. Quis vero tam imperitus eſt ut non intelligat, poſt mortem Tiberii fluxiſſe multos annos, ne dicam ſeculum unum aut alterum, priuſquam Cardinalis, Patriarchae, aut Metropolitani nomen in Chriſtianorum Eccleſiis auditum eſſet? Unde ſi non ſatis patet adulterinum eſſe hunc Feneſtellam; hinc ſine dubio ſatis liquebit, quod A. Gellii teſtimonio ſaepe utitur, qui poſt Tiberii obitum centum plus minus annos vixit.

Ipſum vero ut miſſum faciamus; quicunque demum is fuerit, quae ab illo tradita memoravimus, falſiſſima ſunt omnino. Hoc etenim fidenter affirmarim, mortalium neminem oſtendere poſſe inter antiquos et verè Romanos ſcriptores quempiam, qui de Protoflamine aut Archiflamine uſquam faciat mentionem. Si hoc ſatis non eſt, evolvat cui placet, quantivis pretii librum illum inſcriptionum antiquarum orbis Romani à Grutero editum. Flamines et Flaminicae occurrent ubique, Protoflaminis vero aut Archiflaminis ne umbra quidem aut veſtigium comparebit.

Habet adhuc alium propugnatorem non contemnendum figmentum iſtud, nimirum Gratianum, qui uno quidem in loco, [c] è ſuo videtur cerebro deprompſiſſe, [d] alibi vero Clementem neſcio quem Papam laudat authorem. Quâ in re, aut ipſe nobis impoſuit, Clementis abuſus authoritate, qui talia nunquam ſcriptitavit; aut ipſi à ſuppoſititio et adulterino Clemente imponitur; aut is nobis denique exemplo erit Clementem, etſi millies Papam, hallucinari potuiſſe ſicut alium quemvis mortalium.

---

[z] Rerum Scot. Lib. 5. Reg. 42.
[a] Plin. nat. hiſt. Lib. 33. cap. 11.
[b] De ſac. Rom. cap. 5.
[c] Diſt. 21. cap. Decretis.
[d] Diſt. 80. cap. In illis.

Nam praeterquam quod de Primo-Flamine aut Archiflamine nuſquam reperitur mentio aut tempora ipſius Gratiani (ſicut antea docuimus) clarius eſt quàm ut poſſit negari, raro uſu veniſſe, ut non una et eadem civitas plurima haberet ſacerdotum collegia et ſic plures Flamines. Id [e] M. Varro ſatis teſtatur, aſſerendo (quod [f] Feneſtella non diffitetur) *Totidem Flaminibus quo Deos colerent, veteres uſos.* Urbs una Romana non tantum Dialem habuit (ſacrorum quae ad Jovem pertinerent ſummum Pontificem) ſed, pro Romulo Quirinalem, pro Marte Martialem, et ne ſingulos enumerem, ſingulis Diis ſingulos Flamines attributos. Et ne aliquis omnino numerus eorum iniri poſſit, Imperatoribus quoque ſuis defunctis et in numerum Divorum pro more relatis, templa, ſacra, ſacerdotes, denique etiam Flamines conſtituebant; Auguſto Auguſtalem, Veſpaſiano Flavialem, Antonino Titialem, et ſic de caeteris, donec adeo creſcente Divorum numero, ut univerſa civitas tot templorum capax brevi non videretur futura, haec ratio tandem inventa eſt, modum huic rei ſtatuendi.

Urbi Romae, initium facientibus [ſive Alabandenſibus (quod Livio viſum) ſive] Smyrnaeis (quod ipſi gloriantur apud [g] Tacitum) aedificiis inquam et inanimato corpori, non ſolum vitam, ſed numen etiam attribuere, multis paſſim civitatibus viſum; ac proinde templo et ſacris tanquam Deam colere, irridente merito hanc inſaniam Prudentio

" ———— Colitur nam ſanguine et ipſa (*inquit ille*)
" More Deae nomenque loci ſeu numen adorant.

Coeptum hujuſmodi tam ab omni ratione alienum, dum planè imitari è dignitate ſuâ non putarent Romani, nec tamen tam putidam adulationem aſpernari videri vellent; Urbi [h] ſimul et Veneri templum primum ſtatuunt, ſuggerente ſumptus Imperatore Hadriano. Poſtea vero et hoc Romae et caeteros ejuſdem generis per univerſum orbem, urbi Romanae et Divis ſimul omnibus Auguſtis videntur conſecrâſſe.

Deinde quia ſimili incommodo laboratum eſt propter templa quae uxoribus Auguſtorum demortuis conſtituta ſunt, aliud porro (ut illud etiam obiter ſubnotemus) Divarum Auguſtarum nomini ni fallor dicatum eſt. Eccum ſi placet elogium antiquum quod id ipſum teſtari videatur.

[i] D. M.
IN MEMOR:
USIÆ. L. FIL.
TERTULLIANÆ
SACRED. DIVAR.
MATRI SUÆ
SEX. APPI.

Hujus inſtituti ratione factum eſt, ut melioris notae urbem vix uſquam reperire eſſet ſub ditione Romanâ, quae templum non haberet Romae et Divorum Auguſtorum numinibus ſacratum. Habuerunt certe Segobriga et Tarraco Hiſpanorum, Lugdunum Gallorum, et in Italia Verona, ſicut in libro Inſcriptionum praedicto videre licet. Habuerunt tum etiam plerunque unius etiam alicujus Imperatorum (ſi non plurium) ſicuti Camalodunum noſtrum Claudii. Cùmque deinde caeteris diis jam antea templa, ſacra, Flamines alioſque ſacerdotes apud eos conſtitutos, non ſit dubitandum (Londini nempe et Carleonae Dianae, quod certum, alibi aliis ut credibile eſt) ita ut una ſaepenumero civitas plurimos haberet Flamines, Roma (ut auguror) centum haud pauciores: Fieri quomodo poteſt ut inter illorum Flamines et noſtros Epiſcopos aliqua exiſtat proportionis ratio, cum illi in unaquaque civitate, ne dicam oppido, plurimos haberent Flamines, nos vero aliquot comitatibus non raro unum duntaxat praefecerimus Epiſcopum? [k] Et ne veterum authoritate deſtituti videamur, eccum tibi verba Concilii Chalcedonenſis, ubi dicitur, *Civitates Metropoliticas quaſcunque* eo nomine ac titulo *per literas regias honoratas*.

---

[e] In Lib. de lingua Lat. Lib. 6. [f] De ſac. Rom. cap. 5. [g] Hiſt. Lib. 3. [h] Dio. in vita Hadriani. [i] Inſcrip. ant. orbis Rom. p. 322. n. 6.

Haec ſi paulo prolixiùs quam pro inſtituti mei ratione; dabit veniam lector uti ſpero, ut in re novâ, et argumento à nemine alio quod ſciam hucuſque pertractato.

Tempus jam poſcit ut de Epiſtolâ quâdam ab Eleutherio Antiſtite Romano ad Lucium Regem (ſicuti fertur) perſcriptâ, verba faciamus. Ejus conſcribendae occaſionem dediſſe videntur literae quaedam ejuſdem Regis, poſt converſionem ſuam (ſed utrum ante tempus quo baptizatus eſt, non ſatis liquet) ad Eleutherium datae, in quibus rogavit, Romanarum legum compendium ad ſe mitti, juxta cujus normam res ditionis ſuae componere poſſet ac ordinare, duplici mutatione turbatas. Nam Druides (ut teſtatur Caeſar) res non ſolum ſacras, ſed politicas etiam ut plurimum adminiſtrabant. " [l] Fere de omnibus controverſiis publicis et privatis (inquit " ille) conſtituunt, et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi caedes facta, ſi de " haereditate, de finibus controverſia eſt, iidem (Druides) decernunt, prae- " mia poenaſque conſtituunt." Ita ut cùm utrinque eadem fuerit cauſa reformationis, Druidicarum videlicet ſuperſtitionum abolitio; planè non videam cur non exiſtimemus, utriuſque defectus ſupplementum ſimul quaeſitum. Aſſerit profecto qui Antiquitates Britannicas [m] conſcripſit, hanc de legibus Romanis petitionem tum factam, cùm primum Romam proficiſcerentur Elvanus ac Meduinus, ideoque anteaquam Lucius baptizaretur. Id ipſum cenſere videntur Jo. Foxus[n], ac foeliciſſimae memoriae Juellus [o] Sarisburienſis Epiſcopus. Quia tamen Chronographi [p] quidam noſtri, non ſolum poſt tempus baptiſmi Lucio impertiti hoc factum referunt, ſed tempus ipſum deſignantes, tertio poſt converſionem ejus anno fuiſſe dicunt, pro certo nihil affirmavero, quin potius rem totam in medio relinquo.

Epiſtolam ipſam una cum titulo ejuſdem, lectori integram exhibebo, quanquam fatendum eſt, aliter atque aliter à diverſis eam traditam, atque magnam exemplarium diſcrepantiam reperiri.

" Anno Domini 169 à paſſione Chriſti, ſcripſit D. Eleutherius Pa-
" pa Lucio Regi Britanniae ad correctionem Regis et procerum
" Regni, &c.

" Petiſtis à nobis leges Romanas et Caeſaris vobis tranſmitti, quibus in " regno Britanniae uti voluiſtis. Leges Romanas et Caeſaris ſemper re- " probare poſſumus, legem Dei nequaquam. Suſcepiſtis enim nuper mi- " ſeratione divina in regno Britanniae legem et fidem Chriſti. Habetis " penes vos in regno utranque paginam: Ex illis Dei gratiâ per concilium

---

[k] Conc. Chal. cap. 12. [l] Com. Lib. 6. p. 130. Edit. S. Clark. [m] Parker de Vetuſtat. Eccleſ. Britan. p. 7. Edit. S. Drake. [n] In Martyrolog. [o] Contra. Harding. fol. 119. [p] Holinſhed. &c.

“ regni veſtri ſume legem, et per illam, Dei patientiâ, veſtrum reges Bri-
“ tanniae regnum. Vicarius vero eſtis in regno, juxta prophetam Regem,
“ Domini eſt terra et plenitudo ejus orbis terrarum et univerſi qui inha-
“ bitant in eo; et rurſum juxta prophetam Regem, Dilexiſti juſtitiam et
“ odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo laetitiae prae conſorti-
“ bus tuis: et rurſum juxta prophetam Regem, Deus judicium tuum, &c.
“ Non enim judicium neque juſtitiam Caeſaris: Filii enim Regis gentes
“ Chriſtianae, et populi regni ſunt, qui ſub veſtrâ protectione et regno in
“ pace degant, et conſiſtant, juxta Evangelium. Quemadmodum galli-
“ na congregat pullos ſub alis, &c. Gentes vero regni Britanniae, et po-
“ puli, veſtri ſunt, et quos diviſos debetis in unum ad concordiam, et
“ pacem, et ad fidem, et ad legem Chriſti, et ad ſanctam Eccleſiam con-
“ gregare, revocare, fovere, manutenere, protegere, regere, ut poſſitis cum
“ eo regnare in aeternum cujus Vicarius eſtis in regno praedicto, qui
“ cum patre et filio, &c.”

Ita nimirum habet Antiquitatum Britannicarum [q] liber. Foxus vero noſter, poſt vocabulum (*regere*) haec adjicit, quae Anglicè ab illo tradita, nos ſic ut potuimus convertimus, “ et contra malevolos ac inimicos tueri. “ Rex nomen habet à regendo, et non ab eo quod regnum poſſidet. Rex “ eris quam diu bene rexeris: ſi aliter faceris, Regio nomine deſtitueris, “ quod abſit. Faxit Deus, regnum Britanniae ſic regatis, ut apud illum “ in aeternum regnetis, cujus vicarius eſtis in regno praedicto.”

De hâc Epiſtolâ ſi me oporteat ſententiam ferre, non nimis profecto ſapere ſeculum Eleutherianum confitendum reor. Quod vero titulum ejuſdem Perſonatus noſter exagitat alibi, alibi doctrinam Pontificiam confirmare gloriatur; duo mihi dicenda propoſui.

Primum, tàm magni momenti rem non eſſe, quod tempus hujuſce ſcriptionis cum aetate Eleutherii haud plane conveniat, cùm inter duodecim hiſtoricos quos de converſione Lucii Regis ſcripſiſſe memoravi, in deſignando tempore undecim aberrarint; quippe cùm eorum nullus eum altero conveniat. Quod ſi per librarii incuriam mendam irrepſiſſe; ut pro *paſſione Chriſti*, *nativitate Chriſti*, reponendam libeat ſuſpicari, reprehenſionis jam locus nullus relictus erit.

Hâc tantâ labe non obſtante (ecce quam nihil ſit tam vile, leve, parumque ſolidum, quod iſti non arripiant avidè ad Babelis ſuae celſitudinem adaugendam) vel hinc iſte comprobare nititur, neſcio quam ſuperioritatem (ut ipſe loquitur) Pontificis Romani ſupra Reges.

Recte [r] Ulpianus, *Etiam monſtra et portentoſi partus proſunt*, hos nimirum nonnulli malunt quam orbitatem. Si idonea ſuppeterent argumenta, nunquam iſte talia conſectaretur. Quid enim dicit? quia haec Epiſtola ad *correctionem Regis et Procerum regni* conſcripta eſt, ſequi neceſſario, ut Eleutherius ſe tunc illorum ſuperiorem exiſtimarit, eoſque caſtigationi illius obnoxios.

Quando Simo ille Terentianus, Davum mancipium ſuum his verbis [s] alloquitur, *Corrigere mihi gnatum porro annitere*, anne id eo animo dixiſſe credendum, ut filii herum conſtitueret, qui illum pro arbitrio caſtigaret et puniret? nemo hercle putarit,

Si paſtor aliquis Regem in devio aberrantem conſpiciens, viam commonſtrarit; dici poterit opinor Regem correxiſſe; neque tamen conſequetur inde, puniendi Regis, aut caſtigandi, aliquam poteſtatem hunc paſtorem adeptum. Eleutherius Eccleſiae Romanae paſtor (oviculam quamvis alienam et non ſui gregis) Lucium Regem, aberrantem conſpexit in erroris devio, et correxit: *Philoſophiam* (inquam) *veterem* (ut [t] Ciceronis verbis utar) *in eo correxit et emendavit*, nimirum Druidicam, ut ſic ad veram ſapientiam perduceret, Chriſtum nimirum Dominum, qui *nobis factus eſt* [u] *ſapientia, et in* [x] *quo ſunt omnes theſauri ſapientiae et ſcientiae abſconditi.*

---

[q] P. 7.

[r] De verb. et rer. ſig. Quaeret aliquis.

[s] Terent. Andr. Act. 3. Sce. 4.

Quapropter, etſi non inficiamur, recte pieque feciſſe Eleutherium quod Lucium Regem correxerit; fatemur nihilominus, puniendorum Principum munus, nemini niſi Deo ſoli competere; ideoque correctionem illorum, ſi eo modo intelligatur, rem eſſe plane odioſam his temporibus (in quibus veritatis doctrina multo clarius illuxit quam ſuperioribus ſeculis) ac in Clericis praeſertim, omni odio ac deteſtatione dignam, qui alios in via humilitatis et obedientiae, ut exemplo ſint, praecedere debent.

Factum eſt aliquando ut Regum ſui temporis longe clariſſimus, Henricus noſter ſecundus, ſe corrigi permiſerit ſecundum ſignificationem Anglici idiomatis (quo Parſonius abuſus eſt in tranſlatione tituli Epiſtolae praedictae ut paulo indoctiores falleret) *Virgis corporaliter caeſus* (inquit [y] Newbrigenſis) *à ſingulis Eccleſiae Cantuarienſis Monachis plagam accepit.* Et Joannes filius ejus ad mandatum Pontificis regnum abdicare coactus eſt, ita ut non reciperet denuo niſi iis legibus, quibus non paulo fortaſſe tolerabilius futurum fuiſſet, flagris ſicut pater ejus caedi.

Sed, ut de antiquis illis Henricis, Othonibus, Fridericis, et aliis aliarum gentium Principibus taceam, neque pluribus demonſtrem quomodo ii à Pontificibus Romanis (ut Parſonianum vocabulum uſerpem) correcti fuerint: noſtri hercle ſeculi Pontifices, videntur cum Nerone profiteri, qui ante ſe fuiſſent [z] *Principum neminem ſciſſe quid ſibi liceret.* Metas quippe anteceſſorum ſupergreſſi, ſic corrigunt Principes, ſicut idem Nero Senatores ſuos curabat, necem videlicet inferendo: [a] *Medicos admovebat* (inquit Suetonius) *qui cunctantes continuo curarent. Ita enim vocabat venas mortis gratia incidere.*

Sic nimirum Parraeo mandatum eſt, Elizabetham Reginam noſtram, ſui ſeculi delicias, curaret. Quanquam quid ego illum nomino, qui nuntius tantum fuit medicamenti perferendi? Medicos potius appellarim, vel Comenſem Cardinalem qui miſcuit, vel Pontificem Romanum cujus ingenio compoſitum credendum eſt. Comenſis ſiquidem hortatu tam nefandi ſceleris perpetrandi conſilium ſumpſit Parraeus. Huic verò tam praeclarae curationis laus et gloria tribuenda eſt, qui [b] arma contra illam ſubditis capienda mandavit (et quorſum niſi ut perderent?) Pio Quinto. Quanquam Gregorium 13 ſucceſſorum ſua laude haud privandum duco, qui hoc Parraei facinus adeo non damnavit, ut plenariae indulgentiae largitione et aureorum montium pollicitatione animos parricidae adderet, ſicut literae Comenſis ipſius manu perſcriptae liquido teſtantur.

Henricum ſimiliter tertium Gallorum Regem idem Chiron curavit. Clementem Jacobitam, pharmacopolam potius dixeris quam medicum; hujus quanquam manu, illius tamen arte medicamentum confectum, qui nefas tam horrendum tanquam rarum et memorabile facinus poſtquam admiſſum eſt praedicavit, quique ab aſſeclis ſuis talia non gravate audit quotidie, [c] *Tyrannum occidere honeſtum eſt.* Et [d] *Tam vita quam regno privari poſſunt, &c.*

---

[t] De finib. Lib. 4. [u] 1 Cor. 1. 24 et 30. [x] Col. 2. 3. [y] Lib. 2. cap. 34. [z] Sueton. in Nerone. cap. 37
[a] Ibid. [b] Bull. Pii Quint.

Quam vero probabile ſit, ab eodem fonte venenum illud mortiferum pulveris ſulphurei ante aliquot annos hauſtum, *ad curationem Regis et Procerum regni noſtri,* facile judicabit, qui libellum perlegerit de Garneti Jeſuitae damnatione non ita pridem perſcriptum.

Verum enimvero, quaecunque fuerit Parſonii hâc de re ſententia, aut (quorum in verba is juravit) Pontificum Romanorum, qui ſucceſſores Eleutherii volunt haberi; nos certe cum Eleutherio dicimus et profitemur (id quod tam verbis quam factis illi negant, etſi hanc ſuam ſententiam ſpecioſis nonnunquam praetextibus nituntur contegere et occultare) Principes noſtros in ditionibus propriis Dei eſſe Vicarios, eoſque mortalium nemini ſubjectos; Ita ut, ſi uſquam offenderint, non aliis armis aut inſtrumentis ad eos corrigendos utendum arbitremur, quam verborum, ac praecipue quidem orationum noſtrarum, dicentes cum Ambroſio [e], *Arma Chriſtianorum preces et lachrymae.* Ac iſta quidem habuimus quae de Eleutherii Epiſtolâ dicenda putavimus.

Ut coepta nunc perſequamur; à plurimis hiſtoricorum noſtrorum traditum comperi, Lucium Regem, cùm multas condidiſſet Eccleſias, mortem obiiſſe Gloceſtriae, anno poſtquam Chriſtianae religioni per baptiſmum initiatus eſt decimoquarto, aut ut quidam volunt decimo, quanquam non deſint etiam alii qui quarto poſt baptiſmum anno expirâſſe contendant. Ut ſatis mirari non poſſim, quo authore, Comes ille [f] Palatinus, regnum illum abdicâſſe perhibeat, et ſacris ordinibus ſuſceptis, Chriſtum praedicaſſe in Galliâ Germaniâque ac Martyrio tandem coronatum Curiaci.

Ubi aut quandocunque demum is mortuus fuerit, magnam certè nos cauſam habemus memoriam ejus cum omni gratitudine celebrandi, utpote per quem, non ſolum beavit gentem noſtram Deus cognitione veritatis ſuae, ſed ita beavit, ut honorificentiſſimi tituli jus tradiderit (*Primogenitae Eccleſiae*) quia (quod [g] Sabellicus recte annotavit) *Britannia* noſtra *omnium provinciarum prima publicitus Chriſti nomen recepit,* licet aliae alibi clanculum, et principibus invitis, multo fortaſſis antea. Neque vero hoc bonum ſemen in terra adeo non bona ſeminatum eſt, ut vel non germinaverit, vel cito exaruerit: Nam, ſi [h] Bedae credimus, *ſuſceptam fidem Britanni uſque in tempora Diocletiani Principis, inviolatam integramque quietâ pace ſervabant,* hoc eſt annis plus minus centum. Ille ſiquidem regnum inchoavit anno Chriſti 288.

Ex his quae dicta ſunt, facile judicabit candidus lector, quam non multum adhuc debeamus ſedi Romanae. Nam ſive Simon Zelotes is fuerit, qui lumen Evangelii nobis primus impertivit, vel Divus Paulus, imo vel Divus ipſe Petrus (quod tamen ab omni probabilitate alieniſſimum eſt) cùm Apoſtoli fuerint omnes, et omnes ſimul poteſtatem ab illo acceperint à quo eſt omnis poteſtas in coelo et in terra, his nimirum in verbis, [i] *Euntes docete omnes gentes, &c.* cùmque D. Petrus quatenus aliquam habuit portionem deſignatam quam praecipue curaret, ([k] circumciſionis Apoſtolus conſtitutus) Judaeorum potius quam Romanorum Epiſcopus dici mereatur: Caveant Romanenſes, ne ſi jure non meliore nos pro ſuis vendicent, plagii accuſentur.

---

[c] Lib. de abd. Hen. 3.
[d] Greg. de Valent. Tom. 3. q. 11.
[e] Orat in Augu.
[f] R. Vitus.
[g] Enn. 7. Lib. 7
[h] Eccl. Hiſt. Lib. 1. cap. 4.
[i] Matt. 28. 19.
[k] Gal 2. 7, 9.

Joſephus vero Arimathaeus, ſi primus noſtrae gentis fuerit Apoſtolus, quod teſtibus et argumentis ſatis profecto luculentis comprobâſſe videmur: vel hoc quid ad Romanos? cùm adhuc non conſtet, Romae illum unquam fuiſſe, imo non fuiſſe liqueat, doctrinaeque normam, vel ab Apoſtolis in Concilio Hieroſolymae congregatis, vel à D. Philippo in Galliâ accepiſſe.

Quid jam de Lucio Rege? Tantundem. A ſuis Britannis ad fidem Chriſtianam prius perductum quam ad Eleutherium quenquam mitteret, quis non videt? Ad illos autem Romanos quod attinet, quos illius rogatu huc amandavit praedictus Eleutherius, Britannicae linguae cùm prorſus fuerint ignari, quomodo vel Lucium vel populum ejus poterant ii convertere, quorum [ſermonem] illi non intelligerent?

Si Regi et aliis forſitan nonnullis baptiſmi ſacramentum impertiverunt (quod tamen non confitemur, nam cur non exiſtimemus ab iiſdem baptiſatos à quibus fidem primum acceperunt?) quid hoc ad rem? Humanitùs aliquid paſſum concedamus, ſibi neſcio quo modo decorum futurum, et inſtituto negotio authoritatem aliquam conciliaturum putâſſe dicamus, ſi à Roma, quae tum ſedes Imperii, mundi Domina, imo et regiae ſuae dignitatis fortaſſis firmamentum, illos acceperit, qui tantae mutationis cauſae ac inſtrumenta viderentur. Neque hoc certe ad ſummam rei quicquam pertinet. Quae ſequitur hiſtoria, exprobationis anſam magis paulo ſpecioſam praebebit; in quâ tamen quae veritati conſona reperiemus, nihil occultantes, omnia confitebimur ingenuè.

CAP. IV.

IN praecedentibus capitulis tradita ſunt à me omnia quae per diligentiſſimam inquiſitionem indagare aut uſquam reperire potui de prima noſtrae gentis ad fidem Chriſtianam converſione. Cujus rei hiſtoriam confiteamur oportet, quoad circumſtantias, multa obſcuritate involutam: quanquam luce meridiana clarius exiſtat, ſtatim poſt Apoſtolorum tempora Eccleſias hic fuiſſe conſtitutas. [l] Tertullianus et [m] Origenes id ipſum teſtantur ante annum Chriſti ducenteſimum. Et inter annos 300 et 400 apud patres, Eccleſiarum Epiſcoporumque Britanniae plurima fit mentio, ſicuti in locis in [n] margine citatis patebit illi qui operae pretium duxerit perluſtrare. Inſequentibus jam poſtea ſeculis, multos habemus, ac in primis Bedam, qui faces nobis praetulerunt.

Nunc igitur ut in inſtituto curſu progrediamur, in primis memorandum ducimus, inter omnes perſecutionum procellas, quibus exagitata eſt Eccleſia Britannica ſub Diocletiano et aliis tyrannis, nullam unquam fuiſſe graviorem atrocioremve, quam illam quam intulerunt Saxones, Germaniae tunc inferiores populus maritimus, Daniam etiam et alias Septentrionis regiones incolens, qui ſuis ſedibus huc evocati ut Vortigerno Regi auxilio eſſent contra Pictos et Scotos magnâ vi bellum inferebant. Qui poſtquam hoſtes pepuliſſent; armis victricibus contra ſocios qui evocaverant abuſi, regionem eorum fere univerſam ſubegerunt, et incolas in angulum ejuſdem compulerunt, [eam nempe Provinciam] quam Walliam hodie appellant. In hâc nimirum veteres Britanni jam inde ab eo tempore conſederunt, linguam retinentes avitam, et ab Anglica, quam Saxones praedicti invexerunt, planè diverſiſſimam, Germanicaeque adeo propiorem, ut unde fuerit accepta dubitari non poſſit.

---

[l] Contra Judaeos, cap. 7. [m] In Ezech. 4. [n] Athanaſ. Apol. 2. Theodoretus Hiſt. Eccl. Lib. 1. cap. 10. p. 35. et Lib. 4. cap. 3. p. 150. Chryſoſt. in Pentecoſt. et in ſer. quod Chriſtus ſit Deus. Tom. 1. p. 575. Hieron. in Epit. Marcellae. et Evagrio. Gorigeitho. Arelat. 2. Niceph. Lib. 10. cap. 42. Hilar. de ſynod. Sulpit. Seuer. Lib. 2. Hiſt. ſacr. p. 428. Edit. Lugd. 1647. Gennad. in Catal.

Iſti verò cùm Idolorum eſſent cultores, ac Chriſtianae veritatis uſque quaque ignari; Eccleſias et monaſteria ubique diruentes, cum in omnes in univerſum incolas, tum praecipue in Monachos et clericos magnâ crudelitate graſſati ſunt. Ita Chriſtiana religio quae in hâc inſulâ annos plus minus trecentos in magnâ ſinceritate viguerat, exciſa penitus et deleta eſt in noſtrâ Angliâ, niſi quatenus à Britannorum veterum reliquiis, Walliam Cornubiamque incolentibus retenta eſt.

Fatendum nihilo ſecius, non adeo omnes Britannos ſedibus tunc pulſos, quin manſerint plurimi, quamvis miſerrima preſſi ſervitute. De nonnullis dicit [o] Malmesburienſis, *In ejus* (Cerdici Occidentalium Saxonum Regis) *Verba volentes conceſſere.* Et de aliis poſtea, *Reliquos in fidem acceptos, placidae quietis gratia mulcebant.* Hii vero proculdubiò ex infima erant plebe et ingenti aerumnarum mole ſic obruti, ut religionis publicum aliquem cultum inter hoſtes ejuſdem nullo modo poſſent retinere. Fuiſſe tamen inter eos Chriſtianos permultos liquet, qui non tantum fidei conſtantiam in ſinu (ut loquuntur) retinerent, ſed talento ſibi concredito uterentur, ad Saxonum nonnullos pelliciendum in eandem veritatis agnitionem. Inter alios, memoratur à nonnullis Offa quidam regio Saxonum ſanguine prognatus (Athelfridi Berniciorum Reguli filium crediderim) qui piorum aliquorum gentis Britannicae operâ Chriſtianus factus, et in Germaniam profectus, prima Coenobii Schutternenſis fundamenta jeciſſe à Munſtero [p] perhibetur.

Literae porro à D. Gregorio ad Reges Francorum conſcriptae, teſtantur abundè, multos tum fuiſſe inter Saxones pios Chriſtianos (à Britannorum reliquiis quid ni converſos exiſtimemus?) qui de ſocordia Gallorum jure quererentur, quod veritatis doctores à ſe vehementer expetitos non largirentur, ut Evangelii lumen ſalutare ipſis impertirent. Illarum nempe haec [q] ſententia: “Pervenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam Deo miſerante deſideranter velle converti ſed ſacerdotes tuos è vicino negligere, et deſideria eorum ceſſare ſuâ adhortatione ſuccendere.” Haec ad Theodoricum et Theodebertum Reges. Deinde ad Brunichildim Reginam ſic: “Indicamus ad nos perveniſſe, Anglorum gentem Deo annuente velle fieri Chriſtianam, ſed ſacerdotes qui in vicino ſunt paſtoralem erga eos ſollicitudinem non habere.” Caeterum Gallorum hanc deſidiam paulo poſt ſupplevit Gregorii praedicti pietas, quem ſuo tempore excitavit Deus ad verum numinis cultum hic reſtituendum, ubi tot per ſecula jam olim floruiſſet.

Ejuſce rei occaſionem narrabit pro me ſuis verbis [r] Joannes Diaconus. “Quadam die, cùm advenientibus nuper negotiatoribus, multa venalia in foro Romanae urbis fuiſſent propoſita, multique ad emendum undique confluxiſſent; contigit et Gregorium virum Deo digniſſimum praeterire: Qui cernens inter alia pueros corpore candidos, formâ pulcherrimos, vultu venuſtos, capillorum quoque nitore perſpicuos eſſe

---

[o] De Regib. Lib. 1.
[p] In Coſmogr.
[q] Epiſt. Lib. 5. cap. 158.
[r] In vita 5. Greg. Lib. 2. cap. 21.

“ venales, interrogavit mercatorem de quâ patriâ illos attuliſſet. Ille reſpondit,
“ de Britanniâ inſulâ, cujus incolarum omnium facies ſimili candore
“ fulgeſcit. Gregorius dixit: Chriſtiani ſunt iidem inſulani, an adhuc
“ Paganis erroribus implicantur? Mercator reſpondit; Non ſunt
“ Chriſtiani, ſed Paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius graviter
“ ingemiſcens, heu proh dolor inquit: Quam ſplendidas facies Princeps
“ tenebrarum nunc poſſidet? tantaque frontis ſpecies vacuam ab interna
“ Dei gratia mentem geſtat. Rurſum interrogavit quod eſſet vocabulum
“ gentis illius? Mercator reſpondit, Angli vocantur. Bene inquit
“ Angli, quaſi Angeli, quia Angelicos vultus habent; et tales in coelis
“ Angelorum decet eſſe concives. Iterum ergo interrogat quod nomen
“ haberet ipſa provincia? Mercator reſpondit, Provinciales illi Deiri vocantur.
“ Et Gregorius, Bene inquit Deiri, quia de ira ſunt eruendi et
“ ad Chriſti gratiam convocandi. Rex (ait) illius provinciae quomodo
“ nuncupatur? Mercator reſpondit, Aelle. Et Gregorius, alludens ad nomen,
“ dixit: Bene quia Rex dicitur Aelle. Alleluïa etenim in laudem
“ creatoris in partibus illis oportet decantari.

“ Mox itaque accedens ad Benedictum Apoſtolicae ſedis Pontificem
“ coepit vehementer expetere, ut in Britanniam aliquos verbi Miniſtros
“ mitteret. Quo cùm neminem velle ire cognoſceret, ſemetipſum quoque
“ non dubitavit ingerere, dummodo ſibi Pontifex licentiam commodaret.
“ Qui licet cum magna cunctatione totius cleri ac populi, Gregorium
“ ſponte proficiſci cupientem, abire permiſit, imprecatus ei divinitus
“ proſpera miniſtrari.

“ De cujus abſentia Romani plurimum perturbati, deliberato conſilio,
“ trifariò per loca viae contigua unde Pontifex ad B. Petri baſilicam profecturus
“ erat, partiuntur, eumque turmatim taliter alloquuntur: Petrum
“ offendiſti, Romam deſtruxiſti, quia Gregorium dimiſiſti. Quibus ſententiis
“ omnino Papa perterritus, miſit continuo nuncios qui virum domini
“ revocarent, &c. A quibus, trium dierum itinere jam emenſo,
“ compulſus eſt (licet magnopere triſtaretur) ad proprii monaſterii curam
“ redire.”

Anni tum fluxerunt plus minus ſeptem, quando [praefato] Benedicto, et poſt eum Pelagio ſecundo demortuis, Gregorius ad Pontificatum aſſumptus, per alios efficere decrevit quod ipſi per ſe hactenus non licuiſſet.

Quapropter Auguſtinum quendam delegit, ſui coenobii Monachum, cujus operâ uteretur in hoc tanto negotio conficiendo. Homo is videtur ſanctitate morum quam ſcientiâ aut eruditione laudatior, etſi ut homo vitiis non caruerit, ac illo in primis ambitionis, quâ dum pluſquam nimis exardeſceret, magnas hic turbas excitavit, ut quaſi contagio quodam infectus, à loco unde venerit hanc peſtem accepiſſe videatur, ſi Pontificum ſubſequentium ſuperbiam ad apertam tyrannidem graſſentium, potius quam Gregorii et anteceſſorum ſuorum humilitatem ſpectemus. Sed hâc de re pluribus poſtea.

Huic Auguſtino quadraginta alii adjuncti ſunt, “ qui cum juſſis pontificalibus
“ obtemperantes (inquit Beda[s]) memoratum opus aggredi coepiſſent,
“ jamque aliquantulum itineris confeciſſent perculſi timore inerti,
“ redire domum, potius quam barbaram, feram, incredulamque gentem,
“ cujus ne linguam quidem noſſent, adire cogitabant, et hoc eſſe tutius

---

[s] Eccl. Hiſt. Lib. 1. cap. 23.

“ communi concilio decernebant. Nec mora, Auguſtinum (quem eis Epiſcopum ordinandum ſi ab Anglis ſuſciperentur, diſpoſuerat) domum remittunt, qui à Beato Gregorio humili ſupplicatu obtineret, ne tam periculoſam, tam laborioſam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens literas, in opus eos verbi, divino confiſos auxilio, proficiſci jubet.

Deinde ut fluctuantium animos omni quâ poterat ratione confirmaret; ad Regem ac Reginam Francorum, prout etiam ad Epiſcopos nonnullos datis literis, rogat, ut hoc illorum tam pium inſtitutum ſuo velint et conſilio et auxilio promovere, id quod ab ipſis abundè praeſtitum perhibetur. Nam praeterquam quod humaniſſime ubique accepti ſunt, comitatui illorum non paucos adjunxerunt, qui interpretum vice fungerentur; ut eâdem quodammodo linguâ Angli Francique tunc uſi videantur; quod à ratione quidem non abhorret, cùm uterque et Franci et Angli (ſive Anglo-Saxones malueris appellare) Germaniae fuerint populi, unde iſti in Britanniam ante annos 150, illi in Galliam 130 vix dum elapſis migraverint.

Poſtquam Gregorii Pontificis hortatu proficiſcendi conſilium Auguſtinus et ſocii reſumpſiſſent; Galliâ peragratâ, conſcenſis navibus, appulerunt tandem in inſula Thaneta, quae à fluvio non magno, duobus oſtiis in mare decurrente, à continenti Angliae dirimitur. Regnabat tunc temporis in Cantio Ethelbertus, Saxonici generis Rex quintus, cujus ditioni omnes regiones ſeptentrionem verſus, uſque ad Humbrum fluvium ſubjiciebantur. Uxorem is tunc temporis habebat nomine Bertam, Clotarii primi Francorum Regis filiam: cui, cùm et ipſa eſſet Chriſtiana, et Chriſtianis edita parentibus, permiſſum, uti Deum, Chriſtiano more coleret. Quod ut facere poſſet, alebat in familiâ Epiſcopum quendam (nomen illi Luidhardus) praeter alios famulos ejuſdem ſecum ut gentis ita et fidei. Cum his Eccleſiam quandam frequentabat crebo (extra moenia civitatis Cantuarienſis ſitam, et à Romanis jam olim extructam, divoque Martino [poſtea] dedicatam) ubi verbum Dei audiebant, nomen ejus invocabant, et ſacramentorum fiebant participes. Unde factum eſt haud dubie, ut Anglo-Saxonum permulti, etiam ante adventum Auguſtini, ad fidem Chriſtianam amplectendum perducti ſint, et *Ethelberti Regis animus* (ſic loquitur [t] Gul. Malmesburienſis) *jam emollitus, beato Auguſtino praedicanti facile cederet.* Eandem igitur ob cauſam [u] Capgravius, *Luidhardum praecurſorem et janitorem venturi Auguſtini* appellat, aſſerens deinde, *paráſſe hunc ipſi viam et ingreſſum.* Quod quivis hercle facile crediderit, qui quantâ humanitate ad primum ſtatim adpulſum Auguſtinus fuerit exceptus, animo ſecum perpenderit.

Nam cùm Auguſtinus ſtatim ut terram attigit, ablegato ad Regem nuncio certiorem eum feciſſet, veniſſe ſe ab Epiſcopo Romano iſtuc miſſum una cum ſociis, ut ipſi gentique ſuae doctrinam impertirent, quae foelicitatis aeternae (ni aſpernarentur) viam panderet: Cuncta protinus neceſſaria his advenis miniſtrari praecepit, et ut ibi manerent ubi appulerant admonitis, poſt paucos dies legationi illorum audiendae ſe vacaturum eſt pollicitus.

Bedam jam pauliſper audiamus. “ [x] Venit tandem ad inſulam Rex, et reſidens ſub divo, juſſit Auguſtinum cum ſociis ad ſuum ibidem adve-

---

[t] De Regib. Lib. 1. fol. 4. b.

[u] In vita. S. Auguſtini.

[x] Lib. 1 cap. 25 Hiſt. Eccl.

“ nire colloquium. Caverat enim ne in aliquam domum ad ſe introirent; veteri uſus augurio, ne ſuperventu ſuo, ſi quid maleficae artis habuiſſent, eum ſuperando deciperent. At illi non daemoniacâ, ſed divinâ virtute praediti veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabulâ depictam, letaniaſque canentes pro ſua ſimul et eorum, propter quos et ad quos venerant, ſalute aeterna, Domino ſupplicabant. Cùmque ad juſſionem Regis reſidentes, verbum ei vitae una cum omnibus qui aderant ejus comitibus praedicarent; reſpondit ille dicens: Pulchra ſunt quidem verba et promiſſa quae affertis: Sed quia nova ſunt et incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis iis quae tanto tempore cum omni Anglorum gente ſervavi. Verum quia de longe huc peregrini veniſtis, et ut ego mihi videor perſpexiſſe, ea quae vos vera et optima credebatis, nobis quoque communicare deſideraſtis; nolumus moleſti eſſe vobis; quin potiùs benigno vos hoſpitio recipere, et quae victui veſtro ſunt neceſſaria miniſtrare curamus; nec prohibemus, quin omnes quos poteſtis fidei veſtrae religionis praedicando ſocietis. Dedit ergo eis manſionem in civitate Dorovernenſi (quae imperii ſui totius erat Metropolis) eiſque, ut promiſerat, cum adminiſtratione victûs temporalis, licentiam quoque praedicandi non abſtulit.

In manſione praedicta propè portam ſita quae Staplegate vocabatur, Auguſtinus cum ſociis moram trahentes, in opus Evangelii omnibus nervis incumbebant, tam vitae ſanctitate quam verbis Chriſtum praedicantes, donec inter alios quamplurimos, Ethelberto ipſi Regi perſuaſum eſt, ut religioni Chriſtianae per baptiſmum vellet initiari; qui tum fundos aſſignavit benè amplos ut eorum fructibus novi hii hoſpites alerentur.

Cùm jam hucuſque profeciſſet Auguſtinus; ad Etherium Archiepiſcopum Arelatenſem in Galliam transfretavit, à quo characterem Epiſcopalem ſuſcipiens, in Epiſcopum Anglorum conſecratus eſt.

Iſtorum pleraque omnia partim ex Joanne Diacono, partim ex Bedae Eccleſiaſtica hiſtoria gentis Anglorum deſumpta ſunt. Quae quidem qui recti judicii lance perpenderit, videbit, haud quaquam tantum nos Anglos debere Eccleſiae Romanae ob iſta quae per Auguſtinum hic geſta ſunt, quantum Parſonius et caeteri Pontificii contendunt. Niſi enim ſolum jam antea ſubactum et praeparatum fuiſſet, per reliquias Britannorum, per Saxonum nonnullos ab illis ad fidem converſos, per praedicationem vitaeque ſanctitatem Luidhardi Epiſcopi, ac caeterorum Gallorum, Reginae famulantium, ac denique per ipſam Bertam Reginam, cujus conſilio ac precibus Rex inductus eſt, ut benignam aurem Auguſtino praedicanti adhiberet: Certè, pluſquam veriſimile eſt, fruſtra doctrinae Evangelicae ſemina huic fundo Anglicano committenda fuiſſe, ac praeſertim per Auguſtinum aut illius gregem, cujus dux, etſi homo fortaſſis minime malus, inſcitiae tamen fuit planè pudendae, ſicut ex quaeſtionibus D. Gregorio ab ipſo propoſitis legenti patebit clariſſime[y].

Cui tamen, Apoſtoli Anglorum non invidebimus appellationem, modo commodè intellectam. Miſſum ſiquidem non inficiamur, ſed per quem? per Gregorium Epiſcopum Romanum, cui ne quicquam plus juris erat in noſtram Angliam quam ipſi Auguſtino; ut dicere cum Paulo[z] *non licuerit neque ab hominibus, nec per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum*

---

[y] Beda Lib. 1. cap 27.

[z] Gal. 1. 1.

ſe miſſum. Dabimus porro, ut Anglis praedicaret miſſum. Angliae tamen pars magna (cur non dixerim multo maxima) infidelitatis tenebris immerſa jacuit plurimis poſt mortem ejus annis, donec tandem [a] Paulinus in Septentrione anno 625, [b] Wilfridus apud Auſtrales Saxones 681, Foelix [c] apud Orientales Anglos in Norfolcia 630, aliique alibi poſtea Chriſtum primi annunciârunt. Concedimus denique ut Chriſtum praedicaret miſſum: Is vero ſe etiam praedicavit, una manu ſaepenumero deſtruens quod altera aedificarat, ſicuti in ſequentibus Deo volente demonſtrabimus.

Sed pergamus. Poſtquam è Gallia Auguſtinus rediiſſet ex comitatu ſuo duos ablegavit, Laurentium ac Petrum, qui Gregorium facerent certiorem quid profeciſſent. Per quos redeuntes, miſit ille ad Auguſtinum pallium Archiepiſcopale, libros nonnullos, templorum ornamenta quaedam, aliaque quibus indigebant; necnon et Regi munera, ad quem etiam literas dedit gratulatorias, ſicuti et ad Auguſtinum, quem ad incumbendum operi incoepto cum omni diligentia hortatus eſt, monuitque cavendum in primis, ne animo efferretur ob miracula quae Deus per illum fuerat operatus (non pauca ea exſtitiſſe memorat Beda) ac denique aliis ad Etherium Arelatenſem perſcriptis, magnas egit gratias, quod iſtis ſuis Legatis in hoc tanti momenti negotio auxilium tam prompte benigneque fuiſſet largitus.

Auguſtinus interea conſecutus erat à Rege, praeter illam Divi Martini, aliam Eccleſiam in medio urbis praedictae ſitam, à Romanis porro quandoque conſtructam et Sancti Salvatoris nomini dicatam. Cui etiam ſuam ipſius regiam et regni ſedem praecipuam Rex idem paulo pòſt dono dedit, tumque Regulbium ipſe ſeceſſit. Coenobii denique magnificentiſſimi jecit fundamenta ſub ipſis moenibus Cantuarienſis civitatis, ab ipſo Petri et Pauli, ſed à poſteris Divi Auguſtini in hodiernum uſque diem nuncupati. Nam nondum [dirutum] viſitur adhuc, et pars patrimonii regii cenſetur. Regia vero, ſuccedentium deinceps Archiepiſcoporum ſemper fuit et eſt adhuc palatium.

His ita rebus ordinatis, conatum prae ſe tulit Auguſtinus, pacem neſcio quam et concordiam inter Britannos et Saxones conciliandi. Caeterum quicunque demum praetextus fuerit, non alium ſcopum ſibi propoſuiſſe videtur, quam Walliam, provinciae ſuae Cantuarienſis juriſdictioni adjungere; cùm illi ſemper jam inde à quo Chriſtiana religio ibi primum viguit, proprium haberent Archiepiſcopum, neque ſine magno periculo ſe poſſent ſubjicere authoritati exteri hominis et alienigenae, ſub alterius imperio degentis, qui ſemper adhuc patriae ſuae hoſtis fuiſſet capitalis, ſemperque futurum, eſſet veriſimile. Cum iſtis attamen hominibus quam inſtituerit rationem, (ſiquidem operae pretium eſt) videamus.

Ethelberti Regis operâ, ut cum Britannorum aliquot Epiſcopis et aliis Cleri principibus viris conveniret, effecit, in loco qui hujus congreſſus occaſione Auguſtini quercus poſtea appellatus eſt, in pago Wigornienſi, prope limites Occidentalium Saxonum. Ibi ſuadendo, rogando, minitando et quibuſcunque denique poterat rationibus anniſus eſt, hos bonos homines eo adducere, ut Eccleſiam ſuam ad Romanorum inſtituta conformari paterentur, Romanorum inquam, apud quos multa jam prava irrepſerant, quique à primitivae Eccleſiae puritate in plurimis diſceſſerant; Cùm ipſi in eodem ſemper tenore ſanctae doctrinae jam inde à primis Eccleſiae ſuae incunabulis perſtitiſſent. *Grex nimirum Domini* (inquit [d] Monumethenſis) *rectum ordinem apud eos tenebat.* Paucis reſponſum eſt, haud aequa illum petere, habere ſe ſuum Archiepiſcopum à quo regantur, ut illi ſe non poſſint ſubjicere (nam et hoc in primis petitum eſt) tam diſciplinam quam doctrinam Eccleſiae ſuae ab ipſis Chriſti Domini Apoſtolis traditam ſe accepiſſe, neque proinde in his quocunque ſuadente, vel minimum ſeſe immutaturos.

---

[a] Beda Lib. 2. cap. 9. [b] Lib. 4. cap. 13. [c] Lib. 2. cap. 15.

Auguſtinus nihiloſecius à ſpe ſua nondum dejectus, ut iterum adhuc congrediantur dat operam. Conveniunt jam Britannorum multo plures quam prius, interque illos Epiſcopi (ut dicitur) ſeptem, nimirum, Herefordenſis, Landavenſis, Paternenſis, Bangorenſis, Elvenſis, Wicciorum et Morganenſis, niſi forte Menevenſis ſcribendum ſit, quod credo. Adfuerunt etiam è Clero alii quamplurimi et Monachi magno numero, ac praecipue ex nobili illo Bannachorenſi coenobio prope Ceſtriam, ubi duobus millibus non pauciores victitabant, quorum porro Abbas Dinothus, vir pius et eruditus una acceſſerat.

Ex hujuſmodi congreſſu quinam fructus provenerit, narrabit pro me Beda [e]. « Ad praefatum ituri concilium (inquit ille) venerunt primo (è « Britannico Clero nonnulli) ad quendam virum ſanctum ac prudentem, « qui apud eos anachoriticam ducere ſolebat vitam, conſulentes, an ad « praedicationem Auguſtini ſuas deſerere traditiones deberent? Qui reſ« pondebat; Si homo Dei eſt, ſequimini illum. Dixerunt, Et unde hoc « poſſumus probare? Et ille, Dominus, inquit, ait, *Tollite jugum meum « ſuper vos, et diſcite à me, quia mitis ſum et humilis corde.* Si ergo Au« guſtinus ille mitis eſt et humilis corde, credibile eſt quia jugum Chriſti « et ipſe portet, et vobis portandum offerat: Sin autem immitis ac ſuper« bus eſt, conſtat quia non eſt de Deo, neque nobis ejus ſermo curandus « eſt. Qui rurſus aiebant: Et unde hoc dignoſcere valeamus? Procurate, « inquit, ut ipſe prior cum ſuis ad locum ſynodi adveniat; et ſi vobis ap« propinquantibus aſſurrexerit, ſcientes quia famulus Chriſti eſt, obtem« peranter illum audite: Sin autem vos ſpreverit, nec coram vobis aſſur« gere voluerit, cùm ſitis numero plures; et ipſe ſpernatur à vobis. Fece« runt ut dixerat; factumque eſt, ut venientibus illis ſederet Auguſtinus « in ſella. Quod illi videntes, mox in iram converſi ſunt, eumque notan« tes ſuperbiae, cunctis quae dicebat contradicere laborabant." Et paulo poſt eorum quae propoſuerat, « nihil ſe facturos, neque illum pro Archie« piſcopo habituros eſſe reſpondebant. Conferentes ad invicem, quia ſi « modo nobis aſſurgere noluit, quanto magis ſi ei ſubdi coeperimus, jam « nos pro nihilo contemnet?"

Sic juriſdictione ſperata Auguſtinus excidit, repulſam ferens aegerrime. Siquidem impotentis animi iracundiam ſtatim detegens, non potuit ſe continere quin protinus in minas prorumperet. « Si pacem (inquit ille) « cum fratribus accipere nolitis, ab hoſtibus bellum accipietis: Et ſi na« tioni Anglorum non vultis viam vitae praedicare, per horum manus « ultionem mortis patiemini. Quod praeſagium ſancti Pontificis com« pletum eſt (*ita enim ſequitur paulo pòſt*) ſic ut etiam temporalis inte« ritus ultionem ſentirent perfidi, quod oblata ſibi perpetuae ſalutis con« ſilia ſpreverant."

---

[d] Lib 11 cap 12 [e] Lib. 2. cap. 2.

Vatem ſcilicet praeclarum, qui illa potuit praedicere, quae ut efficeret in ſua novit eſſe poteſtate. Tantum ſiquidem gratiâ et authoritate apud Ethelbertum Regem tunc temporis valuit, ut ad bellum Britannis inferendum, et Edilfridum Northumbrorum Regulum contra illos concitandum, facile eum impulerit. Cujus rei fidem nobis facit Thomas quidam Graius, qui cùm annales quoſdam ante annos trecentos Gallicanâ uſus linguâ conſcriberet, in hanc loquitur ſententiam; “ Auguſtinus (inquit ille) ab Epiſcopis et aliis inter Britannos doctis hominibus hoc pacto rejectus; Ethelberto Cantiorum Regi tam graviter conqueſtus eſt, ut excercitum protinus grandem collegerit, et in eos impetum faciens, magnum illorum numerum interfecerit, quorum nihilo magis miſertus eſt, quam ſolet lupus ovicularum.

Alium deinde Chronographum habemus manuſcriptum ſatis vetuſtum ſed anonymum, qui perhibet Ethelbertum ab Auguſtino ſic ut retulimus inſtigatum, petiiſſe ab Elfrido Northumbriae Rege, ut ſibi copias commodaret ad bellum inferendum Britannis Walliam incolentibus. Auguſtinum porro Archiepiſcopum Cantuarienſem congreſſum cum illis Ceſtriae, (quae tunc dicta Legeceſtria) cujus Rex Brochvail appellatus eſt; qui cùm viribus impar in fugam ſe dediſſet, ditionem illius inter ſe partiti ſunt. Quod cùm Wallis fuiſſet nuntiatum, in quos jam infeſta ſigna coeperant convertere, legatos ad eos miſerunt interulis ſolis indutos, nudiſque pedibus incedentes, qui infenſorum animos ad miſericordiam flecterent. Hos vero tam ſaevos et crudeliter animatos repererunt, ut ab illis nihil impetrare potuerint. Sic nimirum Chronographus praedictus.

Haud me latet à nonnullis traditum, anno Chriſti 603 vitam Auguſtinum cum morte commutâſſe, cùm hoc bellum biennio ſerius geſtum conſtet. Quod ipſum innuit Beda in exemplaribus omnibus impreſſis. Nam de caede Britannorum ſupradicta mentionem faciens, et quomodo ab Auguſtino praedicta fuerit, adjicit, *quamvis ipſo* (Auguſtino) *jam multo antea tempore ad caeleſtia regna tranſlato*; quaſi multò ante caedem illam patratam is mortem obiiſſet. Caeterum luce meridianâ clarius eſt, totam illam clauſulam adjectitiam, neque unquam à Bedâ perſcriptam. Siquidem in exemplaribus quibuſdam vetuſtiſſimis Saxonico charactere exaratis (quorum aliquot hodie reperiuntur) horum verborum ne veſtigium quidem habemus ullum. Deinde, extat adhuc diploma quoddam, Ethelberti Regis ſimul et Auguſtini Archiepiſcopi manibus ſignatum, anno Domini 605 ipſo nimirum anno belli hujus Britannici; ut *multo ante tempore mortuus Auguſtinus* dici non potuerit. Atqui ne ante bellum, quamvis eodem anno deceſſiſſe ſuſpicemur; conſtat ex ejuſdem Bedae hiſtoria in Saxonicam vernaculam per Alfredum Regem converſa, poſt hoc bellum patratum, ſacrâſſe eum Epiſcopos, Melitum videlicet Londinenſem et Juſtum Roffenſem. Matthaeus quoque Weſtmonaſterienſis, anno Chriſti 608 dictum Auguſtinum perhibet obiiſſe; et * Polydorus Virgilius, annos quindecim ſediſſe eum Archiepiſcopum; quaſi biennio adhuc, ultra terminos à Weſtmonaſterienſe poſitos, vitam protraxerit.

Ad bellum vero ipſum quod attinet, ſive antea, ſive poſt mortem Auguſtini id geſtum fuerit (quâ de re tamen non eſt cur ambigamus) Britannis ſane funeſtiſſimum extitiſſe conſtat; quippe in quo perierunt, praeter armatorum militum magnum numerum, Monachi non pauciores mille et ducentis, qui poſt jejunium triduanum inermes ad praelium acceſſerant, ut ibi pro ſuis, precibus ad Deum intercederent, praeter quinquaginta qui fugâ ſibi conſulentes, ſaevientem gladium evaſerunt Apoſtoli irati, qui Eccleſiaſtici generis hominibus praecipue ac ſuper alios fuit inſenſus. Nimirum ſicut Fimbria accuſat Scaevolam apud [f] Ciceronem, *quod totum telum corpore non recepiſſet*; Sic iſti injuriam graviſſimam Auguſtino viſi intuliſſe, quod externae dominationis jugum per ſummam injuriam cervicibus ab illo imponendam, quieti et haud repugnantes non ſuſcepiſſent.

---

* Lib. 4. p. 64.

Nimium profecto haec ſapiunt ambitionem et potentiae in immenſum augendae cupiditatem illam effrenem, quâ ſemper à primis incunabulis Roma laboravit; cujuſque explendae rationes, cùm jam nuper defeciſſent in politeia et ſtatu temporali; de viribus amiſſis, per poteſtatem Eccleſiaſticam recuperandis, oportunè jam tandem circa haec tempora cogitari coeptum. Vulpina nimirum aſſumenda, ubi leonina non pertingit.

Divus ſane Gregorius, vir pius et ob humilitatem Chriſtianam eo magis laudandus, quod ſucceſſores habuerit pleroſque ſuperbiâ praeditos non ferendâ, ſtirpem hanc venenoſam tum primum pullulantem eradicare totis viribus annifus eſt: Quod eo promptius ab illo factum auguror, quia Conſtantinopolitani Patriarchae, ſupremae poteſtatis jus ac in omnes ubique Eccleſias imperium (à Romanis Pontificibus poſtea uſurpatum,) ſibi ſoli vendicabant. Quod quantum ipſi diſplicuerit, non abs re fuerit perpendere, ut lectori conſtet quam verum ſit, quod Parſoniani tam fidenter ac tanquam è tripode pronuntiant, Gregorium, ac perinde Auguſtinum diſcipulum ejus, Apoſtolum (ut volunt) noſtrum, eandem per omnia fidem ac religionem profeſſos quam Eccleſia etiamnum Romana profitetur. *Ego fidenter dico* (inquit [g] ille) *quiſquis ſe univerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſuâ Antichriſtum praecurrit*, ne Romanum quidem Pontificem excipiens. Quam ob cauſam, hujuſmodi titulum ſibi à Synodo Chalcedonenſi ultro delatum conſtantiſſimè repudiavit, hanc facti ſui reddens rationem, *Nullus* (inquit[h]) *deceſſorum meorum hoc* tam prophano *vocabulo uti conſenſit:* Ac iterum [i] *Nullus Romanorum Pontificum hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit.* In uno loco vocat [k] *Nomen novum*; in alio, [l] *Vocabulum temerarium et ſtultum*; ac alibi, [m] ſuperbum, Pompaticum, [n] perverſum, ſuperſtitioſum, [o] prophanum, [p] ſceleſtum, nomen [q] erroris, [r] vanitatis hypocriſeos et blaſphemiae; alibi etiam denique [s] Typhum ſuperbiae.

Si vel epitaphium tantummodo perpendamus Auguſtini noſtri; ſatis erit ad faciendam fidem, haud eandem fuiſſe de rebus ad religionem ſpectantibus illo ſeculo ſententiam, quam hodie Pontificii tuentur. Sic etenim ſe habet. "Hic requieſcit Auguſtinus Dorobernenſis Archiepiſco-
"pus, qui olim huc à beato Gregorio Romanae urbis Pontifice directus,
"et à Deo operatione miraculorum ſuffultus, et Ethelbertum Regem et
"gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit, et com-
"pletis in pace diebus officii ſui, defunctus eſt 7. Cal. Junii, eodem Rege
"regnante."

Si reviviſcens jam nunc Auguſtinus, Pontificem, urbis Romanae appellaret Epiſcopum, cui non ſufficit orbis Romani Imperium; quam non placeret? Et, ſi Gregorius, hos ſuos praeclaros ſucceſſores, audiret hodie, authoritatem ſibi vendicantes in omnes ubique totius orbis terrarum incolas (apud Aethiopes, Americanos et ipſos denique Antipodas,

---

[f] In Orat pro ſext. Roſc. Amerino.
[g] Lib. 4. Ep. 34.
[h] Lib. 4. Ep. 36.
[i] Lib. 4. Ep. 32.
[k] Lib. 4. Ep. 32.
[l] Lib. 4. Ep. 38.
[m] Lib. 4. Ep. 32.
[n] Lib. 4. Ep. 38.
[o] Lib. 4. Ep. 24.
[p] Lib. 4. Ep. 39.
[q] Lib. 4. Ep. 38.
[r] Lib. 4. Ep. 39.
[s] Lib 6. Ep. 2.

" Super et Garamantas et Indos ——
—— " Protulit imperium")

non dico inter Eccleſiaſticos duntaxat aut infimam plebem, ſed Magiſtratus, Principes, Reges, Imperatores (Sic nimirum loquuntur; [t] *Declaramus, dicimus, definimus, pronuntiamus, omnino eſſe de neceſſitate ſalutis, omni humanae creaturae ſubeſſe Romano Pontifici:* Et, [u] *Quicquid ſalvatur, eſt ſub Romano Pontifice*) ſuperbiae tam inſanae fructus quibus verbis inſectaretur, qui non fructus aut folia, ſed primas erumpentis mali gemmas tanquam ſummâ deteſtatione dignas omnibus diris devovendas duxit.

Nihil eſſet facilius quam multa alia doctrinae capita enumerare, in quibus Gregorius et ſucceſſorum ejus nonnulli, à doctrinâ quam hodie profitentur Pontificii palam diſſentiunt. Ego vero non alias partes in me recepi quam hiſtoriae tradendae.

Ad Auguſtinum igitur revertor, qui corpore dicitur fuiſſe multum procero et vultu itidem venuſtiſſimo. Diem poſtquam is clauſiſſet extremum, ſepultus eſt in coemiterio, Eccleſiâ nondum perfectâ, Coenobii quod ab illo nomen habet. Poſtea vero in veſtibulo ceu porticu Septentrionali ejuſdem Eccleſiae dicitur collocatus, ubi etiam Archiepiſcopi ſubſequentes omnes tumulati ſunt ad Theodorum uſque, qui omnium primus in ipsâ Eccleſiâ (porticu plures non capiente) ſepulturam obtinuit.

Thomas quidam Spottus, qui Coenobii praedicti Monachus vixit circa annum Dom. 1270. diſtichon hujuſmodi tumulo ejus dicit inſcriptum,

" Inclitus Anglorum Praeſul pius et decus altum,
" Hic Auguſtinus requieſcit corpore ſanctus.

Atque de primâ hujus noſtrae gentis ad fidem Chriſtianam converſione; deque Auguſtino ſedis Metropoliticae Dorobernenſis, ſive (ut hodie loquimur) Cantuarienſis Archiepiſcopo primo, haec ſunt quae habuimus dicenda.

---

[t] Bonif. de major. et obed. unam ſanctam.

[u] Gloſſa ibid.

H. Gravelot
inv et sculps

DE



De ARCHIEPISCOPIS CANTUARIENSIBUS SIVE DOROBERNENSIBUS.

I. AUGUSTINUS.

EX iis quae à me ſupra perſcripta ſunt ſatis liquet, Auguſtinum Monachum Romanum, primum Cantuarienſis ſive Dorobernenſis Eccleſiae Archiepiſcopum, annuente Ethelberto Cantiorum Rege, à S. Gregorio Pontifice tunc Romano conſtitutum anno 596[a], aut forte anno ſubſequente, et anno, ſecundum Weſtmonaſterienſem 608 ſecundum Polydorum vero 611 vitam cum morte commutaſſe[b]. * 597.

---

[a] Conſecratus erat ab Eucherio Archiepiſcopo Arelat. A. 602. et ſedit Annos 16 ait liber *Taxar. Ep. Wint.* MS. Wren. et *MS. Trin.* Ab Aetherio A. 597. *Beda* Lib. 1. cap. 27. 16 Kal. Dec. 597. *Chron. W. Thorn.* p. 1760. Cui in hoc maxima fides eſt adhibenda. [b] Ex eodem colligere poſſimus Auguſtinum obiiſſe 7 Kal. Jun. (Maii 26) feriâ tertiâ 604, anno (ut ipſe refert) quo Gregorius Papa deceſſit. p. 1765. Idem teſtatur *Chron. S. Crucis Edinb.* p. 152. et *Flor. Wigorn.* p. 555. Quamvis et alii ad Annos 605, 607, 611 et 616, ſine aliqua veritatis ſpecie trajiciunt.

Sepultus eſt (ut *Huntingtoni* verbis utar. Lib. 3. p. 187.) foras juxta Eccleſiam Petri et Pauli, quia nec dum perfecta erat nec dedicata. Ut verò dedicata eſt, à Succeſſore ejus Laurentio, in Porticu illius Aquilonali decenter tranſlatus eſt.

* * *

II. LAURENTIUS.

* 604. LAURENTIUS[c], patriâ etiam Romanus, ab Auguſtino antequam moreretur, ut ipſi ſuccederet deſignatus perhibetur[d], homo et pius et doctus. Ciaconius, qui Pontificum et Cardinalium Romanorum vitas deſcripſit, videtur aſſerere, hunc ſub Gregorio, Eccleſiae Romanae fuiſſe Cardinalem, *in titulo S. Silveſtri in Exquiliis, tt: Equirii Archipresbyterum*, hoc eſt (ut ego interpretor) Eccleſiae illius Parochum: Nam alio ſenſu Cardinalis nomen, illo adhuc ſeculo nullibi auditum exiſtimo. Multum hic laboravit, non ſolum in rebus Eccleſiae ſuae conſtituendis, ſed etiam in hoc, ut Cambrobritannos, Scotos et Hibernos, ad unam fidei diſciplinaeque rationem perduceret[e]. Neque (ut veriſimile eſt) operam luſiſſet, niſi quo minus voti compos fieret, in cauſa fuiſſet, mors intempeſtiva Ethelberti Regis, cui ſucceſſit Eadbaldus filius, juvenis luxurioſus, quem non puduit novercam ſuam ducere in uxorem. Ob haec et alia flagitia, cùm Laurentius, ſicut alius Baptiſta, eum non vereretur arguere; hominem primum odio coepit habere, deinde (tanquam cupiditatibus ſuis adverſantem) Chriſtianam etiam religionem, quam tamen ſibi cordi fuiſſe aliquandiu ſimulaverat. Plebs (ut fit) regis exemplum ſequuta, cultum reſumpſit idolorum; quanquam Laurentius, ut bonus Paſtor, nihil intentatum relinqueret quo ad devium erroris properantes, in via veritatis contineret. Tandem vero, cùm non ſolum irritos hos ſuos labores conſpiceret, ſed in eo pernicioſos, quod Regem in nequitia ſua pervicacem, contra tendendo magis ac magis efferarent, et tam religioni quam ſibi infenſiorem redderent; exilium ſibi decrevit indicere, ac Juſtum Mellitumque Epiſcopos in Galliam ſequi, qui ſimiliter ab optimi patris Seberti Regis ſceleſtiſſimis filiis, ſedibus ſuis nuper pulſi extiterant, ſicuti ſuo loco (Deo volente) demonſtrabitur. “Cum vero (inquit Beda[f], cujus verba libenter uſurpo) Laurentius, Mellitum Juſtumque ſecuturus ac Britan“niam eſſet relicturus; juſſit ipſa ſibi nocte in Eccleſia BB. Apoſtolorum “Petri et Pauli ſtratum parari. In quo quum poſt multas preces ac lachry“mas ad Deum pro ſtatu Eccleſiae fuſas, ad quieſcendum membra po“ſuiſſet, atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum prin“ceps, et multo illum tempore ſecretae noctis flagellis acrioribus affici“ens, ſciſcitabatur Apoſtolicâ diſtrictione, quare gregem quem ſibi ipſe “crediderat, relinqueret, vel cur Paſtor oves Chriſti in medio luporum “poſitas fugiens ipſe dimitteret? &c.” Et paulo poſtea: “His beati Petri “flagellis ſimul et exhortationibus animatus famulus Chriſti Laurentius, “mox mane facto venit ad Regem, et retecto veſtimento, quantis eſſet “verberibus laceratus ei oſtendit. Qui multum miratus, et inquirens, “quis tanto viro tales auſus eſſet plagas infligere; ut audivit quia cauſâ “ſuae ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagaſ“que perpeſſus, extimuit multum. Atque anathemizato omni idolola“triae cultu, abdicatoque connubio non legitimo, ſuſcepit fidem Chriſti, “et baptizatus, Eccleſiae rebus quantum valuit in omnibus conſulere ac

---

[c] Anno 604 ſucceſſit Laurentius, eo enim anno, et nullo alio, quo Auguſtini obitum alii poſuerunt, 7 Kal. Jun. incidit in Feriam tertiam. *Whart. Angli. Sacr.* Vol. 1. p. 91. [d] *Chron. S. Crucis.* et *Hunt.* [e] *Flor. Wigorn.* [f] Lib. 2. cap. 6.

“ favere curavit. Miſit etiam in Galliam et revocavit Mellitum et Juſtum, eoſque ad ſuas Eccleſias liberè inſtituendas redire praecepit, qui poſt annum ex quo abierant reverſi ſunt. Et Juſtus quidem ad civitatem Rhofi cui praefuerat rediit: Mellitum verò Londonienſes Epiſcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis ſervire gaudentes. Non enim tanta erat ei quanta patri ipſius regni poteſtas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus Paganis antiſtitem ſuae poſſet Eccleſiae reddere. Veruntamen ipſe cum ſua gente, ex quo ad Dominum converſus eſt, divinis ſe ſtuduit mancipare praeceptis. Denique et in monaſterio beatiſſimi Apoſtolorum principis Eccleſiam ſanctae Dei genetricis fecit, quam conſecravit Archiepiſcopus Mellitus.” Poſt converſionem Eadbaldi nondum anno integro circumacto, Laurentius morbo abſumptus diem clauſit extremum, nimirum (ut habet Balaeus) Febr. 3[g]. 619[h], et juxta Auguſtinum anteceſſorem ſuum tumulatus eſt.

III. MELLITUS.

619. BRITANNORUM Epiſcopos rogaverat Auguſtinus, *Ut Anglorum genti una ſecum verbum Domini praedicarent:* Quod cùm ab illis nullo modo poſſet impetrare; datis ad Gregorium literis, magnam hic meſſem multis operariis indigere oſtendit, petitque ſimul, ut plures cooperatores qui ſecum in opere dominico adlaborarent velit emittere. Redeuntibus igitur Auguſtini Legatis, plures adjunxit quos huic muneri idoneos exiſtimavit; praeter alios nimirum, Juſtum, Paulinum, Rufinianum, ac denique Mellitum, coenobii cujuſdam in civitate Romana Abbatem, qui huc appulerunt anno Chriſti 601. Ut de caeteris ſuo loco agamus, Mellitus poſt biennium elapſum, in Londinenſem Epiſcopum ab eo dicitur conſecratus. In quâ civitate templum condidit Ethelbertus Rex D. Pauli nomini ſacratum. Ibi cùm nondum annos quatuor ſediſſet, Romam profectus ut Bonifacium Pontificem de rebus neſcio quibus conſuleret, honorificè ab illo exceptus eſt[i]. Anno deinde uno aut altero[k] poſt reditum ejus tranſacto, exceſſerunt è vivis, non ſolum Ethelbertus Cantiae, ſed Sebertus etiam Orientalium Saxonum Rex, in cujus ditione, civitas Londinenſis ſita erat, quique potius ut Prorex quam ſui juris princeps illis provinciis praeerat. Huic erant filii tres juvenes nequiſſimi, qui nondum baptizati, ipſo tempore ſacrae Synaxeos venerunt quandoque ad Eccleſiam, expoſtulantes cum Epiſcopo, [l] quare non et illis porrigeret panem illum nitidum quem et patri ſolebat dare, quemadmodum et caeteris de plebe. Quibus ille reſpondebat, ſi vellent ablui de fonte illo ſalutari quo pater ablutus eſt, futuros tum participes ſancti hujuſmodi panis; ſin autem lavacrum vitae contemnerent, fieri non poſſe ut panem vitae perciperent. Illi nihilominus inſtare ut porrigeret, ac denique cogere anniti. Renuentem vero animosè, ut Epiſcopum decuit, è civitate ditioneque ſua expulerunt[m]. Qui ſic in exilium actus, ad Laurentium Cantuarienſem Archiepiſcopum profectus eſt. Cùm verò illum incommodis vix paulo levioribus implicatum repeririſſet, aſſumpto ſecum Juſto Roffenſi Epiſcopo, in Galliam tranſ-

---

[g] *Birchingt.* [h] Sepultus eſt 4 Non. Feb. 619. *Beda* Lib. 2. cap. 7. et *Chron. S. Crucis.* [i] Interfuit Concilio, in quo de quietate Monachorum tractavit. *Hunting.* [k] Sexto *Park.* p. 75. [l] *Beda* Lib. 2. cap. 5. [m] 616. *Flor. Wigor.*

fretavit; unde paulo poſt rediit ab eodem Laurentio accerſitus; Eoque poſt aliquot menſes fatis concedente, ipſe potiſſimum electus eſt qui defuncto in praeſulatûs munere ſuccederet. Vir natalibus, animi magnitudine, ſolertia, pietate, clariſſimus. Podagricis doloribus diu [n] excruciatus, obiit Apr. 24. 624[o], et juxta Laurentium jacet humatus.

IV. JUSTUS.

624. JUSTUS, cujus jam antea fecimus mentionem, ab Eccleſia Roffenſi tranſlatus, defuncto Mellito, ſucceſſor deſignatus eſt[p]; et paſtoris non indiligentis annos per decem functus officio (Malmesburienſis tres tantum annos numerat) anno 634[q] è vivis poſtquam exceſſiſſet[r], prope veſtibulum Eccleſiae ſupradictae inter anteceſſores ſuos ſepultus eſt.

V. HONORIUS[s].

634. DEFUNCTO Juſto, ſucceſſit Honorius, Romanus patriâ, et ob plurimas animi virtutes ſumma dignus veneratione. Sed quid mirum, eruditione pietateque clarum evaſiſſe, qui Divi Gregorii fuerit diſcipulus? Conſecratus dicitur Lincolniae[t], per Paulinum Eboracenſis Eccleſiae primum inter Saxones Archiepiſcopum. Quibus ſedentibus, per diploma Pontificium his Eccleſiis conceſſum, ut alterutro Archiepiſcopo decedente, poteſtatem ſemper habeat alter, antiſtitem novum in defuncti locum legitime electum ſacrandi[u]; adeoque opus non ſit poſthac ſacrationis ritum Româ petere. Quomodo novas aliquot ſedes Epiſcopales Honorius erexerit, dicendi locus erit alibi. Hoc vero de illo maxime memorabile, quod omnes provinciae ſuae regiones in paroecias[x] diſtinxit primus, ut ſingulis miniſtris ſingulos greges quos curarent poſſet attribuere. Sedit annos fere viginti, aut ſecundum Malmesburienſem viginti et ſex. Deceſſit ultimo die Februarii vel (ut nonnullis placet) Septembris[y] anno 653, et inter anteceſſores ſuos tumulatus eſt.

VI. DEUS-DEDIT, *ſive* ADEODATUS.

*654. POST mortem Honorii vacavit ſedes menſes[z] 18. Anglo-Saxo quidam Frithona quandoque appellatus, vir eruditione aliiſque virtutibus clarus, Archiepiſcopus tum conſtitutus eſt, indito ei Adeodati nomine.

---

[n] *Hunt.* 187. [o] *Beda* Lib. 2. cap. 7. Apr. 24 625. *Flor. Wigorn.* 621 *Antiquit. Britan.* 624 poſtquam annis quinque rexerat Eccleſiam. *Chron S Cru* p. 153. Sic etiam *Marian. Scot.* Lib. 2, p. 258. Anno verò 625. [p] 626 Dicet. Abbrev. [q] 630. *Dart.* Maxima hic eſt apud Hiſtoricos differentia; nonnulli eum A. 625 obiiſſe dicunt, alii 629, 630, 633, 634. Verius verò apparet illum hanc rexiſſe Eccleſiam per tres tantum annos (ita *MS. Coll. Trin.*) et obiiſſe A. 627. Ob. Nov. 10. *Flor. Wigor.* [r] 4 Id. Nov. *Beda.* Lib. 2. cap. 18. et *Chron. S. Crucis.* [s] Hic Cantabrigienſem Academiam primus fundavit A. 636, tanquam alii regem Sigisbertum Felicis Burgundi conſilio eam inſtituiſſe ſcribunt. *Antiqu. Brit.* p 77. [t] *Beda* Lib. 2. cap. 18. [u] *Beda* Ib. Clariſſimè conſtat Honorium ſucceſſiſſe ante A. 634. Junii enim undecimo die Anni praecedentis data eſt litera à Papa. *Beda* Lib. 2. cap. 18. [x] Vid. contra apud *Selden.* 9. 3. [y] Prid. Kal. Oct. *Chron. S. Crucis* et *Flor. Wig. Beda* Lib. 3. cap. 20. [z] Id. ib.

Conſecratus eſt[a] per Ithamarum Epiſcopum Roffenſem[b] (Eboracenſi ſede tum vacante) et ultimo die Junii, ſive (ut habet Weſtmonaſterienſis[c]) Julii 14. 664. migravit ab hac luce, poſtquam Eccleſiam ſibi commiſſam annos ſex[d] rexiſſet ſtrenue, eodem ipſo die quo Cantiae Rex Ercombertus vitam cum morte commutavit, ſicuti Huntindonius annotavit. Primus hic fuit ſtirpis Anglicae qui hanc ſedem obtinuit, et ultimus eorum qui ad veſtibulum Eccleſiae ſupradictae fuit ſepultus.

◆ ◆ ◆

VII. THEODORUS.

668. ANGLUS quidam, nomine Wigardus[e], homo aetatis provectae et non indoctus, ut Adeodato ſuccedat, tunc eligitur, et Romam, ut ibi conſecrationis ritum accipiat, ablegatus[f], ſecum eo detulit ab Egeberto Cantiae et Oſwio Northumbriae Regibus literas commendatorias, necnon magni pretii munera quibus Vitalianum tum Pontificem honoraret. Iſtuc illum pervenire contigit, ibidem tum graſſante peſte, quâ non ſolum ipſe ante adeptam conſecrationem, ſed comites plerique omnes abſumpti ſunt[g]. Papa cùm intelligeret ſedem diu vacaſſe, et de idoneo paſtore praeficiendo eſſet ſollicitus; elegit potiſſimum[h] Adrianum quendam Abbatem Italum, ſed in Africa natum, virum gravem et eruditum, quem Archiepiſcopum conſtitueret. Huic nullo modo poterat perſuadere ut tantum oneris in ſe ſuſciperet, pollicitus tamen eſt invenire alium huic muneri ſe non paulo aptiorem, et ſive aetatem ſive eruditionem ſive alias quaſlibet virtutes quis ſpectaret, ſibi nullo modo poſtponendum. Magna illi interceſſerat familiaritas cum Theodoro quodam, genere quidem Graeco, ſed patriâ Cilice: nam Tharſi natus eſt Ciliciae, (ſicut doctor ille gentium D. Paulus) et omni literarum genere excultus, ſexaginta et ſex aetatis annos impleverat[i]. In hunc, tanquam muneri ferendo uſquequaque parem, à ſuis humeris hoc onus transferri cupiebat. Haud annuit tamen Vitalianus, donec pollicitus eſt, ſe porro in Angliam cum illo profecturum. Neque vero fidem fefellit. Amicum per tanta terrarum ſpatia comitatus, huc cum illo pervenit, et coenobio quod jam Divi Auguſtini nomen fuerat adeptum Abbas praeficitur. Sed hoc poſtea. Nam Theodorus Romae quidem conſecratus eſt Apr. 1[k]. 668, quando totos quatuor annos ſedes vacaverat. Sed quanquam Maio[l] ſtatim menſe inſequenti iter ſint ingreſſi, propter multa quae occurrerant impedimenta, non niſi poſt ſeſquiannum in Angliam appulerunt. Librorum lectiſſimorum magnam copiam ſecum attulerunt tàm Graecorum quàm Latinorum, ac inter caeteros, Homerum tam accurate pulchriſque adeo literis conſcriptum, ut vix credatur extare hodie vel inter impreſſa typis, aliud aliquod exemplar, iſto vel pulchrius vel caſtigatius. Huic Theodoro (ut eſt in Antiquitatibus Britannicis[m]) omnis Anglicana Eccleſia libenter ſe ſubjecit: iſque peragratâ totâ inſulâ, Paſchatis celebrationem, reliquoſque Romanos ritus ubique ſtabilivit[n]; tantumque abfuit, ut aliquid à Romana Eccleſia alienum faceret (id quod ab illo tanquam Graeco metuebat ab initio

---

[a] 7 Kal. Apr. 654. *Flor. Wig. Chron. S. Crucis. Beda* ib.

[b] *Malmsb. de Geſt. Pont. Angl.* Lib. 1. 132. Sedit annos decem. *MS. Trin.*

[c] P. 121.

[d] Annos novem, menſes 7 et dies 2. *Beda* ib. Sedit annos 11, et ſedes vacavit per 3 annos *Bromp.* Annos 10 ait *Lib. Tax. Winto.* et vacavit ſedes per 3 annos. *MS. Wren.*

[e] Wirardus Ob. 667. *Chron. Petrob.*

[f] *Beda* Lib. 3. cap. 29.

[g] *Beda* ib.

[h] Id. Lib. 4. cap. 1.

[i] *Chron. S. Crucis.*

[k] Mar. 26 668. *Chron S. Crucis*, et *Beda* Lib. 4. cap. 1.

[l] *Chron. S. Crucis.*

[m] *Parker* p. 80.

[n] *Beda* Lib. 4. cap 2.

Vitalianus, ideoque Adrianum ei comitem adjunxit) ut ejus authoritatem contentioſe nimis putetur propugnaſſe, Epiſcopos enim aliquot diverſo à Romanis more conſecratos, ea ſola de cauſa pro arbitrio ſuo vel dignitate plane movit, vel Canonice coegit ordinari. Homo videtur moribus aſperis praeditus, et rigidè nimis authoritatem Epiſcopalem exercuiſſe; ſicuti teſtatum reliquit Wilfridi[o], Ceddae et aliquot aliorum Epiſcoporum abdicatio, quâ de re quando ad Eboracenſes Archiepiſcopos perventum fuerit, plura erunt dicenda. Duae ſub illo ſynodi celebratae ſunt; una Herefordiae[p], cujus Canones habentur apud Bedam lib. hiſt. 4. cap. 5. Altera apud Clyff[q] propè Roſſam. Cui dum praeſideret, quia Eccleſias Graecorum ſuorum, haereſi Eutychiana apud eos invaleſcente, multum turbatas audiverat; clericis ibi congregatis author fuit, ut fidei ſuae profeſſionem ſigillatim perſcriberent, quas omnes cùm ſanae et orthodoxae doctrinae congruas reperiſſet, ſuo calculo approbavit. Author etiam illis fuit, ut quinque prima Concilia generalia; Nicenum videlicet, Epheſinum, Chalcedonenſe, et duo priora Conſtantinopolitana ſuo judicio confirmarent. Nunquam ante haec tempora tot ſimul homines vidit Anglia literis et eruditione praeſtantes, quorum tamen numerus brevi poſtea vehementer auctus, quippe ſeculo mox ſequenti produxit inter multos alios Bedam, Alcuinum (à nonnullis Albinum vocitatum) Joannem Beverlacenſem, et Tobiam Epiſcopum Roſſenſem, viros hauddubie claros et eximie doctos. Scholam dicitur hic praeſul erexiſſe (niſi mavis dicere Academiam) apud Crecoladam, aut potius Graecoladam, ita nimirum dictam (ut nonnulli autumant) à Graecis ibi loci Graecas literas docentibus, qui tandem inde migrantes Oxoniam viginti circiter milliaribus inde diſtantem, Academiae celeberrimae ibi loci poſtmodum enatae fundamenta jeciſſe, conjectura ſane haudquaquam abſurda exiſtimantur. Poſtquam Archiepiſcopus annos 22 ſediſſet, Sep. 19. 690[r]. exceſſit è vivis, annos jam natus octo ſupra octoginta; quem vitae terminum, ſomnio neſcio quo praefixum ſibi ac praedictum, ſaepe ſolebat aſſerere. Dum adhuc aeger decumberet, Wilfridum Eboracenſem, et Erkenwaldum Londinenſem antiſtites ad ſe accerſendos curavit; quibus cùm delicta confiteretur, nihil eſſe quo magis gravaretur conſcientia ſua cum gemitu profeſſus eſt, quam injuria Wilfrido facta, de qua ſuo loco poſtea. Wilfridum igitur impenſe rogat ut hoc in ſe peccatum remittat; utrunque deinde, ut pro ſe apud Deum precibus velint intercedere. Sepultus eſt[s] (quod anteceſſorum nullis hactenus contigerat) non in porticu prope veſtibulum Eccleſiae ſupradictae, ſed in ipſâ Eccleſiâ, tumulo illius carmine inſcripto verſuum 34 (ut habet Beda[t]) quorum primos hos tradit,

" Hic ſacer in tumba pauſat cum corpore Praeſul,
" Quem nunc Theodorum lingua Pelaſga vocat.
" Princeps Pontificum, foelix ſummuſque Sacerdos,
" Limpida Diſcipulis dogmata diſſeruit."

Ultimos vero iſtos,

" Namque diem nonam decimam September habebat,
" Cum carnis clauſtro ſpiritus egreditur.

---

[o] Id. ib. [p] HERUDFORD. *Beda.* HEORTFORD. *Flor. Wig.* et *Gervas. Chron.* HERFORD, *Chron. Petro.* Celebratum eſt hoc Concilium 24 die Sept. A. 673. [q] Hedtfeldenſe concilium vocatur. *Conc. Ang.* Tom. 1. p. 51. et celebratur Sept. 17. 680. [r] *Flor. Wigor.* *Beda* Lib. 5. cap. 8. Plenus annorum defunctus eſt; poſt cujus obitum vacavit Eccleſia annum unum. Hucuſque fuerunt Romani, ſed poſtmodum Anglici. *Gervas. Chron.* et *Hunt.* Lib 4. 193.
[s] In Eccleſia S. Petri, in qua omnium Epiſcoporum Dorobernenſium ſunt corpora depoſita. *Chron. S. Crucis.* pag. 157.
[t] Lib. 5. cap. 8.

« Scandens alma novae foelix conſortia vitae,
« Civibus Angelicis junctus in arce poli."

Caeterum in honorem Archiepiſcoporum ſeptem quorum ſupra jam mentionem fecimus, hujuſmodi carmen ferunt compoſitum,

« Septem ſunt Angli Primates et proto-patres,
« Septem rectores, ſeptem coeloque triones,
« Septem ciſternae vitae, ſeptemque lucernae,
« Et ſeptem palmae regni, ſeptemque coronae,
« Septem ſunt ſtellae quas haec tenet area cellae.

VIII. BRITHWALDUS[u].

ANNOS fere duos poſt obitum Theodori vacavit ſedes, cui tum praeficitur Brithwaldus ſive Berechtwaldus, Monachus primum Glaſtonienſis, deinde Abbas [x] Regulbienſis [y]; vir (inquit Beda [z]) et ipſe ſcientiâ ſcripturarum imbutus et Eccleſiaſticis ſimul ac monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus, tametſi cum praedeceſſore ſuo minime comparandus. Electus fertur Julii 1 [a] anno 692. et conſecratus [b] per Godwinum Walliae[c], (ſi non potius ſecundum Bedam [d] Galliae) ſcribendum ſit [Epiſcopum.] Proximo poſt electionem anno, plenam ſedis ſuae poſſeſſionem accepit. Wilfrido Eboracenſi haud aequior quam Theodorus, in exilium eum denuò ejiciendum curavit. Sed quantumvis antea Wilfrido infeſtus; comminationibus perterrefactus Romani Pontificis, qui auditis accuſatoribus Wilfridum innocentem pronuntiârat, ſuccubuit tandem, et ut Eccleſiae ſuae reſtitueretur, non gravate annuit. Archiepiſcoporum nullus ad hunc uſque diem ſedem Cantuarienſem tam diu tenuit. Praefuit nempe ſex menſes ultra annos 38[e]. Tumque Januarii 9. 731[f]. decedens, in coenobio Auguſtiniano ſepultus eſt. * 693.

IX. TATWINUS[g].

EODEM ipſo anno quo Brithwaldus defunctus eſt, Tatwinus ſucceſſit, aliter dictus Cadwinus et Scadwinus, qui Monachus cùm eſſet ordinis S. Benedicti ex Abbatia Brentonenſi[h], in Archiepiſcopum ſacratus eſt Junii 10[i]. 731, in Eccleſiâ ſuâ, per Wintonienſem, Londinenſem [k] et Roffenſem Epiſcopos. Natus fertur in Mercia[l], vir religione inſignis (ſic quidam [m] de eo) et in ſacris literis egregiè inſtructus. Altero poſt conſecrationem anno, exorta eſt inter ſedem Cantuarienſem et Eboracenſem de primatu controverſia; cujus rei occaſione Romam ipſe profectus, et ibi à Gregorio Pontifice pallio donatus, primatûs etiam confirmationem 731.

---

[u] *Mat. Weſt.* BRECTWALDUS, *Hoved.* BRITWOLD, *Hunting.* BRITHWOLDUS, *Brompt.* BRICHTWALDUS, *Dicet Abbrev.* BERTHWALDUS, *Sime. Dun.* BERECHTWALDUS et BERTWALDUS, *Beda.* BIRCTUALDUS, *Malmſb.* BRIHTWALDUS, *Flor. Wig.* BERCHTWALD, *Chron. Mailr. et S. Cruc.* BRITHEWALDUS, *M. Par.* BRICWALDUS, *Birchin.*

[x] *Brompton.*

[y] Abbas in Monaſterio quod juxta oſtium aquilonare fluvii Tencloude eſt poſitus in Reculure. *MS. Trin.*

[z] Lib. 5. cap 9.

[a] Id. ib.

[b] 3 Kal. Jul. 693.

[c] *Dicet Abbrev.*

[d] Lib. 5. cap. 9.

[e] 37. *Gervas. Chron. Chron. Mailr.* 135. et *Hunting.* Lib. 4. 194. b. 17.

[f] 730 Anno exeunte. *Chron. Mailr.* et *Beda* Lib. 5. cap. 24.

[g] *Sim. Dunel. Malmſb.* et *Hoved.* TADWINUS, *Hunt. M. Weſtm. Floren.* TACUINE et TATWINUS, *Beda.* TATHWINUS, *Chron. Petro.* STADWINUS, *Lib. Tax. Winton.*

[h] *Floren. Wigor.* Brindon in Provincia Merciorum. *MS. Trin.*

[i] *Flor. Wigor.* ibid.

[k] Lichfeldenſem *Beda* Lib. 5. cap. 24.

[l] *Lib. Tax. Winton.*

[m] *Beda* ib.

accepit. Ubi tres annos ſediſſet, Julii 30. 734[n], exceſſit è vivis et Cantuariae tumulatus eſt. Ad hujus uſque tempora Beda Eccleſiaſticam noſtrae gentis hiſtoriam produxit, et eodem quo Tatwinus anno defunctus videtur[o].

X. NOTHELMUS[p].

* 735. TATWINO ſucceſſit Nothelmus; ſi vero Huntindonio[q] credimus, Egbrightus quidam. Quia tamen illius alibi nuſquam fit mentio, inter Archiepiſcopos à me non numerabitur. Hunc Nothelmum cùm adhuc in urbe Londinenſi Presbyter[r] eſſet (neque enim Epiſcopus fuiſſe ibidem crediderim, quamvis id tradatur) Beda in Eccleſiaſticae hiſtoriae prologo, ſibi multum profuiſſe ad geſta Anglorum colligenda teſtatur. Pallium accepit Romae, conſecratus à Gregorio tertio Papâ anno[s] 736. et Octob. 17. 741[t]. decedens, Cantuariae inter anteceſſores ſepulchro eſt conditus.

XI. CUTHBERTUS[u].

742. CUTHBERTUS ex illuſtri Anglorum proſapiâ oriundus, erat primo Herefordenſis in Mercia Epiſcopus. Inde Nothelmo mortuo, ad Cantuariae Archiepiſcopatum tranſlatus eſt, anno 742[x]. Bonifacii hortatu popularis ſui (Moguntinenſis[y] Epiſcopi) et Ethelbaldi Merciorum Regis auxilio, apud Cliff prope Roffam Synodum convocavit, cujus haec cauſa fertur extitiſſe[z]. Praeter modum haec aetas genio indulgebat, omnique turpitudinis genere inquinata fuit; neque ſolum per laicos impuritas graſſata, ſed clericalis etiam ordo foediſſimè corruptus eſt. Reges legitimas nuptias deſerentes, virginibus, iiſque nonnunquam monialibus, ſeſe turpiter immiſcuerant; Regumque exempla ſequuti optimates, ſpretis propriis uxoribus, adulteras ſibi aſciverunt, eaſque fortaſſis ſanctimoniales, quae ut homines ad amorem ſui allicerent, comptae et vario cultu ornatae incedentes, ſub veſtitûs pompâ (ut loquitur quidam[a]) pudicitiam ſuam proſtituebant. Quin et Monachi etiam externo corporis amictu internum animi affectum ſimiliter prodebant. Epiſcopi quoque atque Presbyteri, quorum erat haec tam in laicis quam clericis et reprehendere et punire, ad hujuſmodi ſcelera paſſim connivebant; ipſique luxu conſimili diffluentes, rixis et contentionibus, nonnunquam etiam armis inter ſe decertantes, lectioni ſcripturarum rarò vacantes, concionandi verò et docendi munus vix unquam obeuntes. Cuthbertus igitur uti bonus et fidelis paſtor, quo tot peſtibus caulam ſuam repurgando, iram Dei averteret, patriae imminentem ob tanta popularium flagitia, quae poſtea ingentibus illis per

---

[n] *Hoved.* 230. b.

[o] *Hunt.* Lib. 4. 194. b.

[p] *Malmſb. Hoved. Flor. Wigorn. Chron. Petrob.* NOTELMUS *Brompt.* NOTHELMUS, *H. Hunting.* NORTHELMUS, *Tax. Wint.*

[q] Lib. 4.

[r] In Cathedrali Eccleſ. S. Pauli, *Chron. W. Thorn*, & *MS. Trin.*

[s] Conſecr. A. 735. & Pallium accepit A. 736. *M. Weſtm.* ita *Hoved.* 230. b.

[t] Ita quidem *Flor. Wigorn.* & *Chron. Petrob.* *Hovedenus* verò p. 230. aſſerit eum obiiſſe A. 739. poſt annos 4 accepti epiſcopatus, & *Brompton* dicit eum ſediſſe annos quinque; deceſſit igitur ſub finem anni 739, vel ſupra 4, vel 5 (in rotundis numeris) poſt adeptum epiſcopatum.

[u] *Weſtm. Flor. Wigorn. Dicet. Abbrevia.* CUTHERTUS, *Brompton.* CUDBRICTUS, *Hunting.*

[x] 741. *Chron. W. Thorne*, 1772. 740, *Florileg. Hoved.* p. 231. & *Continuator Bedae Epitomes.*

[y] Hâc enim de cauſâ ſcribit & ad Regem & ad Archiepiſcopum, ut videre eſt apud *Spelm.* Concil. Tom. 1. p. 87, 90.

[z] *Malmſb. de Pont.* Lib. 1 vide etiam *Capgravum* hâc de re in vitâ S. Bregwini.

[a] *Park.* Antiq. Brit. p. 88.

Danos illatis cladibus vindicata ſunt; ad Synodum praedictam omnes provinciae ſuae Epiſcopos convocavit, à quibus et reliquo Clero, poſt maturam deliberationem, multa decreta ſunt ad vitiorum praedictorum reformationem. Inter caetera (nam omnia nimis longum eſſet inſerere) ut Dominicam orationem et Symbolum Apoſtolicum idiomate Anglico quilibet perdiſceret[a]. Hujus Pontificis precibus indultum à Papâ, ut in coemiteriis liceret mortuos ſepelire in civitatibus ſitis, cùm antea mos eſſet, cadavera extra pomeria tumulanda deferre. Ab Eadberto quoque Cantiae Rege impetravit, uti Archiepiſcoporum decedentium corpora, non in Coenobio Auguſtiniano (ſicut hactenus conſuetum) ſed in Eccleſia ſua Cathedrali juberet humari[b]. Poſtea morbo correptus gravi, cùm ſibi mortem impendere exiſtimaret; ne locum aliquem relinqueret importunitati Auguſtinianorum, quos non latebat quid moliretur; mandavit ſuis, ut quamprimum expirâſſet, corpus in Eccleſia ſua[c] ſtatim traderent ſepulturae, neque obitum ejus palam facerent priuſquam exequiae celebratae fuiſſent[d]. Id cum Monachi ſui ſtudioſe praeſtitiſſent, adeo graviter tulêre Auguſtiniani, ut convitiis mortuum proſcindentes, hominem doloſum, vulpina calliditate praeditum dicerent, ac denique ſerpentinum foetum, matrem perdentem appellarent. Obiit anno 758[e]. Sunt qui tradant, eum non in ipſa Cathedrali Eccleſia Chriſti nomini dicata tumulatum, ſed in alia prope illam ſita, Divo Johanni nuncupata et ab ipſo conſtructa, ut ibi infantes baptizarentur, et tam ipſe quam ſucceſſores, viventes, conſiſtorium, defuncti ſepulturam haberent; Hanc vero igne poſtea fortuitò abſumptam una cum ipſa Cathedrali, neque unquam reſtitutam.

XII. BREGWINUS[f].

QUI ſucceſſit Bregwinus genere ortus praenobili, in Saxoniâ Germaniae natus eſt, unde puer adhuc venit in Angliam eruditionis comparandae gratiâ[g]. Propter modeſtiam, vitae integritatem, et doctrinam, ut illa ferebant tempora non vulgarem, demortuo Cuthberto ſubſtitutus, in ipſo feſto Michaeli Archangelo ſacro conſecratus eſt anno ſalutis 759[h]. Quando annos ſediſſet ferme tres, Aug. 24. 762[i] exceſſit è vivis, et anteceſſoris ſui inſiſtens veſtigiis, priuſquam de obitu ejus aliquid Auguſtiniani reſciviſſent, properato funere elatus, juxta illum ſepulturam obtinuit. 759.

XIII. LAMBERTUS[k].

MONACHIS Auguſtinianis quamprimum Archiepiſcopi Bregwini mors innotuit, Lambertus eorum Abbas armato milite ſtipatus Archiepiſcopium ingreſſus, defuncti corpus per vim auferre ſatagit. Cùm * 763.

---

[a] *Malmeſbur*. Lib. 1. [b] *Chron. W. Thorn.* 1773. [c] Primus in Ecclef. ſuâ ſepultus, ut omnes Succeſſores praeter Lambertum. *Tax. Wint.* ita etiam *MS. Trin.* [d] *Malmeſb.* ibid. [e] Ita *Chron. Petrob.* et *Chronolo. Saxon.* Addit inſuper *Florent. Wigornenſis* eum obiiſſe die 26 Octobris. [f] *Weſtm. Hoved. Chron. Petrob.* et *Malmſb.* BREOGWINUS, *Flor. Wigorn.* BREOWINUS. *Diceto Abbrev.* LYZIGWINUS, *Brompton.* Vita hujus Archiepiſcopi inter *MSS. Lamethanos*, N° 159. [g] Vir prudens et in literali ſcientiâ eruditus. *Weſtmonaſ.* [h] *Chronolo. Saxon.* [i] *Floren. Wigorn.* A. 763. aſſerunt *Weſtm.* et *Chron. Petrob.* [k] *Hoved. Brompt. Birchington.* JAMBERTUS, *Diceto. MS. Trin. Weſtm. Chron. Petro. Thorn.* JAMBETH, *Hunt.* JAINBERTUS, *Wigorn.* LAMBRITHUS, *Malmeſbur.* Et diverſis temporibus propriâ ſubſcripſit manu JAENBERGHT, GENBERHTUS, JAENBERHTUS, GEANBERHT. LAMERITHUS, *Canon. Lichf. Succeſſ.*

verò ſe dolo iterum circumſcriptum ac eluſum videret; iniquiſſimo id animo ferens, ad Papam appellando, futuris hujuſmodi conatibus occurrere decrevit. Quapropter, aedis Chriſti monachi, quibus pro veteri conſuetudine Archiepiſcopi novi eligendi jus competebat, hujuſmodi litis ſumptum reformidantes, Lambertum antedictum ſedi vacanti praefecerunt, ſperantes, Auguſtinianos monachos, in Lamberti ſui modò Abbatis gratiam (id quod revera factum eſt) appellationem deſerturos. Romae conſecratus fertur à Paulo primo Papa[l]. Hunc Offa Rex Merciorum (quod illi cum Cantuarienſibus graves inimicitiae intercederent) primatu omnibuſque praediis quae in ſuâ ditione habuit, anniſus ſpoliare; regnumque ſuum (quod Angliae meditullium obtinebat) Archipraeſulis honore inſignire cupiens: Ab Adriano primo Papâ legatis miſſis impetravit, Eadulfum Lichfeldenſem Epiſcopum pallio donari, et omnes ditionis ſuae Epiſcopos huic novo Archiepiſcopo ſubjici; Wigornienſem videlicet, Legeceſtrenſem, Sidnaceſtrenſem, Herefordenſem, Helmhamenſem et Domucenſem, relictis Cantuarienſi duntaxat iſtis, Londinenſi, Wintonienſi, Roffenſi et Shireburnenſi[m]. Sunt qui ſcribant, neque ſumptibus, neque labori peperciſſe Lambertum, ut omnia ſedi ſuae in integrum reſtituerentur. Perhibent alii, provinciae ſuae partem ſic avulſam Lichfeldenſi illum conceſſiſſe in concilio quod Adriani Pontificis Legati tenuerunt apud Calcuch in Northumbria[n] anno 787[o]. Ut ut fuerit, quoad vixit, illarum certè Dioceſium juriſdictione excluſus eſt. Obiit Aug. 12. 790[p], et monachis ſuis quantumvis invitis ac renitentibus, ut apud Auguſtinianos in domo eorum Capitulari humaretur procuravit.

* * *

XIV. ATHELARDUS[q].

793. ATHELARDUS, Abbas quandoque Malmesburienſis, dein Wintonienſis Epiſcopus, in Archiepiſcopum Cantuarienſem conſecratus eſt Julii 21. 793[r], homo praeter eruditionem eximiam multis praeditus virtutibus[s]. Offa defuncto Merciorum Rege, filioque ejus Egfrido, Kenulfus qui ſucceſſit, ab Athelardo exorari ſe paſſus eſt, ut amiſſam juriſdictionem Cantuarienſi ſedi reſtitueret, id quod ab illo factum eſt (Eadulfo jam mortuo) Leone [tertio] Pontifice annuente, ad quem Athelardus ipſe profectus[t], laudem ab illo retulit ſanctiſſimi, clariſſimi, peritiſſimi praeſulis et optimis moribus ornati. Dicunt plerique ſediſſe eum annos non plus quam novem; Malmesburienſis autem (à quo aegre diſſentiam) tribuit illi annos tredecim ac deceſſiſſe affirmat anno 806[u], cùm interim corpus, in Eccleſiâ ſuâ (non illâ Auguſtini) ſepulturae mandandum ordinâſſet. Hoc ſedente praeſule, Dani[x] claſſibus ſuis Angliam primum in-

---

[l] Elect. Jan. 7. 762. *Chron. W. Thorn.* p. 1775. Conſecratus Romae 763, Palliumque ſuſcepit anno ſequenti. *Diceto. Abbrev. Chroni.* p. 444. *Florentius* dicit Electionis diem eſſe 2 Feb. 763, et conſecrationis Annum 764, non ſine aliqua apparenti differentiâ; huc verò res redit, hic Annum ineuntem, ille exeuntem intelligit.

[m] *Weſtmon. Chron. Petrob.*

[n] Mercia *Holingsh.*

[o] 785. *Spelm. Concil. Angl.* Tom. 1. p. 145.

[p] *Chron. Saxon.* p. 524. *Floren. Wigorn.* ad Ann. His verò adverſantur; *Thorn.* qui dicit eum deceſſiſſe Aug. 11. 789. *Chron. Mailr.* Aug. 11. 791. *Hoved.* Aug. 12. 791. *M. Weſtm.* A. 794. Pontific. 27. Florentio autem fidendum eſt.

[q] *Malmeſbur. Weſtm.* ADELARDUS, *Dicet. Brompt. Chron. Petrob.* ADELHARDUS et ETHELREDUS, *Chron. Mailr.* ETHELHEARDUS, *Hoved.* AETHELHER, *Sime. Dunelm.* EDELRED, *Hunting.* EDILBARDUS, *Charta Ceanulfi Regis.* A. 801.

[r] Electus eſt A. 790, conſecratus verò Jul. 21. 793. *Flor. Wigorn.*

[s] *Malmeſb.* Lib. 1.

[t] *Wigorn.* A. 799.

[u] Unanimi ferè omnium conſenſu vixit Athelardus poſt ſuſceptum Archiepiſcopatum 13 Annos; quorum nonnulli hos numerant ab Electione, alii verò a Conſecratione; ſi prioribus (*Flor. Wigor.* et *Chrono. Saxo.*) fidem damus Mors incidit in Annum 803. Si vero erronea aliorum ſententia magis placet, tum in Annum 806, rejicienda eſt; (*Weſtmonaſ.* et *Chron. Mailr.*) in hoc verò conveniunt, eum die 12 Maii deceſſiſſe.

[x] *Wigornenſis* aſſerit Danos primò Angliam infeſtaſſe A. 787.

feſtare caeperunt; qui populationibus, caedibus et incendiis, miſeram Angliam multos per annos adeo afflixerunt, ut clades à Romanis, Scotis, Pictis, et Saxonibus jam antea, poſteaque deinde à Normannis huic inſulae illatae, ſi aerumnis et calamitatibus quibus iſti patriam hanc noſtram affecerunt conferantur, quaſi ludus quidam et tragedia ſcenica poſſint aeſtimari. Nam bellum nobiſcum geſſerunt temporis longinquitate diuturnum, omni crudelitatis genere immaniſſimum, et belli gerendi ratione difficillimum. Toto ducentorum annorum ſpatio, rarò unus aut alter effluxit quin, modo huc, modo illuc appellentes, ingentibus copiis provinciam invaderent, in aedificia igne, in omnia animalium genera quae non poſſent aſportare, gladio graſſantes, idque non regnandi ſtudio ſed praedandi (ut quidam loquitur) non victoriae ſed victûs cupiditate, non gloriolae ſed praediolae ſpe adducti: Qui ſi quando in fugam pellerentur, nihil inde lucri ad noſtros acceſſit, quia in claſſem ſuam ſe recipientes, alibi derepente ſtatim appellebant; cumque in omnes atrociſſime saevirent, tum in ſacerdotes praecipùe et alios Eccleſiaſtici generis, quos, homines ethnici et idolorum cultores, adeo habuerunt exoſos, ut raro quenquam effugere paterentur, quin obtruncarent continuò vel profundo mergerent, ſi forte in ſervitutem perpetuam non abriperent.

◆ ◆ ◆

XV. WULFREDUS[y].

DE illo qui ſucceſſit Wulfredo[z], nihil aliud memoratu dignum reperi, * 803.
niſi Monachum adhuc aedis Chriſti Cantuariae ad Archiepiſcopatum aſſumptum per Leonem tertium Papam; deinde annis poſtea novem Romam neſcio quam ob cauſam profectum[a]; obiiſſe denique anno 830[b], et in Eccleſiâ ſuâ ſepultum.

⁂

XVI. THEOGILDUS, *vel* FLEOGILDUS[c].

SEDI Cantuarienſi poſt Wulfredum per trium menſium ſpatium, ne- * 830.
que amplius praefuit Theogildus[d], dictus à nonnullis Fleogildus; tumque decedens, in Eccleſiâ ſuâ tumulatus fertur.

⁂

XVII. CELNOTHUS[e].

ILLI ſucceſſiſſe perhibetur à nonnullis Syredus quidam, ſed ideò inter Ar- * 830.
chiepiſcopos non numeratur, quod pauciſſimis diebus [inaugurationi

---

[y] *Flor. Wigorn.* WLUREDUS, *Diceto.* WILFREDUS, *Malmsb. Hoved. Floril.* WOLFREDUS, *Brompt.* WIFFREDUS, *Chron. Mailr.* WLFREDUS, *Hunt. Lichfeld. Ingulf. Petrob. Birchingt.*

[z] Succeſſit Wulfredus A. 803, et Anno ſequenti Pallium a Leone Papâ accepit. *Wigorn.* et *Chron. Petrob.*

[a] Romam ivit A. 812. (*Flor. Wigor.*) pro Negotiis Eccleſiae Anglicanae, (*Weſtm.*) et revertitur A. 813. (*Wigor.*)

[b] Ob. A. 829. *Floren. Wig.* et *Chron. Mailr.* Martii verò die 24. *Obituar. Cantuar.*

[c] *Malmsb.* FEOLOGILDUS, *Wigorn.* THEOLOGILDUS, *Brompt.* FEOLGILDUS, *Gervaſ.* FLEOGILGUS, *Birch.* FEOLGELDUS, *Lichfeld.* FEOGILDUS, *Tax. Wint.* FELOGELDUS, *Obit. Cantua.*

[d] Elect. Apr. 25. Conſecra. Jun. 9. Ob. Sept. 1. 830. ita *Gerv.* 1642. rectè aſſerit; *Birchingtonus* Theogildum Aug. 30. *Obituar. Cantuar.* Aug. 29. obiiſſe narrat.

[e] *Malmſb. Ingulf.* CELNODUS, *Sime. Dunel.* CEOLNOTHUS, *Flor. Wig. Hoved. Chron. Mailr. Lichf. Gervaſ.* CEONODUS, *Brompt. Diceto.*

ſuperſtes fuerit.] Electus [f] tum Celnothus, quem Decanum Cantuarienſem vocitatum comperi ab illis[g], qui Theogildum Abbatem ibidem fuiſſe tradiderunt. Sediſſe dicitur à Malmesburienſi menſibus 41, ab aliis totidem annis, rectiùs verò (quantum auguror) ab aliis adhuc annis 38[h]. Tempora habuit propter bella Danica[i] valde turbulenta; ut ſatis nequeam mirari de rebus illius geſtis nihil ad poſteros emanâſſe, cùm Epiſcopi alii non pauci, patriae tam difficili tempore ſubveniendo, honeſtam ſui memoriam in hiſtoricorum ſcriptis reliquerint, ut poſtea Deo volente demonſtrabimus. Monetae cudendae jus his temporibus Archiepiſcopos Cantuarienſes habuiſſe, imo et Epiſcoporum nonnullos, teſtantur hiſtorici, ac ſatis eſt argumento nummus argenteus nuper repertus, Celnothi Archiepiſcopi nomine impreſſus.

XVIII. ATHELREDUS[k].

871. POST Celnothum, Athelredus, Theologus (ut fertur) magnus, Monachus[l] olim Cantuarienſis, ac deinde Wintonienſis[m] Epiſcopus[n], 18 per annos Archiepiſcopatum tenuit. Quo tempore omnia in univerſum Angliae coenobia, ab immaniſſimis Danis non ſolum direpta, ſed etiam diruta ſunt; ita ut, per ſpatium nonaginta annorum, monachiſmus in Anglia ubique ceſſaret; in Septentrionali vero plaga ejuſdem, per annos plus minus ducentos, nec Monachus viſus fuerit nec monialis. Sed Clerici conjugati coenobia paulatim reparata incolebant, unde difficultèr poſtea ejecti ſunt. Obiit Ethelredus anno 889, et ſicuti ſucceſſorum plerique omnes in Eccleſiâ ſuâ jacet humatus.

XIX. PLEGMUNDUS[o].

* 891. PLEGMUNDUS omnium ſui temporis vir doctiſſimus, in Mercia oriundus, adoleſcens adhuc monaſticam amplexus vitam, complures annos Eremita vixit, in inſulâ Ceſtriâ quae ab illo Plegmundſham dicta putatur. Inde, ut Alfredum Anglorum poſtea Regem potentiſſimum [in literis] inſtitueret, aſſumptus eſt[p]; cujus operâ Archiepiſcopus deſignatus, Romam profectus, ibi conſecratus à Formoſo Papa pallium accepit[q]. Statim ut reverſus eſt, humanitatis memor, quâ ibi (ut videtur) fuerat exceptus, multum inſumpſit laboris, Rege non refragante, fortaſſis etiam jubente, ut ab hominibus piis ſtipem emendicando pecuniam in eleëmoſynas erogandam colligeret; quam cùm ſatis grandem coegiſſet,

---

[f] Elect. et conſecrat. A. 830. Florentio teſte, addit *Gervaſius* dies 29 Jun. et 27 Aug. Sed an ſit in hoc, vel ſequenti anno, dies Dominica demonſtrabit. Aug. 27. 831. incidit in Dominicam. [g] *MS. Trin.* [h] Hi ſequentes eum obiiſſe dicunt Anno 870. *Sime. Dun. Hoved. Chron. Mailr. Floren. Wigorn.* et *Weſtmonaſ.* [i] Danorum Strages, Incendia, &c. ab omnibus ferè Hiſtoricis traduntur. [k] *Brompton.* ETHELFRED, *Hoved.* AETHERED, *Ingulf.* ETHEREDUS, *Sime. Dunelm.* AETHELREDUS. *Malmſb. Wigorn.* AETHEREDUS, *Chron. Saxon.* [l] *Birchingt.* p. 4. [m] Wilton inquit *Chron. Saxon.* quod veriſimilius. *MS. Wood.* Sed nec in uno nec in altero nomen inveni, niſi Adferthus nominatur in Catalogo Winton. Succeſſit non longe poſt obitum Celnothi, die enim 7° Junii 872 Werefridum Wigorniae Epiſcopum conſecravit. *Hoved.* 239. b. Obiiſſe dicitur Maii die 31. A° 889. *Chron. Mailros. Weſtm. Wigorn.* et *Chron. Petrob.* 18 elapſis annis poſt adeptum Archiepiſcopatum; Dies igitur Conſecrationis incidit in Annum 871. [n] *Gervas.* p. 1643. [o] *Ingulf. Brompt. Hoved. Chron. Mailr.* PLEMUNDUS, *Lichf. Petrob.* PLEGEMUNDUS, *Gerv.* PLEIMUNDUS, *Malmeſb.* PLEIGMUNDUS, *Sime. Dunelm. Wigorn.* PLEUMUNDUS, *Hunting.* [p] *Malmeſb.* Lib. 1. [q] Poſt Athelredi obitum vacavit ſedes per duos Annos; Formoſus enim Papa à quo Plegmundus Conſecrationem Palliumque accepiſſe dicitur, ſolium Papale non aſcendit ante 6 Kal. Jun. Indictione 9. i. e. 891.

Rex eam cum magna theſauri ſui parte Romam miſit per Athelmum Wintonienſem Epiſcopum, ut pro arbitrio Papae, partim Hieroſolymis, partim Romae in egenorum inopia ſublevanda impenderetur. Sic officium officio compenſatum eſt. Nam haud multis annis elapſis, ad hujuſce Regis petitionem, Martinus Pontifex, ſcholam ſive collegium Romae commorantium Saxonum, omnis tributi immunitate donaverat, et munera non levis pretii tranſmiſerat, inter quae praecipue memoratur, ſalutiferae crucis, in qua nimirum filius Dei pro ſalute noſtra pependit, fruſtum. Anno Domini 904 dicit Malmesburienſis[r], Formoſum Papam excommunicâſſe Regem Edwardum, et univerſam Anglorum gentem, quod per totos ſeptem annos Gewiſorum regio Epiſcopo fuerat deſtituta, cùm non ſolum Formoſus ipſe Papa, ſed poſt eum alii Pontifices octo ante id tempus interierint. Quiſquis tandem fuerit qui hujuſmodi excommunicationis ſententiam effulminarit, hoc certe conſtat, mandato Regis Synodum à Plegmundo[s] coactam illius excommunicationis ratione, in quâ decretum, ut Gewiſorum provinciae praedictae quae hucuſque duos tantummodo habuerat Epiſcopos, Wintonienſem videlicet et Shireburnenſem, jam poſthac alii porro tres praeficerentur, qui ſedes ſuas haberent Welliam, Criditonam, et Sancti Petroci. Hoc ut Papa ratum haberet, et excommunicationem revocaret, Romam Archiepiſcopus profectus, ubi voti compos factus, ſtatim ut rediit (id quod nunquam antea factum in Anglia memorant) uno [t] die ſeptem Epiſcopos ordinavit, Wintonienſi Eccleſiae Frithſtanum, Shireburnenſi Wolſtanum, Wellenſi Athelmum, Criditonenſi Cedulfum, ac Sancti Petroci Athelſtanum: Auſtralibus etiam Saxonibus et Dorceſtrenſibus (quorum quoque ſedes tum vacabant) Bernegum et Kenulfum. Sedit Plegmundus annos 26, et in Eccleſiâ ſuâ ſepultus eſt[u].

XX. ATHELMUS.

ATHELMUS[x], qui Abbas quandoque fuerat Glaſtonienſis, et Wellenſis Eccleſiae primus conſtitutus Epiſcopus (ſicut modo retulimus) Cantuariam vocatus, Plegmundo ſucceſſit. Sedit annos novem, moritur 924, ac inter anteceſſores tumulatus eſt. * 923.

XXI. WLFHELMUS[y].

ATHELMO ſucceſſit utrobique Wlfhelmus quidam[z], videlicet Welliae primum, deinde etiam Cantuariae, ubi annos praefuit decem. Neque de illo aliud quicquam memoratu dignum [repperi.] * 928.

---

[r] *De Geſtis*, Lib. 2. [s] 905. *Concil. Anglic.* Tom. 1. p. 200. [t] *Gervaſi.* p. 1644. et *Malmeſb. de Pontif.* Lib. 1.

[u] A. 915. ita ait *Weſtm.* Alii verò aſſeruere eum ſediſſe 33 vel 34 Annos, *Tax. Winto.* Et ſi ita res habet in vivis fuit uſque ad annum 923 vel 924, et hanc calculationem *Ric. Hagulſtal* confirmat, p. 4. Dies obitus contigit Aug. 2. *Martyrol. Cantuar.*

[x] Succeſſit Athelmus A. 923. *R. Hagulſt.* et ſediſſe dicitur annos fermè quatuor, et obiiſſe Jan. 8. 927. *Dart.* p. 108. nullâ datâ authoritate.

[y] *Diceto, M. Weſtm.* WLFELMUS, *Malmeſb. Gerv. Birchingt. Lichf.* WULFHELMUS, *Flor. Wigorn.* WLTHELMUS, *Chron. Petrob.*

[z] Succeſſit A. 928, et cum per 13 annos huic ſedi praefuiſſet, (*Malmſbur.* et *Gervas.*) immortalitatem adiit Feb. 12. 941. itâ *Dart. Weſtmonaſt.* aſſerit eum obiiſſe A. 934, cui aſſentiunt *Godwinus* et *Antiquitatum Britannicarum Author.*

XXII. ODO.

* 941. ODO cognomento Severus, è Danica[a] gente oriundus, ſed inter Orientales Anglos natus, parentes habuit apprime nobiles et opulentos, ſed à Chriſtianâ religione tam alienos, ut hunc filium etiamnum puerum abdicarent, et ab haereditate excluderent, non aliam ob cauſam, quam quod Chriſtianorum conventus frequentare ſolitum comperiſſent. Quapropter relictâ patriâ, in famulitium ſe dedit aulici cujuſdam nobilis Ethelelmi, cui cùm perſpecta eſſet egregia pueri indoles, praeceptoribus eum tradidit inſtituendum; ſub quibus ita profecit, ut brevi tam Graecae quam Latinae linguae cognitionem aſſequutus fuerit non vulgarem. Baptizatus non eſt antequam ex ephebis exceſſiſſet. Tum vero Eccleſiae per lavacrum regenerationis inſertus, ordinibus ſacris Domini ſui hortatu brevi pòſt initiatus eſt; quibus adeptis, in docendi concionandique munere magnam praeſtitit diligentiam. Sunt qui tradant, militâſſe eum quandoque ſub Edwardo ſeniore Rege, neque verò non veriſimile eſt. Nam Epiſcopus factus, tribus in praeliis operam principibus ſuis navavit egregiam. Athelſtani Regis gratiâ Wiltonenſis pagi Epiſcopatum conſequutus[b], ſedem habuit apud[c] Ramesbiriam, unde Edmundi Regis operâ Cantuariam, Wlfhelmo mortuo, tranſlatus eſt. Honorem ultro delatum non niſi cunctanter accepit, et poſt multas tergiverſationes; non decere inquiens ut aliquis apici Archiepiſcopali admoveatur qui Monachus non fuiſſet; et non alios quam Monachos Cantuariae ad hunc uſque diem ſediſſe videbatur exiſtimâſſe[d], cùm certum ſit Nothelmum alioſque nonnullos, presbyteros (ut loquuntur) ſeculares, ibi ante illum praefuiſſe. Is tamen in errore pertinax, electioni de ſe factae non conſenſit, priuſquam vel miſſis Floriacum Legatis, vel illuc ipſe profectus[e] (nam utrunque traditur) in illius coenobii ſodalitium admiſſus, ad monachiſmum indito cucullo fuiſſet initiatus. Praefuit annis 24[f], ſub diverſis Regibus, Edmundo, Edwardo, Athelſtano, ac Edredo, apud quos multum valuit gratiâ et authoritate. Sub exitum Pontificatûs ejus, regnum adeptus eſt Edwynus princeps in flore adoleſcentiae conſtitutus, cui cum Odone homine graviſſimo mirum non eſt non optime conveniſſe, ac praeſertim cum luxu is nimium difflueret. Uxorem, quod conſanguinea eſſet, ut nonnulli, alii alias perhibent cauſas, repudiare coegit[g]. Concubinas ejus nonnullas excommunicavit, earumque uni quam efflictim Rex deperibat è regia violenter abreptae frontem candenti ferro inuſſit, et ſtigmate hujuſmodi ſic notatam in Hiberniam relegavit. Neque hic ſiſtitur hominis audacia. Cicatrice obducta, cùm in Angliam reverteretur, ab Odone iterum capta et ſucciſurâ poplitis ſubnervata eſt. Sic Malmeſburienſis. Regem iracundiâ flagrantem et vindictam ſpirantem ob tantam contumeliam, eluſit Odo cito moriendo. Neque enim ultra ſecundum Edwyni annum

vitam protraxiſſe comperi. Deceſſit nimirum anno 957[h]. Sepultus dicitur in Eccleſiâ ſuâ ab auſtrali parte ſummi altaris, in tumulo formae pyramidalis. Eum crediderim, qui ex Lydio lapide affabre conſtructus, in ipſis cancellis viſitur capellae ibi loci ſitae[i]. Qui plura volet de iſto Archiepiſcopo, Capgravium, Malmesburienſem et alios legat miraculorum ab illo editorum buccinatores. Interim hoc unum non pigebit referre. Odone defuncto, Elſinus[k] Wintonienſis Epiſcopus muneribus aulicorum gratiam aucupatus, eorum operâ Archiepiſcopus fertur deſignatus[l], tumque Cantuariam venientem Odonis tumulum contumelioſe conculcâſſe, hâc etiam voce emiſsâ; Tandem ſilicernium, vivacem animam effudiſti, et quamvis ſero, meliori locum faciens abiiſti. Itaque quod diu cupiveram, te invito teneo, unde tibi malas gratias habeo[m]. Sequenti nocte Odonis umbra illi in ſomno viſa eſt exitium et perniciem minitans. Ille haec pro nihilo ducens, Romam contendit. Iter vero per Alpes faciens, tanto algore oppreſſus eſt, ut nihil aliud remedii comminiſci potuerit, quam exenteratorum equorum adhuc ſpirantium extis pedes immergere quibus Odonis tumulum conculcârat. Sed nec ſic (inquit Malmesburienſis[n]) algore tepente, in mortem anima fugiente diriguit.

---

[a] *Brompt.* p. 838. *Weſtmon.* [b] Poſt examen actorum hujus Archiepiſcopi et Praedeceſſorum, his verbis ſeſe exprimit *Gervaſius, Quot annis Odo ſederit, vel duo praedeceſſores ipſius, nondum ad noſtram pervenit notitiam.* Et ſi omnes Hiſtorici eâdem dubitatione in re tam difficili Sententiam protuliſſent, ad difficultatem enucleandam multò magis contuliſſet quàm eorum dogmaticae aſſertiones. Ita tamen, ni fallor, ſic ſe habet horum Archiepiſc. ſucceſſio; Athelmus ſucceſſit Plegmundo A. 923; Wlfhelmus Athelmo 928, et Odo tandem A. 941; Sedit annos 18, et deceſſit A. 957 vel 958. [c] *Malmeſbur.* Lib. 1. [d] *Id. ibid.* [e] *Chron. Petrob.* A. 939. [f] 13 *MS. Trin.* [g] *Hoved.* 224 et *Weſtm.* 958.

XXIII. DUNSTANUS.

ELSINUS poſtquam ſic ut retulimus interiit, in Archiepiſcopum à * 959.
Monachis Cantuarienſibus poſtulatus eſt Brithelmus Epiſcopus Wellenſis[o], homo bonus et prudens, ſed mitior naturâ et ad clementiam propenſior, quam ut rebelles correctionis verbere poſſet cohibere. Quapropter ab Edgaro tum nuper regnum adepto, relictum munus juſſus repetere, electioni de ſe factae renunciavit[p]. Londinenſis tunc Epiſcopus Dunſtanus ad hanc Metropoliticam ſedem evectus eſt[q]; de quo homine quid potiſſimum perſcribam, planè neſcio, adeo,

"——— Inopem me copia fecit."

Mihi tamen decretum, terminis conſtitutis non egredi, ſed plura de illo noſcendi cupidum lectorem, ad hiſtoricos noſtros amandare. Natus fertur in pago Somerſetenſi[r], patre Herſtano (qui frater fuit Athelmi Archiepiſcopi) matre Kinedrida*, educatus verò in Glaſtonienſi Coenobio celeberrimo, ubi non tantum bonarum literarum, ſed pingendi quoque, caelandi, canendique artibus ad miraculum imbutus; per patruum ſuum Archiepiſcopum praedictum, in notitiam pervenit Athelſtani regis, cui etiam ſanguine dicitur propinquus. In ejus famulatu vixit, donec propter miraculum quoddam (ſic Monachi noſtri appellant quod artibus Magicis tunc imputatum eſt) aulâ Regiâ magna cum contumelia exactus, ad Elphegum Wintonienſem (qui et ipſe avunculus ejus fuit) ſe contulit. Qui cum ut monaſticam vitam amplecteretur conſuleret, non perſuaſit, donec morbo correptus gravi, quem, poenam à Deo coelitus immiſſam exiſtimavit, quod piis avunculi monitis non obtemperaſſet, cucullum induit[s]. Sanitati dein reſtitutus, Glaſtoniam petit, ubi magnam ſanctitatis opinionem ob morum vitaeque auſteritatem videtur conſecutus. Cujus rei famâ ductus Edwardus Rex, aulicis miniſteriis iterum admonit, detrectantem, et monaſticae vitae, uti prae ſe ferebat, cupidum. Ibi diu vixit ambiguâ famâ, ab aliis mulieroſus habitus, praeſtigiator et Magicis artibus imbutus, pleriſque verò ſanctimoniam vitae affatim admirantibus. Sub duobus Principibus, Edmundo ac Eldredo, ſuo nutu omnia rexit pro libitu. Edwinum Edmundi filium (qui Eldredo ſucceſſit) non ſolum non propitium ſed et infenſum habuit. Odonis tunc Archiepiſcopi libertatem loquendi aemulatum, Regemque ob vitia quaedam audacius quam ut ferre is poſſet increpâſſe, traditur à plurimis; atque inde natam offenſionem. Adjiciunt alii, Regem, ipſo inaugurationis die[t], cùm in frequentiſſimo procerum conventu de regni adminiſtratione ageretur, illis derepente relictis, Athelgiſam quandam ſanguine propinquam, in thalamum palam abductam et ab eo vitiatam; ejuſque rei ſtupore caeteris attonitis, auſum Dunſtanum Abbatem adhuc Glaſtonienſem, aſſumpto ſecum Kinſio Epiſcopo Lichfeldenſi affine ſuo, thalamum Regis ingredi, neque quieviſſe donec Regem laſcivientem à thalamo deduxiſſet, et Odoni author fuiſſet, ut amaſiam hanc, ſic uti ſupra retulimus poſtea tractaret[u]. Ego vero, ut quae mea ſit hac tota de re ſententia aperiam, ſic exiſtimo; Dunſtanum et ſui ſimiles, Principes ſui temporis monachiſmi amore et admiratione ita dementâſſe, ut non ſolum à conjugatis clericis per vim abriperent, quae in ſtructura coenobiorum impenderent; ſed de ſuo etiam unde otioſi iſti Monachi et ad nihil plerunque utiles, alerentur, effuſe donarent, quae ſi non multo rectiùs fuiſſet in pios ac doctos verbi concionatores erogare; ſaltem in Dano communi hoſte propulſando ſi inſumpſiſſent, multo magis è Rep. fuiſſet, et ad Dei gloriam propagandam conducibilius. Edwynus igitur cum perſpiceret, omnes totius regni opes à Monachis poſſideri, neque ſibi relictum unde ſuam vel dignitatem vel ſalutem tueretur; non ſolum plura coenobiis donare recuſavit, ſed ab aliis etiam ſine ratione conceſſa repetiit; quae tamen cum Monachi retinerent mordicùs, nec vellent reddere, tantam in ſe Regis iracundiam concitarunt, ut et illis et defenſoribus ſuis ſemper poſtea fuerit infeſtus. Hinc eſt haud dubie, quod illorum temporum et proxime ſequentium ſcriptores (qui omnes plerique Monachi erant) in Edwinum tanquam luxu perditum neſcio quem nebulonem ita debacchantur. Cùm Huntindonius[x], ſcriptor certe probatus, ſed qui Monachus nunquam fuerit, de Edwino nihil gravius ſcripſerit, quam quod proſperè et laudabiliter rempublicam adminiſtrarit, bonaque foeliciter geſti imperii fundamenta poſuiſſet, quando anno regni ſui quinto immaturâ morte ſublatus interiit[y]. Ut ut fuerit, Dunſtanus in exilium ſive ejectus ab irato Rege, ſive ſponte profectus quod domi cum dignitate non poſſet manere, in Galliâ integrum per annum moram traxit[z]. Tumque Edwino, Monachorum (ut credibile eſt) operâ interempto; Edgarus qui ſucceſſit, fratris exemplo admonitus, quam parum tutum eſſet hos crabrones irritare; non ſolum ablata per fratrem reſtituit omnia, ſed plurima etiam Monaſteriis ultro donavit, et Dunſtanum ſummum eorum propugnatorem primum revocavit ab exilio[a], deinde etiam Epiſcopatibus praefecit, primum Wigornienſi, poſtea Londinenſi, ac poſtremo Cantuarienſi, ſed ſemper invitum et reluctantem, ut Monachi fabulantur. Cantuariae annos praefuit[a] 27; in id fere ſolum totis viribus incumbens ut Monachos et Monaſteria ditaret; Clericos vero, ac praeſertim conjugatos, deprimeret ubique, frangeret, affligeret. Obiit tandem Maii 19. 988[b] et poſt aliquot demum ſecula, in Sanctorum album aſcriptus eſt.

---

[h] *Chron. Petrob.* 958. *Sime. Dunelm. Hoved.* 224. *Chron. Mailr.* 959. Epiſcopatus ſui 13, *Voſſius de Hiſtor. Lat.* Lib. 2. cap. 40. Sedit annos 24, *Brompt.* ita inter ſe diſſentiunt Hiſtorici. Diem Obitûs 4 nonas Junii ponit *Martyrol. Cantuar.* 4 Non. Julii *Capgrave in Legendâ Novâ.* fol. 244.

[i] Error ſanè; Hoc enim Simonis Mepham fuit Tumulum, qui deceſſit anno 1333.

[k] ELSSINUS, *Hoved.*

[l] *Weſtmonaſt.*

[m] *Malmeſbur. Pont.* Lib 1.

[n] Ibid.

[o] *Sime. Dunelm. Brompt.* et *Floren. Wigorn.*

[p] *Dunelm. Wigorn.* et *Hoved.* 244.

[q] A. 959. *Weſtmon. Chron. Petrob.* et Pallium accepit à Joanne Papâ A. 960. *Hoved.* ib. et *Sime. Dunelm.*

[r] A. 988. Ethelſtani Regis 1°. *Sim. Dun. Hiſt. Dunel.* Lib. 2. cap. 17. In finibus Weſtſaxoniae, ut in *Lib. Rameſey,* in Bibl. Cott. *MS Wood.*

* *Eadmer.*

---

[s] *Oſbernus.*

[t] *Weſtmonaſt.* A. 955.

[u] *Malmeſb.* Lib. 2. cap. 7. *Sime. Dunelm. Weſtmonaſt.*

[x] Lib. 2. p. 204

[y] Id. ib.

[z] *Chron. Mailr.* et *Weſtmonaſt.*

[a] A. 957 *Floren. Wigorn.* 958 *Chron. Petrob.*

XXIV. ETHELGARUS[c].

DUNSTANO ſucceſſit Ethelgarus, Monachus quandoque Glaſtonienſis, Abbas poſtea Monaſterii novi Wintoniae, dein Epiſcopus auſtralium Saxonum apud Seolſey[d], unde Cantuariam tranſlatus, unum duntaxat annum ſedit, ac tres menſes[e], tumque mortuus, in Eccleſiâ ſuâ humatus eſt[f]. Sunt qui tradant (quod mihi vix credibile) Eccleſiae ſuae, Monachis inde pulſis, ſeculares Clericos ab eo introductos. 988.

XXV. SIRICIUS[g].

SIRICIUS ex Monacho Glaſtonienſi Dunſtani operâ Abbas primum factus S. Auguſtini Cantuariae, ac deinde (non Wintonienſis, ut perperam quidam, ſed) Wiltonienſis Epiſcopus; Ethelgaro defuncto ſufficitur anno 989[h]. Huic crimini datur ab hiſtoricis noſtris, quod pacem à Danis redimendam ſuaſiſſet decem millium librarum pactione[i]. Sedit annos quatuor[k], et anno 993 defunctus, in Eccleſiâ ſuâ ſepultus eſt. 989.

XXVI. ALURICIUS, *vel* ALFRICUS[l].

ALFRICUS, ſicuti anteceſſorum tres poſtremi, educationem Glaſtoniae quoque ſortitus eſt, et Siricio Wiltoniae primum, deinde etiam Cantuariae ſucceſſit[m]. Obiit anno 1006[n], et Abendoniae ad tempus humatus, dein tranſlatis oſſibus, in Eccleſiâ ſuâ conditur ſepulchro. Hunc in ſuo Archiepiſcoporum Cantuarienſium Catalogo, Malmesburienſis non habet[o]. * 996.

---

[a] 33 *MS. Trin.* Et circiter aetatis ſuae anno ſeptuageſſimo, ut ſcribit Author antiquus MS. in illius vita, qui non longe à tempore ipſius Dunſtani aberat, et ſic incipit, *Regnante magnifico Rege Ethelſtano* &c. MS. Barlowe.

[b] *Dunelm. Hoved.* p. 245. *Weſtmonaſ. Ingulf.* p. 53. *Chron. Mailros.* et *Chron. Petrob.* ità etiam *Flor. Wigorn.*

[c] *Dunelm. Malmeſb. Hoved.* AETHELGARUS, *Wigorn Weſtmon.* ETELGARUS, *Chron. Mailr.* ADELGARUS, *Huntingd. Chron. Petrob.* STILGARUS, *Brompton.*

[d] *Malmeſb. de Geſtis Pontif.* Lib. 1. et *Hoved.*

[e] *Brompt.* 879. et *Chron. Mailros. MS. Trin.*

[f] Ob. 989. *Weſtmon.* et *Wigorn.* Dec. 3. *Obitu. Cantuar.*

[g] SIRICUS, *Dunelm. Wigorn.* SIGERICUS, *Floren. Wigorn.*

[h] *Chron. W. Thorn.* et *Sime. Dunelm.*

[i] *Malmeſb.* Lib. 1. et *Chron. Mailr.*

[k] 5 Ex conſenſu ferè omnium, ideoque obiiſſe dicitur A. 994. *Diceto.* p. 461. et *Chronolog. Saxon.* Dies obitûs Oct. 28. *Obitu. Cantu.* Ob. 995. *Wigorn.* 996. *Chron. Petrob.* et *Mailr.*

[l] *Hunt. Hoved. Wigorn. Chron. Mailr.* ALVERICUS, *Chron. Petrob.* AELFRICUS, *Malmeſb. Weſtm. Dunelm.*

[m] Succeſſit A. 995. [electus die Paſch. viz. 21 Aprilis. *Dart.* p. 112.] conſecratum verò fuiſſe A. 996. dicunt *Dunelm. Wigorn.* et *Mailros.*

[n] Ita *Dunelm. Mailro. Wigorn.* et *Hoved*, p. 246. Obiiſſe tamen dicitur 1005 à *Chronolog. Saxon* et rectè.

[o] Quid ſentis, Cl. Vir, de his qui ſequuntur verbis, Lib. 2. *de geſtis Pontif.* f. 142 a? *Quintus Elſtanus, Sextus Siricius, Septimus* ALFRICUS, *qui ambo (ut ſuperius memoratum eſt) Archiepiſcopi fuere Cantuarienſes.*

XXVII. ELPHEGUS[p].

* 1005. ELPHEGUS nobili ortus proſapiâ, uſque ad aetatem adultam in coenobio Hirſtenſi [q] educatus eſt, ubi cucullum primum induit. Inde Glaſtoniam profectus, ad Prioris munus ibidem evectus, id brevi reliquit aſperioris vitae ducendae cupidus. Bathoniam tum ſe contulit[r], et prope ipſas thermas conſtructo tuguriolo ita vixit, ut propter jejunia, continentiam aliamque vitae ſanctimoniam, omnibus eſſet miraculo, multoſque pelliceret ad hujuſmodi vitae imitationem, qui Elphegum ſibi Abbatis nomine praefecerunt. Atque haec prima fertur origo coenobii Bathonenſis: de cujus incrementis, ubi ad Epiſcopos Bathonenſes et Wellenſes ventum fuerit, plura dicendi locus erit. Ethelwoldo Wintonienſi Epiſcopo defuncto, quem niſi Elphegum ſanctitate tam clarum Dunſtanus curaret ſuffici[s], qui ſolus omnia tunc poterat. Sedit ibi annos 22[t], donec (videlicet anno 1006[u]) Cantuariam tranſlatus eſt. Cum ſedi huic Metropoliticae annis ſex praefuiſſet, tumultuantes Dani quod tributum ex pacto non penderetur, civitatem Cantuarienſem captam una cum Eccleſiâ incenderunt, et tam monachos, quam caeteram plebem decimantes, ex illis qui fuga ſibi non conſuluerunt, 7236 trucidarunt, ſoloſque 804 neci exemptos effugere permiſerunt. Archiepiſcopum Elphegum poſtquam ſeptem menſibus vinctum detinuiſſent, obtruncarunt tandem[x]; virum certe praeclarum, et ob plurimos animi dotes, praecipue vero morum vitaeque ſanctitatem nunquam ſatis laudatum, niſi monachi de ſanctis et martyribus ſuis ſtupenda neſcio quae et monſtri ſimilia commemorare ſoliti, miranda potius quam credenda de illo, ſuo more retulerint. In Eccleſiâ Paulinâ Londini ſepultus, mandato Canuti Regis ad ſuam Eccleſiam tranſlatus, ibi conditur ſepulchro; et Aprilis decimus nonus[y], quo die à Paganis dicitur interfectus, memoriae ejus, ipſo in album ſanctorum aſcripto, dicatus eſt. Homicidae variis cladibus abſumpti, crudelitatis poenas dederunt, ex toto exercitu vix quoquam effugiente qui tantum ſcelus morte et pernicie ſua non lueret.

XXVIII. LIVINGUS[z].

1013. LIVINGUS cognomento Elſtanus[a], Epiſcopus Wellenſis, Elfego caeſo, ſuffectus eſt anno 1013[b]. Fortunam is quam anteceſſor non multo magis habuit propitiam. Siquidem praeter alia multa incommoda à Danis accepta, etiam captus ab illis, ſquallorem carceris ſeptem per menſes perpeſſus[c], atque dimiſſus, cùm omnia peſſum ire perſpiceret, in exilium abiit, ut ibi patriam pereuntem lugeret otioſus, cui nullo modo poſſet opitulari. Mortuo Swano Danorum Rege, qui pulſo Ethelredo Angliae regnum ſibi aſſeruerat, cum pacata omnia ac Ethelredum reverſum intelligeret, rediit et ipſe; cumque annos ſediſſet ſeptem, duobus interea Regibus inauguratis, in pace obiit[d], et in Eccleſiâ ſuâ ſepultus eſt, quam plurimis donis ornavit, ac locupletavit.

---

[p] *Dunelm. Brompt. Malmeſb.* ALFEGUS, *Hunting. Chron. Petrob.* ALFEAGUS, *Floren. Wigorn.*

[q] Dorhirſt. *MS. Trin.*

[r] *Malmeſb.* Lib. 2.

[s] *Id.* ib.

[t] Ib. et Menſ. ſeptem, *MS. Trin.*

[u] Ob. Apr. 19. 1012, et ſediſſe dicitur Annos 6 et Menſes 7, *Malmeſb.* Lib. 1. et Lib. 2. 139. *Brompton.* 890, et ab aliis non paucis. Si demas igitur hos 6 annos et 7 menſes à die obitûs, incidet conſecratio ad Archiepiſcopatum in annum 1005 menſe Septembri. Pallium verò accepiſſe anno ſequenti ex fide *Annalium Burton.* conſtat.

[x] Apud Grenewicum à Danis lapidatus eſt, ait *Liber Elienſis. MS. Wren. Eadmer.* Lib. 1. p. 4.

[y] Anno 1023. *Weſtmon.*

[z] *Brompt. Malmeſb. Hoved. Weſtmon. Wigorn.* LEFWING, et LEVING, *Hunting.* LIFINGUS, *Dunelm.*

[a] *Birchington Vit. Archiepiſc.* p. 5. Athelſtanus *MS. Trin.*

[b] *Hoved.* 248. *Sime. Dunelm.* et *Wigorn.* 1014 *Chron. Mailros.*

[c] *Malmeſb.* Lib. 1. *de Pontif.*

XXIX. Agelnothus[e].

AGELNOTHUS, qui propter inſitam bonitatem Boni[f] cognomentum obtinuit, 1020. patrem habuit Comitem nomine Agelmarum[g], et Eccleſiae Cantuarienſis dicitur fuiſſe Decanus[h]. Hoc nimirum tempore permiſti cum monachis Canonici Cathedrales ibi degebant, habitum quidem monachalem gerentes, ſed regula normaque vivendi ab illis plurimum diſcrepantes. Itaque cùm in illâ immani Cantuarienſium per Dacos decimatione (de qua antea) monachis exceptis quatuor omnes fuiſſent necati; Canonici jam numero potiores, praefectum ceu praepoſitum ſuum ex aliarum Eccleſiarum Cathedralium more Decanum appellabant, et ad id muneris Agelnothum aſſumpſerunt, qui etiam poſtea ad Archiepiſcopatum electus, ipſe Romam profectus, pallium à Papâ impetravit[i], et pretio porro comparavit ab eo brachium magni illius Doctoris Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, numeratis (ut loquuntur hiſtorici noſtri) centum argenti talentis, et in Angliam ſecum reportatum, Eccleſiae dedit Coventrenſi[k]. Dicit Malmesburienſis, monachum fuiſſe Agelnothum è Glaſtonienſi coenobio, ideoque à Canuto Rege (apud quem gratiâ et authoritate multum valebat) diploma in Glaſtonienſium gratiam impetraſſe, quo omnia eorum jura et privilegia confirmavit; cujus quidem diplomatis exemplar videre eſt apud illum libro primo[l] de Regibus cap. 11. Hoc quam verum ſit, haud multum refert, ideoque rem totam lectori dijudicandam in medio relinquo. In reficienda Eccleſia ſua per Danos incenſa, magnopere laboravit hic Archiepiſcopus, et Canuto praedicto qui ejus conſilio plurimum utebatur, author fuit multa praeclare inſtituendi. Diem clauſit extremum Oct. 29. 1038[m] cùm Eccleſiae Cantuarienſi praefuiſſet annos paulo plus quam[n] 17.

XXX. Eadsinus[o].

EADSINUS presbyter ſecularis, ab Haraldo Rege (cui fuit à ſacris) ad 1038 Epiſcopatum Wintonienſem evectus eſt, unde anno 1038[p] ut Cantuarienſi Eccleſiae Archiepiſcopus praeſit aſſumitur. Quo quidem munere duodecim per annos functus eſt, ſi munere paſtorali is functus fuiſſe ſit dicendus, qui propter adverſam valetudinem tanto oneri impar, omnium rerum adminiſtrationem alteri demandavit, Siwardo[q] videlicet cuidam, Abbati Abendonenſi, quem nonnunquam Vicarium ſuum appellavit, quandoque Chorepiſcopum et Archiepiſcopi vices moderantem. Is homo ſordidus et Eadſino,qui tantum illi detulerat, ingratus, authoritate ſibi credita ad ſe per fas et nefas locupletandum abuſus, Archiepiſcopo diuturno morbo contabeſcenti ne neceſſaria quidem quibus ſalutem, ne dum dignitatem ſuam tueretur dicitur largitus[r]. Quod cum Edwardo regi eſſet compertum; quanquam Eadſini precibus inductus, Archiepiſcopum eum deſignandum decreverat, quam primum Eadſinum praedictum contingeret fato concedere: tamen eo brevi pòſt mortuo (ad vim nimirum morbi, aegritudo animi accedens ob tantam amici ingratitudinem, interitum acceleraſſe videbatur) eo honore indignus judicatus eſt. Eccleſiae tamen Roffenſi praeficiendum Rex curat[s], in Eadſini magis pro eo deprecantis gratiam, quam ſuum aliquod ob meritum. Ille vero ex repulſae pudore et contumelia contracto morbo, animi aegritudine contabeſcens, poſt menſem unum aut alterum Abendoniae deceſſit. Huntindonius[t] aſſerit Archiepiſcopum conſecratum eum fuiſſe; Weſtmonaſterienſis[u] vero ante Eadſinum defunctum. Uterque ut opinor perperam. Eadſinus certe Octob. 28. 1050, vitam cum morte commutavit, vel potius pro vitâ mortali immortalem accepit, ſi jure Sanctorum Catalogo, Edwardi etiam Sancti opera is fuerit aſcriptus.

---

[d] A. 1020, *Sime. Dunelm. Flor. Wigorn. Weſtmon.* et *Hoved.* 250. Vide inferius inter Epiſcopos Wellenſes.

[e] *Sime. Dunelm. Hoved. Weſtm. Chron. Petrob.* ATHELNOLD, *H. Hunting.* EGELNOTUS, *Chron. Mailr.* EGELNODUS, *Malmeſb* AETHELNOTHUS. *Flor. Wigorn.*

[f] *Hoved.* 1. 250. b.

[g] *Wigorn.* et *Dunelm.*

[h] Decanus in Eccleſia de Chriſt-Church in Hantſhire. *Tax. Wint.* MS. Wren.

[i] Anno 1022. *Huntin.* Lib. 6. 208. *Sime. Dunelm. Chron. Mailr.* et *Hoved.* 1. 250.

[k] *Malmeſb. de Geſtis Reg.* Lib. 2. cap. 11.

[l] Lib 2. cap. 11.

[m] *Flor. Wigor. Sime. Dunelm. Weſtmon. Hoved.* 251.

[n] 18 Potius, teſtibus *Diceto. Birchingt.* et *Malmeſbur.*

[o] EADSIUS, *Brompt. Hoved. Weſtm. Wigorn.* EADSI, *Huntin.* EDSCIUS, *Chron. Petrob.* EDGIUS, *Chron. Mailr.*

[p] *Weſtmon.* et *Chron. Mailr.* de eo vid. plura inter Epiſcopos Roffenſes.

[q] *Brompt.* f. 938. *Malmeſb. de geſt. Pont.* Lib. 1.

XXXI. ROBERTUS GEMETICENSIS[x].

1050. EDWARDUS Rex, qui quod homo eſſet bonus, licet Rex peſſimus, Sancti et confeſſoris nomine innoteſcit, quando una cum patre infoeliciſſimo in Normanniâ apud avunculum exulabat, amicitiâ utebatur Roberti cujuſdam, monachi Gemeticenſis[x], quem poſtea Rex factus, ad Londinenſem Epiſcopatum primum, deinde et ad Archipraeſulatum Cantuarienſem Eadſino mortuo provexit; ampliſſimo praemio penſatis officiis exuli ſibi ab ipſo praeſtitis. Is ergo et amore antiquo et recenti honore primas jam partes in conſiliis regis vendicabat, et quos vellet potuit deprimere, quos liberet evertere[y]. Angli igitur Normanno invidere et regi quantum poſſent inviſum reddere; ille contra pertinacius inſiſtere, donec praecipuos optimates, ſocerum dico Regis Godwinum Comitem et filios ejus, proditionis accuſatos, Angliâ expelleret[z]. Emmam tunc aggreditur, matrem Regis, cujus apud filium gratiam, virtutiſque famam et amicitiis divitiiſque firmatam potentiam, in Angliâ tunc maximam eſſe perſpexerat. Primùm Regem, facilimis moribus praeditum et delatoribus quibuſcunque aures patefacientem, calumniis et falſis criminationibus incendit; Fratrem Regis, conſciâ dicens et annuente hac praeclarâ matre crudeliſſime interemptum; ipſum in Normannia exulantem inopem vitam et omnium rerum indigum aegre tolerâſſe, cùm illa è contra divitiis affluens nihil ipſi eſſet largita. Hardecanutum ſcilicet unum à Canuto genitum in oculis ferre ſolitam, liberorum caeteros nihili pependiſſe. Hanc tamen quae liberos ſuos tam parvi faceret, Aldwino Epiſcopo

---

[r] *Malmeſb.* ib. [s] *Malmeſb.* ib. [t] Lib. 6. f. 209. b. [u] Ad Annum 1043; aſſerit conſecratum eſſe Siwardum, et obiiſſe A. 1050., et poſt ipſum Eadſium diem clauſiſſe extremum ad annum 1050. Sedit annos 11. *MS. Trin.* [x] *Malmeſb. de Geſtis Pontif.* Lib. 1. Id. *de Geſtis Regum.* Lib. 2. cap. 13. [y] *Id. de Pont.* ib. [z] Id. ib. *Huntin.* Lib. 6. f. 209.

Wintonienſi favere ultra quam expediat, cujus nimirum conſuetudine uteretur familiarius quam pudicae foeminae eſſet neceſſe. Suſurris hujuſmodi commoto rege, effectum eſt, ut criminum praedictorum rea mater poſtulata, bonis praediiſque ſpoliata, et in coenobium Warwellenſe detruſa, parciſſime ex fiſco in arctiſſima cuſtodia aleretur. Quid facit jam miſera Regina? Decantatiſſimum narrandum eſt miraculum, ne dicam fabula vaniſſima, cui fidem conciliavit multitudo tradentium, quanquam apud antiquiores et huic aetati viciniores ſcriptores ne verbum ea de re invenerim. Innocentiam ſuam probari placet, ſuper candens ferrum (novem videlicet ignitos vomeres) nudis pedibus gradiendo. Hoc, illaeſam, Wintoniae in Eccleſia Cathedrali praeſtitiſſe, creditum; à filio etiam in gratiam receptam; atque tam Epiſcopum quam Reginam maneria novem in memoriam novem vomerum Eccleſiae Wintonienſi donâſſe, quibus Rex adjecerit alia duo, Meones nempe et Portlandiam. Ad Archiepiſcopum quod attinet, Doveriae ſubſtitiſſe aegritudinem ſimulantem quando haec purgatio erat peragenda, et audito ſucceſſu in Normanniam profugiſſe[a]; Godwinum autem cum filiis Reginae precibus revocatos, opibuſque et honoribus reſtitutos, ab iiſdem quibus ſuperiora traditum. Sed à veritate haec alieniſſima ſunt et recentiorum monachorum figmenta. Nam ſi Florentium Wigornienſem legas, Malmeſburienſem, Weſtmonaſterienſem, Huntindonium et Hovedenum diligentiſſimos ſcriptores, quorum vix aliquis annis ducentis haec tempora exceſſit; praeterquam quod hujus tanti miraculi nullam faciunt mentionem, (ne Malmeſburienſis inquam qui Pontificum vitas ex profeſſo perſcripſit) pro certo conſtabit, Alwinum Wintonienſem defunctum, antequam Godwinus exularet annis quatuor, et prius quam ſive reſtitueretur Godwinus, ſive profugeret Robertus Archiepiſcopus, annis ſex, deinde Emmam Reginam mortuam, anno 1052, hoc eſt anno praecedente Godwini reditum, et Roberti ac Normannorum exilium, ſi forte in ſuâ patriâ qui degit exul poſſit appellari[b]. Ut meam itaque hâc de re interponam ſententiam, Godwinum et filios, per Archiepiſcopi criminationes ejectum, et partim vi, partim precario reſtitutum, pellentes pepuliſſe non dubito “Horum reconciliationem (inquit Malmeſburienſis[c]) cùm ſibi nocituram Archiepiſcopus non dubitaret; judicii deliberationem praeveniens, Romam ivit; unde cùm Epiſtolis innocentiae et reſtitutionis ſuae allegatricibus rediens, finem vitae apud Gometicum invenit.” Quae de Emmae purgatione referuntur, fabulae (ne dicam aniles) Monachales.

◆ ◆ ◆

XXXII. STIGANDUS.

ROBERTO adhuc ſuperſtite, ſed nec abdicante, nec legitime exauthorato, Stigandus[d] Wintonienſis Epiſcopus Eccleſiam ejus occupavit, et Archiepiſcopus factus, Wintonienſem ſimul praeſulatum retinuit[e], veritus (ut par eſt credere) ne ſi illum dimitteret, revocato forte Roberto, utriuſque expers, Epiſcopus viveret ſine Epiſcopatu. Edwardo Regi is fuerat à ſacris, et illius gratiâ Orientalium Saxonum, ſive Helmhamenſis 1052.

---

[a] *Brompton.* f. 942. *Chron. Mailr.* A. 1052

[b] *Florent. Weſtmonaſt.* et *Chron. Mailros.*

[c] Lib. 1.

[d] Totius ritanniae Epiſcoporum Primas. *Pictav. in vitâ Conqueſt.* p. 200.

[e] *Ingulf.* p. 69.

primùm Epiſcopus renuntiatus anno 1043; deinde Alwyno ſucceſſor declaratus 1047 Wintoniae; ac Cantuarienſi ſedi 1052 inauguratus eſt. Homo cordatus, animoque praeditus magno, quamvis indoctus plane, ſicut illius aetatis Epiſcopi plerique omnes [f]; ut temporum potiùs quam hominis id vitium poſſit cenſeri. Sordidum vero et turpe avaritiae crimen, nullo modo poteſt in eo excuſari. Nam utcunque ferendum videatur, ut vivente Roberto et ambiguo adhuc Archiepiſcopatus jure, utrique ſedi incumberet; quod eo tandem mortuo neutrum dimiſerit per annos totos 16, avaritiae ſoli et pecuniam congerendi ſiti inexplebili id tribuendum eſt [g]. Sed hujuſmodi cupiditatis erit aliquando, ni fallor ut eum poeniteat. Cum magnus ille Gulielmus Normanniae Dux, Haraldum Regem, ingenti praelio ſuperatum, caecidiſſet [h]; imperio ejus ſe protinùs ſubdiderunt Angli in univerſum omnes, exceptis ſolis Cantianis, qui Stigandi Archiepiſcopi et Egelſini Sancti Auguſtini Abbatis conſilio, copiis benè magnis coactis, Gulielmo Regi nihil hujuſmodi verito, ac per Cantiam iter facienti, occurrunt derepente apud Swanſcomb prope Graveſendam, ramum frondoſum ſingulis ferentibus, ne procul conſpicerentur à regiis, cui adventus eorum non innotuit, priuſquam copias iſtas ſilvae ſpeciem gerentes, mobiles perſpicerent, ſeque hoc aſtu deluſos, armatis circumfuſos. Ad primum eorum conſpectum Rex conſternatus, quid velint quaerit. Illi, nihil aliud petere ſeſe reſpondent, quam ut ſuis legibus vivant, neque priſtinae conſuetudines, quibus magis quam legibus regi hactenus aſſueverant, abolerentur; hoc impetrato, fidei ejus ſeſe commiſſuros. Annuit Rex, aliter enim qui poterat facere? Sed nec fidem datam fefellit. Nam avitis legibus et moribus, in hodiernum uſque diem dictis Gavelkind, Cantianos permiſit vivere: Stigando tamen, quo authore haec perpetrata non ignorabat, clam infenſus; quamvis ad tempus iram diſſimularet, vindictam tamen animo decoquebat. Illum omni obſervantiae genere aliquandiu colebat, patrem ſaepenumero compellans, venienti aſſurgens, et abeuntem deducens, cui perniciem clanculum moliebatur. Alienati animi primum erat indicium, quod ab eo noluerit inaugurari, ſed ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo coronam ſibi mandaret imponi [i]. Tum, in Normanniam reverſurus, eum quantumvis renitentem, duxit ſecum, unàque procerum per multos honoris (ut prae ſe tulit) gratia, re vera autem ne in recenti et nondum confirmato regno, ſe abſente aliquid ii turbarent, ac praecipue Stigandus, quem opulentum novit, prudentem, magnanimum, et populari gratia praepotentem. Poſtquam rebus in Normannia compoſitis reditum eſt in Angliam, nihil Rex habuit prius aut antiquius quam Pontificia authoritate, Stigandum, Archiepiſcopali ſede deturbandum curare. Illius proinde tacita interpellatione, ab Alexandro Papa tres in Angliam mittuntur Cardinales, qui de Archiepiſcopo praedicto, et reliquo Angliae Clero judicia inſtituerent et ordinarent. Neque enim Stigandi ſolius caput petitum, qui huc illuc agitatus, nunc in Scotiam cum Egelwino Dunelmenſi Epiſcopo, profugit, nunc Elienſe coenobium latitandi ſeque occultandi gratia petiit. Totius Cleri Synodo tandem Wintoniae coacta [k], multorum criminum reus factus, ob tria damnatus, et non ſolum praeſulatibus ſed etiam ordine clericali, ſententia ſatis dura, privatus eſt, et carceribus perpetuis adjudicatus [l]. Primum nimirum, quod duos Epiſcopatus ſimul tenuiſſet (exemplo non inuſitato, nam praeter multos alios, Dunſtanus et Oſwaldus homines inter ſanctos relati hoc ipſum nuper factitarant, uti poſtea demonſtrabimus.) Deinde quod Archiepiſcopatum, Roberto nec mortuo nec amoto, contra jus arripuiſſet[l]. Ac denique quod à Benedicto 8 [m] Papa excommunicato, et qui vendito Pontificatu ſaepius abdicarat, pallium accepiſſet, neque à Leone 9. aut alio quoquam legitimo Pontifice curaſſet impetrandum[n]. In his anguſtiis conſtitutus Stigandus, Regem per datam fidem multum obteſtatur, ut miſero ſibi velit ſubvenire; reſpondente illo, id quod Pontificia authoritate conſtitutum ſit, ſibi integrum non eſſe reſcindere. In eâdem porro Synodo Agelmarus Orientalium [Saxonum] Epiſcopus, Stigandi frater, eandem cum germano ſortem ſubiit, Epiſcopatu privatus[o], quemadmodum ſuis ſacerdotiis Abbates et aliorum è Clero non pauci; hoc ſatagente Rege, ut ſuae gentis homines quamplurimos Eccleſiis ubique praeficeret, quod novo recenterque acquiſito regno firmamento et praeſidio non levi futurum exiſtimabat; Clero tunc et opulentia et authoritate tam pollente, ut caeteris omnibus optimatibus plus potuiſſe palam ſit. Stigando vero in arctam cuſtodiam dato, alimenta etiam ſubtracta ferunt, ut inediâ compulſus, theſauros, quos ingentes poſſidere (nec falsò) autumabant, proderet[p]. Caeterum ille, mori certus, potius quam opibus ſuis ſupereſſe (quarum auxilio, ſi ullo modo, ſemet ſublevandum credebat) aut hoſtem à quo tam indigne fuerat tractatus locupletare; cibo parciſſime adminiſtrato etiam ultro (ut nonnulli tradunt) abſtinuit. Sic ſive aegritudine, ſive inedia, eaque ſive voluntaria, ſive coacta, interiit tandem Stigandus; cujus demortui collo clavicula alligata ſerae cubicularis, ſcrinio admota, indicem prodidit theſauri ingentis defoſſi, quem diligenter indagatum, Rex fiſco ſive aerario publico inferri curavit[q]. Wintoniae ubi incarceratus deceſſit, tumulatus eſt. Viſitur hodie arca plumbea in qua conditur, ſita in faſtigio muri ſive cancelli qui eſt à Septentrionali parte presbyterii, ſic inſcripta, *Hic jacet Stigandus Archiepiſcopus*. Anno 1069[r] exauthoratus, eodem anno non dum circumacto obiit. Diſtichon hujuſmodi ab invido quopiam pro epitaphio ejus compoſitum, quamvis malignitate nimium turgeſcens, apponam tamen.

---

[f] *Malmeſb.* Lib. 1.

[g] *Weſtm.* ſub A. 1038.

[h] A. 1066.

[i] *Ingulf.* p. 69. et *Weſtm.* A. 1067.

[k] In Octabis Paſchae A. 1070. Vid. *Concil. Anglica.* Tom. 1. p. 322.

[l] Perjurii et homicidii inquinatus erat, nec per oſtium in Archipraeſulatum introierat. *Orderic.* p. 516.

“ Hic jacet Herodes, Herode ferocior, hujus
“ Inquinat infernum ſpiritus, oſſa ſolum.

◆ ◆ ◆

XXXIII. LANFRANCUS.

1070. GUL. 1. 4.

JUSTISSIMO Dei judicio hoc evenit, ut Stigandus, qui Roberto adhuc ſuperſtite ſedem ejus invaſerat, ipſe etiamnum ſuperſtes, hanc ipſam ſedem à Lanfranco occupatam cerneret. Natus hic fertur apud Inſubres in civitate Papienſi (quae Mediolano viginti milliarium ſpatio diſjuncta eſt) familiâ illuſtri Beccariorum (ut habet Hennenges in ſuo Theatro Genealogico) qui ab Imperatoribus Caro et Numeriano ſtemma deducunt. Ibi ab ineunte aetate bonis literis dedit operam, donec adultus, alias regiones viſendi cupiditate flagrans, ac fama celebritateque Elvini ſive Herlewini permotus Abbatis Beccenſis, ad Beccenſe Monaſterium iter direxit. Proficiſcentem vero, in via latrones adorti, ſpoliatum, vinculis conſtrictum et manibus à tergo revinctis, in dumetum conjiciunt; ubi aut fame aut frigore periiſſet, niſi repertus forte fortuna à tranſeuntibus et ſolutus fuiſſet, poſtquam unicam duntaxat noctem vinctus jacuiſſet. Inde Beccum petiit, locum non ita multum diſtantem. Ad inopiam ſublevandam, dialecticam ibi accepto ſtipendio profeſſus eſt, magnâ cum laude, magno itidem ſtudioſorum bono[t]. Invidorum tamen machinationibus et inſidiis, parum abfuit quin Normannia ejiceretur per Gulielmum Ducem, qui dein Rex Angliae ad culmen Archiepiſcopale eum poſtea evexit[u]. Horum princeps narratur fuiſſe Arfaſtus, ab eodem Duce factus deinceps Orientalium Anglorum Epiſcopus. Is monachus quandoque Beccenſis, nonnullam literarum ſcientiam ibi jam olim fuerat adeptus, ut inter ſtrabones luſcus, apud caeteros qui ante adventum Lanfranci illiterati planè eſſent, praecipuè autem ſibi ipſi, ſciolus videretur. Aſcitus igitur in numerum illorum qui duci erant à ſacris, libuit quandoque Beccenſe Coenobium inviſere; quo magna equorum et famulorum caterva comitatus, pervenit. Tum Lanfrancus “ex primo colloquio intelligens quam prope nihil ſciret; Abecedarium ipſi expediendum appoſuit, ferociam hominis (inquit Malmesburienſis[x]) Italica facetia illudens. Quo is irritatus, per Ducem effecit, ut Lanfrancus, non ſolum Beccenſi Coenobio, ſed Normanniâ totâ ſummovendus decerneretur. Sed intercedentibus amicis, pacatum Ducem ferunt, idque maximè hâc occaſione, quod cùm Lanfrancus ad Curiam commeatum petiturus veniret, equus ejus forte claudicans Duci cachinnum excuſſit.” Sic Malmesburienſis. Non diu moram ibi loci traxerat, quando Monachus factus, Prior etiam Coenobii renunciatus eſt. Brevi deinde pòſt Coenobio Cadomenſi à Duce praedicto tum inſtituto, Abbas praeficitur[y]. Jam vero, Stigando ſic ut retulimus exauthorato, Rex quem non latebat quantum ipſius intereſſet, ad regni nuper adepti firmamentum virum aliquem prudentem et gravem ibi collocare, quem conſideret fidelem ſibi et tanto oneri parem futurum; Lanfrancum praecipuè delegit, quem Monachis commendaret. Hunc promptè illi accipiunt, proceribus, adeoque populo univerſo electionem libenter approbantibus, Papâ etiam ad primam petitionem pallium ac confirmationem expediente. Conſecratum ſcribunt plerique Aug. 29[z]. (Hovedenus vero Jun. 24[a]) 1070 Cantuariae à Giſone Wellenſi et Waltero Herefordenſi praeſulibus[b], pleriſque totius Angliae Epiſcopis praeſentibus. Cum pallium Romae peteret, adfuerunt praeſentes ſimul cum Remigio Epiſcopo Dorceſtrenſi, Thomas ab ipſo Lanfranco tum nuper ad Eboracenſem ſedem ſacratus[c], qui non niſi gravate et mandato regio coactus, more conſueto obedientiae Cantuarienſi ſedi praeſtandae profeſſionem fecerat[d]. Venientibus, Alexander Papa, honoris ergo aſſurrexit, hoc dicens, Non illorum dignitati, ſed eruditioni aliiſque inſignibus Lanfranci virtutibus tribuêre[e], idque fortaſſis libentius faciebat quod uterque Inſubres, Papa Mediolano, Lanfrancus Papia eſſent oriundi. Thomas igitur Eboracenſis, ſive honori invidens ſocio ſuo exhibito, cui ſe non imparem putabat; ſive injuriam ſibi factam, quod ad hujuſmodi profeſſionem fuerit adactus; quaerimoniam eâ de re inſtituit gravem coram Pontifice, qui ejuſce litis ac controverſiae cognitionem integram rejecit ad Regem[f]; et is quomodo pro Cantuarienſi ſententiam tulerit, dicetur commodius, quando ad Eboracenſis Eccleſiae hiſtoriam perventum fuerit; quemadmodum etiam ut utrunque comitem, Eboracenſem et Dorceſtrenſem Epiſcopatibus amovendos eo ipſo tempore Lanfrancus curaverit, et ſuis denuò precibus reſtituendos. Reverſus jam, muneri commiſſo incubuit ſtrenuè, et magna tam induſtriae quam prudentiae laude per totos novendecim annos (ſiquidem tam diù ſedit) Cantuarienſem rexit Eccleſiam. Una tantum res memoratur, quae famae ejus aliter ſecundiſſimae labem inuſſit. Robertum filiorum natu maximum, in regni ſucceſſione, Gulielmo aetate minori poſtpoſitum à patre, autumant plerique conſilio Lanfranci inducto, apud quem Gulielmus, in pueritia fuerat educatus[g]. Obiit ut plerique Jun. 4[h] (ut Hovedenus, et Florentius Wigorn. tradunt, Maii 24) 1089 febricula quod ſaepe optaverat abſumptus, et in Eccleſia ſua quam multum locupletârat, ac aedificiis novis ornaverat, honorifice tumulatus eſt[i]. Monachorum in eo degentium numerum eo uſque auxit, ut cum adveniens 30 tantum invenerit, 140 decedens reliquerit. Maneria 25 per Odonem Epiſcopum Bajocenſem fratrem Regis uterinum erepta, Eccleſiae reſtituenda curavit[k]. Palatium Archiepiſcopale quod eſt Cantuariae fere totum conſtruxit. Xenodochia duo prope civitatem praedictam inſtituit, unum videlicet apud Harbaldown, alterum in ſuburbiis quod ſancti Joannis nomine hodie innoteſcit. Ad ſtructuram Eccleſiae Cathedralis Roffenſis magnam contulit pecuniam, aut potius integram à fundamentis excitavit. In reparatione coenobii S. Albani mille marcas impendit. Manerium de Redburn per injuriam ereptum, illius opera redditum eſt; Ac deinde moriens, mille libras noſtrates eidem monaſterio per teſtamentum legavit, hoc eſt, aureorum Gallicorum 3333. Sed hoc (quo nihil magis ad laudem ipſius pertinet) nullo modo praetermittendum eſt, quod in depravatis ſacrae Bibliae exemplaribus (quae ubique per Angliam tunc temporis fuerunt vitioſiſſima) emendandis, multum utiliſſimumque laborem inſumpſerit. De ſcriptis ejus quid attinet dicere, à Baleo ſigillatim recenſitis, quorum quamplurima doctorum manibus quotidie teruntur[l].

---

[l] Ab Alexandro Papâ tanquam Sciſmaticus ſuſpenſus eſt. Ita *Chron. Abbatum* et *Epiſc. Elien.* MS. Wood.

[m] Al. 9. Vid. *Binnii Concil.* Tom. 7. par. 1. p. 221. et *Hoved.* p. 259. b. nec non *Platin.* in Vit. Bened. 9. p. 157.

[n] *Sime. Dunelm.* et *Walſing. Ypod. Neuſtr.* p. 31.

[o] *Concil. Anglic.* ib.

[p] *Malmeſb. de Reg.* Lib. 2. cap. 13.

[q] *Malmeſb. de Reg.* Lib. 1. *de Pont.* Lib. 2. cap. 13.

[r] Ita *M. Paris.* p 5. *Florentius* verò 1070 in Octab. Paſchae.

---

[t] *Malmeſb. de Geſt. Pontif.* Lib. 1. [u] Id. ib. [x] *De Pontif.* Lib. 2. 136. [y] *Hoved.* Lib. 1 f. 260. [z] Nominatus eſt à Rege die aſſumptionis S. Mariae; et conſecratus in feſtivitate (Sc. die decollationis) S. Joannis Baptiſtae, *Floren. Wigorn.* f. 637. *Hoved.* Lib. 1. f. 260. *Floren. Wigorn.* et *Malmeſb. de Geſt. Pont.* Lib. 1. nonnulli verò contendunt conſecratum fuiſſe 24 Jun. feſtivitate (nativitis die) etiam Joannis Baptiſtae, ſed perperam: Anno enim 1070 decollatio, ſed non nativitas Joannis in Dominicam incidit. Ita etiam *Eadmer.* p. 6. [a] Vid. Not. poſtrem. [b] Conſecratus eſt à Willielmo London. Siwardo Roffen. Walchelmo Wentan. Remigio Lincoln. Herfaſto Helman. Stigando Seleſien. Hermanno Schireburn, et Giſone Wellenſi Epiſcopis. *Malmeſb. de Geſtis Pontif.* Lib. 1. p. 117. [c] *Florent.* A. 1071. [d] *Sime. Dunelm.* [e] *Brompton.* p. 970. *Malmeſb. de Reg.* Lib. 3. p. 66.

* * *

XXXIV. ANSELMUS.

QUATUOR integros per annos Eccleſia Cantuarienſis praeſule manſit deſtituta poſt Lanfranci obitum, fructibus et proventibus ad eam 1093. Gul. 2. 7.

---

[f] *Brompt.* ibid.

[g] Et miles factus. Vid. *Selden* in *Eadm.* Lib. 7. p. 68.

[h] Undenam haec hauſiſti Cl. Vir? in hoc nullos (ut mihi videtur) habes aſſentientes. *Florentius*, ut rectè dicis, tradit Maii 24. 1089, et *Hoved.* p. 264. *Sime. Dunelm.* et *Weſtmon.* 231. alii verò 27 die ejuſdem menſis obiiſſe; poſterior forsàn interitûs non obitûs diem denotat.

[i] Ante crucifixum in Eccleſia ſua.

[k] Goisfridus Conſtantienſis Epiſcopus in loco Regis fuit, et Juſtitiam tenuit in illo notabili Placito apud Pinendenam, inter Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuar. et Odonem Bajocenſem Epiſcopum. *Text. Roff.* f. 168. Determinatio hujus controverſiae extat apud *Concil. Angl.* Tom. 1. p. 323.

[l] *Regis. Eccleſ. Roff.* F. 2. b. ita ſcriptum legimus, "Ante tempora Normannorum Cant. Eccleſia habere conſueverat apud S. Martinum Coëpiſcopos "commorantes, fundo juxtà poſito ad victum et veſtitum pauperum edotatos. Quorum corpora ibidem tumulata ſepulchra "adhuc apparentia manifeſtant. Hi Archiepiſcoporum abſentium defectum ſupplentes Sacramenta Eccleſiaſtica conficie"bant. Quorum ultimo Lanfranci temporibus de medio ſublato Archiepiſcopus vir magnanimus decentiorem ſibi vica"rium providere deſiderans, Gundulfum tunc temporis Roffenſ. convenit ut officium illud in ſe ſuſciperet." *MS. Lond.* Sedit anno 19. *MS. Trin.*

ſpectantibus fiſco, toto eo tempore, illatis, cum antea ſemper ad uſum ſucceſſorum conſueſſent aſſervari. Vir tandem praeſtantiſſimus, Anſelmus, Archiepiſcopus deſignatur, idque (quod mirere) gratis et pecunia non numerata[m]; ab illo nimirum qui ſemper tam Epiſcopatus et Abbatias quam minora ſacerdotia, tanquam ſub haſta ſolebat vendere. Natus eſt Anſelmus iſte Auguſtae (quae civitas eſt Burgundiae ad radices Alpium ſita) parentibus illuſtribus, Gundulſo patre et Hemeberga matre, à quibus ingenue liberaliterque inſtitutus, invitis illis ad Beccenſe coenobium, Lanfranci ſama permotus diſcendique ſtudio profectus eſt. Ibi viceſimo ſeptimo aetatis anno monachus factus[n], avocato Lanfranco ut Cadomenſi coenobio Abbas praeeſſet, ipſe in Prioratu ſucceſſit, ac brevi pòſt mortuo Herlewino, in Abbatem cooptatus eſt[o]. Id muneris quindecim per annos functus, contigit eum in Angliam venire, rogatum ab Hugone Comite Ceſtrenſi, qui praeterquam quod coenobium tunc temporis in civitate Ceſtrenſi conderet, quâ in re Anſelmo conſultore uti vellet; valetudine erat eouſque infirma, ut non multum vitae ſupereſſe ratus, ad pacandam conſcientiam colloquium vehementer expeteret ejus, quocum magna ipſi jam olim in Normannia interceſſerat familiaritas. Huc igitur cum veniſſet, Rex etiam morbo corripitur gravi Gloceſtriae degens, quo tum forte Anſelmus acceſſerat, negotia quaedam Ceſtrenſis expediendi gratia[p]. Accerſitur continuò vir ſanctimoniâ clarus ut decumbenti adſit, et illi nunc languenti ſalubria ſuggerat, cui ſano nihil magis inſanum videbatur quam ſanis conſiliis acquieſcere. Nihil jam prius aut antiquius habuit Anſelmus quam vitia Regis acriter reprehendere; et judicii coram ſummo Dei tribunali mox ut videbatur ſubeundi admonere; hortari deinde in primis, ut emendationem vitae quamprimum inſtitueret; Neque vero graviori peccato illum premi (nam confeſſionem exceperat) quam quod tot praeſulatibus jam diù vacantibus, idoneos praeſules non curaſſet maturè praeficiendos. Quid plura? Epiſcopis tum forte aliquot praeſentibus imperat, ut hujuſce negotii curam ſuſcipiant, qui ſtatim Cantuarienſis Eccleſiae regimini [amovendum] conſulunt Anſelmum, virum ſanctimonia vitae, gravitate, eruditione eximiâ, aliiſque virtutibus tam clarum, ut nuſquam parem inveniri contenderent[q]. Annuente Rege, confectum jam eſſet negotium, niſi Anſelmus Monaſticae vitae quietem tantis honoribus praeferens, ſe oneri ferendo imparem dixiſſet, adeoque oblatum ultro Archiepiſcopatum accipere renuiſſet, donec exoratus tandem, plurimorum obteſtantium importunitate victus, manus dedit. Sed convaleſcentem interea Regem poenitere coepit facilitatis ſuae[r], quod famelico ſibi paſſus fuiſſet eripi bolum tam opiparum. Quapropter, Anſelmum iterum atque iterum hortatur, ne qui Monachus intra Monaſterii parietes aetatem hucuſque contriverat, tantam adminiſtrationis molem, temerè ſuſcipere, homo rerum (ac praecipue politicarum) gerendarum expers. Anſelmus tamen quo haec tenderent non ignarus, et Eccleſiae Anglicanae deſolationem miſeratus, delatum ad ſe Pontificatum acceptare perſtitit. Ita conſecratus eſt tandem per Walkelinum Epiſcopum Wintonienſem[s], ſi non (quod etiam traditur[t]) per Thomam Eboracenſem, Decemb. 4. 1093[u] univerſis qui adeſſe poterant Epiſcopis Angliae praeſentibus. Conſecrationis ritu peracto, coepit ſtatim Anſelmus admonere Regem, ut fidei datae memor quo tempore languebat, melioris vitae rationem inſtitueret; cujus rei mentionem cùm is auribus aequis non acciperet; ne Anſelmus talia inculcando ſaepe moleſtus eſſe pergeret, levi arrepta occaſione, in apertam ſimultatem prorupit. Romam pro more ad obtinendum pallium profecturus, à Rege (ſicuti par erat) commeatum petebat. Erat tunc ſciſma in Eccleſia Romana, hinc Urbano, illinc Giberto, ſub nomine Clementis Pontificis titulum vendicante. Et quamvis Urbano magis favere Rex videretur quam Giberto, tamen cum ab Urbano ſe pallium petiturum profiteretur Anſelmus, anſâ hinc excandeſcendi arreptâ, perduellionis crimen Archiepiſcopo impegit, quod auſus fuerit Pontificem nominare quem Rex adhuc non agnoverit aut approbarit[x]. Et re ad concilium regni delata, non ſolum caeterorum, ſed et Epiſcoporum omnium calculò (uno duntaxat Roffenſe excepto) damnatus eſt[y]. Iſta dum gererentur, per idoneos homines agit Rex cum Urbano, ut pallium Archiepiſcopale ad ſe mittat, cui ipſe voluerit tradendum; in animo nimirum habens, dejecto Anſelmo, alium ſubſtituere. Id ſi facere non gravetur, Pontificem eum legitimum per totum regnum illicò declarandum promittit[z]. Sed Urbanus, contra morem illius aetatis Pontificum, honeſtatis magis ratione permotus quam compendii ſui, id facere recuſat: Pallium tantum mittit, per Walterum Albanenſem Epiſcopum, Anſelmo, quando Regi commodum viſum fuerit, tradendum[a]: Hoc nimirum ſe ille gratificari dicens, ut negotium, in tam praeſtantis viri gratiam cum omni favore animique promptitudine expediendum, per Regem ſolum ejuſque apud Pontificem authoritatem videatur tranſactum[b]. Fieri nullo modo poſſe, ut vir propter ſanctitatem et eruditionem celebratiſſimus, in praeſulatum introductus legitimè, nulli culpae obnoxius, deturbetur. In aliis vero rebus nihil erat, quod petenti Regi Legatus ille denegaret; nihil quod in poſterum facturum Papam ad nutum Regium, fidem non faceret. Edictum igitur continuò per Provinciam promulgatur, Urbanum Pontificem ubique dicendum et agnoſcendum; mirante vehementer Anſelmo[c], quaenam fuerit tam repentinae mutationis cauſa. Miſſi tùm protinus ad eum Epiſcopi aliquot, qui hominem ſenſim pertentarent, utrum ad redimendam regis amicitiam eſſet infractior[d]. Cùm nihil mutatum viderent, Regi eſſe in animo experiri nunciant, utrum beneficiis emollitus hoc velit cedere, quod minis et terroribus ab illo non poterat extorqueri. Ejus operâ et ſumptu pallium Româ impetratum, confectumque negotium quod aliter ipſi magna pecunia conſtitiſſet. Omnium offenſionum amneſtiam à parte Regis profitentur, quem promptum perhibent in gratiam recipere, reconciliationem hujuſmodi non averſantem. Laudo te, Gulielme, quod, animo praeditus plus quam magno, (quippe in bello non ſolum ſtrenuus, ſed etiam temerariè audax, in pace non magnificus, ſed ultra modum ſuperbus) tantum tamen tribueris unius ſacerdotis ſeu ſanctitati, ſeu eruditioni, ſeu muneri Pontificali, ut dedignatus non fueris majeſtatem regiam demittere ad gratiam ejus ultro expetendam. Multo vero laudaſſem magis ſi animo id feciſſes tam ſincero, ut bene ſanatum hoc malum brevi poſtea idque tuâ culpâ non recruduerit. Unus vix annus integer effluxerat, poſtquam regi reconciliatus pallium Archiepiſcopale à Legato delatum pontificio, ritu ſolenni Cantuariae acceperat[e], quando reverſus Rex ab expeditione Wallica, expoſtulare coepit cum illo de militibus ab eo ad id bellum miſſis, ut et paucis et [ignavis] et tamen non optime inſtructis[f]; novaque deinde crimina inferre de his quae Anſelmus de Eccleſiaſticâ libertate nec non de vaſtatione et demolitione Eccleſiarum liberius olim et palam et privatim ſecum egiſſet. Pagos nimirum plus minus triginta, Eccleſiis et parochis inſtructos (ut nihil dicam de caeterâ plebe) hic bonus Rex everterat nuper, ut vivarium conderet feris ad venationes replendum. Id auſum Anſelmum arguere ſtomachatus erat jam olim, et nunc pollicitationis ſuae immemor, de abolendâ omni praeteritarum offenſarum memoriâ, hanc etiam cauſam non pudet afferre alienati erga Anſelmum animi: Deinde iracundiae ſuae, (cui juſtam aliquam cauſam non video praeſulem adhuc dediſſe) nimis indulgens; juramentum neſcio quod ab illo exigit, ab aliis Archiepiſcopis ſolitum (ut aiebat) praeſtari, ac porro edicere, ne quâcunque de re ad Papam ab ipſo provocaret; Haec niſi facienda in ſe reciperet, regno ante undecimum diem excederet. Regio huic mandato obtemperat Anſelmus, benedictione prius Regi non aſpernanti impertitâ[g]. Navem concenſuri impedimenta omnia excuti mandarat; Sed cùm nihil eſſet inventum pecuniarum, aut aliud quidquam praeter ſupellectilem neceſſariam, dimiſſus eſt (ut Malmesburienſis[h]) indemnis. Sunt verò qui aſſerant, omnibus rebus direptis, ejectum nudum. Caetera hercle quae reliquerat, illico fuiſſe proſcripta conſtat, omneſque Archiepiſcopatûs proventus fiſco regio inferenda decretum. Lugdunum Anſelmus proficiſcitur, ubi non diu moram traxerat, quando Romam à Pontifice accerſitur[i], ad quem non ſine ingenti periculo perveniens, obſeſſis undique à Gibertinis itineribus, excipitur primum humaniſſime, donec muneribus regiis bonus Pontifex corruptus, humanitatis hujuſce recentem ardorem refrigeſcere eouſque paſſus eſt, ut diuturnae morae et dilationum pertaeſus Archiepiſcopus reditum pararet[k]. Sed Lugdunum verſus iter eo moliente, Papa interea oportunùm moritur. O quam verè de Roma Jugurtha, nunquam non futuram venalem ſi emptorem invenerit. In Synodo Barenſi[l] nuper coacta, praeclaram operam navarat Anſelmus, contra Graecos ibidem tunc praeſentes, quorum errores, ac illum praecipue de proceſſione Spiritus ſancti[m], doctiſſimè magnâque cum gloriâ praeſens refutarat, inde poſtmodum ſumpta occaſione libellum ea de re edendi, qui etiamnum apud doctos in pretio eſt[n]. Cujus tamen certaminis non aliud tulit premium, quam quod ipſi et ſucceſſoribus ſedes aſſignata eſt in Concilio generali prope dextrum pedem Pontificis, qui hoc uſus elogio id conſtituit. *Includamus* (inquit) *hunc in orbe noſtro, tanquam alterius orbis Papam*[o]; alludens fortaſſis ad illud Solini, ubi Britanniam noſtram alterius orbis nomine appellat. Poſt Urbani Pontificis interitum anno vix dum tranſacto, Gulielmus Rex, dum venatione ſe oblectat, in vivario antedicto, quod offenſionis in Anſelmum praecipua cauſa ferebatur, fortuito ictu ſagittae in cervum emiſſae, hauſto pectore occubuit. Traditur à quamplurimis (quâ fide non pronuncio) eo ipſo die quo is interemptus eſt, coelitus hunc caſum Anſelmo innotuiſſe, inventâ in altare Eccleſiae, ubi is ſacris tunc temporis intererat, ſchedulâ, in qua ſcriptum reperit, *Gulielmus Rufus occiſus eſt*. Succeſſit illi in regno frater natu minimus Henricus, qui cùm nihil prius haberet aut antiquius, quam Eccleſiam, tyrannide fratris afflictam miſerè, ad meliorem ſtatum reducere; Anſelmum primo quoque tempore ab exilio revocandum decernit[p], à quo poſtquam rediit[q], magno in honore habitus eſt, donec in jurium Eccleſiaſticorum defenſione pervicacior, etiam hunc contra ſe iritarit[r]. Triennio integro exul abſuerat; quo toto tempore, Epiſcopatuum inveſtituram, pro more qui tunc ubique inoleverat, Rex pro libitu contulerat, per traditionem annuli pedique paſtoralis. Urbanus vero Pontifex haud ita pridem defunctus, in concilio nuper coacto ſanciverat, praeſulibus ſic electis conſecrationem nullo modo impertiendam. Henricus attamen Rex, Epiſcopos a ſe fratreque ſuo, abſente Anſelmo deſignatos, conſecrari ſine mora importunè flagitare, ſeu potius pro imperio magno ſupercilio mandare: Anſelmus è contra refragari et ingenti animi conſtantia aſſerere, nunquam ſe pro Epiſcopis habiturum illos, etiamſi ab aliis conſecrati fuerint, qui contra Canonum praeſcripta characterem Epiſcopalem ſuſcepiſſent, neque vel *vitae ſuae jactura contra ſedis Apoſtolicae definitiones acturum, niſi inde procedat remedium* (haec enim ſunt verba Malmesburienſis[s]) *unde omnis laboris procella ſuper eum cecidit.* Rex igitur ad Girardum Eboracenſem Archiepiſcopum converſus, poſtulat ab eo ut electis ſuis ſacrationis munus impendat. Non renuit ille: Dies Londini conſtituitur ad negotium conficiendum; Adſunt undique quorum intererat, nullibi apparebat impedimentum, quando derepente Gulielmus Giffardus Eccleſiae Wintonienſis deſtinatus antiſtes, pedum paſtorale annulumque Regi à quo acceperat reddens, munere haud legitime ſuſcepto, libenter dicit ſe cariturum. Cujus facti novitate, quod praeter omnium expectationem et inopinatò accidit, perculſus primum Rex, dein excandeſcens vehementer, et ingratitudinem hominis exoſus, regno ejecit, bonaque exulis proſcripſit, fiſco nimirum adjudicatis omnibus ejus facultatibus ubicunque repertis[t]. Tumque Anſelmum adoritur, hujus incommodi unicum ut putabat authorem, ac juramentum ut praeſtet imperat, à fratre ſuo nuper exactum. Poſt multas verborum controverſias, in hoc tandem conveniunt, ut harum omnium cauſarum cognitio, Pontifici ſummo Paſchali ſecundo integra relinquatur, utque Anſelmus coram, Rex caeterique per legatum, [apud tribunal Pontificium] litem perſequantur[u]. Praeſtituto die adfuerunt uterque Anſelmus ſuam cauſam acturus, Gulielmus Warelwaſt Exonienſis electus, praeter regiam, ſuam etiam ſociorumque. Multa verborum contentione hinc inde lite agitata, cùm contenderet Exonienſis, Regi adeo cordi eſſe regni ſui jura à majoribus accepta, ut vel diadema libentius abjiceret regnoque cederet, quam inveſtituras controverſas amitteret: Hanc reſponſionem Papa effulminans[x], ſciat (inquit) Dominus tuus, Paſchalem, ne pro ſui quidem capitis redemptione has inveſtituras illi unquam impunè permiſſurum. Hujuſmodi Pontificis oraculo re definitâ, revertitur uterque, Exonienſis in Angliam, Anſelmus ad hoſpitem ſuum veterem Hugonem[y] Lugdunenſem Archiepiſcopum, apud quem, Rege adhuc in ſententia perſiſtente, ſedecim poſt id temporis menſium, moram traxit. Accidit interea ut in iis regionibus, Adela Comitiſſa Bleſenſis, Regis Henrici ſoror, morbo gravi correpta decumberet. Ad eam conſolandam Anſelmus non procul inde degens acceſſit, et non parum momenti attuliſſe viſus eſt ad morbum depellendum;

---

[m] *Walſingh.* p. 33. [n] Id. p. 35. [o] *Malmeſb. de Pont.* Lib. 1. [p] *Hoved.* 1. p. 265. b. [q] *Malmeſb. de Pontif.* Lib. 1 *Hoved.* ib. [r] *Malmeſb.* ib. [s] Per Walkelinum ſolum. *Eadm.* Lib. 1. p. 21. [t] *Hoved. M. Par. Flor. Wigor*

[u] *M. Par. Sime. Durelm. Malmeſb. Hoved.* et *Weſtm.* Anno aetatis 60. *Walſingh.* p. 35 *Eadmer.* p. 21

---

[x] *Malmeſb.* Lib.1. *M. Paris.* p. 15. [y] *Paris.* ib. [z] *Malmeſb.* ib. [a] A.1095. *Sime. Dunelm.* [b] *Malmeſb.* ib. [c] *Malmeſb. de Pont.* Lib.1. [d] Id. ib. [e] Jun. 10. 1095. *Sime. Dun.* et *Floren. Wigorn.*

---

[f] *Malmeſb.* ib. [g] Id. ib. [h] Lib. 1. 126. [i] A. 1097. *Annal. de Margan* et *M. Paris.* p. 16. [k] *Malmeſb.* Lib. 1. f. 127. [l] [illegible] 1098. *Sime. Dun.* [m] *Eadmer. Hiſt. Nov* p. 49. [n] *Flor. Wigorn.* et *Hoved.* f. 267. b. [o] *Malmeſb.* ibid.

---

[p] *Sime. Dunelm.* et *Hoved.* f. 268. b. et *Petr. Bleſenſis.* [q] Rediit, et Regnum ingreditur. Sept. 23 *Eadm. Hiſt. Nov.* p. 55. [r] Romam ivit A 1103. *Chron. Mailros*, et revertitur A. 1106. *Flor. Wigorn.* [s] Lib. 1. 128. b. [t] *Hoved.* f. 269. b. [u] Id. ib. [x] *Malmeſb.* ib. [y] *M. Weſtm.*

ut qui animae medicaturus advenerat, corpori etiam ſanitatem reſtituiſſe viſus fuerit. Illa igitur poſtquam convaluit, fratrem precibus obtundere non deſtitit, donec effeciſſet ut de priſtina pertinacia nonnihil remitteret. Contendebat tunc temporis de regno cum illo, Robertus Dux Normanniae frater ejus natu maximus. Rex igitur competitorem veritus; ambiguo adhuc regni jure, Pontificem noluit infeſtum habere. Quae cauſa proculdubio fuit ut ſororis precibus facilius cederet. Accerſitur Anſelmus, et tam Pontificis quam illorum conſenſu, in hunc modum lis tam diù agitata componitur[y]. Epiſcopi jam antea deſignati, ut conſecrentur, decretum; deinde vero, ut Rex, de jure inveſtiturae poſthàc in perpetuum cederet, loco in poſterum dato Canonicis electionibus; homagium tamen Epiſcopi conſecrandi Regi praeſtarent[z], pro Baronia et poſſeſſionibus ad Epiſcopatum ſuum pertinentibus. His ex animi ſententia geſtis, in Angliam redit Anſelmus[a] ſumma totius populi gratulatione, à Regina et optimatibus perhonorificè in regnum exceptus[b]; Rex enim Normannico motu detentus erat, rebellione Procerum in eâ provinciâ excitata, quam nuper ſui juris fecerat, et haeredibus poſtea reliquit, profligato fratre, quem captum et excoecatum ad mortem uſque in carcere detinuit. Duobus poſt reditum annis in pace quietus vixit Anſelmus, niſi quatenus ſolitâ animi pervicaciâ, turbas et moleſtias ſibi excitavit. Memorandum jam antea fuerat, quo primum tempore Archiepiſcopali culmini admotus eſt, celebrâſſe eum Synodum Londini, in qua multa ſunt ordinata. Nam praeterquam quod è clero permultos ſacerdotiorum jactura ob varia peccata mulctavit[c], interque eos Guidonem Abbatem Windamenſem[d], et Eldwinum Ramſeyenſem ob ſymoniam; Galfridum Petroburgenſem, Haymonem Cherwellenſem, et Egelricum Middeltonenſem, quod ordinibus ſacris non eſſent initiati; Richardum deinde Elienſem, et Robertum Sancti Edmundi, propter alia neſcio quae delicta: Canones etiam quamplurimos condidit, quorum capita, niſi perlongum eſſet, libenter insererem. Caeterum hoc nullo modo praetereundum eſt, quod Clericorum conjugia ad id uſque temporis in Eccleſiâ Anglicanâ paſſim uſurpata, magna vi prohibuit[e]; nec quenquam in poſterum niſi coelibem, quique juramento caſtitatis profeſſionem faceret, ad Subdiaconatum admittendum, conſtituit. Hi Canones ne legum vim et poteſtatem ſortirentur, obſtitit aliquamdiu diſcordia inter ipſum et Regem oborta de inveſtituris. Hâc verò jam compoſitâ, in id totus incubuit, ut conjugatos ab Eccleſiis ubique pelleret, et ordinandos, à ſacrorum ordinum ſuſceptione arceret. Ante hunc multi hoc ipſum tentârant, ſed perficere nequiverunt, Dunſtanus, Oſwaldus, Ethelwaldus, aliique. Neque amplius profecerunt, quam ut coenobiis conjugatos ejicerent. Hic vero nullum aliud ob crimen, quam quod ſecundum Dei ordinationem uxoribus legitime eſſent copulati, non contentus ſacerdotia auferre, bona etiam ipſorum fiſco Epiſcopali adjudicat, tamque ipſos quam uxores fornicatores pronunciat, deinde ſub magna poena Epiſcopis interminatur, ne cuiquam ſacrando manus imponant, qui perpetui coelibatus votum ſub juramento non ſuſcepiſſet. Plus minus pars dimidia Cleri Anglicani ex eo hominum genere conſtitit tunc temporis, qui aut conjuges habebant, aut Sacerdotum conjugatorum erant filii. Rex igitur tot hominum calamitate permotus, miſeris aliquo modo ſubvenire cupiebat. Sed ab Anſelmo, in propoſito ſuo ſemper rigido ac pervicaci, et cedere neſcio, nihil potuit obtineri. Ita Anſelmo viro aliàs non malo ſatagente, et principe invito, doctrina haec daemoniorum, uxores ducere prohibens, in Eccleſia noſtra vix adhuc quingentis abhinc annis primum eſt recepta, utcunque novam praedicent illam Pontificii quae huic eſt contraria. Neque vero in animum inducere poſſum, Anſelmum, hominem ut dixi caeteroquì bonum ac ſanctum, animi aliqua malitia, ſed errore temporum infoeliciter abreptum, haec tam pernicioſa inſtituiſſe. In languorem is tandem incidit apud Coenobium Edmundoburgi, unde Cantuariam deportatus, aeger longo tempore decubuit, et Aprilis 21[f]. 1109. aetatis ſeptuageſimo ſexto, vitam cum morte commutavit, cùm ſediſſet Archiepiſcopus annos 19. Collocata ſunt oſſa ejus ad caput anteceſſoris ſui Lanfranci, ſed amota poſtea ad Orientalem illam partem Eccleſiae, quam ſtructura magnifica multum ille nuper auxerat et ornarat. Quadringentis fere poſt obitum ejus annis, operâ Joannis Moorton ſucceſſorum unius, inter ſanctos relatus eſt, ſerò ſatis. Nimirum quia non erat ad illum uſque diem qui numerata pecunia hunc illi emeret honorem; nec repertus eſt inter Pontifices qui ultrò et gratìs deferret vel huic, quo nemo (fidenter dico) jam inde ab eo tempore Sancti elogio dignior in Divorum album aſcriptus eſt. Opera ab illo exarata non opus eſt commemorare. Chriſtiano orbi ſatis nota ſunt, et à ſtudioſis ubique leguntur.

---

[y] A.1107. *Hoved.* f. 270. [z] *Malmeſb.* f. 129. [a] Epiſtola Henrici Regis Anſelmum ab exilio revocans. *MS. Lamb.* Nu. 34. [b] A.1106 *Flor. Wigorn.* et *Sime. Dunelm.* 1107. M. Paris. p. 52. in Synodo Londinenſi. A.1107. *Weſtm. Conc. Anglin.* Tom. 1. p. 386. [c] *Eadmer. Hiſtor. Nov.* Lib. 3. p. 67. [d] Wimundum de Taveſtoch. *Concil. Angl.* Tom. 1. p. 382. [e] *Hunt.* Lib. 7. f. 217.

XXXV. RODULPHUS[g].

1114. Hen.1.14. NON miror jam, ſi Henricus, Princeps alioqui bonus, cui tam moleſta fuerat Anſelmi rigida ſeveritas et flecti neſcia pertinacia, ad novi Archiepiſcopi deſignationem haud nimium feſtinat. Poſt quinque[h] annorum vacationem, optimates regni, ac praecipuè Epiſcopos (qui hâc de re eum ſaepe interpellarant) Windeſoram convocat, ut eorum conſilio homines idonei cum huic tum aliis ſedibus vacantibus praeficiantur. Ac caeteris quidem eorum judicio relictis, Cantuariae placet collocare Fareccium Abbatem Abindonenſem, hominem Italum in Hetruria natum, ſpectatae gravitatis et prudentiae virum. Plurimorum vero judicio, Rege non refragante, praeponitur illi Rodulphus Roffenſis Epiſcopus, cui menſe[i] Junii anni 1114, pallium Archiepiſcopale ſolenniter Cantuariae traditum eſt per Anſelmum, Abbatem Sabinenſem, Divi Anſelmi ex ſorore

---

[f] Ità *Sime. Dunelm. Hoved.* f. 270. b. *Brompton.* f. 1003. *Flor. Wigorn. Eadmer. Hiſt. Nov.* Lib. 4. p. 102. Apr. 25. *M. Weſtm.* et *M. Paris.* p. 53. Apr. 26. *Chron. Petrob. Chron. S. Crucis. Petr. Bleſenſis* et *Chron. Mailros.* annum 1109 tantùm aſſignant, clariſſimè vero conſtat eum obiiſſe Aprilis 21 die. *Malmeſburienſis.* Lib. 1. f. 130. hoc modo refert.

Obiit	A. D. 1109.
Regni Henr.	9.
Aetatis.	66.
Pontificatus.	16.

Malè igitur *Godwinus*, qui illum annos 19 ſediſſe perhibet. Sedit annos 16. *MS. Trin.*

[g] RADULPHUS de Turbine, *Brompt.*

[h] A. 1113. Rex Henricus dedit Archiepiſcopatum Cant. Richardo Epiſcopo London. et illum per Baculum et Annulum inveſtivit. *Weſtmon.* ſub A. 1113. A. 1114. Radulphus Epiſcopus Roffenſis ad Archiepiſcopatum Cantuar. 6 Kal. Maii eligitur. Conſecratus eſt ab Anſelmo domini Papae Legato 5 Kal. Jul. 1115. et Pallium ab eo ſuſcepit. *M. Weſtmon.* ad annos et *M. Paris* p. 55. Hoc ipſum aſſerit *Sime. Dunelm.* nec non *Hoved.* f. 271. *Whartonus* verò ex fide *Eadmeri* (Hiſtor. Nov. p. 110.) credendum eſſe aſſerit Radulphum conſecratum fuiſſe die 17 Maii A. 1114. omnibus aliis refragantibus. Si verò Hiſtoriam accuratè diſcutiamus; hoc dictum eſſe non ſine maximâ probabilitatis ſpecie inventum erit. Vacavit Archiepiſcopatus per quinque annos; continuâ procerum atque praeſulum interpellatione tandem ſuperatus Henricus Rex ad hoc munus Radulphum nominat menſe Maio 1114. Quid impedeat ergo, quin ſolium Archiepiſcopale, conſecrationis ritu, totaliter adimpleatur? Certè res ipſa exigat et Eccleſiae viduitas.

[i] 27 Jun. *Eadm* p. 113.

nepotem. Natus eſt Rodulphus iſte in Normanniâ, ubi Lanfrancum praelegentem in Cadomenſi Coenobio Monachus audivit. Inde Sagienſis Abbas evaſit[k]. Sed eo munere non diù functus, litis neſcio cujus ratione ac contentionis cum viro quodam praepotente illius provinciae, nomine Roberto de Beleſmo, trajecit in Angliam, quae tum noverca ſuis, exteros ſolos, praecipue autem Normannos fovebat et promovebat, Anglis ſuis quantumcunque idoneis depreſſis ubique contemptis, et ab honoribus rebuſque gerendis excluſis. Huc primum adveniens cum ſedem diù non inveniret, *Coenobia hinc inde circumiens, in quibus, vitae et ſermocinationum merito* (inquit Malmesburienſis[l]) *gratioſe ſuſcipiebatur*, multum tempus eluſit et perdidit. Apud Archiepiſcopum vero plurimum haeſit, cui jam inde ab adoleſcentia fuerat familiaris. Ab eo tandem Epiſcopus deſignatur Roffenſis, anno 1108, et poſt annos deinde ſex ad ſedem Cantuarienſem (ſicut antè retulimus) provectus eſt, ſenex valetudinarius, paralyſi jam antea tentatus, et pedibus aeger; unde (quod paralyticis uſu venire teſtantur medici) iracundus evaſit[m], difficilis ac moroſus; cùm antea ſemper inter plurimas ejus virtutes nihil magis emineret quam comitas et affabilitas. Vitae verò adeo fuit inculpatae, ut gravioris alicujus criminis ne ſuſpicio quidem eum unquam attigerit. Qui de illo duriſſime loquuntur, hoc tantum reprehendunt quod dicaculus fuerit, riſui et jocis levioribus plus deditus quam muneris ſui gravitati conveniret, unde Nugacis agnomen meruiſſe contendunt. Atque hic cùm talis fuerit et corpore tam infirmus, auſus eſt tamen Romam iter ſuſcipere. Querimoniam ibi coram Papa inſtituit de Thurſtino Eboracenſi electo, quod profeſſionem conſuetam obedientiae ſedi Cantuarienſi praeſtandam facere recuſaret[n]: Deinde etiam de multitudine Legatorum Pontificiorum in Angliam quotidie appellentium, cùm ſedi Cantuarienſi privilegium antiquitùs conceſſum aſſereret, ut illius Eccleſiae Archiepiſcopi, ſedes Apoſtolicae LEGATI NATI perpetuo haberentur. De Thurſtino quid actum, Eboracenſes conſule. Privilegium verò, ratum habuiſſe Pontificem nonnulli aſſerunt: Aliis dicentibus (quibus magis aſſentior) ambiguo reſponſo dimiſſum vel potius deluſum Radulphum, dum in genere omnia jura et privilegia Eccleſiae Cantuarienſis ſe confirmare Papa profitetur, ſed ſpeciatim de privilegio controverſo verbum nullum facit[o]. Statim ac reverſus eſt, ingraveſcente morbo, quanquam nihil turbata mente, corpus ut plurimum inutile redditum, ut nec lingua nec pedibus recte uteretur. Toto triennio decubuit, ac tandem [Cantuariae defunctus] Octobris videlicet 20[p]. 1122 poſt triduum deinde in medio navis Eccleſiae ſuae ſepultus fertur, etſi tumuli ejus veſtigium nullum ibi loci potuerim reperire.

XXXVI. GULIELMUS CORBEL[q].

1122. HEN. I. 22. IS qui ſucceſſit, Gulielmus Corbel, *vel* Corbois, quibuſdam dictus Gulielmus de turbine, primo Clericus ſecularis, deinde Monachus Benedictinus, poſt Sanctae Oſithae de Chich fuit Prior[r], [Martii 19. 1122[s] Archiepiſcopalibus ſacris initiatus eſt.] Conſecrationis ſuae anno[t] quarto Synodum convocavit Weſtmonaſterii[u], cui interfuit Joannes quidam de Crema Cardinalis, Pontificis Legatus. Hic ibi in Clericorum conjugia cùm acerbiſſime fuiſſet invectus, nocte proxime ſequenti, in ſcorti publici amplexibus deprehenſus eſt[x]. Cujus rei turpitudine et infamia permotus, legationis ſuae negotiis infectis, commeatu non petito et nemine ſalutato, clanculum aufugit[y]. In ea tamen Synodo, graviores adhuc poenae ſanciuntur in Clericos conjugatos, ſed quae per Gulielmum humilis et puſilli animi virum irrogari non poterant. Hoc tantum inde effectum eſt, ut, dum Regis implorat auxilium, illique curam defert executionis hujuſmodi Canonum, Rex conjugia ſacerdotibus pecuniam afferentibus permittens, quaeſtum fecerit longe maximum[z]. Anno 1130 Eccleſia Chriſti (Cathedralis inquam) Cantuariae, fortuito incendio conflagravit. Hanc pro multò maximâ parte conſtruxerat Lanfrancus; et brevi poſtea corruentem, excitari ſua induſtria curavit Eardulfus Monachorum Prior ibidem: Nunc vero igne uti diximus deformatam, refecit, et ornamentis debitis exornavit Gulielmus, ac deinde conſecravit, Rege, Regina, Davide Scotorum Rege, ac utriuſque regni Proceribus magno numero praeſentibus[a]. Henrico Regi qui eum ad tantos honores extulit, ingratum ſe praebuit: Nam contra juramenti fas, non ſolum ut Matildis filia ejus regni ſucceſſione excluderetur conſenſit; ſed ipſe etiam Stephanum Bleſenſem Comitem, capiti impoſita corona inauguravit, ita vero, ut prae metu et perfidiae conſcientia trementi, hoſtia in Miſſae celebratione manibus exciderit[b]. Neque vero multum pòſt ſuperfuit, ſed aegritudine moeſtitiaque (ut par eſt credere) contabeſcens, anno nondum circumacto extinctus eſt, Chriſti videlicet nati 1136[c] [Nov. 20] cum annos [circiter 13] ſediſſet. In Eccleſiâ ſuâ dicitur humatus, ſed ubi loci non traditur.

---

[k] *Malmeſb. de Pont.* Lib. 1. f. 131. [l] Ibid. [m] Id. f. 132. [n] *Hunting.* Lib. 7. f. 217. b. [o] *Malmeſb* ibid.

[p] *Eadm. Hiſt. Nov.* Lib. 6. p. 141. *Malmeſb.* Lib. 1. f. 132. Sept. 19. 1122. *Sime. Dunelm. Annales breves* in MS Barlow laudat. dicunt Rodulphum obiiſſe 4 Kal. Jan. 1122.

[q] *Sime. Dunelm.* de TURBUIL, *Huntin. Hoved.* CURBUIL, *Chron. Mailr.* CORBOILE, *Weſtm. Floren.* CARBOYLE, *Tax. Wint.*

XXXVII. THEOBALDUS[d].

1138. STEPH. 3. IN Synodo Londini coacta[e] per Albertum[f] Cardinalem Hoſtienſem Pontificis Legatum, electus eſt in Archiepiſcopum Theobaldus per Suffraganeos provinciae ſuae[g], praeſente etiam et annuente Jeremia Eccleſiae Cantuarienſis Priore, et in eâdem Synodo illico conſecratus[h] per Cardinalem antedictum. Pallium accepit Romae ab Innocentio[i] ſecundo, à quo etiam titulo donatus eſt LEGATI NATI[k], qui ab omnibus ſucceſſoribus jam inde ſemper retentus eſt, [donec cum Pontificibus Romanis rem habere deſitum.] Theobaldus iſte Monachus primum fuit Benedictinus, deinde Abbas

---

[r] *Hoved.* f. 273 b.

[s] Nominatus eſt à Rege Feb. 2. 1123. (A. exeunte) *Hoved.* ibid. Conſecra. à Gulielmo Winton. Epiſcopo Feb. 16. Cantuariae, *Floren. Wigorn.* Feb. 25. 1122. *Sime. Dunelm.* Martii 19. 1123 Archiepiſcopalibus ſacris initiatus eſt *MS. Lond.*

[t] A. 1126. *Hoved.* f. 274.

[u] Die 9 Sept. A. 1126. *Concil. Anglic.* Tom. 1. p. 406. et *Sime. Dunelm.* ad annum.

[x] *Chron. Petrob.*

[y] *Huntin.* Lib. 7. f. 219. *Hoved.* f. 274.

[z] *Sime. Dunelm.* et *Floren.* Hic poteſtatem Legatinam à Papâ primus accepit; ea ſc. vice papae deinceps acturus, quae Archiepiſcopi autoritate propriâ antea egerant. *Concil. Angl.* Tom. 1. p. 409. aliud etiam congrevavit Concilium A. 1127. cui praeſedit ſicut Archiepiſcopus Cantuar. et Apoſtolicae ſedis legatus. Id. p. 410.

[a] Maii 4. 1130. *Flor. Wigorn. Gervas.*

[b] *Huntin.* Lib. 8. f. 221. b. *Hoved.* f. 275. b. et *M. Paris.* Anno 1131 Henricus Epiſcopus Winton. ab Innocentio Papâ Legatum conſtituitur. *Malmeſb. Hiſt. Novel.* Lib. 1. f. 101 Mortuo Innocentio, interiit Henrici poteſtas; neve id Lucius Papa renovaret. *Dunelm. Continuat.* Col. 273.

[c] *M. Weſtm. Chron. Petrob. Mailros* et *Sancti Crucis*, Menſe Novemb. *Dunelm. Contin.* et die Novembris 20, decimo quinto (quarto potius) Pontificatûs anno. *Floren. Wigor* 21 Novemb. *Obitu. Cantuar.*

[d] *Weſtm. Hoved. Wigorn. Brompt.* TEDBALDUS et THEDBALDUS, *Huntin.* THEADBALDUS, *Gervaſ. Joan. Hagulſt.* TEODBALDUS, *Chron. Mailr.* et *Edinb.*

[e] Dec. 13. 1138.

[f] Albericum *Chron. Mailr.* et *M. Par.*

[g] *Huntin.* Lib. 8. f. 223. *Hoved* 1. 277. b

[h] Ita *M. Paris*; rectiùs vero circa Epiphaniam Domini, ut ait *Chron. Mailros.* die 8 Januar. *Gervas*

[i] A. 1139. *Joan. Hagulſt.*

[k] Theobaldus ſe ac ſucceſſores ſuos legatos natos fieri obtinuit, ſic *Jocelinus* et *Harpsfeild.* *Twiſdanus* autem ex Decatenſi p. 679. aſſerit ejuſmodi legationem Huberto primò datum fuiſſe.

Beccenſis[l], [unde] ad Archiepiſcopatum evectus eſt. Vir literarum ſcientiâ non ita magnâ praeditus, ſed ea prudentiâ, affabilitate, morumque comitate, ut ab omnium ordinum hominibus vehementer diligeretur, quanquam in eâ inciderit tempora, quibus turbulentiora, jam inde à Danicis depraedationibus, Anglia noſtra non vidit, quae tum, diuturna ſeptendecim annorum contentione, de regno inter Matildim et Stephanum exagitata eſt. Caeterum illi non paulò plus moleſtiae exhibitum eſt per ſummorum Pontificum proterviam, quam domeſticam ſeditionem. Silveſter quidam, variorum criminum infamiâ notatus, Monachorum tamen ſuffragiis coenobii Auguſtiniani Abbas deſignatus eſt. Hunc ille, quod tanto munere indignum judicaret, admittere, aut (ut uſitato more loquar) benedicere renuit. Sed iſte, qualitercunque moratus, bene certe nummatus, Pontificem potuit habere patronum; cujus literis iterum iterumque perſcriptis interpellatus, vel potius dixerim minis et mandatis coactus Archiepiſcopus, Silveſtrum tandem (neque enim aliter poterat) voti fecit compotem. Animos haec addiderunt Jeremiae antedicto ejuſdem Coenobii Priori, ne munere ſuo amotus judicio Archiepiſcopali, cedendo obtemperaret. Iſte, praeterquam quod electioni Theobaldi interfuit (ſicuti diximus) longo uſu ſummâque fide ac benevolentiâ ipſi fuerat conjunctiſſimus, ita ut non rarò vices ei ſuas committeret. Sed occulta interveniente ſimultate, quae in apertas tandem inimicitias erupit, veterem hunc amicum ob peccatum neſcio quod, in ordinem cenſuit redigendum. Jeremias igitur Silveſtri Abbatis veſtigiis inſiſtens, ad Papam confugiens, appellationem interponit, et poſt litem aliquandiu agitatam, ab illo in integrum reſtituitur, cauſam ejus apud Pontificem quantum poterat promovente Henrico Wintonienſi Epiſcopo, qui praeterquam quod Stephani Regis erat germanus, Legati etiam Pontificii titulum uſurpabat. Hoc Theobaldus praeter ſuam conſuetudinem impatienter ferens, juramento temere emiſſo affirmavit, ſe ab omni ſacrorum adminiſtratione ceſſaturum quamdiu Jeremias Prioris munere fungeretur. Metuens itaque Jeremias ne ſua cauſa grave aliquid ab Archiepiſcopo ſibi tam infenſo Coenobium pateretur, adeoque Monachorum in ſe odia concitaret; acceptis centum marcis quibus à creditoribus ſe expediret, pecuniam mutuo ſumptam et litigando abſumptam perſolvendo, Prioratu ſponte ceſſit, et per reliquum vitae in dicto Auguſtinenſi coenobio privatus delituit.

In foro Romano hâc pendente causâ, literas ad Innocentium Papam D. Bernardus in Theobaldi gratiam perſcripſit, epiſtolam nempe inter eas quae eduntur 111[m]. Anno deinde 1141 generale Concilium Innocentius antedictus Remis indixit, ad quod Theobaldus accitus eſt. Henricus itaque Wintonienſis Epiſcopus Legatus Pontificius, qui eo de munere ſaepe cum Theobaldo contenderat, ut illi, homini aperto ac ſimplici invidiam crearet vel à Papa, vel à Rege; cum Papâ clanculum egit, ut profectionem ejus urgeret; deinde cum Rege, ut negato commeatu, eum in Anglia retineret, quò vel à Papâ excommunicatus, vel à Rege proſcriptus, poenam certe nullo modo vitaret. Rex igitur Henrici conſilio, profectionem maturanti, ne regno exeat edicit, omneſque portus obſervari praecipit qua tranſiturus erat[n]. Ea fuerunt tunc tempora, ut Principi quàm Pontifici non parere haud paulo tutius eſſet. Quapropter, aſtutiâ neſcio quâ eluſis cuſtodibus, trajecit in Galliam, ac concilio interfuit. Proſcribitur illico à Rege, quem is viciſſim interdicti ferit ſententia. Concilio autem ſoluto revertitur in Angliam, et cum in Norfolcia aliquantiſper reſediſſet, Epiſcoporum quorundam interceſſione, cum interdictum relaxaſſet, in gratiam receptus eſt[o]. Poſtea tantum valuit in Anglia gratiâ et authoritate, ut Stephanum Regem et Henricum Matildis Auguſtae filium, pro regni jure annum jam decimum ſeptimum decertantes, ſua opera et induſtria ſibi mutuo conciliaverit, et pace inter eos conſtitutâ, belli inteſtini, diuturni, atrociſſimique incendium reſtinguere potuerit.

---

[l] *M. Paris.* p. 64.

[m] An non 211?

[n] *Gervas.*

Interea vero, anno nimirum 1152[p], Synodum Londini coegit, ubi Rex praedictus, à Clero congregato poſtulavit, ut Euſtachium filium ejus tum quoque praeſentem, in conſortium regni ſecum recipiendum decernerent, id quod illis, licet id maxime vellent, integrum tamen non erat, prohibitis jam antea à Papâ[q] ne hujuſmodi quippiam attentarent. Illis igitur refragantibus; Reges, irati vehementer, eos ſimul omnes in loco ubi convenerant cuſtodia addita incluſos, minis exagitabant, ut metu ac terroribus extorquerent quod bonâ gratiâ et precibus non poterant impetrare. Nutabat jam pleriſque animus, manuſque daturi videbantur, cùm Theobaldus, neſcio quo modo elapſus, cimba ſecundo Thameſi ad oſtium maris vectus, navem conſcendit et ad tranſmarinas oras trajecit[r]. Diſceſſum ejus Rex, ut par erat, graviter tulit, ac proinde proſcripti jam iterum bona fiſco inferenda decrevit. Rege vero utrum annuente an invito me latet, brevi certe pòſt, Archiepiſcopus reverſus, pacem confecit ſupradictam[s], Euſtachio jam mortuo, Stephano quoque patre non multo poſt tempore fato concedente. Sub Henrico ſecundo qui ſucceſſit, in magna tranquillitate reliquum aetatis tranſegit. Anno 1160[t] exceſſit è vivis, cùm Archiepiſcopus ſediſſet annos 22[u]. Opes quas habebat non mediocres, teſtamento condito, univerſas vel egenis diſtribuendas, vel in alios pios uſus erogandas mandavit. Sepultus fertur ab auſtrali parte ſacelli quod D. Thomae dicitur, tumulum vidimus marmoreum ſatis elegantem fere ad tecti formam faſtigiatum.

THOMAS BECKET.

1162. Hen. 2. 9.

JAM inde ab eo tempore quo Angliam ſubegit Gulielmus primus, Anglici generis nemo Archiepiſcopale ſolium conſcendit ante Thomam Beckettum, quem tamen vix Anglum poſſumus appellare, cùm patre licet natus Gilberto, mercatore Londinenſi[x], matrem habuerit natione Syram[y]. Literarum primis elementis imbutus eſt puer per Priorem Mertonenſem, deinde adultus, Oxoniam miſſus primum, ac poſtea Lutetiam, ubi praeter literarum ſtudia, Gallicae linguae uſum et ſcientiam perdidicit. Reverſus inde, munus dicitur adminiſtraſſe Juſticiarii, quod quid ſibi velit ſatis non aſſequor. Stoüs Chronologus neſcio quo authore dicit, Scribam fuiſſe Vicecomitis Londinenſis. Sed hujuſmodi muneris cito pertaeſus, in

---

[o] A. 1151. Eugenius Papa Johannem S. R. E. Cardinalem Praeſbyterum deſtinavit in Hiberniam cum quatuor Palliis, quorum unum dedit Epiſcopo Dublin. et reliqua tria tribus aliis Epiſcopis; ſubjiciens unicuique eorum, qui Pallia acceperunt, quinque alios Epiſcopos. Et hoc factum eſt contra conſuetudinem antiquorum, et contra dignitatem Cantuar. Eccleſiae, in quâ ſolebant Epiſcopi Hiberniae expetere et recipere Conſecrationem. *MS. Lond.* è Chron. Norman. p. 986.

[p] 1151. *Concil. Anglic.* Tom. 1. f. 424.

[q] *Huntin.* Lib. 8. f. 226. b.

[r] *Gervaſius.*

[s] *Huntin.* ib. f. 228.

[t] Ita *Weſtmonaſ.* rectiùs verò Aprilis die 18. 1161. ut aſſerit *Gervaſius*, nec non *Hoved.* et alii. Archiepiſcopatus anno 22.

[u] Menſes 4. *MS. Trin.*

[x] Nat. Anno 1119. 19 vel 20 Henrici ſecundi. *decem Script.* Col. 2251.

[y] Nomine Matilda *Brompt.* f. 1052.

Theobaldi Archiepiſcopi familiam irrepſit; qui cùm animi dotes in eo non vulgares illicò deprehendiſſet, (erat enim mentis ingeniique vi incredibilii[z], facundus, non indoctus, et animo quam expediret majori) hominem ſtatim coepit diligere, ita ut in Italiam eum amandarit, juris Canonici ſcientiam acquirendi gratiâ; ubi Bononiae illum ſuis impenſis aluit. Poſtquam inde eſt reverſus, Oxoniam videtur iterum petiiſſe, ibique (ſic enim aſſerit Gul. Worceſtrenſis[a]) Doctoris in jure Canonico gradu cohoneſtatum. Tum parvo pòſt tempore à Theobaldo aut ejus molitione, donatus eſt Archidiaconatu[b] Cantuarienſi, Praepoſiturâ Beverlacenſi[c], Rectoriis de Bromfeild et Monte S. Mariae, Praebendis item duabus, unâ in Eccleſiâ Paulinâ, alterâ Lincolnienſi. Qui etiam ſe jam valetudinarium perſpiciens et imparem technis aulicorum, qui nunquam non aliud moliuntur ad detrimentum Eccleſiae; ut Becketi ſolertiam ac vigilantiam eorum malitiae opponeret, legendum eum curavit in numerum eorum qui Regi erant à ſacris. Hujus gratiam brevi temporis ſpatio euſque promeruit, ut Eccleſiaſticis dignitatibus onuſtum, ad honoratiſſimum ſummi Angliae Cancellarii munus provexerit, nec omnium quiſquam eſſet qui apud eum plus potuerit[d]. Hanc tantam potentiam ut firmaret, ſeque Regi (qui adoleſcentiae metas vix adhuc egreſſus erat) ac deinde Proceribus et Aulicis gratiorem redderet, Clericalem amictum conſuetudinemque paulatim depoſuit et aulicum ſplendorem ac magnificentiam induit; atque ut Regi ſe in omnibus accommodaret, iiſdem ſe moribus aptavit, eadem epulandi dormiendique tempora ſibi ſtatuit, unà ſive in ſeriis ſive in jocoſis rebus ſemper adfuit, aulicum lepôrem et concinnitatem in omnibus affectavit, nihilque non fecit, quo vel gratiam Principis, vel apud caeteros gloriam auramque popularem captaret. Aucupio itaque venatione, veſtium ſplendore, caeteroque corporis cultu, copioſo frequentique famulatu, equis generoſis, argenteis auratiſque ornamentis, epularum et conviviorum crebra lautitia, omnique aulico nitore tam profusè utebatur, ut multi dicerent, *Archidiaconatus ſui et ordinis Clericalis ſibi in mentem non venire.* At jus nihiloſecius magna dixit aequitate, Eccleſiaſticas libertates tanta ſeveritate defendit, ut multorum Procerum voluntates à ſe alienaret, et Regi ipſi nonnunquam reſiſtere haud vereretur.

Cancellariatus munere jam annos quatuor aut quinque functus erat, cùm Theobaldus aetate gravis et dierum plenus, patribus tandem ſuis appoſitus eſt. Quod cum Regi in Normannia degenti innotuiſſet, qualem ſerpentem in ſinu foveret parum gnaro, nihil ſibi non agendum conſtituit, quo Beckettum in Archiepiſcopali ſolio confeſtim collocandum curaret[e]. Quapropter Thomâ quodam Luceio ad ſe vocato, homine prudente, cujus conſiliis plurimum innitebatur; magnoperè ſe vereri dicit, ne Theobaldo jam mortuo, cui regni tutelam diſcedens commiſerat, turbarum inde occaſio aliqua oreretur; neve Monachi Cantuarienſes voluntate ſua nondum perſpecta, ad electionem novi Archiepiſcopi properantes, hominem aliquem parum idoneum temere [deſignarent;] cum nihil magis ſua intereſſet quam providere, ut talis aliquis regni primae ſedi praeficeretur, qui abſentis ſui vices (neque enim raro id tunc temporis contingere ſolebat) poſſet ſupplere. Nihil igitur ad ſummam celeritatem ſibi reliquum faceret, quin trajiciens illicò in Angliam, proceres ad ſacramentum Henrico filio ſuo (is adhuc ſeptennis erat) praeſtandum adigere; deinde Beckettum Cancellarium Archiepiſcopum curaret deſignandum. Imperata is facit impigrè. Juramentum Fidelitatis (ut loquimur) Henrico juniori ut Regi praeſtandae, ſalvâ patri obedientiâ quoad viveret, omnes ordine, ac in primis Beckettus, prompte ſuſcipiunt. Cogitur deinde Synodus, ubi omnium conſenſu praeterquam Gilberti Folioti Londinenſis Epiſcopi, eligitur Beckettus qui Theobaldo defuncto in Praeſulatu ſuccedat, et in ipſo Pentecoſtes feſto (pridie factus ſacerdos) per Epiſcopum Wintonienſem conſecratus eſt [f] anno 1162, cùm quartum ſupra quadrageſimum aetatis annum nondum complevisſet.

---

[z] Ea poſt exactam adoleſcentiâm in gerendis rebus dexteritate fuit, ut quotidie tanquam per gradus ad novos honores aſcenderet. Qui quamvis Eccleſiaſticae dignitatis fortunis donatus eſſet, praeter profeſſionem tamen ſuam, dum Henriciani Toloſam obſiderent, inter Bellatores nobilis et ipſe fuit Bellator: doctus et ipſe, ſed non perinde eloquens, ut apparet ex libro epiſtolarum quas Epiſcopus ſcripſit. Vid. *Leland. de Scriptor.* MS. Coll. Trin. Cantabr. Col. 50.

[a] Hoc deſumptum eſt è *Twyno in Apologia,* Lib 2. §. 282.

[b] 1153. *Gervaſ.* 1154. *Chron. Petrob.*

[c] Anno 1162. *Chron. Petrob.* Praepoſitus fuit quintus.

[d] *Hoved.* 2. 282. b.

[e] *M. Weſtm.* A. 1161.

Mira ſunt, ſeu potius dixerim mirificiſſima, quae narrant Monachi de repentina hominis mutatione poſtquam Archiepiſcopus factus eſt. Lautus ille, nitidus, ſplendidus, qui genio totus indulgens, cutem ſuam tam bene ſolitus erat curare, vix paucis interpoſitis diebus, vultu derepente gravis, moribus ſedatus, habitu decens, victu frugalis conſpicitur, et amandatis procul jocis ac cachinnis, quibus antea plurimum ferebatur deditus, ſacris peragendis, caeteriſque Paſtoralis officii muneribus totus vacabat; et ne quis famae oculiſque hominum duntaxat ſerviiſſe contendat, cilicio quoque indutum, corpus ſubegiſſe perhibent, *triplici veſte triplicem perſonam gerens* (ut illorum quidam loquitur) *exteriori Clericum exhibens*, *interiori Monachum occultans*, *et intima Eremitae moleſtias ſuſtinens.* Deinde nihil habuit antiquius, quam Cancellariatum primo quoque tempore abdicare, Rege multum invito [g], cui in Normannia degenti literis ſcriptis profitetur, ſuum non eſſe aulae ſimul et Eccleſiae ſervire. Id quod is graviter ferebat. Nam ſperarat hucuſque Becketto ſe tanquam paedagogo uſurum, qui pubeſcentem filium ad res gerendas inſtitueret ac paulatim aſſuefaceret. Quapropter abjicere eum videns omnem rerum politicarum curam, poenitere coepit quod Archiepiſcopum eum tam properè deſignaſſet, ac vereri, ne res haec in nervum denique erumperet. Sed et hoc deinde ſtatim eum male habuit, quod in Eccleſiae ſuae juribus conſervandis rigidus ac pervicax, multos tam nobiles quam plebeios de praediis Archiepiſcopalibus uſurpatis in jus vocaret [h], qui confertim magno numero Regem adeuntes, Archiepiſcopum querebantur, authoritate et juris ſcientia ad vicinorum injuriam abutentem, ſub praetextu defenſionis Eccleſiae in omnium fortunas pro libitu graſſari. Caeterum contentionis quae poſtea inter ipſum et Regem ingens exarſit cauſa potiſſimum haec erat.

Temporum illorum Clerici Eccleſiaſticis privilegiis nimium confiſi, multa quotidie ſcelera paſſim perpetrabant, furta, rapinas, homicidia et id genus alia [i], neque laicorum judicum et magiſtratuum authoritate poterant coerceri, quod Clerici ab Ordinariis tantum ſuis conſueſſent caſtigari, qui noxios plerunque aut dimittebant impunitos, aut levius multo quam par eſſet mulctabant. Hanc igitur Praelatorum ac Cleri licentiam Rex ut reprimeret, et Regiae poteſtatis jus à Sacerdotali diſtingueret; Conſuetudines quaſdam regni Anglicani ab Henrico primo avo ſuo deſcriptas, ſed nondum editas, ſtatuit promulgare. Veritus autem ne Clerus, ac praecipue Beckettus Archiepiſcopus, huic inſtituto (ſalutari licet ac nequitiae coercendae apprime utili) repugnarent: Oratoribus Romam miſſis, hujuſce ſive edicti ſive declarationis exemplar Pontifici exhibendum curavit. Beckettus (ut videtur) de hoc Regis conatu nonnihil ſubodoratus, egerat cum illo jam antea ne petitioni Regis temere annueret, quod in cauſa fuit cur ſcripto antedicto vix inſpecto, inanes Legati dimitterentur. Quod cum Regi eſſet nunciatum, excanduit vehementer, ſemperque poſtea in id omnibus nervis incubuit, ut juribus et libertatibus Eccleſiaſticis fraenum quoque modo injiceret. Et Archiepiſcopus, tam procul aberat quo iracundiam Regis lenire niteretur; ut novis quotidie offenſionibus irritando, incendium alere, et quaſi oleum flammae addere videretur. Illa vero ut mittamus, Regi viſum experiri, utrum coactâ Synodo, efficere poſſet ut hanc conſuetudinum declarationem Clerus Archiepiſcopo quantumvis invito recognoſcerent: Qui poſt altercationem diuturnam ſigillatim eâ de re interrogati, iiſdem verbis quibus omnium primus Cantuarienſis, ſinguli reſponderunt, conſuetudines hujuſmodi ſe obſervaturos, *ſalvo ordine ſuo*[k]. Solus Hilarius Ciceſtrenſis Epiſcopus, cum ea adjectione offendi Regem perſpiceret, ſimpliciter et ſine conditione ſe illas regni conſuetudines obſervaturum promiſit. Sed vapulavit, à reliquis omni convitiorum genere adeo exagiatus, ut facile credam poenituiſſe eum cito ſingularitatis.

---

[f] Electus et Preſbyter factus eſt Jun. 2. 1162. et die ſequente conſecratus eſt ab Henrico Wintonienſi Epiſcopo. *M. Weſtm.* et *Chron. T. Wikes.* Conſecra. die S. Trinitatis. *Chron. Lichfeld.*

[g] *M. Weſtmon.* A. 1162.

[h] *Id.* A. 1163.

[i] *Hoved.* 2. 282. ad A. 1163.

Longum eſſet enarrare contentiones, Regiorum, facinoroſos Clericos jam poſthac ad tribunalia ſua rapientium; et antiſtitum, excommunicationes ſuas in Regios tanquam in privilegiorum Eccleſiaſticorum violatores effulminantium. Poſtquam acriter aliquandiu digladiatum eſt; Epiſcopi tandem, aequitate cauſae et ſuaſionibus victi, manus dederunt. Imo ipſe etiam Cantuarienſis, caeterorum ductus exemplo, in Synodo Clarendoniae congregata[l], ſigilli ſui appenſione declarationem praedictam ratam facere promiſit. Sed paulo pòſt reſipiſcens, adeo facti poenituit, ut tanquam graviſſimo ſcelere contaminatus, ſacris abſtinuerit donec per Papam à promiſſi praedicti obligatione exolueretur[m]: Tumque omnia ſibi cernens infeſta, navicula apud Rumeneiam conſcenſa, in Galliam profugere conatus, ventis adverſantibus in littus rejectus, ac deprehenſus, ad Regem, conventus Northamptoniae[n] agentem, adductus eſt. Ibi repetundarum, peculatus, perjurii, proditionis, falſi et neſcio quot aliorum criminum, cùm à caeteris Proceribus, tum et Epiſcopis ipſis ſuffraganeis ſuis reus factus, et quamvis ad Papam provocaſſet, damnatus eſt[o]. Nocte quae proximè ſequuta eſt clanculum aufugiens, et quanta potuit celeritate ad mare contendens, parvae putridaeque cimbae ſe commiſit, ac in Belgium trajecit[p], unde ad Pontificem Senonae agentem profectus eſt[q], qui Pontiniaci in Coenobio quodam eum collocavit, ubi dum deliteſceret ſecurus, excommunicationum fulmina ejaculavit in omnes conſuetudinum quae Clarindoniae ſunt expoſitae obſervatores, illarum nempe quas ſuo ipſe calculo nuper approbarat[r].

Neque Rex ſuarum rerum ſegnius ſatagebat. Archiepiſcopum in primis proſcribit et Archiepiſcopalium praediorum fructibus manum injicit. Oratores deinde ad Flandriae Comitem, Gallorum Regem, ipſumque Pontificem amandat, qui petant, ne Archiepiſcopum, principis ſui proditorem et multorum ſcelerum compertum in ſuas ditiones recipiant, ullove alio modo foveant[s]: A Papa inſuper, ut declarationem Clarindoniae promulgatam, ratam vellet habere. Ac ille quidem Legatis reſpondit (quanquam nihil ad rem) cogitaturum ſe dicens quid his de rebus ſtatuendum ſit. Gallus autem ne reſponſione quidem illos dignatur, ſed induciis etiam paulo antè factis, in ditionem Regis irrumpens, munita quaedam loca vi capit, hac nimirum ſpe fretus, quod haec inter Regem et Archiepiſcopum contentio turbas aliquas in Anglia excitatura, videbatur, quibus dum Rex diſtineretur, occaſionem ſibi datam iri ſperabat, provincias quas in Gallia noſtri tunc poſſidebant ampliſſimas, occupandi.

---

[k] *Id. ib.* ad A 1164. [l] A. 1164. 8 Kal. Febr. *Concil. Angl.* Tom. 1. p. 435. [m] *Hoved.* 282. b. et *M. Paris.* [n] Tent. Oct. 13. 1164. *Conc. Angl.* Tom. 1. p. 436. [o] *Hoved.* 283. b. [p] Tractatus, in quo probatur cauſam exilii mortiſque Thomae Becket juſtam fuiſſe. *MS. Lamb.* N° 157. [q] *M. Weſtm.* ad annum. [r] *Id.* ad A. 1166.

Paulo deinde poſt excommunicationes emittit Archiepiſcopus in omnes provinciae ſuae ſuffraganeos[t]. Quâ procaſſimi hominis audaciâ Rex graviter (ut par erat) commotus, eoque magis quod ad haec perpetranda à Papâ et Gallo inſtigatum non dubitabat; ut aegre illi faceret, nullas ſibi rationes omittendas exiſtimabat. Primum igitur, quia Pontiniacenſi ſeceſſu plurimum delectatum comperit, omnibus ejuſdem ordinis per Angliam monachis (Ciſtercienſes nimirum erant Pontiniacenſes) interminatur; ſe cunctos in univerſum proſcripturum, niſi Pontiniaco Beckettum curent ejiciendum[u]. Quod cum Pontiniacenſibus innotuiſſet, ne tot ſuae ſortis hominibus periculum crearent, alio cogunt Archiepiſcopum migrare[x]. Tum deinde omnes ejus per Angliam propinquos et intima familiaritate conjunctos, illoſque potiſſimum à quibus aliquo modo ſublevatum ſuſpicaretur, regno pulſos proſcribit.

Alexandrum Pontificem eodem fere modo quo Rex Beckettum, exagitabat eâ tempeſtate Fredericus Barbaroſſa Imperator, excitato adverſus eum Antipapa qui jam nuper obierat. Quocirca conſultum Rex putavit, icto cum Auguſto foedere, novum Antipapam mox creandum propugnare; eoque id promptius faciendum duxit, quod tam Gallus quam Pontifex animo eſſet in utrunque infeſto[y]. Huic rei ut effectum daret, Oratores ad illum mittit, qui Papam à ſe deſignandum ab omnibus ſuae ditionis provinciis recipiendum et pro vero Pontifice agnoſcendum promitterent, praeſertim ſi communem hoſtem Gallum junctis viribus oppugnare ſecum non gravaretur. Hanc coitionem ſubodoratus Alexander, labaſcere coepit illico, et de rationibus cogitare quomodo Regem et Archiepiſcopum ſibi mutuò reconciliaret. Caeterum non ita multo ante contigerat, facultatem ampliſſimam Archiepiſcopo ab illo conceſſam, quoſcunque libitum eſſet per Angliae regnum excommunicandi, Rege duntaxat, Regina, et paucis aliis exceptis. Poteſtate hujuſmodi is petulantiſſime abuſus eſt, eo ipſo tempore, quando Pontifex, Regem non omnino alienum à pacificatione perſpiciens, omnia Beckettum praeſtiturum quò gratiam ejus redimeret, ſpoſponderat .Unde minimum abfuit quin in nihilum recidiſſet hic Pontificis conatus. Sed ratione maturè reddita, ſatisfactionem Rex accepit.

Gallus interea Pontificem verbis ſatis aſperis increpat, quod frigidius ſolito Archiepiſcopi cauſam videretur tueri. Lupum jam (quod aiunt) auribus tenebat, Pontifex ut quo ſe verteret anxius, poſt longam deliberationem rebus ſuis opportunius nihil potuerat [excogitare] quam contentiones Regum pace factâ componere, deinde Galli interceſſione ſuâque authoritate efficere, ut Rex nonnihil Archiepiſcopo ſuo condonaret, et Beckettus viciſſim de inſita pertinacia aliquid remitteret. Inter Reges levi negotio tranſigitur qui deinde Lutetiae congrediuntur, quo etiam Beckettus arceſſitur. Huic reditus in patriam et rerum ſuarum reſtitutio facile impetratur, modò obſervantiam debitam ſe Regi in poſterum praeſtiturum recipiat. Ille verò cedere neſcius, pertinaciam ſuam reſponſione in ſpeciem modeſtâ occultare conatus, et in genua procumbens ſic infit, *Domine Rex, Cauſam unde inter nos orta eſt diſſentio, tuo unius committo arbitrio,* SALVO HONORE DEI[z]. Quâ adjectione graviter commotus Rex, regiae dignitatis, munificentiaeque immemorem et ingratum eum appellavit, ac ad Gallum converſus, "[Viden'] inquit, ut ludat iſte? Quicquid ipſi non placuerit, honori Dei contrarium ſtatim contendet. Sed ne per me ſtare videatur, quo minus inter nos pax coeat, quid ſit quod poſtulo quaeſo advertas; Multi in Angliâ extiterunt Reges minori et authoritate et potentia quam ego ſum, nonnulli etiam fortaſſis majori; Multi rurſus Archiepiſcopi Cantuarienſes ante iſtum magni atque ſancti viri. Itaque quod officii ſuorum anteceſſorum maximus, meorum minimo, id mihi iſte praeſtet, et nihil erit amplius quod requiram[a]." Ad quae Thomas callide ſatis, ſed ſuo more elate ſic reſpondit: "Superiorum temporum et praeſentium non eſſe eandam rationem; antiquos praeſules pedetentim Reges ad Chriſti obſequium allexiſſe, cùm omnia quae ad religionem ſpectarent uno momento non poſſent perficere; deinde lapſos illos in multis ut homines, quorum exempla ſequi neceſſum non haberet: Priorum praeſulum conſtantiâ creviſſe facultates Eccleſiae, quas jam acquiſitas ut minui patiatur nunquam ſe commiſſurum."

---

[s] *Hoved.* 284.

[t] *Rad. de. Diceto.*

[u] *Hoved* 286. b.

[x] *M. Weſtm.* ad annum 1166

[y] *Id.* ad A. 1168.

Acclamatum eſt ab aſtantibus, moroſum eſſe hominem et planè indignum quem Gallia diutius foveat; plus quam conveniret, jure ſuo Regem ceſſiſſe, laterem ſe lavare qui tam pertinacem flectere ſatagant. Re igitur infecta tunc temporis diceſſum eſt, ita tamen ut ſpes non mediocris videretur ſupereſſe reconciliationis brevi componendae. Rex attamen veritus quonam haec res tandem evaderet, filium natu grandiorem Henricum jubet coronationis ritu ſolenni in Regem inaugurari[b]. Quod brevi poſtea ab Archiepiſcopo Eboracenſi Rogero, et aliis Epiſcopis, Cantuarienſi abſente, perfectum eſt[c].

Sub id ipſum tempus reconciliatio tandem conficitur, et Archiepiſcopo reditus ad ſuam ſedem permittitur[d], ita tamen, ut in gratiam regiam non eſſet planè recipiendus, donec moderate ſe aliquandiu gerendo hoc ipſum quodammodo meritus videretur. Quod licet ſe facturum recepiſſet, tam procul tamen abfuit ut id praeſtaret, uti vix dum reverſus, excommunicationis fulmina ejacularetur protinus in Epiſcopos, qui coronationis ritum novo Regi impenderant[e]. Qui fulmine hujuſmodi tacti ſunt, ad Regem in Normanniâ agentem confeſtim properant, qui irâ percitus et ſui vix compos prae iracundia[f], inter alias voces ſummi doloris indices, execrandum ſibi diem pronunciavit quo hominem tam protervum ad Archiepiſcopatum extuliſſet, aut ejectum reſtituiſſet; non futurum dicens ut ab uno ſacerdote majeſtas Regia impune adeo conculcaretur, niſi beneficiorum acceptorum immemores et ingratiſſimos multos circa ſe haberet. Praeſentes tum fuerunt inter alios, quatuor milites, Reginaldus filius Urſi, Hugo de Mortevilla, Gulielmus de Tracy et Richardus Brito[g], qui ex dicto Regis ſermone [conjectantes] obſequium ſe illi praeſtituros gratiſſimum ſi Archiepiſcopum interemiſſent, in Angliam illico trajecerunt. Ille interim magnâ famulorum caterva ſtipatus, poſt exilium ſeptuennale Cantuariam fuerat reverſus, à Monachis ſuis ſummo gaudio et gratulatione exceptus[h]. Inde Londinum profectus eſt primum, deinde Woodſtochiam ut ibi Regem juniorem conveniret. Ille vero conſpectum ejus non ferens, advenienti miſit obviam qui faceſſere juberent et Epiſcopos excommunicatos abſolvere priuſquam regiae ſe exhiberet praeſentiae. Haec tamen hominis pertinaciam adeo non fregerunt, ut Cantuariam ferocior quam ante et elatis criſtis tumidior reverſus videretur[i]. Nam excommunicationes praedictas Cantuariae in ipſo Natalis feſto denuo promulgavit, anathemate inſuper percuſſo Ranulſo Broco, qui fructus Archiepiſcopales ſe abſente juſſu regio collegerat, aliiſque nonnullis[k].

---

[z] *Diceto.* [a] *Hoved.* 296. [b] *Hoved.* 296. b. [c] *Weſtm.* ad A.1170. [d] Archiepiſcopale Solium abſentiâ viduavit A.1164. et non revertitur uſque ad annum 1170. *Chron. Mailros.* [e] *Brompt.* f.1062. *Hoved.* ib. *Weſtm.* ib. [f] *Brompt.* ib. A.1171.

Haec militibus antea nominatis nunciata, cùm Cantuariam veniſſent in feſto Innocentibus ſacro qui ab Herode trucidati ſunt, magis adhuc in propoſito illos confirmarunt. Hii igitur poſtridie Archiepiſcopum adeuntes, haec dicunt Regem mandare, primum, ut ad filium ſuum profectus, cujus coronationi apertis calumniis detraxerat, homagium ei et fidelitatem pro Archiepiſcopatûs ſui Baroniâ praeſtet: Tum ut Clericos quos ab exilio peregrinos in Angliam ſecum duxerat, de fidelitate et obſequio juramento Regi caveret; Deinde ut Epiſcopos caeteroſque excommunicationis ſententiâ irretitos abſolutione faciat laxari. Quibus ille paucis reſpondit, Regem vel à ſe vel ab aliquo ſuorum, juramentum quod exigere jure non poſſit, nullâ vi aut ratione extorturum. Epiſcopos autem alioſque qui coronationem Regis junioris celebrantes, ſibi et Eccleſiae ſuae manifeſtam injuriam intuliſſent, à Papâ, non à ſe excommunicatos, quos non gravate abſolveret, ſi damnum illatum juramento promitterent reſarcire. Regi nimirum ipſi aequum videri, ut Eccleſiae ſuae factam contumeliam authoritate Eccleſiaſticâ reformaret. Poſt multa jurgia et diuturnam diſceptationem, Archiepiſcopo minis illorum quantumvis atrocibus ne minimum cedente; abeunt illi, monachis regio nomine imperantes, ut Archiepiſcopum obſervarent, nec elabi paterentur, niſi regiâ priùs perſpectâ voluntate. Eodem tum poſteà die, templum vix ingreſſo Archiepiſcopo ut veſpertinis precibus intereſſet, irrumpunt derepentè, et evaginatis gladiis, elatâ voce clamantes, *Ubi eſt regni regumque proditor Archiepiſcopus*[l]? Redeuntem ut illis iret obviam, in tertio quartove gradu quo ad chorum aſcenditur, vulneribus multis conficiunt[m]. Cujus cadaver cùm milites aut in mare projicere, vel in minuta fruſta concidere decreviſſent, à Priore atque monachis tale quippiam verentibus, mox ſine ullâ dilatione humatum eſt in crypto ſubterraneo, unde poſtea elatum eſt in orientalem partem Eccleſiae et thecae[n] inditum pretioſiſſimae, auro quippe gemmiſque uſque quaque contectae, ipſo nimirum in ſanctiſſimorum martyrum album aſcripto.

Papae quamprimum hoc parricidium innotuit; non ſolum percuſſores ipſos, ſed qui ullo modo conſenſum aut auxilium homicidio dediſſent, excommunicavit omnes[o]. Rex cùm adhibito juramento ſe hujus caedis immunem confirmâſſet, coactus tamen eſt poenas luere, eaſque tales, ut non poſſim non vehementer mirari, Principem magnanimum ad tantam uſque contumeliam perferendam ſe demiſiſſe. In his nimirum erant, ut ducentos milites per annum unum integrum in terrâ ſanctâ bellum geſturos ſuis ſumptibus aleret[p], (ferri hoc poterat): tum, ut ad novi iſtius martyris tumulum flexis genibus oraret, (ridiculum): deinde (proh pudor) ut in monachorum capitulo à ſingulis ordine fratribus uno virgarum plecteretur verbere[q]; Denique ut conſuetudinum declarationem Clarindoniae promulgatam, quae omnibus his turbis occaſionem potiſſimum dederat, revocaret, et edicto ſuo irritam declararet. Mandatis Papalibus, tam iniquis, tam abſurdis Monarcha ſui ſeculi potentiſſimus et clariſſimus non auſus refragari, primo quoque tempore obtemperavit. Haec caedes quae Decemb. 28[r]. 1170. patrata fertur à tribus Poetis totidem diſtichis (quam verè non pronuncio) certe non ineleganter deſcripta eſt, iis nimirum quae ſequuntur.

---

[g] *Weſtm.* A.1170. [h] *Hoved.* 298.a. [i] *Id. ib.* [k] *Id.* 298.b. *Diceto.* [l] *Hoved.* ib. [m] *Diceto.* [n] Demolita eſt ab Henrico octavo Jun.11.1538. Concil. Anglic. Tom.3. p.835. [o] *Hoved.* 299. et *Diceto.*

" Pro Chriſti ſponſa, Chriſti ſub tempore, Chriſti
" In templo, Chriſti verus amator obit.

" Quinta dies Natalis erat, flos orbis ab orbe
" Carpitur, et fructus incipit eſſe poli.

" Quis moritur? praeſul. Cur? pro grege. Qualiter? Enſe.
" Quando? Natali. Quis locus? Ara Dei."

XXXIX. RICHARDUS.

* 1174. HEN. 2. 20.

POST caedem Becketti menſe vix uno aut altero tranſacto, Februario nimirum proxime ſequenti, Robertus quidam Abbas Beccenſis, Eccleſiae Cantuarienſi praeficiendus eligitur. Ille vero ceu procellas metuens qualibus Beckettum jactatum vidit, ſeu quietem monaſticam ſplendori pontificali anteponens; electioni de ſe factae conſentire renuit[s]. Egit deinde cum Priore et Monachis Cantuarienſibus Rex, ut gravem aliquem et prudentem virum Archiepiſcopum deſignarent, ac ſedato ingenio praeditum, ne ſi in turbulentum et ſeditioſum rurſus inciderent, Reipublicae id detrimento fieret, et contentiones inter regnum et ſacerdotium nuper natas, jam fortaſſis cum Becketto extinctas, denuò reſuſcitarent. Obtemperant illi, et Richardum[t] quendam Monachum Benedictinum, Coenobii Doverenſis Priorem ſuffragiis ſuis Archiepiſcopum creant, qui à Rege ac Pontifice probatus, et Anagniae deinde ab Alexandro tertio Papâ conſecratus eſt[u]. Inſigni vir prudentiâ, egregiè liberalis, benignus, comis et affabilis. Quibus artibus effecit, ut et Regem et Pontificem ſemper habuerit propitios, nec unquam inter illos ſimultas vel leviſſima interceſſerit. Hunc nimirum muneribus permulſit crebris potius quam magnis[x], illum vero obſervantiâ morumque commoditate.

---

[p] *Hoved.* 303. et *Walſingh.* p. 39.

[q] *Id.* p. 42.

[r] 4 Kal. Januarii 1170 interficitur. *Gervaſ.* aliique ferè omnes; à quibuſdam verò hoc contigiſſe dicitur A. 1171, qui à Nativitatis non à Circumciſionis die annum exordiantur.

[s] *Gervaſ. Chron.* et *M. Weſtmon.*

[t] Dominicâ octavarum Pentecoſtes 3 Non. Jun. 1173 apud Weſtmonaſterium electus eſt. *Gervaſ.*

[u] Confirmatus eſt à Papa 4 Non. Aprilis A. 1174. poſtquam innocentiam purgaſſet, quod pro electione ſuâ nec ante electionem nec poſt aliquid dederat vel promiſerat. *Diceto Ymagi. Hiſtor.* 580. Papae nihilominus tempore conſecrationis dedit decies mille Marcarum (*Chron. Petrob.* ad A. 1174.) à quo tandem conſecratus eſt Dominicâ [Secundâ, *Anglia. Sacr.* 111.] poſt Paſcha quâ canitur ad introitum *Miſericordias Domini.* A. 1174. *Gervaſ.* 1426.

[x] Videtur fuiſſe vir ignavus et facilis, atque in curas ſaeculares pronior, quam Spirituales. Vid. *Bleſens.* Epiſt. 5.

Sedit annos plus minus undecim: [y] Quo toto tempore adeo nihil geſſit memoratu dignum, ut jam deinceps non ſit quod de illo ſcribam, niſi forte certamen inter illum et Eboracenſem de primatu exiſtimes commemorandum, quod diu ſopitum, excitavit denuò Rogerus Eboracenſis, Regiae confiſus gratiae. Concilium Weſtmonaſterii coegerat Hugocio Pontificis Legatus[z]: Cùmque ſub umbella in ſolio ſublimis conſediſſet; locum à dextra Cantuarienſis occupavit, ſiniſtram relinquens Eboracenſi, quam is dedignatus, ſe medium nititur intrudere inter Legatum et Cantuarienſem, et eo non cedente, in Primatis ſui gremio ſeſſum ivit. Tam inuſitato ſpectaculo Epiſcopi praeſentes conſternati, hanc tantam temeritatem reprehenderunt acriter, ſed fruſtra. Quapropter famuli ac miniſtri Cantuarienſis contumeliâ Domino ſuo illatâ commoti, Eboracenſem à gremio Cantuarienſis vi detrahunt, humi dejectum pedibus conculcant, pugnis contundunt, et Archiepiſcopales veſtes in fruſta dilacerant[a]. Haec videns Legatus et ſibi male metuens (ſiquidem coeptae ſeditionis finem quis ſe confidat proſpicere?) diſceſſit propere, eumque è veſtigio ſequitur Cantuarienſis cum famulis ſuis, relicto Eboracenſi humi proſtrato. Qui anhelus tandem et ſemianimis exurgens, properat ad Regem, ſic ut erat pulverulentus, pannis obſitus, ſanguine conſperſus, ac attonito vehementerque miranti quid rei eſſet, querimoniam contra Cantuarienſem inſtituit gravem: ſed intellectâ veritate, iracundia regia jam pullulans, in riſum et cachinnos ſoluta eſt. Hic igitur cùm nihil obtineret, Papam aggreditur, ad cujus tribunal lite diu agitata, magna vis pecuniae profuſa eſt, neque profectum quicquam[b].

Quae de Richardi Archiepiſcopi exitu referuntur, haec ſunt. In praedio ſuo Wrothamenſi ſomno compreſſus, viſus eſt ſibi videre quendam percontantem à ſe quiſnam eſſet, cumque obmuteſcens metu (nam neſcio quid terrificum prae ſe ferebat) nihil reſponderet; Tu (inquit) is es, qui Eccleſiae bona tuae fidei commiſſa diſſipâſti, et ego te de terra diſſipabo; tumque protinus evanuit. Hoc ſive viſum, ſive inſomnium narravit poſtridie Archiepiſcopus familiari cuidam iter una facienti[c]; vixque finem fecerat loquendi quando morbo derepente correptus, ad villam Eccleſiae Roffenſis quae Halling appellatur aegre potuit pervenire[d]. Decumbens ibi, colicis doloribus per aliquot dies excruciatus, nocte quae Februarii 17 praeceſſit expiravit anno 1183[e]. Corpus ejus Cantuariam delatum in Capella beatae Mariae honorifice tumulatum eſt.

XL. BALDWINUS[f].

POST mortem Richardi Archiepiſcopi, lis enata eſt inter Epiſcopos ſuffraganeos provinciae Cantuarienſis, et Eccleſiae Cantuarienſis Monachos, de jure novi Archiepiſcopi eligendi[g], quod utrique magnâ contentione ſibi vendicabant. Et negari certè non poterat (quod etiam ex prae- 1184. HEN. 2. 31.

---

[y] *Neubrig.* Lib. 3. cap. 1. Hic Archiepiſcopus in Dioceſi ſua, quae ab antiquis temporibus uno tantum fuerat Archidiacono contenta, tres Archidiaconos conſtituit, ſcilicet Savaricum, Nicholaum et Herebertum. *M. Paris.* A. 1176. p. 251. Dedit mille marcas in conſtructionem pontis Londinenſis. *Stow.* Vol. 1. p. 53. Edit. 1720.

[z] *Hoved.* 314. b. ad A. 1176.

[a] *Id.* ib.

[b] *Id.* ib.

[c] *Id.* 355.

[d] *Dicet. Ymag.* et *Weſt.*

[e] Ob. Anno 1183. Februarii die 16. *Hoved.* 355 et *Gervaſ.* die 17. ſed perperam. *Diceto. Ymag.* Conſecra. 1175, et ob. 1184. *Chron. Lichf.* Inter Epiſtolas P. Bleſenſis extat Epiſtola hujus Archiepiſcopi ad ſuffraganos ne exteros Epiſcopos incertae ordinationis epiſcopalia munera obire permittant Epiſt. 53. Et alia ad Alexand. tertium Papam in qua deplorat exemptiones religioſorum ab Epiſcopis ſuis. Epiſt. 68. Et alia ad quoſdam Angliae Epiſcopos ad tollendum è medio abuſum qui in Anglia invaluerat, ſcil. ut interfectores ſecularium capitali poena, clericorum verò et Epiſcoporum excommunicationis poena plecterentur. Epiſt. 73.

[f] *Lelandus* hunc vocat THOMAM BALDWINUM. Collect. Tom. 4 p. 180.

[g] *Hoved.* ib.

cedentibus ſatis liquet) ab utriſque jus hujuſmodi uſurpatum fuiſſe. Rex igitur cupidus moderatum aliquem et ſedato ingenio praeditum huic ſedi praeficiendi, cum Monachorum coetu primum egit hâc de re[h], ac poſtea deinde cum Epiſcopis. Et ne qua diſſentio inter illos exoriretur, petitum eſt in primis uti conjunctis votis in unum aliquem talem conſentirent, id quod à Monachis adeo non probatum eſt, ut appellatione factâ, cauſae cognitionem ad tribunal Pontificium tranſtulerint, ubi novem menſium ſpatio magnis utriuſque partis ſumptibus lis agitata eſt. Epiſcopi tandem potiores evaſerunt. Reſcripto nempe Papali imperatum eſt, ut conjuncti ſimul omnes tam Monachi quam Epiſcopi ſuffraganei unum aliquem eligerent[i]. Cùmque ad tempus et locum deſignatum Monachi non convenirent; ſuis calculis Epiſcopi Archipraeſulem crearunt Baldwinum Wigornienſem Epiſcopum[k]. Hanc electionem ut irritam redderent, à Monachis vehementer ſudatum eſt, qui tamen profitentur non alium potius ſe electuros, ſed exemplum non placere. Rex igitur (qui Baldwino mirifice favebat) rogare Monachos non deſtitit, donec tandem impetraſſet, ut eundem ipſi quoque electione factâ deſignarent; ſed hâc lege et conditione, ut ipſe, Epiſcoporum electioni, et Epiſcopi, eligendi juri in perpetuum cederent et renunciarent.

Quibus omnibus ex animi ſententiâ confectis, tranſlatus[l] eſt ad hanc ſedem Baldwinus ſub exitum anni 1184 et Maii 19. 1185 in Archiepiſcopali throno Cantuariae ſolenniter collocatus. Baldwinus iſte ignoti pauperis filius Exoniae natus, ad virilem aetatem quamprimum pervenit ludum aperuit; inde ordinibus ſacris initiatus propter mores probatiſſimos et inſignem vitae ſanctimoniam [Exonienſis] Archidiaconus[m] factus eſt: Quo munere non diu functus abdicavit, et inter Ciſtercienſes Monachos aſcriptus eſt, in quo ordine uno duntaxat anno tranſacto, Fordenſis Abbas in Devonia creatur[n]. Anno tandem 1181[o] Wigornienſis fit Epiſcopus, et poſtea (ſicut antea retulimus) Archiepiſcopus Cantuarienſis, ex eo ordine (Ciſtercienſium inquam, ſive albatorum Monachorum) primus qui ad Archiepiſcopale ſolium conſcendit. Giraldus Cambrenſis, qui ipſum tam in peragranda Wallia quam in expeditione Hieroſolymitana comitatus eſt, ſic hominem deſcribit. "Colore fuit fuſco, vultu ſimplici ac "venuſto, ſtatura mediocri, habitudine corporis bona, ſed tenui non craſſa: "Modeſtus ac ſobrius, abſtinentiae magnae, ut vix unquam in ipſum "quicquam ſiniſtrum auſa fuerit fama praeſumere, ſermone parcus, ad "iram tardus, literarum ſtudiis à pueritiâ ambutus, jugum Domini ab "adoleſcentiâ portans." Hoc ſolum in eo reprehendit, quod ob morum facilitatem delictorum alienorum non eſſet ſatis ſeverus et acris caſtigator, *Monachum*, dicens, *meliorem fuiſſe quam Abbatem, et Epiſcopum quam Archiepiſcopum.* Quam etiam ob cauſam ſic dicitur affatus eum Papa in Epiſtolâ quâdam, *Urbanus ſervus ſervorum Dei, Monacho ferventiſſimo, Abbati calido, Epiſcopo tepido, Archiepiſcopo remiſſi ſalutem, &c.* Non poſſum ſatis mirari, homini tali ingenio praedito, tantum obveniſſe moleſtiae. Cum Regibus ſemper pulchre conveniebat. Monachi vero ſui Cantuarienſes nunquam eum ſinebant quieſcere; cujus rei cauſam breviter explicabo.

---

[h] *Gervaſ.* [i] *Diceto.* [k] *Hoved.* 355. b. [l] Electus à Suffraganeis A. 1184. die 2 Decem. *Hoved.* iterumque à Monachis Cantuarienſibus Dec. 16. poſtquam vacaverat Eccleſia menſibus novem et diebus 26. *Gervaſii Chron.* [m] Wellenſis *Claud.* A 5. *Chron. Petrob.* ad A. 1183. Exonienſis *MSS. Ox.* et *Lond.* et *Gale.* Totneſs. *Le Neve Faſt. Eccleſ Anglic.* [n] *Chron. Petrob.* ib. [o] 1180. potius, *Gervaſ.*

Rex, cui multum ſaepe faceſſerat negotii monachorum dictorum petulantia, eligendi Archiepiſcopi jus extorquere illis techna, quam mox commemorabo, conatus eſt. Baldwino Archiepiſcopo author fuit, ut collegium aedificiorum ſtructurâ magnificum[p], mox amplis poſſeſſionibus ditandum Hakintonae inchoaret, quae pagus eſt nunc S. Stephani dictus, et à civitate Cantuarienſi unius milliaris circiter dimidio diſſita eſt. In hoc collegio debebat Rex Canonicatum unum inſtituere, prout Epiſcoporum Cantuarienſis provinciae ſuffraganeorum unuſquiſque unum. Ita Canonici erant futuri in univerſum viginti, quorum loca vacantia à fundatoribus erant diſponenda. Ad Archiepiſcopum quod attinet, illi Eccleſiae caeterorumque aedificiorum incumbebat ſtructura, quam ſumptu is permagno decrevit perficere. Hujuſce vero incoepti non alius erat ſcopus aut finis, quàm ut hoc pacto Archiepiſcopi electionem traducere poſſent à Monachis (hominibus tam imperitis quam indoctis, et tamen valde pertinacibus) ad alios quos ſanis conſiliis facilius obtemperaturos confiderent, hos nimirum Praebendarios ſive Canonicos, quos erat credibile in tanti momenti negotio patronorum ſuorum monitis, et conſiliis morem geſturos. Ac iſta quidem ut ex animi ſententiâ conficerent, collegium iſtud placuit dicari novi martyris, honori Sancti Thomae, cujus fama ubique id temporis tam celebris erat, ut conatum aliquem impedire qui ad eum illuſtrandum tenderet, piaculum duceretur. Quapropter, futurum ſperabant, ut Pontifex perſuaderi ſibi non difficulter pateretur annuere, ut electionis jus à Chriſto (cujus nomini Eccleſia Cantuarienſis dicata eſt) ad Thomam trajiceretur. Bene jam res proceſſerant; locata erant fundamenta, materia comportata et praedia ad Canonicos alendos aſſignata, quando ſuſpicaces Monachi quo tenderet haec tanta diligentia conjectantes, de injuria ſibi intentanda Romae querimoniam inſtituerunt. Aedificia interim ſurgebant, Eccleſia ſolenniter conſecrata eſt, et Praebendariorum nonnulli inſtituti, ac per inſtallationem (ut loquuntur) novi muneris poſſeſſionem adepti, (hii omnes ſeculares erant ſacerdotes, qualis nimirum ante pontificatum ipſe Thomas) quando Monachi, precibus aſſiduis, muneribus crebris, et nullo non contentionis genere adhibito, decretum à Papa impetrarunt, quo imperatum eſt, novi hujuſce corporis compaginem diſſolvi, aedificiaque dirui ac ſolo aequari.

Ea fuerunt tempora, ut cum voluntate Papae neceſſitas inevitabilis eſſet conjuncta, adeoque tanti moliminis conatus, unico oris ſpiritu, tanquam paleas aut aranearum telas, difflare potuerit Aeolus iſte Romanus, diſſipare, et in nihilum redigere. Quid plura? Dictum et factum[q]. Accidit paulo pòſt ut Urbanus Pontifex qui monachorum cauſae magnopere favebat, excederet è vivis, defuncto vero ſuccederet Gregorius octavus, apud quem gratia et authoritate multum ſe poſſe Baldwinus confidebat. Placuit igitur prius illud coeptum repetere, et ſemel adhuc fortunam tentare, ſi forte novo hoc pontifice favente, petitum ſcopum, quavis alia via ac ratione, tandem tamen poſſet attingere. Ab Eccleſiâ et Epiſcopo Roffenſi praedium acquiſivit Lamethae, juxta ripam Thameſis è regione

---

[p] Honorii Prioris et Conventûs Cantuarienſis Epiſtolarum collectio ſive per eos, ſive ad eos, vel de eis ſcriptarum tempore litis quindecennis inter ipſos et Baldwinum atque Hubertum Archiepiſcopos Cantuarienſes de Canonicorum ſaecularium collegio erigendo, per Monachum ejuſdem conventûs collectarum et digeſtarum, videre eſt inter *MSS. Lamb.* N°91 Vide in operibus *Innoc.* 3. Tom. 20. multas Epiſtolas decretales adverſus hanc ſtructuram.

[q] A.1189. Menſe Novembr. facta eſt à Rege concordia inter Archiepiſcopum et monachos Cantuarienſes in hunc modum. viz. Quod Rogerus de Norris quem Archiepiſcopus contra voluntatem Monachorum Priorem fecerat in Eccleſia Cantuarienſi, deponeretur, et Capella, quam idem Archiepiſcopus in ſuburbio conſtruxerat, proſterneretur; et praedicti Monachi eidem Archiepiſcopo obedientiam et profeſſionem ſicut praedeceſſoribus ſuis facere conſueverunt. *Hoved.* f. 377.

Weſtmonaſterii, ubi nunc villa eſt Archiepiſcopalis in quâ etiamnum hodie reſidere ſolent ut plurimum Archiepiſcopi. Huc omnem illam materiem facit comportari quam ad Hackintonenſis Collegii ſtructuram paraverat, et hic novam Eccleſiam conſtruere aggreditur, frementibus Monachis et neſcio quid minitantibus. Sed hunc porro conatum boni viri mors interrupit. Richardus Rex, ut conjurationis adverſus patrem crimen expiaret, ad terram Sanctam magnas duxit copias, ut bellum ibi gereret cum Saracenis. Proficiſcentem, paulo pòſt ſequutus eſt Baldwinus: Noſtrorum partes ibi juvit magnopere, concionando, conſulendo, pecunias egenis erogando, et morum ſanctiſſimorum exemplo, donec tandem in Ptolemaidis obſidione morbo correptus gravi, occubuit[r], ſeptem fere per annos Archiepiſcopali functus munere. Quaſcunque reliquit opes, militibus diſtribui mandavit ex arbitrio Huberti Sariſburienſis tunc Epiſcopi, qui ipſi paulo pòſt ſucceſſit[s].

XLI. REGINALDUS FITZJOCELINUS[t].

1191. Ric. 1. 3. STATIM ut de Baldwini obitu Rex reſcivit, amandato in Angliam nuntio, à Monachis Cantuarienſibus per literas vehementer contendit, ne alium aliquem Archiepiſcopali ſedi praeficiendum curarent, quàm quem ſibi probatum iri confiderent. Et hoc ut impetraret facilius, omnes regni Epiſcopos Cantuariae juſſit convenire. Monachi interea metuentes, ne hujus congreſſus ratione, de jure electionis vetus controverſia denuo ſuſcitaretur; Reginaldum Epiſcopum Bathonenſem, Jocelini Epiſcopi Sariſburienſis filium, electione factâ[u], Archiepiſcopum declarant, ſed clanculum et celatâ electione, donec tandem Epiſcopis omnibus congregatis, quid fecerint aperiunt, et Reginaldum invitum ac reluctantem, ad ſolium Archiepiſcopale pertrahentes, ibidem per vim collocant[x]. Quantumvis vero renitentis ſpeciem tunc prae ſe tulerit et lachrimis effuſis obteſtatus fuerit ut alium eligerent; poſtridie tamen interrogatus ab Archiepiſcopo Rothomagenſi (qui regias tunc vices agebat, dejecto nuper ab adminiſtratione Elienſi Epiſcopo) utrum electioni de ſe factae conſentiret; tam procul eſſe reſpondit ut ambitione motus hunc tantum honorem concupierit, nihil uti magis optet quam mutata Monachorum ſententia alium deſignari: Si vero id ſibi non patiantur perſuaderi, quamvis invitum et tantum oneris ſuſcipiendum ab intimo corde dolentem, ne tamen Deum habeat iratum, conſentire, neque refragaturum amplius. Mittuntur illico Romam qui pallium et confirmationem illi expediant, qui celeriter confecto negotio reverſi, Reginaldum tamen in vivis non repererunt. Animam nempe exhalarat Dogmersfeldiae, in ipſo Natalis feſto 1191[y]: dies poſt confirmationem ejus 15, poſt electionem vero 49. et in Eccleſiâ ſuâ Bathonenſi ſepultus eſt.

---

[r] Ob. anno 1190. *M. Weſtmon. Diceto. Hoved.* f. 390. 13 Kal. Decembr. *Gervaſ. Chron.* 12 Kal. Decembr. *Obituarium Cantuarienſe.* apud Acon. 1191. *Chron. Lichf.* MS. Lowth.

[s] De iſto Baldwino plurimum conqueſtus eſt *Sylv. Gyraldus* Lib. 2. Diſt. cap. 19. quod etſi fuerit vir literatiſſimus, tamen propter nimium animi et morum lenitatem, Archiepiſcopalem vigorem exercere non potuit.

[t] Omittitur in Catalogo MS. Lamethano, nec non à *Gyraldo Cambren.* Lib. 2. Diſtin. cap. 19. nimirum quod nondum conſecratus obiit.

[u] Elect. 5 Kal. Decemb. anno 1191. et electioni de ſe facto conſentit 4 Non. Decemb. *MS. Weſt.* ad A. 1191. et ob. 26. die Decemb. et tandem Bathoniae ſepultus eſt 29. ejuſdem menſis. *Gerv. Chron.* Die S. Stephani. *Vitell.* D. 18. MS. Hutton.

[x] *Gervaſ. Chron.*

[y] 1192. *Chron. Lichf.* MS. Lowth.

XLII. HUBERTUS WALLTERUS.

1193. Ric. 1. 4

HAEC dum agerentur domi, Richardus Rex ab expeditione Hieroſolymitana revertens, capitur in itinere per Leopoldum Auſtriae Ducem, à quo in vinculis integrum per annum detentus eſt, ut ſimul et Rege careret Regnum, et Praeſule Cantuarienſis Eccleſia. Ille igitur quem non latebat quantum reipublicae intereſſet, gravem aliquem et prudentem virum tempore tam difficili in eâ collocari ſede; ac perſpectas habens in Huberto Sarisburienſi Epiſcopo egregias animi dotes complurimas, qui ipſum in tam longo et periculoſo itinere comitatus fuerat: Nullum ſibi lapidem non movendum exiſtimavit, quo eum ad Archiepiſcopatum primo quoque tempore curaret evehendum.

Natus eſt Hubertus iſte Weſt-derhamiae[z] in Norfolcia, educatus vero ſub Ranulpho de Glanfeld[a] ſupremo Angliae Iudice ſive (ut loquimur) Juſticiario. Ex Decano Eboracenſi Sarisburienſis factus eſt Epiſcopus anno primo Richardi Regis, opera praecipue Baldwini Archiepiſcopi, qui vivens eum dilexit unicè, et moriens teſtamento haeredem fiduciarium conſtituit. Cùm Decanus adhuc eſſet Eboracenſis, à Galfrido quodam Galfridi filio praedia quaedam emit in Weſt-derhamia ubi natus eſt, et ibi monaſterium condidit Monachis Praemonſtratenſibus, pro ſuae (ut in fundationis chartâ ipſe loquitur) patris ac matris, ac Radulphi de Glanfeld et Bertae uxoris ejus animarum ſalute, à quibus ſe nutritum profitetur. Caeterum ad Archiepiſcopatum, hoc pacto electum ferunt. A Monachorum Cantuarienſium coetu, Rex captivus enixe petiit per literas, ut virum aliquem tanto dignum munere, vacanti ſedi mature praeficiendum curarent; certum vero aliquem hominem nominatim eis non commendavit, propter recentem, quam ab iis tulerat in ſimili cauſa, repulſam. Attamen quid illi eſſet in votis, ipſos non latebat. Alienorae deinde matri ſuae et Rothamagenſi Archiepiſcopo per literas mandavit, ut Epiſcoporum concilium Londini cogerent; quâ re Monachis nunciatâ, veriti ii, ne convenientes Epiſcopi, aliquem eligendo, juri ſuo praejudicarent; deinde ſi ipſi, Archiepiſcopum conſtituere niterentur quempiam, Regi parum gratum, operam perderent, eo quòd Pontificem miſericordiâ ob captivitatem Regiam affectum, bene illi velle inaudiverant: Hubertum ſponte ac non rogati elegerunt[b]; et electionem ad crucem Paulinam derepentè promulgarunt, cum magno Reginae, et Procerum, omniumque adeo ordinum gaudio.

Dum Romae pallium peteretur, animo ſecum reputans, quantum Baldwino pepererat moleſtiae Monachorum Cantuarienſium contemptus; ut apud illos gratiam iniret, Monaſticis ſacris ſe curavit initiandum Mertonae, id quod à Reginaldo anteceſſore recenter factum noverat. Omnibus tunc nervis in id incubuit, ut pecuniam undique corrogando, haberet unde lytrum captivi Regis perſolveret. Quam rem ſolerter adeo procuravit; tam Clericis quam Laicis totius regni omnibus cunctorum per unum annum provenientium partem quartam promptiſſimè largientibus (ſimul cum argento caelato et aliis Eccleſiarum ornamentis, quae etiam divendita ſunt) ut imperatam pecuniam cito confecerit, centum nimirum et quinquaginta marcarum millia.

---

[z] V. *Iceniam Spelmanni* ad Weſt-Deerham.

[a] Anno 1181. 26. H. 2. Ranulfus de Granvil conſtitutus ſummus Juſticiarius totius Angliae: et obiit in obſidione Aconenſi anno primo Ric 1. *Hoved.* f. 390. b.

[b] Electus eſt Maii 30. 1193. *Diceto.*

Reverſus Rex, iis honoribus hominem cumulavit, ut potentiorem ſubditum in noſtra Britannia ſol nunquam viderit. Nam Archiepiſcopum jam antea et Pontificis Legatum, Cancellarium creavit, et ſummum Angliae Judicem ſive Juſtitiarium[c], omniumque ditionum tam in Anglia quam alibi, ſe abſente praeſidem atque gubernatorem[d], ac praeter alia multa, nobilium pupillorum regni [tutelam] (munus quaeſtuoſiſſimum) illius fidei commiſit. Hâc tantâ potentiâ tam prudenter et moderate is uſus eſt, ut Regis ſimul gratiam, populique benevolentiam ſibi conciliarit, facinoroſos tamen egregie caſtigarit, reliquos in officio continuerit, tumultus prudenter ſedaverit, ſeditioſiſque fortiter reſtiterit, ac repugnarit. Non defuerunt tamen tunc temporis (nec ſine cauſa fortaſſis) qui ambitionem hanc immoderatam reprehenderint, quòd tot ſimul muneribus ſe ingeſſerit. Traditur inter alios optimatum quendam, his verbis nimiam hominis cupiditatem taxaſſe[e]. Vidimus (inquit) jam antea Cancellarium Archiepiſcopum creari, ſed qui jam Archiepiſcopus Cancellariatum dignaretur aſſumere, ante te ipſum hucuſque repertus eſt nemo. Quapropter conſultum putavit, ambitioni ſuae velum obtendere, neceſſitatis ex voluntate regia[f]. Annis igitur vix integris duobus tranſactis ex quo tot ſimul onera in ſe ſuſcipere non eſt veritus; cupiditatem ſimulavit munera illa omnia à Laicis geri ſolita abdicandi; quod ut bonâ Regis cum gratiâ ipſi facere liceret, crebris eum Epiſtolis obtundere non deſiit, in quibus hoc ipſum impensè quotidie flagitavit, dicens Eccleſiae ſuae rectè adminiſtrandae vix quenquam parem; huic igitur curandae ſe totum deinceps dicaturum. Haec ille: exiſtimans nimirum, alium neminem habere Regem negotiis illis pertractandis tam idoneum, ideoque rogaturum iterum iterumque ne de abdicando unquam cogitaret. Caeterum praeter ſpem evenit, ut Rex quanquam hanc ejus petitionem aliquandiù non probare videretur, ipſa tamen rei aequitate victus, tandem ſuccumberet.

Hic nunc Hubertus ſua captus indagine, inexplebilem dominandi cupiditatem ultro prodidit. Nam numerata Regi ingenti pecuniae ſumma, videlicet undecies centenis marcarum millibus; hanc dicit ſe ad uſum Regis hoc ultimo biennio collegiſſe; et optare, ut qui in muneribus à ſe hucuſque obitis ſint ſucceſſuri, pecuniam non minorem proximo biennio inferendo, ſimile diligentiae edant ſpecimen. Id vero ſi Rex non ſperandum exiſtimet; ſe licet ſenem ac valetudinarium et paſtorali officio praepeditum, haud tamen recuſare, tam reipublicae quam Eccleſiae operam ſuam adhuc pauliſper praeſtare. Sic, ut honeſte videretur emere quod temere abjecerat; calliditatem et ſimulationem ſuam jactura mulctavit aureorum tot millibus, ut ſeptima eorum parte, à captivitate ſe non ita pridem Rex potuerit redimere. Hoc uno dempto vitio, ambitionis inquam (ad quam maxima plerunque ingenia maxime propendent) egregia profecto virtute vir fuit, et dignus cujus memoriam poſteri celebrent; Nempe

---

[c] Anno 1194. conſtitutus eſt ſummus Angliae Juſticiarius, *M. Paris.* et *Hoved.* f. 416. b. et depoſito Huberto Galfridus filius Petri ſucceſſit ei in regimine Regni A. 1198. *Hoved.* f. 443. a. Vid. *M. Par.* et *Weſtm.* ad annum. De dignitate officii Juſticiarii Angliae eo tempore, vide *Spelmanni Icenia* ſub titulo Weſt. Dereham. Factus eſt iterum Cancellarius A. 1199. die Coronationis Joan. Regis *Hoved.* f. 451. a. Conſtat id etiam ex brevi Regio (apud *Selden de decimis* p. 23) dat. per manus Huberti Cantuar. Archiepiſcopi Cancellarii noſtri apud Rothomagum. 31 die Julii A°. Regni noſtri primo. Extat ſimile breve dat. 30 Aug. apud *Prynn.* V. 2. p. 229.

[d] Apr. 30. 1195 *M. Weſtm.*

[e] *Hoved* f. 451. a.

[f] Innocentius tertius Papa impoſuit Richardo primo ſub periculo interdictionis, ut Hubertum Archiepiſcopum ab officio Juſticiarii removeret. *Spelm. Praef. ad Concil.*

(ut loquitur Giraldus[g]) “ Principis erat frenum et tyrannidis obſtaculum, “ populi pax et ſolatium, majorum pariter et minorum ſuis diebus contra publicae poteſtatis oppreſſiones in neceſſitate refugium.” His licet adjicere, Regibus fideliſſimum ſemper extitiſſe et reipublicae amantiſſimum, in qua multas leges ſaluberrimas condidit quae in hodiernum uſque diem vim obtinent. Haec vero, ac deinde in bellicis rebus quid patriae praeſtiterit, malim apud annales petas, quam me audias narrantem.

In familiae copia et ſplendore, magnificentiam Regiam aemulari non eſt veritus, et tamen ingenti ſumptu opera perfecit magna plurimaque. Nam ut Coenobium Deramenſe antedictum praetermittam; aliud praeterea Ciſtercienſibus Monachis Wulſeramtoniae conſtruxit, quamvis morte abreptus, haud plane abſolverit: Arcem Londinenſem (quam Turrim appellamus) moenibus et foſſa cinxit profunda, cui Thameſin immiſit, ita ut fluviatili aqua undique circundederit, id quod ante illum nemo unquam potuit praeſtare: Archiepiſcopatum magnificis aedificiis ornavit et multis proventibus ac praediis locupletavit: Praeterea non tantum ſuas, ſed Monachorum quoque poſſeſſiones ampliſſimis firmavit privilegiis, quae priſtinis antiqui juris Anglicani vocabulis nuncupantur, Geld, Dangeld, Hidagium, Warpen, Bloudwhit, Childwhit, Villenagium, multaque ſimilia, quae quid ſibi velint ego certe tam doctus non ſum ut intelligam. Denique Eccleſiae ſuae Cantuarienſi dedit Eccleſiam Halegaſtenſem, eâ lege, ut nullum alium in uſum fructus ejuſdem impenderentur, quam in libris coemendis et bibliothecâ reparandâ. Sed nulla erat vel munificentia, vel magnificentia, nulla tanta potentia vel potentium gratia, quae à Monachorum ſuorum malitia tutum eum et immunem potuerit praeſtare. Miſſis ad eos Abbatibus tribus, Waltamenſi videlicet, Redingenſi, et Cherteſeienſi, partim precibus, partim ſuaſionibus inducere eos nititur, ut Eccleſiae ſtructuram à Baldwino Lamethae coeptam, ejuſque morte ac temporum difficultate intermiſſam, à ſe jam tandem perfici non gravate patiantur. Illi vero omnem ejuſce rei mentionem averſati; vix dato reſponſo, ad Pontificem protinus Romanum provocatione facta, multorum criminum coram illo reum faciunt Archiepiſcopum[h]. Caetera utcunque potuerit diluere, adeo haeſit illud de politicarum rerum adminiſtratione crimen; ut mandatum ſtatim emanaret, quâ ſub anathematis poena imperatum eſt, ut tam Cancellarii quam Juſtitiarii munere ſe confeſtim abdicaret. Sed et Eccleſiam Lamethenſem diruere oportuit ac ad fundamenta uſque demoliri[i]. Poſtea tamen decreto novo permiſſum eſt, ut alium ibi Archiepiſcopus conſtruat, modo non iiſdem currat veſtigiis, modo etiam proventibus non dotetur ultra centenas libras annuas, Epiſcopi etiam ibi ne conſecrentur, Abbates non benedicantur, non conficiatur Chriſma, Archiepiſcopus ipſe ibi miſſas non celebret, Canonici item viginti (nec plures) in eâ inſtituantur[k]. Hâc ſic lite compoſitâ et politicarum rerum adminiſtratione exoneratus, aetatis quod ſuperfuit, Hubertus tranquille et pacificè tranſegit.

Richardo Rege defuncto, qui ſucceſſit Joannes, eo, minus familiariter aliquandiu uſus eſt[l]. Nec mirum: Nam fratrem is Regem in ordinem redigere non ſemel tentavit, conjurationibus aliquot contra illum factis, quae vigilantia et prudentia Huberti patefactae ſunt et oppreſſae. Tandem vero cùm experientia docuiſſet quam male poſſet tanti viri conſilio carere, omni veterum ſimultatum memoria depoſita, in intimam eum gratiam recepit, hoſpitio ejus Cantuariae uſus eſt (ubi magnificentiſſime exceptum ferunt) et in Normanniam diſcedens, totius regni gubernacula fidei ejus commiſit. Cùm Archiepiſcopatui annos praefuiſſet undecim ac menſes octo, febricula correptus in itinere Roffam petens, ut lites inter Epiſcopum et monachos ibidem obortas componeret; ad mannerium ſuum Tenamenſe coactus divertere, cùm quatuor duntaxat dies decubuiſſet, animam exhalavit[m]. Conditus fertur in muro qui eſt è regione auſtralis partis chori, ubi monumenta olim vidimus conjuncta ipſius et Walteri Reynald, qui ipſi longo poſt tempore ſucceſſit, id quod elogia tunc teſtabantur inſcripta, quae poſtea neſcio quo pacto deleta audio[n].

---

[g] *De jure et Statu Menev. Eccleſ.* et in *Gemma Eccleſias*. Diſt. 2. cap. 36.

[h] *Hoved.* f. 440. &c. *M. Weſtm.* A. 1198.

[i] *Hoved.* f. 444. *M. Weſtm.* A. 1199. Excambium factum inter Hubertum Archiepiſcopum Cantuariae et Epiſcopum (ſeu potius Monachos) Roffen. de Manerio de Darent &c, pro Manerio de Lamhee &c. *Rym. Foedera*, Tom. 1. p. 89, 90.

[k] *Hoved.* f. 458.

[l] Hoc falſum eſſe ſatis conſtat ex eo quod die Coronationis Cancellarium fecit. *Hoved.* f. 451. a.

XLIII. STEPHANUS LANCTON.

* 1207. Joan. 8.

HUBERTI mortem adeo non luxit Joannes Rex, ut ea nunciata exultans gaudio, jam demum Angliae ſe revera Regem diceret. Si vero intellexiſſet, tanto viro orbatus, quantam inde jacturam feciſſet, quantaſque turbas mors ejus eſſet excitatura; ſe tum primum amittere regnum vidiſſet, parvique pependiſſet opes ab illo relictas, quas etſi teſtamento Hubertus legaſſet, ipſe tamen Cantuariam profectus abripuit omnes et fiſco intulit ſuo. Neque vero minori gaudio monachi elati ſunt, parum gnari, quantarum calamitatum illis mors ejus cauſa eſſet futura. Illi namque cupidi jus electionis hactenus controverſum uſurpandi[o], et verentes ne libertas ejus petitione Regis imminueretur; clanculum et intempeſta nocte ad electionem properantes, Reginaldum ſive (ut habet Walſingamus in Ypodigmate) Reinerum Subpriorem ſuum Archiepiſcopum renunciarunt[p] et in Archiepiſcopali ſolio collocarunt[q], juramento prius adactum, ne electionem hanc palam faceret, aut ſe ullo modo pro electo gereret donec Romam ad Pontificem perveniſſet. Atqui juramenti hujuſce parum ille memor, quam primum tranſmarinas oras attigiſſet, electum Cantuarienſem ſe paſſus appellari, diploma electionis ubique oſtentavit. Quam fidei violationem iniquiſſime ferentes ii ipſi qui elegerant, et inde electionem praedictam irritam factam exiſtimantes; veniam temeritatis à Rege humiliter petunt, et ut jam bona ejus cum gratia alium liceat deſignare; id quod is eo libentius [indulſit,] quia non alium videbantur electuri quam Joannem Graium Norwicenſem Epiſcopum[r], quem Rex omnium maxime expetebat Archiepiſcopum creari. Is tunc temporis in aquilonari regni plaga negotia quaedam Regis procurabat: Mature vero accerſitus, debita cum ſolennitate eligitur, electione coram Rege et populo praeſente publice promulgata. Electionibus hiſce Pontifici exhibitis, et Monachorum praeſentium nonnullis primum confirmari, pleriſque vero poſteriorem, flagitantibus: Ille monachorum diſcordia in rem ſuam abuti conſultum exiſtimans; cum utriſque agit clanculum, ut utroque neglecto, tertium à ſe nominandum recipiant, Stephanum videlicet quendam Langtonum[r], Cardinalem Romanum, hominem certe ob plurimas animi corporiſque dotes laudandum et tanto honore non indignum, ſi legitime eum fuiſſet adeptus.

---

[m] Obiit 13 Jul. 1205. *M. Paris.* p. 178. *Weſtm.* f. 266. et *Gervaſ. Chron.* nec non *T. Wikes.* 5 Id. Julii. *Chron. Lichf.* MS. Lowth.

[n] Huic Archiepiſcopo directa eſt Bulla Papalis à Coeleſtino 3. ut Parochianos ſingularum Eccleſiarum propriis ſuis et non alienis (pro lubitu) Eccleſiis decimas perſolvere faciat. Vid. Bull. Orig. in Bibl. Lamb. Num. 13. Eidem ab eodem Pontifice conceſſa eſt alia, confirmans Inſtitutiones et Ordinationes ab illo factas. ib. Nu. 28. Eidem conceſſa eſt carta à Joanne Rege, ut ille et ſucceſſores habeant in curiâ ſuâ magnas Aſſiſas de Terris quae tenentur in Gavelkind, de foedo Eccl. Cant. Vid. inter Bullas in Bibl. Lameth. Breve Regis Richardi miſſum Huberto Archiepiſcopo pro conceſſione Torneamentorum. *MS. Lamb.* Num. 8. *MS. London.*

[o] *M. Paris.* p. 178.

[p] De hâc electione. v. Veſpaſian E. 1. veteri Charactere, et *Sylv. Girald.* Lib. Diſtinct. 2. cap. 19.

[q] *Mat. Weſtm.* Anno 1206.

[r] *M. Paris.* p. 179. *Ann. Waverl.* p 169.

Patrià Anglus erat, Lutetiae vero educatus, ubi in magna Regis et procerum gratia complures annos vixit (factus etiam Academiae quae eſt ibidem Cancellarius) donec tandem Papa eruditionem ejus admiratus, hominem Romam ad ſe vocatum, Cardinalem[s] renunciavit. Conventus ſive coetus monachalis pars multò maxima Romae tunc fuit, aliis (uti diximus) Subprioris, aliis vero Graii, cauſae faventibus. Cum utriſque Papa agit ſedulo ut Langtonum eligant[t]: deinde quod non impetrat imperat, et à precibus ad minas converſus, ſub anathematis poena jubet eligi quem ipſi viſum obtrudere. Quod cum metu coacti praeſtitiſſent; ab ipſo Papa Viterbii agente, iſte ſic electus conſecratus[u] eſt Junii 17[x]. Deinde, iracundiam Regis veritus Pontifex, literas, aſtutae aſſentationis pleniſſimas ad eum dedit, in quibus laudato multum Stephano, quem merito creaturam ſuam vocabat, verbis quam potuit blandiſſimis rogabat, ut quod à ſe factum eſſet, ipſe etiam vellet ratum habere, minas nonnunquam interponens obſcure, ſi aliter facere in animum induceret[y]. Rex hujuſmodi literis nihil permotus, et ira juſtiſſima percitus; monachos Cantuarienſes in univerſum omnes proſcribit, proditionis crimen illis impingit, et novo Archiepiſcopo ne regnum ingrediatur interdicit. Quod cum Pontifici eſſet renunciatum[z]; Epiſcopis tribus, Gulielmo Londinenſi, Euſtachio Elienſi et Maugero Wigornienſi mandat, monachos niſi Rex revocet, rebus ſuis reſtitutis, et Archiepiſcopo temporalia (ut loquimur) confeſtim reſtituat; et ipſum et regnum univerſum ſacris interdicant. Epiſcopi non auſi non parere, et Rege mandato Papali morem non gerente, interdictum promulgant[a]: Sed iracundiam regiam veriti, et aſſumptis ſecum Jocelino Bathonienſi ac Aegidio Herefordenſis Eccleſiae Epiſcopis, conſcenſa nave, ad tranſmarinas oras profugiunt[b]. Proſcribuntur illico, bona illorum fiſco illata, et amici neceſſariique eorum omnes in exilium pulſi, quos ſuſpicaretur Rex, opibus ſuis profugos quoquo modo juvaturos. Interdicto hoc vigente, à ſacris ubique per totum regnum ceſſatum eſt, niſi quod infantes baptizare, confeſſiones excipere, et in articulo mortis conſtitutis euchariſtiae ſacramentum impertiri, facultas permiſſa. Hujuſmodi tam ſaevo interdicto cum nihil ſe proficere Pontifex videret; in Regem excommunicationis fulmen ejaculatur, et ſententia lata, regno regiaque authoritate excidiſſe pronunciat.

Gladium Papalem tanquam hebetem et ad nocendum parum validum, hucuſque contempſit Rex: Perſpiciens vero tandem Gallorum Regem, iſtius excommunicationis praetextu regnum, ingenti exercitu coacto, invadere paratum[c]; ſubditos etiam ſuos ambigere, utrum ſequi debeant, principem legitimum, an (ô craſſam illorum temporum caecitatem) hominem extraneum cui in nos aut noſtra nequicquam omnino erat juris:

---

[r] *M. Weſtm.* A.1207. et *Chron. Mailr.*

[s] Tit. Sti Chryſogoni Preſbyterum Cardinalem. *Rym.* Tom.1. p.143.

[t] *Weſtm.* ib.

[u] *M. Par.* p.187. *M. Weſtm.* p.268.

[x] A.1207. *Chron. Lichf.*

[y] De totâ hâc inter Regem Johannem et Papam controverſiâ videre eſt apud *Rymer.* Tom.1. p.143,144,147,165,166,167,171,172. nec non in *Concil. Anglic.* Tom.1. à p.515. ad p.546. Reſignatio Regis extat apud *Rym.* Tom.1. p.176,177. De Electione liberâ univerſis et ſingulis Eccleſiis conceſsâ. Vid. ib. p. 197,198.

[z] *M. Paris.* p.188. *Weſtm.* ib.

[a] *Weſtm.* et *Mailr.*

[b] *M. Paris.* A.1208. p.190.

[c] *M. Weſt.* A.1213.

labaſcere coepit protinus; et periculi magnitudine perculſus, Archiepiſcopum admiſit[d], Epiſcopos praedictos monachoſque Cantuarienſes revocavit[e], bonis quae abſtulerat reſtitutis; et abdicato regno, ut à Pontificio Legato tanquam beneficiarius recipiat, penſionem mille marcarum annuatim pendendam diplomate ſuo pollicitus.

In portu ſe jam navigare exiſtimabat, quando procella derepente exorta, graviſſimarum difficultatum fluctibus immerſum, in extremum eum periculum conjecit. Nam cùm Pontificis gratiam (quam pretio ita magno redemerat) non minus validam exiſtimaret et potentem ad eum propugnandum quam fuiſſet ad oppugnandum: Illius jam fultus praeſidio, nihil eſſe tam difficile judicabat quod ſe non perfecturum confideret. Ad inopiam igitur redactus per contentionem antedictam et bella inde exorta; converſus eſt ad rapinas, revocatis omnibus donationibus ante abdicationem factis, quas irritas eo praetextu pronunciavit, quod regnum à Papa ab omni onere immune accepiſſet. Hinc proceribus et populo gravis (Archiepiſcopo anteſignano) deſeritur à ſuis, qui rebellione facta, Ludovico Gallo ſe dedunt[f]. Sedati ſunt tandem hii tumultus per mortem Regis repentinam, quem veneno à monacho quodam propinato nonnulli ſublatum, plerique morbo ſive ex perſicorum eſu immoderato, ſive ex aegritudine animi contracto, perhibent extinctum. Henricus filius ejus qui vix dum decimum aetatis annum expleverat, regno mox inauguratus eſt; Ludovicus faceſſere juſſus; et proceribus propter rebellionem excommunicatis, anathematis vinculum laxatur. Archiepiſcopus et Clerici qui ſeditioſis ſe adjunxerant, haud illico recepti, nimirum ut abſolutionem pretio redimerent. Breviter haec et paucis à me perſcripta, quae ab hiſtoricis noſtris copioſe tradita, cupienti facile eſt ab ipſis fontibus haurire.

Rebus jam omnibus pacatis, Synodum celebravit Langtonus in coenobio Oſneienſi prope Oxoniam[g], ubi multa ordinata ſunt ſicut in Provinciali Angliae videre eſt. Juvenis quidam ibi fertur damnatus, qui ſe Jeſum Chriſtum nominavit, et in manibus, pedibus atque latere, vulnerum notas oſtendit. Hic nebulo cruci affixus eſt, ut ſaltem morte illi eſſet ſimilis, cujus nomen et perſonam tam ſtolide quam impie aſſumpſerat. Circa id ipſum tempus[h] Thomae Becketti oſſa, à theca marmorea in qua condita ſunt, hic Archiepiſcopus transtulit in feretrum pretioſiſſimum magna cum pompa et ſolennitate, Rege, procerum permultis, et plebeiis innumeris, exteris etiam et peregrinis quamplurimis praeſentibus. Sumptuum quos in hac celebritate immenſos ſuſtinuit magnitudo, ſic Archiepiſcopatus facultates exhauſit, ut à quatuor deinceps ordine ſequutis Archiepiſcopis aes alienum tunc contractum diſſolvi non potuerit. Sedit annos 22, et Julii 9 1228 deceſſit[i] apud manerium ſuum de Slindon in Suſſexia, unde cadaver Cantuariam deportatum in capella D. Michaelis prope gradus auſtrales tumulatum eſt. Homo fuit egregie doctus, et multa ſcripſit, ſicut in Balaei Catalogo videre eſt. Illud in primis memorabile duco, quod ſacram Bibliam primus omnium dicitur in capitula diſtinxiſſe, ordinem ab eo conſtitutum ſequentibus, omnibus quae uſquam jam inde ab eo tempore fuerunt Eccleſiis. Palatium Archiepiſcopale Cantuariae fere totum conſtruxit; et in horologii fabricatione magnos fecit ſumptus. Conditus fuit ſub ipſum altare capellae praedictae, ubi monumentum ejus adhuc viſitur.

---

[d] Pardonatio Stephani Archiepiſcopi Cantuarienſis. *Pat.*15. *Joh. n* 48. Reverſus eſt inter Paſcha et Pentecoſten 1214. et ceſſavit Interdictum cir. Jul.1. ejuſdem anni. *Chron. Mailr.* Litera Regis quâ revocatur Archiepiſcopus dat. apud Ewel Maii 24.1213, regni 15° *Rym.* Tom.1. p.171.

[e] *Weſtm.* ad A.1214. reverſi ſunt de exilio, Archiepiſcopus Stephanus, Willelmus Epiſcopus London. Euſtachius Helien. Aegidius Hereford. Jocelinus Bathon. Hugo Lincoln Monachi Cantuarienſes, omneſque clerici et laici hâc cauſâ exulantes. *Chron. Petrob.* ad A.1213. Interdictum, quod ſex annis, tribus menſibus, ſexdecim diebus duraverat, relaxatum eſt ſexto nonas Julii *Id.* ad A.1214.

[f] *M. Weſtm.* A.1216. Regni Barones à Papâ excomunicantur, Bullâ dat. Romae 17 Kal. Janu. anno Pontif. 18. *Rym.* Tom.1. p 212.

[g] Hoc Synodum celebratum eſſe non in Coenobio Oſneienſi, ſed apud Cantuariam ſatis liquet ex Hiſtoria *M. Paris.* ad annum 1222. et tranſlatum eſſe Thomae Archiepiſcopi corpus anno 1220 patet ex eodem ſub anno.

[h] Non. Jul. 1228. *MS. Barlowe.*

[i] Jul. 7. *Annal. Winton.* Jul. 10. *Chron. Petrob.* rectiùs vero *M. Weſtm.* Jul. 9 1228 obiiſſe dicit, et tumulatum eſſe Jul. 14.

* * *

XLIV. RICHARDUS WETHERSHED[k].

1229. Hen. 3. 13. PAUCIS poſt Langtoni obitum diebus, Monachi Cantuarienſes, impetrata prius licentia regia, novi Pontificis electioni ſe accingunt, et Archiepiſcopum tandem deſignant è ſuo quendam corpore Walterum de [l] Hempſham; quam electionem Rex gravibus de cauſis approbare aut ratam habere renuit [m]. Electus nihiloſecius, Romam properat, confirmationem Pontificiam petiturus. Miſſi igitur à Rege Coventrenſis et Roffenſis Epiſcopi, qui ſtatim ut Romam perveniunt, de monachorum Cantuarienſium protervia multis apud Pontificem conqueſti, qualem hominem ad Metropoliticam ſedem elegiſſent Pontifici exponunt; Monachum nimirum nullo rerum uſu praeditum; literatura exigua; moribus adeo ſolutis ut moniali ſaepius compreſſa, aliquot ex ea nothos ſuſtulerit; natalibus etiam infamem, utpote cujus pater ob furtum damnatus, ſuſpendio perierit; neque vero ipſum mortem conſimilem non meritum, ſeditioſorum quippe ac rebellium facem nuper ac anteſignanum extitiſſe. Non valuerunt haec Pontificem inducere ut electionem irritam declararet, priuſquam ad bellum contra Imperatorem gerendum, omnium mobilium bonorum tam à Laicis quam Clericis poſſeſſorum, pretii decimam partem per totam et Angliam, et Hiberniam colligendam, Epiſcopi fidem feciſſent. Tum verò electum praedictum à certis Cardinalibus examinatum, hominem pronunciavit, et imperitum, et indoctum adeoque tanto munere indignum, eamque ob cauſam excidiſſe Monachos à jure ſuo eligendi, idque ad ſedem Apoſtolicam devolutum. Metuebant jam Legati, ne dum pollicitationi hujuſmodi Papae fidem non haberet, ſuorum aliquem Archiepiſcopali ſolio ingereret. Miſſo igitur confeſtim nuncio, quid promiſerint Regem faciunt certiorem, rogantes, ut largitionis tam amplae promiſſionem ratam habere non gravaretur, niſi malit Romanum aliquem, ſicut nuper Langtonum, ſibi pro Archiepiſcopo obtrudi. Annuit ille, adeoque facile impetrat, Richardum Cancellarium Lincolnienſem oraculo Romano Archiepiſcopum pronunciari. Hunc Ranulfus Polychronici author, Richardum appellat de Wetherſhed, magnum Decanum Londinenſem, quem plerique Richardum Magnum nuncupatum contendunt.

Vir is fuit proculdubio graviſſimus, eruditus, prudens, facundus, moribus inculpatus, animo ſatis magno praeditus, jurium Eccleſiaſticorum propugnator ſtrenuus, vultu etiam decorus, et erecto corpore procerus. Conſecratus eſt Cantuariae per Henricum Roffenſem Epiſcopum Jun. 20[n]. 1229. Rege, et proceribus magno numero praeſentibus. Tempore praefuit exiguo, morte raptus immatura, cum duos tantum ſediſſet annos.

---

[k] RICARDUS de GRAUNT. *Chron. Mailr. Tax. Wint.* et *Chron. T. Wikes.*

[l] Eveſham. *Chron. T. Wikes.*

[m] *M. Paris.*

[n] Jun. 10. 1229. die S. Trinitatis. *M. Paris* p. 306. *M. Weſtm.* p. 288. *Chron. T. Wikes* et fuit dies Dominica, Junii verò 20 non ita.

Controverſia interim exorta eſt inter ipſum et Hubertum de Burgo Cantiae Comitem, de tutela Comitis Clarenſis in minori aetate conſtituti, quam ad ſe pertinere magna vi contendebat. Hubertus iſte, propter fortem et fidelem operam, tam Joanni patri quam ſibi ſaepe praeſtitam (inter alia arcem Doverenſem, firmiſſimum prope totius Angliae propugnaculum, à Ludovico Gallo diù obſeſſum, parvis cum copiis defenderat) magna erat apud Regem gratia et authoritate. Cum igitur praedicti Comitis praedia Hubertum ingreſſum, et fructus ad ſe pertinentes occupaſſe, conqueſtus, nihil à Rege contra tam gratioſum poſſet obtinere; injuriae hujuſmodi authores omnes (Rege duntaxat excepto) excommunicat et Romam eveſtigio iter arripit. Regi quamprimum id innotuit, miſſi Legati, qui conatus omnes Archiepiſcopi quantum poſſunt impediant: Sed proficiunt nihil. Papa, facundia, gravitate, morumque hominis elegantia plurimum delectatus, omnibus ejus poſtulatis promptiſſime annuit. Attamen ex hac victoria exiguum retulit fructum. Nam ut in patriam reverteretur, tridui itinere emenſo; morbo correptus, in oppido S. Gemmae extinguitur [o], et ibidem in Eccleſia fratrum Minorum ſepulchro conditur, quod poſtea noctu à latronibus apertum perhibent, qui annulum, mitram, caeterumque apparatum Pontificalem, quo ſepeliendus pro more fuerat ornatus, auferre conati, avellere tamen (ſi fas credere) nulla ratione potuerunt. Neque vero operae pretium non fuerit commemorare, ſacerdotia totius Angliae paulo opimiora, ab Italis hominibus ea tempeſtate occupata, complurimis, nec ſine cauſa, aegerrime id ferentibus. Unde fiebat, ut paſſim in compitis ſpoliarentur nemine vindicante, et ſaepe non deeſſent qui in domos aut horrea Romanorum irruentes, omnia diriperent, idque tam palam et impunitè, ut ſine procerum et magiſtratuum conſcientia talia perpetrari nemo exiſtimaret. Factum inde ut Anglica ſacerdotia jam poſtea Itali minus avidè expeterent.

XLV. SANCTUS EDMUNDUS.

1234. HEN. 3. 18. MONACHI Cantuarienſes, certaminum (ac praecipue contra principes ſuos) pertaeſi, ex quibus nimirum hactenus nihil praeter jacturam reportarant; Richardi morte renunciata, elegerunt ſponte qui demortuo ſuccederet Radulphum Nevilium Epiſcopum Ciceſtrenſem et Angliae Cancellarium, hominem prudentiſſimum et apud Regem gratioſiſſimum [p]; cui ſtatim poſſeſſiones Archiepiſcopales in manus tradidit, et (ſi uſitatam apud nos loquendi rationem liceat uſurpare) temporalia reſtituit. Papa rogatus ut electionem confirmaret, à Simone Archidiacono Cantuarienſi, Langtoni Archiepiſcopi fratre percontatur, quid hominis ſit Nevilius iſte ad ſedem Cantuarienſem poſtulatus? Reſpondet ille, acrem eſſe, aſtutum, aulae diu aſſuetum, in principis gratia validum, et animo adeo non puſillo, ut metuendum ſit ne factus Archiepiſcopus, lites ſerat inter ipſum et Regem, et fortaſſis author ſit, ut penſionem à patre promiſſam ſubtrahat. Satis jam dixerat. Nulla facti reddita ratione, Monachis imperat ut alium eligant; hunc nimirum non placere[q]. Iterum proinde coeuntes, Joannem quendam Archiepiſcopum renunciant, Eccleſiae ſuae Subpriorem[r], qui Romam profectus eſt, et à Cardinalibus examinatus, quibus eo munere haud indignus eſt viſus. Papa tamen decrepitam hominis aetatem cauſatus, et paſtoralis officii laboribus imparem dicens, ſeni facile perſuaſit ut locum cederet valentiori. Repetita tum electione, Richardum[s] quendam Blundy Theologum Oxonienſem Archiepiſcopum ſuo calculo deſignant. Sed et hic quoque à Papa rejicitur eo praetextu, quod contra Canones bina ſacerdotia poſſideret, et quia pecuniam à Petro Epiſcopo Wintonienſi mutuo ſumpſiſſe dicebatur, unde corruptos ab illo Monachos libuit ſuſpicari, [t] [Epiſcopatum tamen Exonienſe paulo poſtea conſecutus videtur.] Negotii tam diù agitati Pontificem jam taedebat. Quapropter, praeter morem ac ingenium ſuum, ad preces ſe demittens, electores Monachos rogabat impenſe, ut Edmundum Sarisburienſis Eccleſiae Theſaurarium, virum tam pietate quam doctrina celeberrimum, ſuis ſuffragiis Archiepiſcopum crearent[u]; quod cum illis, niſi conſultis prius tam Rege quam fratribus, haud integrum eſſet praeſtare; nec tamen, petenti Papae auſi eſſent refragari; ſilentium pro conſenſu accipiens, pallium continuò miſit in Angliam homini, qui de tam excelſo dignitatis gradu vix unquam vel per ſomnum cogitaret. Judicium Papae, tam Monachis quam principe probantibus, conſecratus eſt Cantuariae per Rogerum Londinenſem Epiſcopum Apr. 2. 1234[x]. Rege, et praeter alios proceres, tredecim Epiſcopis praeſentibus. Londini natum nonnullis placet, et in eodem baptiſterio ſacramento regenerationis Chriſto initiatum, in quo magnus ille Sanctus Beckettus. Alii vero probabilius aſſerunt[y], Abendoniae ortum in comitatu Berkenſi, et patrem habuiſſe Edwardum Rich mercatorem, matrem vero Mabeliam, qui aetate provectiori monaſticae vitae ſe dediderunt, Edmundo filio Oxoniam miſſo, ubi in Collegio Univerſitatis dicto educatus eſt. Poſtquam Theologiae mediocrem ſcientiam fuiſſet aſſequutus (nam in id praecipue ſtudium incumbebat) ad concionandi munus ſe totum conferens, magnam partem comitatus Oxonienſis prout etiam Gloceſtrenſis et Wigornienſis peragravit, verbum Dei ubique praedicans. Ob hujuſmodi labores magno cum fructu ſuſceptos, cum ubique celebris evaſiſſet: Theſaurariatu Sarisburienſi honeſtatus eſt, ac paulo poſt ad Archiepiſcopale culmen evectus. Statim à conſecratione iracundiam Regis contra ſe concitavit, quod ſororem ejus Alianoram Simoni Montefortio Leceſtriae Comiti nubere prohiberet, voviſſe eam caſtitatem dicens, quando priori marito, Comite Mareſcallo nuper eſſet orbata. Ad hunc amovendum obicem, aliaque nonnulla conficienda, accerſi placuit Legatum Pontificium nomine Othonem. Hunc etiam loquendi libertate irritat Edmundus, dum ſordes et rapacitatem ejus acriter adeo reprehendit, ut Archiepiſcopum laedendi nullam poſtea occaſionem Legatus praetermiſerit. Monachi Roffenſes[z] ad Eccleſiae ſuae praeſulatum Richardum quendam de Wendover elegerant, quem ab Edmundo Archiepiſcopo conſecrari poſtularunt, quod ille facere renuit, hominem dicens indoctum, et eo munere uſquequaque indignum. Quare ad Romanam curiam ab illis provocatum eſt. Cujus rei certior factus Archiepiſcopus, eò, quam poteſt maturè, proficiſcitur. Domi eum detinere Legatus conatus eſt; et cum id non ſuccederet, ſcriptis ad Papam literis, tot criminationibus hominem oneravit, ut nihil aequi ibi loci potuerit obtinere; adeo ut non ſolum in cauſa praedicta, ſed alia etiam appellatione Hugonis Comitis Arundeliae damnatus ſit, lite ad mille marcas aeſtimatâ, damno quidem ſuo permaximo, ſed dedecore majori. Romae dum adhuc eſſet, multis de rebus Papam admonuit, quae corrigi cuperet et emendari; ac praeſertim de Epiſcopatuum et Abbatiarum diuturna vacatione plurimum conqueſtus eſt. Cui malo ut iretur obviam, decreto ſuo facultatem dedit Archiepiſcopo, hujuſmodi praelaturas poſt ſex menſium vacationem, ſuo arbitrio diſponendi[a]. Magna illi pecunia hoc conſtitit decretum, quod tamen eo vix dum reverſo, Rege ſatagente revocatum eſt. Invidorum malicia ſic undique circumventus; patriae pertaeſus, ſibi ipſe exilium indixit[b]; et Angliae deflens aerumnas, per tyrannidem Pontificis ſpoliatae, quod reliquum erat aetatis, in lachrimis et ſuſpiriis tranſegit. Moerore tandem confectus, aut (ut nonnulli) per crebra jejunia et nimiam abſtinentiam, incidit primum in tabem; deinde febri acutiſſima correptus, Pontiniaco (ubi à primo in Galliam adventu hucuſque manſerat) [ad Sueſſionas (vulgo Soyſſy[c])] migravit, et ibi Novem. 16. 1242. vitam cum morte commutavit. Viſcera Soyſeyae, corpus vero Pontiniaci ſepultum. Vix dum ſex annis à morte ejus tranſactis, ſanctorum catalogo ab Innocentio quarto aſcribitur[d]. Ludovicus tum quartus Gallorum Rex, à loco ubi primum cadaver conditum, ad honoratiorem tranſtulit, et feretro indidit, auro gemmiſque pretioſiſſimis ornato[e].

---

[o] Ob. Aug. 3.1231. *M. Paris.* p. 312. *Chron. Lichf.* MS. Lowth.

[p] *M. Weſtm.* A.1231. p. 290.

---

[q] *M. Weſt.* ib.

[r] Priorem certiſſimè, vid. *M. Weſtm.* A.1232. p. 290. et *M. Paris.* p. 317. cujus electionem Rex confirmavit anno 1232, die 22 Maii. Pat. 16 H. 3. m. 7. apud *Prynn* Vol 2. p. 532.

[s] Joannes Blundus. *Weſtm.* p. 291, 342. et *M. Paris.* p. 325. Cancellarius Eboracenſis Eccleſiae MS. Hutton.

[t] *M. Weſtm.* A.1233.

[u] *Id.* ib.

[x] *M. Paris.* p. 335. *M. Weſtm.* ad annum p. 294. in feſto annuntia. *Chron. Lichf.* Palliumque accepit eodem die per manum Henrici Roffenſis Epiſcopi. *Id.* ib.

[y] *Chron. Petrob.*

[z] Magna huic Archiepiſcopo cum Monachis Roffenſibus ſuper cuſtodia Roffenſis Epiſcopatus vacantis controverſia interceſſit, ut colligi poteſt ex *Henr. Bracton* Libro de legibus et conſuetudinibus Angliae, in tractatu de exceptionibus c. 4. ubi habetur regia prohibitio monachis Roffenſibus ne Archiepiſcopum ſuper hujuſmodi Epiſcopatus vacantis cuſtodia in curia Chriſtiana implacitarent, quia de jure ad eum ſpectare debet.

* * *

XLVI. Bonifacius[f].

* 1245. Hen. 3. 29. REGE ſatagente, electus[g] eſt à Monachis Cantuarienſibus, qui Edmundo ſuccederet, Bonifacius Petri Sabaudiae Comitis filius, Reginae avunculus; vir, ſi generis nobilitatem demas et virilis perſonae dignitatem, plane nulla re ſpectabilis: Nam, ad animi virtutes quod attinet, nihil erat in homine quod jure laudaveris. Metuens igitur Rex ne electionem de illo factam Papa reſcinderet; Epiſcopis Angliae fere omnibus author fuit, ut literis ſuis cauſam ejus Pontifici commendarent; quod inviti plerique et ne Regem offenderent, metu inducti, praeſtiterunt. Ab ipſo Pontifice Lugduni conſecratus eſt anno 1244[h]. Ad primum Archiepiſcopatus ingreſſum, Eccleſiam ſuam obaeratam offendit 15 marcarum millibus, aut (ut quidam ſcribunt) 22. Cujus rei praetextu, in patria ſua multos per annos deliteſcens, pecuniam undique per fas et nefas corrogabat. Sede proinde ſua vix ſalutata, in Sabaudiam diſcedens, nemoribus caedendis, locationibus et aliis hujuſmodi rationibus, magnam coegit pecuniam; pollicitus eam omnem et quicquid praeterea poſſet corradere,

---

[a] *M. Weſtm.*

[b] Sponte exulavit. A. 1240. mortem obiit Nov. 16. ejuſdem anni. *M. Paris.* p. 486. Nov. 18. *M. Weſtm.* p. 304. Aug. 22. *Annal. Winton.* p. 307. A° 1241. *Chron. Lichf.*

[c] *MS. Lond.*

[d] A. 1246. *Walſingh.* p. 60. *M. Weſtm.* p. 626.

[e] Primò A. 1247. *Paris.* p. 638. iterumque A. 1249. *Id.* p. 664.

[f] Thomae Comitis Sabaudiae filius, ordinis Carthuſianae; qui fuerat prior Nantuae et adminiſtrator eccleſiae Valentiae. *Hiſt. Chronol. Pidemont.* p. 353.

[g] A. 1241. *M. Paris.* p. 494. Confirmatus A. 1243. *Id.* p. 535. Lugduni conſecratus A. 1245. *Id.* p. 580.

[h] Ita *Annales Burtonenſes*; aliter verò et *Weſtm.* et *Paris.* Dominicâ poſt epiphaniam. *Annal. Wigorn.*

ad aes alienum ab anteceſſoribus contractum diſſolvendum erogare [i]. Eodem porro praetextu Pontificem induxit, ut adminiſtrationem illi traderet Epiſcopatus Valentinae [k] in Provincia, nec non et aliarum promotionum Eccleſiaſticarum. Ille vero militiae ſe totum dedens, quicquid uſquam proveniret, conducendis copiis et belligerando abſumpſit. Quando igitur tot rationibus adjutus, nihil tamen profecit; à Pontifice muneribus et largitione corrupto impetravit, concedi ſibi omnium ſacerdotiarum fructus per ſeptem proximos annos in provincia ſua vacantium [l]; refragante ſane aliquandiù Rege, donec partim quod Papam homo meticuloſus non auderet offendere, partim interceſſione Reginae delinitus, tandem, licet aegrè, ratum id habuit. Annis cum abfuiſſet plus minus ſex, reverſus in Angliam, viſitationem indixit totius Cantuarienſis provinciae [m], non tam ut vitia reformaret, quam (quod lippis et tonſoribus ſatis erat exploratum) ut nummos corrogaret; unde invidiae flamma contra eum exarſit; quae moleſtias ei peperit, nec paucas nec leves.

Coeptum eſt ab Eccleſia ſua [n], quam duriſſimis legibus et inſtitutis coercuit, ſatis gnarus Dioceſanos pecunias dare malle [potius] quam hujuſmodi vinculis conſtringi; dicentibus complurimis, ſtultitiae ſuae debitam mercedem Monachos Cantuarienſes jam retuliſſe, quod exterum eumque indoctum ſedi ſuae praefecerint, hominemque militiae, quam Eccleſiaſticis muneribus aptiorem. Londinum inde profectus, Fulconem Baſſettum, virum generis nobilitate, pietate et eruditione celebrem, Londinenſem Epiſcopum, ex levi occaſione convitiis contumelioſiſſime proſcidit. Decanum et Canonicos Paulinos, ſe à viſitationis onere immunes dicentes, ideoque ad Pontificem provocantes, excommunicavit nihilo ſecius. Prioratum S. Bartholomaei [o] poſtridie petenti, honoris ergo obviam itum eſt à Subpriore et confratribus cappis choralibus exornatis; qui adventus cauſa intellecta; magna cum reverentia et verbis quantum poſſent mollibus ac blandis (nam iracundiam hominis ſatis habebant perſpectam) reſpondent, adventum ejus ſibi gratiſſimum, optare vero ut aliam haberet ejus cauſam: Nam ad viſitationem quod attinet, habere ſe Epiſcopum, virum graviſſimum, cui id muneris incumbat, nec poſſe alterius juriſdictioni ſe ſubmittere, niſi annuente illo: Rogare itaque ut hanc tam juſtam excuſationem aequi bonique conſulat. Reſponſo hujuſmodi ita commotus Archiepiſcopus, ut prae iracundia ſui compos non videretur; non in loquentem ſed Subpriorem (qui proximus forte adſtiterat) impetum faciens, infirmum ſenem pugnis caeſum et humi proſtratum, calcibus petit, cappamque magni pretii, qua fuerat indutus, in fruſta diſcerptam pedibus conculcat. In hac concertatione procidens forte fortuna Archiepiſcopus, lorica ſub veſte armatus conſpicitur. Famulis ejus utrum id animos fecerit, caeteros ſimiliter tractandi neſcio: Londinenſes certe adeo irritati ſunt inde, ut ad arma protinus convolantes, Archiepiſcopum viderentur in fruſta conciſuri, niſi is periculo praeviſo ad fluvium properans, et in lintrem ſe conjiciens, Lametham mature perveniſſet. Ex domo jam ſua tanquam ex arce tyrannidis excommunicationis ſententiam effulminat, nec Bartholomaeanos ſolos petens, Epiſcopum quoque Londinenſem nominatim ferit, tanquam eorum contumaciae et tumultus inde nati authorem. His conſultum viſum, Decanum S. Pauli, virum gravem et prudentem ad Pontificem legare, et quo in loco res eſſent, eum facere certiorem per literas Epiſcoporum quorundam, quibus fidem ſe habiturum erat credibile. Accepto hujuſce rei nuncio, abeuntis veſtigiis Bonifacius inſiſtit, Romamque magna cum pompa ingreſſus eſt[p], fiducia non levi concepta futurum, ut ſi non literae Regis ac Reginae, et nobilitatis reſpectus Pontificem ſibi ſatis conciliarent; at ſaltem pecuniâ qua probe venerat inſtructus, omnia ex animi ſui ſententia conficeret. Verum opinione falſus cum intellixiſſet adveniens, temeritatem facti et injuriae magnitudinem excuſationi locum non reliquiſſe[q]; ad preces converſus, quà petendo, quà pollicitando, Decanum induxit ut à coepta accuſatione deſiſteret.

---

[i] *M.Weſtm.* A.1245.

[k] Thomas de Sabaudia condit Teſtamentum 1246, ubi legat cariſſimo fratri ſuo Bonifacio Archiepiſcopo Cantuar. &c. et in eo mentionem facit de fratre ſuo Willelmo quondam electo Valentinenſi. Hinc forte error in hoc loco de Epiſcopatu Valentinae, ſed Qu. *Guichenon.* p.97. *Traitez de Paix.* p.832. MS. Baker.

[l] A.1248. *M.Par.* p.654.

[m] A.1250. *M.Paris.* p.675.

[n] Inthronizatus eſt in Eccleſ. ſuâ die omnium Sanctorum A.1249. *M.Weſtm.* p.345. et *M.Paris.* p.665.

[o] Vid. *M.Par.* p.676. et *Stowm.*

His rebus conſtitutis, cum Papa agit enixe, uti viſitationis ſuae acta velit confirmare. Quod Epiſcopis ſuffraganeis provinciae Cantuarienſis cum innotuiſſet; ſatis proſpicientes quantum inde damni eſſet redundaturum et ſibi et populis juriſdictioni ſuae ſubjectis: A ſuae Dioceſis Clericis magnam pecuniam colligunt in litigatione hac de re impendendam, duos nimirum denarios pro qualibet marca, hoc eſt cenſus cujuſque annui, partem octogeſimam. Muneribus utrinque acceptis, fluctuabat jam Pontificis animus, donec Regiis literis faſcinatus, ad Archiepiſcopi partes propendere videretur. Epiſcopus igitur Londinenſis primum[r], ac deinde caeteri labaſcunt animo et cauſam deſerunt, hoc tantum impetrato, ut Capitulum Paulinum et Bartholomaeani, ab excommunicationis ſententia abſolvantur[s]. Non multum deinde temporis interceſſit, quin ex levi cauſa occaſione captata, Decanum Paulinum Archiepiſcopus excommunicaret[t]. Cujus rei indignitas, Cantuarienſis provinciae clerum concitavit, ut conjunctis facultatibus, tyrannidem ejus ſumptu quantumvis magno reprimere conarentur. Quare, Duneſtapliae conventu indicto, quatuor millia marcarum colligunt, ſperantes, ea pecunia donatum Pontificem ſuum fore, et facile inductum iri, ut viſitationis hujuſmodi onus intolerandum ejus authoritate excutiatur[u]. Aurum quidem ille non repudiavit, ſed et ſpem fecit, in eorum gratiam nihil ſe non facturum. Caeterum poſtquam Archiepiſcopus re intellecta, ut clavum clavo pelleret, parem pecuniam aut fortaſſis majorem attuliſſet; parum hercle aut nihil praeſtitit. Nam viſitationis jus Archiepiſcopo ſucceſſoribuſque confirmavit, quanquam iis legibus moderatum[x], ut tolerabile jam poſthac futurum videretur.

Haec ita poſtquam conſtituta ſunt, reverſus domum, in coepta viſitatione progreditur, in qua pacate aliquantiſper rem gerit, ſed brevi inſitam repetens ferociam, eas ubique turbas excivit, ut longo poſt tempore tumultuoſa viſitatio fuerit nuncupata. Lincolniae, Epiſcopo defuncto, litem ſuſcitavit de Prebendarum donatione, quam ſibi, vacante ſede, is vendicavit[y]; Decano è contra ac Capitulo ad ſe ſpectare contendentibus, quemadmodum retroactis temporibus hucuſque ſemper ſpectaſſe demonſtrabant. Inter caeteros praecipuè, Gulielmus quidam cognomento Lupus, Lincolnienſis Archidiaconus ſe Bonifacio oppoſuit, et ad Romanam Curiam ab eo provocavit. Hunc excommunicationibus, minis, et nullo non terroris genere adeo exagitavit, ut occultare ſeſe coegerit, donec clanculum (neque enim aperte audebat) proficiſceretur Romam, ubi Pontificem miſeratione tactum ita habuit propitium, ut à Bonifacii vi ac tyrannide ſe eum protecturum receperit, ac dein pro illo, contra Archiepiſcopum, in cauſa praedicta ſententiam tulerit.

---

[p] A.1250. *M. Paris.* p.680. [q] *Id.* p.691. [r] *Id.* p.699. [s] Quod factum eſt. A.1251. *Id.* p.701

[t] *Id.* p.702. [u] A 1251. *M. Par.* p.704. [x] *Id* p.725. [y] A.1254. *Id* p.756.

Laetus ita domum revertitur, magna concepta fiducia, Eccleſiam ſuam priſtinis juribus nunc denuo reſtituendam. Sed itineris laboribus, ac litigationis moleſtiis, et multiplicibus aerumnis quibus tres per annos exercitus fuerat confectus tandem, obiit in via, tot certaminum fructu nullo reportato. His et aliis quae recenſere longum eſſet exemplis Monachi Cantuarienſes admoniti, quam nihil mite aut moderatum à tali Archiepiſcopo eſſet expectandum; à Pontifice diploma impetrarunt, in quo, ab omni viſitatione immunes facti ſunt. Hoc diploma cum illi (Archiepiſcopo praedicto) nondum viſitatione confecta, apud Coenobium ſancti Albani oſtendiſſent: Is nulla alia data reſponſione, diploma, ſive mavis plumbatam bullam appellare, in ignem eveſtigio conjecit, et eos qui attulerant excommunicavit. De facinore tam inſolenti Regi primum ac deinde Pontifici conqueruntur. At Rex conjugis ſuae avunculo noluit quicquam aegre facere: Et Pontifex affines ejus veritus, qui magnam ditionem in regione ſibi vicina poſſidebant; Tum quod illius opera plurimum uteretur in Anglia noſtra expilanda; haud facile aures exhibebat querimoniis contra illum factis. Finita hac tumultuoſa viſitatione, quicquid inde pecuniae corraſerat, in copiis conducendis totum impendit, quarum ope Thomam fratrem Sabaudiae Comitem, in libertatem vendicaret, captum à Taurinenſibus tyrannidem ejus pertaeſis. In hoc bello, bullis et excommunicationibus Papalibus uſus eſt ad libitum, ſed fruſtra: Nam re peſſime geſta, pecunia abſumpta et militibus caeſis, ex hac expeditione praeter ignominiam et dedecus re alia nulla reportata, moeſtus ad ſua reverſus eſt.

Poſtquam multos annos ſediſſet, Pontificatu ejus ad occaſum vergente; edoctus uſu quam parum proficeret aſperis hujuſmodi et inconditis moribus, pacatius aliquanto ſe geſſit, et muneris paſtoralis curam nonnullam ſuſcipere viſus eſt. Anglia noſtra tunc temporis quaſi diluvio quodam inundata eſt exterorum hominum, qui magna ex parte Regis erant per matrem vel uxorem affines, aut ſaltem affinium hujuſmodi, vel famuli vel clientes; et hii undique omnia publica munia ad ſe trahebant, ac praecipue Eccleſiaſtica. Hoc cum Epiſcopos regni (qui exteri ſaltem non eſſent) male haberet; convenientes, Regem ſimul omnes adeunt, Bonifacio etiam ſe illis adjungente, humiliterque petunt, ut ſuos velit non omnino negligere, inter quos nimirum eſſet reperire, hominum doctorum affatim, et qui ob prudentiam, ſanctitatem aut quamvis aliam animi virtutem alienigenarum nulli eſſent poſtponendi. Sermonem hunc iniquiſſimis auribus Rex excipiens, ad Archiepiſcopum converſus; Haud iniqua ſunt inquit quae petiſtis; Neque enim par eſt ut exteri ac inquilini, nulla praeſertim animi virtute inſignes, meae gentis hominibus anteferantur. Quapropter hortor, ut [tu] Cantuarienſis, ac Aethelmarus frater Wintonienſis electus, qui exteri eſtis, homines indoctiſſimi, et honoribus quos geritis uſque quaque indigniſſimi, relinquatis continuo praeſulatus, quos nulla alia ratione eſtis conſequuti, quam quod ſanguine aut affinitate mihi ſitis propinqui. Curabo tum deinceps ut vobis ſufficiantur homines, vel veſtro calculo et judicio idonei.

Tam ex aliis indiciis quam hac oratione, ſe Regi ingratum perſpiciens Bonifacius, populoque inſuper et clero inviſum; Angliae pertaeſus[z], in patriam ſuam nunquam reverſurus abiit; ſucciſis antè nemoribus, locatis Archiepiſcopalibus praediis, exactis à clientibus variis tributis, atque ex aliis Cleri et provincialium ſpoliis ingenti confecta pecunia. Haud multum poſtea temporis ſuperſtes, in arce ſanctae Helenae deceſſit Jul. 18. 1270[a]. poſt conſecrationem annis 26, menſibus ſex, et diebus ſedecim[b]: poſt electionem vero annis totis 29.

Tria is praeſtitit memoratu non indigna: Bis et vicies millium marcarum aes alienum ab anteceſſoribus contractum exoluit totum. Xenodochium ampliſſimum Maideſtonae conſtruxit et praediis locupletavit, quae, quo tempore parentum noſtrorum memoria id everſum eſt, annui cenſus pretio ſunt aeſtimata 159 librarum noſtratium et inſuper ſeptem ſolidorum ac denariorum decem. (Gulielmus Courtney convertit poſtea in Collegium ſacerdotum ſecularium.) Denique aulam[c] illam magnificentiſſimam Palatii Archiepiſcopalis Cantuarienſis, ab Huberto inchoatam hic tandem magno ſumptu perfecit, cum intermedii Archiepiſcopi, Stephanus, Richardus ac Edmundus, non multum in eo opere impendiſſent, quod tamen omne (quicquid id fuit) iſte ſibi vendicavit, quia (uti dicere ſolebat) pecuniam unde id fieret mutuatam ipſe perſolvit[d].

XLVII. Robertus Kilwardby.

1272. Edw.I.I. BONIFACIO defuncto, Monachorum Cantuarienſium coetus, eligendi licentia à Rege impetrata, ſucceſſorem deſignarunt Gulielmum Chillinden Coenobii ſui Subpriorem vel ſecundum nonnullos Priorem[e]. Quem Papa, (quia libitum fuit) indignum pronunciavit illo munere; et quaſi ea ratione, electionis jure ad ſe devoluto, ex plenitudine poteſtatis Archiepiſcopum creavit Robertum quendam Kilwardby[f]. Fuit vir ille ſane doctiſſimus, multaque eruditionis ſuae monumenta in ſcriptis reliquit, natus in Anglia, Oxoniae primum ac deinde Lutetiae educatus, unde, poſtquam gradum ibi ſuſcepiſſet Magiſtri in artibus, in Angliam reverſus, ſodalitio ſe dedit fratrum minorum, tum nuper exortorum, quorum deinde apud nos Provincialis evaſit. Monachi, qui Regibus ſuis in re ſimili pervicaciſſimi ſaepenumero reſtiterant, contra hunc à Papa intruſum ne mutire quidem auſi; ne praejudicium aliquod juri ſuo inde exoriretur (cautè ſcilicet et valde prudenter) eundem quem antea Papa Archiepiſcopum renunciarat, ipſi etiam ſuffragiis ſuis legitime electum declarant. Ita conſentiente Rege et reclamante nemine, conſecratus eſt Febr. 26. 1272[g]. Quo tempore Gulielmus Chillenden antedictus[h] tredecim millia marcarum ab illo popoſcit, quae cum erogata dixiſſet et inſumpta circa negotium electionis ſuae, à proximo Archiepiſcopo rependenda Pontifex promiſerat. Is vero ad Pontificis fidem liberandam non nimium properans, ſenem minis et territando eo adegit, ut conventui ſuo author fuerit ex ſumma praedicta 1300 condonandi.

---

[z] At diu poſt iſta geſta in Anglia commoratus eſt, et poſtea expulſus vel fugiens in tumultu illo Baronum, readmiſſus eſt ſub quibuſdam conditionibus; quaenam verò fuere videre eſt apud *Rym.* Tom.1. p. 785.

[a] Ita *Annal.Waverl.*

[b] Annis potius 25. menſibus ſex, et diebus 10. Annis 18. *MS.Trin.*

[c] Aula iſta erat longa 168 pedes, lata 64, alta 40. Tectum habuit planum (flat-roofed) plumbeis laminis obductum: Interius binis columnarum ordinibus ſuffulta eſt. Capella Palatii erat 60 pedes longa, 24 lata. *MS.London.* De his aedificiis vide etiam *Lelandum* in ejus vita, Tomo Collectaneorum 4° p.40.

[d] Sepultus Altacumbae in aeneo Sepulchro cum ſequent. inſcriptione. Hic jacet Bonifacius de Sabaudia Cantuarienſis Archiepiſcopus, operibus et virtutibus plenus; ob. autem apud S. Heſenam A.D.1270. 18 die Julii. Magiſter Henricus Calonenſis fecit hanc tumbam. *Hiſt.Chro.Piedm.* p. 353.

[e] *Annal Waverl.*

[f] Rob. de Kylwardby electus in Cantuar. Archiepiſcopum per ſummum Pontificem et caetum Cardinalium, proteſtatione facta per —— Bochardi Clericum ipſius Regis, ne conſimilis electio trahatur in conſequentiam conſuetudine vel exemplo. *Clauſ.*1. *E.*1. *in dorſo.*

[g] Nominatus à Papa Viterbii Oct.1.1272. *Birchingt.* Conſecratus Cantuariae dominicâ primâ in Quadrageſima. *M.Paris.* ad A.1273. Feb. 26. *Chron. T. Wikes.* Tempora reſtitut. 12 Dec. *Pat.*1. *E.*1. *m.*10.

[h] Tria millia. *Park. Antiqu. Brit* p.286

Primo conſecrationis ſuae anno, leges quaſdam et ordinationes praeſcripſit curiae ſuae de arcubus, in quinque articulos contractas. Tum paulò poſtea univerſam provinciam viſitavit, et Academiam[i] utranque; in quibus acutiſſime diſputando, eruditionis ſummae ſpecimen edidit. Statim ac reverſus eſt, Minoritis fraterculis[k] (qui tum magno in pretio haberi coepti, et ex quorum grege ipſe prodierat) ſedem Londini molitur; neque vero id admodum ſuo ſumptu; lapidibus uſus vetuſtae cujuſdam arcis quae ruinam jam diu fuerat minata, et pecuniam eorundem fraterculorum opera emendicata ſtipe colligens, idque ea copia, ut illo Coenobio jam conſtructo, ſupereſſet adhuc unde aliud itidem inſtitueret Sarisburiae, ſed Dominicanis[l]. Cum annos ſediſſet plus minus ſex, Romam accerſitus, fit Cardinalis Epiſcopus Portuenſis et ſanctae Rufinae[m]; Tumque Archiepiſcopatu abdicato, abiit in Italiam, ubi paucos poſt menſes tertio videlicet Id. Septembris[n] Viterbii moritur non ſine ſuſpitione dati veneni, et ibidem in Eccleſia Praedicatorum ſepelitur.

⁂

XLVIII. JOANNES PECKHAM.

1278. Ed. 1. 7. ABDICASSE Killwarbeium quam primum innotuit, monachi Cantuarienſes ad electionem novi Pontificis properantes, Archiepiſcopum conſtituerunt Robertum Burnell Bathonenſem et Wellenſem Epiſcopum, et ea tempeſtate Angliae[o] Cancellarium[p]. Papa vero qui Kilwarbeium ideo Cardinalem creaverat, ut capulari ſeni aetate vigentem ſubſtitueret in ſede Cantuarienſi, qui et ſtrenuam et diuturnam illi operam poſſet navare in corroganda pro ſe pecunia; Ex plenitudine poteſtatis, ſicut antea Killwarbeium, ſic nunc Joannem quendam Peckhamum huic ſedi (licet invitum et renitentem, ſi credimus authori Chronici Oſneienſis) ingerit[q], qui ſicuti alter ille, ex fraterculorum itidem fuit ſodalitate.

Obſcuris parentibus in Suſſexia hic natus eſt, pueritiam in coenobio Lewenſi exegit, adoleſcentiam [in Mertonenſi Collegio] Oxoniae (ubi Minorita factus) et Kilwarbeio tandem ſucceſſit, factus ſui ordinis in Anglia provincialis. Oxonia Lutetiam diſceſſit ut Theologiae ſtudio operam daret, ac inde poſt paululum temporis Lugdunum, juris civilis ac pontificii ſcientiam Theologiae adjuncturus, ſine qua manca haec et imperfecta tunc temporis aeſtimari conſuevit. Lugduni autem Canonicatum in Eccleſia Cathedrali conſequutus eſt, quem et ipſe Archiepiſcopus retinuit, et ſucceſſores omnes poſtea per ducentos pene annos. Per hunc Canonicatum viatico inſtructus, Italiam petiit, et Academiarum ibidem plurimis peragratis, Romam tandem pervenit, ubi cauſas tanta juris peritia

[i] A 1276. *Athen. Oxon.*

[k] Franciſcanis, Anglicè Grey-Fryars, De his aedificiis vide Leland. in collecta. Tom 4.

[l] Angl. Black-Fryars.

[m] A. 1277. 3 Id. Martii, *Ciaconio* teſte; 4 Id. *Panvinio. Vitae Pontif. Roman.* Tom. 2. Coll. 221.

[n] *Ciaconius* ut ſupra. Coll. 225.

[o] *M. Weſtm.* ad A. 1278.

[p] " Electi cauſam Rex Nicolao Papae impenſè commendavit literis datis 10 Julii 1278 (*Rymer.* Tom. 2. p. 118;) aliiſque ad Robertum dignitatem oblatam detrectantem 11 Aug. 1278. ſcriptis, ipſum enixè rogat, ut electioni de ſe factae conſentiat. Paruit Robertus, miſſiſque ad Curiam Romanam nunciis electionem confirmari petiit." Incaſſum autem. Sic *Cl. Whartonus* in Angli. Sacr. p. 567. Not. d.

[q] Bullâ datâ 5 Kal. Feb. *Waddin. Annal. Minor.* Vol. 2. *Regiſtr. Pontif.* p. 130. nu. 13.

tractavit, ut Pontificis palatio cauſarum auditor praeficeretur, in eoque munere perduravit donec Archiepiſcopus Cantuarienſis renunciatus eſt. Conſecratus fertur in prima Dominica Quadrageſſimae, Martii videlicet die ſexto[r]. Chronicon Oſneienſe dicit Januarii 25. 1278. Vix in Angliam appulerat quando Papa creator ejus (ſic enim libuit eum appellare) pecuniam ingentem ab eo poſtulavit, quatuor videlicet marcarum millia. Qua de re quid reſponderit non pigebit ipſius verbis indicare. "Ecce (inquit[s]) me creaſtis, et quanto creatura à ſuo naturaliter appetit "perfici creatore, ſic in meis oppreſſionibus cenſeo per vos recreandum. "Sane nuper ad me pervenit cujuſdam executionis litera horribilis in aſpectu et auditu terribilis, quod niſi infra menſem à feſto B. Michaelis "mercatoribus Lucanenſibus cum effectu de 4000 marcarum quae in "Rom. curia contraxi ſatisfaciam, ex tunc ſim excommunicationis ſententia innodatus, et in Eccleſia mea et aliis majoribus, pulſatis campanis, accenſis candelis, excommunicatus denuncier ſingulis diebus Dominicis et feſtivis, &c." Deinde, pecuniae tam grandis ſolutionem ſibi dicit impoſſibilem futuram, quoniam anteceſſor diſcedens Eccleſiae bona pleraque mobilia ſecum abſtulerat; Bonifacius aedificia Archiepiſcopatus caduca reliquerat, et ruinam, ni mature reficiantur, quotidie minitantia: Ac denique Rex unius anni integri reditus ſibi retinuerat, ut neceſſum ipſi fuerit ad anni jam ſequentis ſumptus ſuſtinendos mutuam ſumere pecuniam. Quapropter, ipſum rogabat (ad quem revera unum id negotii ſpectabat, quanquam ſumebantur obtentui neſcio qui Lucenſes mercatores) ut illius authoritate, ſolutionis tempus ad finem unius anni rejiciatur. Id quod Kilwarbeii anteceſſoris (nondum mortui) aliorumque amicorum opera, licet aegre, impetratum eſt. Sed decedente paulo poſt Kilwarbeio praedicto; petiit à Pontifice, ex ditiſſimi hominis opibus ea reſtitui, quibus is per injuriam Eccleſiam Cantuarienſem ſpoliaverat[t].

Miror hominem non imprudentem, cui tot annos rapinas, fraudes et extorſiones Romanenſium videre datum eſſet et coram inſpicere, inducere in animum potuiſſe, ut talia petendo operam non luderet. Et tantum abfuit hercle petitioni hujuſmodi Papa ut annuerit, ut de perſolvendis eveſtigio quatuor illis marcarum millibus antedictis, interpellandi finem non fecerit, donec à poſtulatione hujuſmodi deſiſtere Archiepiſcopum videret.

Conſecrationis ejus anno primo, ſynodum Lamethae convocavit[u]: Quo tempore Londinum accedens Giffardus Eboracenſis Archiepiſcopus, Cantuarienſem provinciam ingreſſus, paſſus eſt crucem ante ſe geſtari, quae res magnarum ſaepe contentionum inter Archiepiſcopos cauſa fuerat. [x] Victoriam nunc incruentam hic noſter reportavit, rem citra ſanguinem ſtratagemate conficiens. Edictis per totam ſuam provinciam promulgatis, ſub poena excommunicationis omnibus prohibuit, cum Eboracenſi aut ſuorum quoquam aliquid habere commercii. Non hoſpitio excipere licebat, non vendere illis quicquam. Qua propter, cum aut fame eſſet pereundum, aut provincia infectis negotiis excedendum; crux illa magno cum faſtu erecta, non ſine dedecore dejecta et depoſita eſt. Abſoluta et dimiſſa ſynodo, provinciam totam perluſtrando viſitavit, ut Eccleſiarum ſtatum cognoſceret[y]. Uſus eſt ubique magna lenitate. Nam quanquam geſtu et inceſſu, ſaepe etiam in ſermone glorioſus videretur et elatus; animo tamen fuit benigniſſimo et perquam comi. Ut pacem conciliaret inter Edwardum Regem et Leolinum Walliae Principem, multum ab eo ſudatum eſt, ſed fruſtra. Judaeos (quorum in Anglia magna tunc temporis erat copia) vehementer afflixit, imperans ut provincia ſua pellerentur ubique, et ſynagogas eorum [dirutas] ſolo aequari[z]. Sed hoc decretum Rex mitigavit, permittens illis veteres ſedes, ac deinde unum templum in publico aliquo civitatis loco[a], in quo ſuos ritus, (amputata tamen ceremoniarum multitudine) celebrarent. Cumque mos ea tempeſtate apud Clerum inoleviſſet beneficia Eccleſiaſtica quot quiſque nanciſci poterat retinendi; plura poſſidentes quam Canonibus permiſſum, praeter unum omnia coegit derelinquere. Alibi quam in ſacerdotiis ſuis degentes, acriter caſtigavit et ad reſidentiam compulit. Neque vero ſtupra et adulteria minori ſeveritate vindicavit. Rogerum quendam Ham è Ciceſtrenſi dioceſi clericum impudicum, ad triennalem poenitentiam jurejurando adegit, quod temporis in jejuniis, orationibus, et longinquis ad Romam, Compoſtellam, atque Coloniam peregrinationibus oportebat conterere, ſacerdotiorum ſuorum redditibus in pauperum interea uſus ſequeſtratis. Et ne in ſolos Clericos haec exempla edere auſum putemus; quo pacto militem tractarit audiamus, nomine Osbernum Giffard, moniales duas ex coenobio Wiltonienſi auſum abducere[b]. Excommunicationis ſententia in primis percuſſit, et ab ea cupientem abſolvi, his legibus relaxavit; Primum, ne unquam poſtea quoad viveret monialium coenobium ingrederetur, aut monialis cujuſquam uteretur conſortio: Tum ut tribus diebus Dominicis in Eccleſia parochiali quae eſt Wiltoniae, virgis nudus caederetur; eandemque poſtea poenam tam in foro mercatorio quam in Eccleſia parochiali de Shaftsburia publice ſubiret: Deinde, multorum menſium jejunium ei indictum eſt; Omnibus militaribus ornamentis detractis privatus; veſtibus uti juſſus caloris griſei aut confectis ex ovinis pellibus; et camiſiam non induere, priuſquam tres continuos annos in terra ſancta exegiſſet. Ante omnia vero, ut moniales ad coenobium reduceret, imperatum. Haec ſe facturum omnia fides ab illo jurejurando facta eſt.

---

[r] Ab ipſo Papâ 5 die Martii, *Lichf. Cano.* Rectè verò Godwinus, dies enim 6 fuit Dominica. Cùm ſummus Pontifex fratrem Johanem de Pecham ordinis Fratrum Minorum praefecit in Archiepiſcopum Cantuar. Eccleſiae ſicut Regi per Literas Patentes Papa innotuit. Rex aſſenſum adhibens, caepit ejus fidelitatem et reddidit ei temporalia 30 Maii. *Pat.* 7. E. 1. m. 15.

[s] In Archiv. Lameth.

[t] *Conc. Angli.* Tom. 2. p. 89.

[u] A. 1280. *Conc. Anglic.* Tom. 2. p. 42.

[x] Haec omnia *M. Weſtm.* p. 409.

Archiepiſcopus huic ſedi praefuit annos tredecim et menſes ferme ſex, retento[c], quoad vixit, Canonicatu Lugdunenſi, quem cum permulti ab illo peterent, ab eo nullo modo receſſurum reſpondit, ne forte in exilium pulſus à Rege (cui ſaepe audaciſſime reſtitit) non haberet alibi quo ſe reciperet. Opes reliquit moriens ultra quinque millia librarum Anglicarum pretio aeſtimatas, et tamen collegium extruxit Wingamiae[d], quod poſtea dirutum ab Henrico octavo, compertum eſt tum praedia habuiſſe annui cenſus ad octoginta et quatuor libras noſtrae monetae: Et conſanguineos ita locupletavit, ut eorum poſteros noſtra aetas viderit equeſtri dignitate florentes, et divitiis affluentes, in magna potentia ac authoritate vivere[e]. Sepultus fertur, in Eccleſia ſua, ſed ubi loci, deſignatum non comperi.

---

[y] A. 1281.

[z] Litera hac de re ad Epiſcopum London extat in *Concil. Anglic.* Tom. 2. p. 88. dat. 14 Kal. Sept 1282.

[a] *Ib.* p. 89.

[b] *Regr. Peckham.* fol. 119.

[c] Obiit apud Mortelack 6 Id. Dec. 1292. Sepultus 14 Kal. Jan. in Eccleſia ſua in parte Aquilonali juxta locum Martyrii B. Thomae Martyris. *Regiſtr. Cant.* Cor verò ſepult. fuit in Eccleſia Chriſti Lond. retro magnum altare. *Weever.* è MS. in Bibl. Cotton.

[d] Conceſſa eſt ei indulgentia à Papa Nico. 4°, ut Eccleſiam Collegiatam de Wengham, à ſe fundatam, de reditibus et terris Archiepiſcopalibus dotet. *Bibl. Lameth.* inter Bullas N°15. *MS. London.*

[e] Papa primitias largitus eſt omnium beneficiorum Eccleſiaſt. in ſuâ Dioeceſi infra triennium vacaturum pro ſolutione debitorum ſedis Cantuar. *Id.* ib. Nec non indultum eſt ei ut de bonis ſuis, non per Eccleſiam licite acquiſitis, teſtari liceret. *Id.* ib.

XLIX. ROBERTUS WINCHELSEY[f].

1294. Ed.1.22. QUO genere ortus fuerit, aut ubi natus qui mox in Archiepiſcopatu Peckamo ſucceſſit Robertus Winchelſeius, traditur opinor à nemine[g]. Hoc certe conſtat, primis literarum elementis puerum Cantuariae imbutum; ubi ob ingenii acumen, morum modeſtiam, et indolem uſque quaque egregiam etiam in illa tam tenera aetate, ita pleriſque fuit in admirationi; ut non deeſſent qui, vel tum, Archiepiſcopum eum Cantuarienſem olim futurum hariolarentur. Academicis ſtudiis maturus, ad Mertonenſe collegium Oxoniae inſtituendus mittitur, et inde poſtea Lutetiam, cujus Academiae, priuſquam diſcederet, Rector evaſit, gradu prius honeſtatus Magiſtri artium. Munere praedicto poſtquam magna integritatis et prudentiae laude fuiſſet perſunctus, patriam repetens, Oxoniam pervenit denuo; ubi concionando, legendo, diſputando, cùm eximiae eruditionis ſpecimen edidiſſet, Theologiae primum Doctor, ac mox Academiae Cancellarius creatus, in eo magiſtratu ita ſe geſſit, ut ad res quaſlibet magnas adminiſtrandas par videretur. Quare, brevi poſtea Archidiaconatu Eſſexienſi, et Canonicatu donatur in Eccleſia Paulina, ubi quotidie fere è ſuggeſtu populum docendo, in rebus ad religionem ſpectantibus ſedulo inſtituebat. Archidiaconatum vero quotannis ipſe viſitabat, juriſdictione tam moderate ac prudenter uſus, ut magnam inde laudem apud omnes reportaret. Talis cum fuerit, quis miretur, Rege, proceribus, adeoque ex omni ordinum genere pleriſque id vehementer expetentibus, ſi à monachis Cantuarienſibus electus fuerit qui demortuo Peckhamo ſuccederet?

[h] Electus itaque Romam profectus eſt quo tempore Pontificatum geſſit Coeleſtinus, homo pius, ſed praeterquam quod ineruditus omnino, ingenio erat tam minime vaſro, ut noctu, voce (tanquam Angeli neſcio cujus) ad decumbentis aurem per tubulum delata[i], perſuaderi ſibi paſſus fuerit à Benedicto Cajetano (qui poſtea Bonifacii octavi nomine ipſi ſucceſſit) ut Papatum abdicaret, et eremum repeteret, ubi ante Pontificatum vitam egerat monaſticam. Non ſolum Eremitam hunc imperitum, ſed omnes in univerſum Cardinales Romanos ſumma Winchelſaei eruditio attonitos reddidit admiratione, adeo ut parem ejus cum tanta prudentia et moderatione conjunctam, nuſquam reperiri poſſe exiſtimarent. Quapropter in Cardinalium gregem eum cooptare voluerunt, ſecumque retinere, [verum] ille multis rationibus redditis cur id neque ſibi neque reipublicae expediret, aegre tandem obtinuit, ut ſacratus[k] et pallio donatus, in patriam rediret[l]. Quo die ſolenni ritu Cantuariae in throno Archiepiſcopali collocatus eſt, conſecraſſe dicitur in Epiſcopum Landavenſem Joannem Monumethenſem, et decem Theologiae Doctoribus decem contuliſſe opima ſacerdotia, decemque itidem paulo exiliora totidem in eadem facultate Baccalaureis.

---

[f] Fuit Rector de Wodeaton juxta Oxon. et Praebend. de Leighton Bromeſwold in Eccleſia Lincoln. *Regr. Sutton.* Ep. Linc. [g] In agro Suſſexienſi. *Fuller.* [h] Licent. eligendi 6 Jan. 1292. *Pat.*21. *E.*1. Electus eſt Feb.13. *Annal.Wigorn.* et *Concil.Angl.* Tom. 2. p.189. [i] *M.Weſtm.* p.423. [k] Conſecratus Romae, à Cardinali Epiſcopo Sabino. 12 Sept.1294. [l] Cantuariam aggreditur 18 die Martii ſequ. et ſecum affert ad Regem Literas multis et praemagnis encomiis fraetas à Papa, dat. Aquil. 8 Kal. Octobr.1294. *Rym.* Tom. 2. p.656.

Interea vero, vacante adhuc ſede, Edwardus Rex, clero Weſtmonaſterii congregato, flagitavit ab iis, ut bello magno ingruente à Gallo et aerario exhauſto, in bellicos ſumptus omnium Eccleſiaſticorum annui proventus dimidium velint contribuere. Ad onus tam intolerandum (ſi forte id fieri poſſet) deprecandum, miſſus eſt praeter alios, Gulielmus de Monteforti Eccleſiae Paulinae Decanus, qui una cum ſociis ad Regem introductus, verba paucula eloquutus, ad pedes regios corruit derepente mortuus[m]. Qua re nihil ille commotus, miſit poſtridiè Joannem quendam de Havering militem, qui ad Clerum congregatum admiſſus elata voce interogavit, Ecquis adeſſet qui petitioni regiae auderet refragari? Si quis (inquit) talis exiſtat, prodeat in publicum, ut cum illo agamus tanquam pacis et reipublicae perturbatore. Ita obmuteſcentibus prae metu omnibus, concedi viſum quicquid fuerat poſtulatum[n]. Caeterum, cùm reverſus Archiepiſcopus ſynodum coegiſſet, conqueri coeperunt vehementer omnes de vi ſibi illata; atque ille dicere, contra jus faſque ab illis factum, quando onus hujuſmodi Eccleſiae humeris impoſitum ſuſcepiſſent; quippe in concilio Lugdunenſi decretum nuper, non licere Eccleſiaſtici ordinis cuiquam, magiſtratui laico pecuniam dare, ſine ſummi Pontificis nutu et conſenſu; ideo credo, ne à clero principes aliquid perciperent emolumenti, antequam lucri bonam partem, paciſcerentur pontifici communicandam. Hunc igitur Canonem ſe inviolatum in poſterum ſervaturos recipiunt. Verum enimvero, quamvis tam recenter Rex adjutus ab illis, de ſubſidio hac vice non interpellaret eos; tamen poſt annum unum aut alterum, in debellanda Scotia ingenti abſumpta pecunia, ordinum conventum (quem Parliamentum vocamus) ut nervos belli pecuniam compararet Berwici indixit[o]. Ubi cum laici liberaliter dando voluntati regiae morem geſſiſſent, clerus ne teruncium quidem largitus eſt, Lugdunenſis Concilii decretum obtendens, quo prohiberi ſe dicebat, de Eccleſiaſticis facultatibus quicquam detrahere, et principibus conferre inconſulto Papa[p]. Quapropter prorogatis comitiis, ut Londini poſt unum aut alterum menſem ordines iterum conveniant, imperatum. Interim vero omnia Eccleſiaſticorum hominum frumento jam plena horrea, occludi Rex praecepit, et publicis ſigillis obſignari[q]. Deinde (quod plurimum valuit ad iſtorum frangendam pertinaciam) legum patrocinium univerſo clero ſubtrahit, quem protectione ſua per edictum excludit, ut illius ordinis nemini poſthac licuerit, alicui litem intentare, cùm aliorum querelis quibuſcunque ipſis eſſet reſpondendum[r]. Die proinde conſtituto cùm conveniſſent, non auſi amplius refragari; manus dant omnes, Archiepiſcopo duntaxat excepto; qui caeteris quintam partem annui fructus Regi concedendam decernentibus, hoc ſolum praefatus, *ſalvet unuſquiſque animam ſuam* exurgens derepente, diſceſſit[s]. Quam ob contumaciam Rex iratus, bona ejus omnia fiſco adjudicat, neſcio quid praeterea minitans. Brevi tamen poſtea bellum Gallo illaturus, antequam diſcederet, in gratiam hominem recipere conſultum putavit.

Reverſus autem, multa ac graviſſima impegit ei crimina, ac proditionem in primis, quaſi cum proceribus conjuraſſet ſe abſente; quos, ut exauthorato ipſo, carceribuſque perpetuis damnato, filius ſuus Edwardus regno praeficeretur, molitos, palam erat. Utrum vero Archiepiſcopus hic noſter tam ſcelerati conſilii particeps fuerit, haud plane conſtat. Hoc attamen conſtat, clementiae regiae humillime ſeſe ſubmiſiſſe, et in genua procumbentem veniam admiſſorum multis lachrimis effuſis petiiſſe, idque ea animi dejectione, ut qui noxium negaverit, conſtantiam animique magnitudinem tanto praeſule dignam non poſſit in eo non deſiderare. Rex igitur ſubmiſſione hujuſmodi ne quicquam delinitus, faceſſere juſſum proſcribit, bona omnia mobilia et immobilia fiſco adjudicat, ac aqua denique et igne interdicit, ſub gravi poena interminatus ne quis tecto recipiat, aut aliqua re juvet. Eo jam redactus erat, ut miſero fuerit fame pereundum, niſi Eccleſiae ſuae Cantuarienſis Monachi clanculum aliquandiu foviſſent, donec in Galliam trajiciendi facultas data eſt: Quod illis poſtea magno conſtitit. Nam Rex, id quam primum reſcivit, ipſos etiam proſcripſit, et octoginta homines victum oſtiatim emendicare coegit, donec poſt aliquantum temporis exoratus, Monaſterio rebuſque ſuis illos reſtituit. Vi adeo et ex voluntate Principum ea tempeſtate omnia gerebantur. Nos quam foelices, quibus datum eſt juxta praeſcripta legum noſtris rebus in omni libertate ac tranquillitate frui?

---

[m] *Weſtm.* p. 422. [n] *Id.* ib. [o] *Walſingh.* p. 33. [p] *Weſtm.* p. 428. [q] *Id.* ib. [r] *Id.* p. 429. et *Walſingh.* p. 35. [s] *Weſtm.* p. 430.

Biennium totum in exilio Archiepiſcopus tranſegit; Papa miſerum adeo non ſublevante, ut accuſatum à Rege[t], ab executione officii ſui et tam temporalium quam ſpirtualium adminiſtratione ſuſpenderit, donec à criminibus objectis ſe purgaſſet[u]. Rex tandem Edwardus fere ſeptuagenarius morbo abſumptus deceſſit. Filius qui ſucceſſit, clementiae ſpecimen editurus, literis ſuis Archiepiſcopum revocatum dignitati ſuae rebuſque omnibus reſtituit[x]. Unde factum eſt, ut redditis fructibus Archiepiſcopalium praediorum in abſentia ſua perceptis, ex pauperrimo, opulentiſſimus derepente evaſerit. Saepe igitur cum de aerumnis quas in exilio perpeſſus eſt incideret mentio, hanc uſurpare ſolebat ſententiam, *Nihil nocebit adverſitas ubi nulla iniquitas dominatur.* Vix dum redierat, quando illico aliud periculum non leve creavit illi animi inſita audacia. Rex novus, conſilio uſus Petri cujuſdam Gaveſtoni (juvenis luxurioſi, quem ne filii ſui mores corrumperet, Rex pater in Hiberniam relegarat) Epiſcopum Coventrenſem Walterum de Langton in vincula conjecerat. Quod graviter ferens Archiepiſcopus, in Synodo tum forte congregata, nihil paſſus eſt decerni, niſi Epiſcopo praedicto reddita libertate. Hanc procacitatem, Rege ſeu connivente ſeu ad tempus diſſimulante, impune tulit, ac aetatis reliquum in magna tranquillitate, rebus ſemper ad vota fluentibus tranſegit. Deceſſit[y] Oteſordiae undecimo Maii 1313, cùm Archiepiſcopus ſediſſet annos circiter novendecim.

Homo (niſi forte in adverſis) animo ſatis magno. Conatibus Gaveſtoni, Spenſerorum, et aliorum qui juventutis Regiae habiti ſunt corruptores, ſe crebro oppoſuit. Joannem Warrenum Surreiae Comitem, qui repudiata uxore pellicem alebat, ad juramentum adegit, quo nunquam poſtea ſe cum illa rem habiturum, fidem fecit. Poſtea tamen cum liberos aliquot ex ea ſuſcepiſſet, ad Synodum Archiepiſcopali mandato citatus eſt, ubi tam perjurii quam adulterii criminibus oneratus, amaſiam tandem relinquere coactus eſt. Beneficia Eccleſiaſtica nunquam niſi doctis contulit, ſpretis ſemper illis qui precibus atque nobilium gratia freti ambirent[z]. Literarum in Academia ſtudioſis quamplurimis, annuam dedit pecuniam unde alerentur. In eleëmoſynarum quotidiana largitione, omnes omnium temporum Archiepiſcopos traditur ſuperaſſe. Nam praeter menſarum reliquias, ſingulis diebus Dominicis et Veneris, unicuique petenti panem dedit valentem quartam denarii partem; et petebant plerunque, annona cara cum eſſet, non pauciores quinque hominum millibus, affluente vero, quatuor millibus raro pauciores. Feſtis item ſolennioribus 150 denarios totidem pauperibus diſtribuere ſolebat. Infirmis praeterea ſeniove confectis, prodire haud valentibus ad eleëmoſynas petendas, mitti ſingulos panes juſſit et cibi praeterea nonnihil. Sublevabat inſuper eos qui à ſecunda fortuna caſu ad inopiam deciderant, quoſque pudor à mendicitate prohibebat, veſtibus illos et pecunia donando. Ob has aliaſque animi virtutes, Sanctus indicatus eſt[a] ab imperita plebe, qui ad tumulum ejus crebo accedentes, eum ibi ſuperſtitioſe adorarunt. Is prope altare S. Gregorii ſitus in muro auſtrali, eam ob cauſam amotus eſt, ut nunc veſtigium ejus non appareat. Libros omnes et ſupellectilem quam reliquit (haud magni ſane pretii, neque enim iis in rebus ambitioſus fuit) Eccleſiae ſuae Cantuarienſi legavit.

---

[t] Extant apud *Rymer* Literae nonnullae à Rege ad Pontificem miſſae de hoc negotio cum Archiepiſcopo Cantuarienſi, una dat. apud Wynton 6 Apr. A. Regni 34. Rym. Foed. Tom. 2. 989. altera dat apud Preſton 2 Julii ejuſdem anni. ib p. 1002, et alia dat. apud Bradele 7 die Sept. ib. p. 1020.

[u] *Weſtm.* A. 1306. *Walſingh.* A. 1307.

[x] Litera revocationis data 16 Dec. 1307. *Rym.* Tom. 3. p. 44. et Bulla Reſtitutionis dat. Pictavis 11 Kal. Febr. 1307. *Concil. Angl.* Tom. 2. p. 291.

[y] Obiit ante 22 Maii 1313. *Clauſ.* 6. *E. 2. m.* 3. *dors.* Maii viz. 15. *Chron. W. Thorn.* Col. 2013, Maii 11. *Birchington.* p. 17.

L. WALTERUS RAYNOLD.

MONACHIS Cantuarienſibus conceſſa à Rege facultate, defuncto Winchelſeio ſucceſſorem ſufficiendi; elegerunt illi Canonice Thomam Cobhamum Sariſburienſem Decanum[b], virum tam pietate quam doctrina adeo inſignem, ut vix alio nomine paſſim innotuerit quam Boni-clerici. Rex vero huic ſedi praeficere cupiens Walterum Raynold Epiſcopum Wigornienſem, quem (quod virum prudentiſſimum ſibique fideliſſimum exiſtimaret) dilexit plurimum; nunciata Thomae electione, Romam extemplo miſit qui Pontificem enixe rogarent, ut Walterum ſuum quoquo modo ſedi Archiepiſcopali ingereret. Laetus ille occaſionem à Rege oblatam Epiſcoporum eligendorum jus ad ſe transferendi: Proviſionem ſedis Winchelſeio adhuc vivente ad ſe reſervaſſe dicens; electione ſpreta, vocis ſuae oraculo Raynoldum Archiepiſcopum pronunciat[c]. Thomas aliquandiu electionis ſuae cauſam Romae defendit, donec perſpiciens tandem, contra tam potentes adverſarios fruſtra jure contendi, Epiſcopatum Wigornienſem à Raynoldo relictum accipit oblatum, et electioni praedictae renunciat. 1313. Ed. 2. 7.

Walterus iſte in aula longo tempore fuerat verſatus, ubi Edwardo primo Regi à ſacris, Eccleſiae Wimbertonenſis rectoriam conſequutus eſt, ac deinde per Edwardum ſecundum, Angliae factus eſt Theſaurarius primum, mox Cancellarius, deinde anno 1308 Wigornienſis Epiſcopus[d]. Diplomata ſive bullae tranſlationis ejus in Eccleſia arcuata Londini promulgatae ſunt Januarii 4 (computatione Anglicana, ſecundum quam novus annus Martii 25 incipit) 1313. Pallium accepit Februarii 17 ſequenti, ac tum demum magna cum pompa inthronizatus eſt Aprilis 19, 1314[e]; Rege, Regina, et Proceribus magno numero praeſentibus. Archiepiſcopatum ingreſſus, nihil habuit antiquius, quam largitionibus et annuae pecuniae pollicitatione efficere, ut cum provocantibus ab eo ad ſedem Romanam ſummo ſtrictoque jure ageretur, probe gnarus quantae moleſtiae anteceſſoribus ſuis fuiſſent creatae per injuſtas et frivolas appellationes. Tum bullas octo impetravit, in quibus totidem privilegia eaque ampliſſima illi ſunt conceſſa. Prima nimirum, ut toto proximo triennio (cohibita interim ſuffraganeorum et praelatorum juriſdictione) totam provinciam Cantuarienſem viſitare liceat. Secunda, ut loca quibuſcunque privilegiis exempta liceat etiam viſitare. Tertia, ut irregulares ducentos ad priorem ſtatum poſſit reſtituere. Quarta, ut cum centum Clericis aetate minoribus pro natalium defectu diſpenſet. Quinta, ut centum homines abſolvat qui in Clericos violentas manus injecerant, à ſolo Pontifice aliter abſolvendos. Sexta, ut quadraginta Clericis plura beneficia Eccleſiaſtica curata ſimul retinendi facultatem concedat. Septima, ut quotieſcunque Eccleſiam aliquam Cathedralem vel collegiatam viſitaverit, promotionem aliquam Eccleſiaſticam in eadem, cui voluerit conferendam ſibi poſſit reſervare. Octava, ut facultatem habeat ubicunque concionatus fuerit, viſitaverit, iter fecerit, aut hoſpitalem menſam tenuerit; criminum omnium centum retroactis diebus perpetratorum, veniam, confitentibus et contritis concedendi.

---

[z] *Steph. Birchingt.*

[a] Extat teſtimoniale Epiſc. Bath. et Wellen. Nov. 1320. *Regiſt. Drokensford. MS. Hutton.*

[b] Inter Epiſcopos Wigornienſes, eum Subdiaconum vocat, et rectè. In MS. Wood, ex Annal. Bruton, ſic ſcriptum legimus. " A. D. 1313. 10 Kal. Jun. electus eſt Mr. Thomas de Cobham in Archiepiſcopum Cantuar. futurum S. T. P. peritiſſimus, per curiam Romanam demum quaſſatus. Circa idem tempus porrectum fuit decretum Electionis Cantu. Magiſtro Thomae de Cobham tunc Pariſiis in Theologia regenti per Monachos Cantuarienſis Eccleſiae ad haec ſpecialiter miſſos caritatis intuitu eum rogantes, ut electioni de ſe ritè et canonice factae conſentiret; qui, licet multum renitens ſeque indignum et inhabilem tanto ac tali honore proteſtatus, tandem precibus eorum devictus ſpiritualibus, qualem decuit, humiliter praebuit aſſenſum." Thomas Cobham A. 1307 habet diſpenſationem ad recipiend. Benef. Eccleſ. ad valorem 400 Marcas. è *Regr. Dalderby.* MS. Ox. et MS. Hutton. Canonicus fuit S. Pauli Lond. et Praecentor Eccleſ. Ebor. *Regiſt. Cantuar.* MS. Lowth.

[c] Clemens Papa irritata electione de Tho. Cobham, ex plenitudine poteſtatis praefecit Walterum Epiſcopum Wigorn. Bullâ dat. Kal. Oct. Pontif octavo. *Rym.* Tom. 3. p. 439.

His munitus privilegiis[f] ad viſitationem ſe accingit. Ac Lincolnienſem dioceſim (omnium totius Angliae maximam) ipſe quidem praeſens viſitavit. Huic vero proximam ingreſſus Norwicenſem, avocatus eſt à Rege exorto à Baronibus motu. Quapropter viſitationis quod reliquum erat, [delegatorum] curae commiſit. Compoſito tumultu per Barones excitato, et ejus authoribus permultis capitali poena affectis; Epiſcopus Herefordenſis Adamus[g] Tarltonus judicio ſiſtitur criminis ejuſdem reus. Londini ea tempeſtate aderant totius Angliae Epiſcopi fere omnes. Illi de Herefordenſis periculo certiores facti, celeriter accurrunt[h]. Archiepiſcopi inprimis Cantuarienſis, Eboracenſis, et Dublinenſis, erectis crucibus, Epiſcopis deinde decem comitati, et Eccleſiaſticorum hominum magna caterva, ad tribunal accedunt, et praefati, non decere ut Eccleſiae membrum in foro laico judicetur; vi hominem abreptum abducunt ſecum. Hac de re quae amplius eſſent dicenda enarrabimus poſthac quando ad Wintonienſes perventum fuerit. Nam iſte Cantuarienſis noſtri opera Regi poſtea reconciliatus, Edwardo tertio regnante, ad Eccleſiam Wigornienſem tranſlatus, poſtea porro Wintonienſem praeſulatum adeptus eſt. Rex interea ab uxore ſua bello petitus, victus, et in ordinem redactus, magna crudelitate in carcere necatus eſt[i].

Walterus Archiepiſcopus, quo nemo unquam gratia et authoritate apud illum plus poterat, ingratitudine portentoſa ſibique tandem exitioſa, patronum tam benignum, à quo quicquid demum peteret, nunquam tulit repulſam, in adverſis deſeruit, et obſervantiam fidelitatemque ſimulans, pecunias tamen Reginae ſuppeditavit. Jacobus quidam Barkleius, legitima electione Exonienſis Epiſcopus fuerat deſignatus. Hunc à Cantuarienſi confeſtim conſecrari imperat Regina, pulſo captoque marito, rerum jam potita. Ambigit ille utrum inconſulto Papa id ipſi facere ſit integrum. Homo tandem animo pluſquam puſillo, foeminae, ingenio atroci et violento praeditae, non auſus refragari, obtemperat mandato. Papa vero (qui illius Epiſcopatus proviſionem ſibi ſe reſervaſſe dicebat) ejuſce rei certior factus; iracundia ingenti exardeſcens; tot minis et convitiis ignavum et meticuloſum Archiepiſcopum exagitavit, ut aegritudine animi confectus, iracundiae Papalis nuncio paucos dies ſuperſtes, animam exhalarit[k], cum annos ſediſſet tredecim, menſes novem et dies inſuper 21. Tumulatus eſt in muro auſtrali Eccleſiae ſuae prope Hubertum. Homo eruditione exili praeditus, ſed ob prudentiam, aequitatem, rerumque gerendarum ſcientiam laudandus, niſi quando puſillanimitas in cauſa fuit ut ab officio diſcederet. Monachis Eccleſiae ſuae dedit manerium de Caldcot et ſilvam Thorlhotenſem.

---

[d] Temporalia reſtituta 3 Jan. 1313. 2 *Pat.* 7 *E.* 2. eodemque die nonnulla contra Regiam dignitatem in Bulla Papali contenta, ſimpliciter et abſolutè renunciat. *Rym.* Tom. 3. p. 465.

[e] 13 Kal. Mar. *Walſingh.* p. 78. ita etiam *Regiſtrum ejus.*

[f] Extant Bullae apud *Concil. Anglic.* Tom. 2. p. 433. &c.

[g] Orltonus.

[h] *Walſingh.* p. 98.

[i] Sept. 22. 1327.

* * *

LI. SIMON MEPEHAM.

SIMON Mephamus, ſacrae Theologiae Doctor, Eccleſiarum Ciceſtrenſis itidemque Landavenſis Canonicus, et Tunſtalenſis Rector, oriundus in Cantia, ſed in Mertonenſi Collegio Oxoniae educatus, homo (ut illa ferebant tempora) egregie doctus, à Monachis Cantuarienſibus Archiepiſcopus tunc electus eſt, à Rege probatus, et Papa jubente Avenione conſecratus[l] anno 1327. Reverſus, haud quicquam prius pro poteſtate geſſit, quam excommunicationes emittere in authores indigniſſimae necis Walteri Stapeldoni Exonienſis Epiſcopi[m], de qua Exonienſium Catalogum conſulas licebit. Paulò deinde poſtea inter ipſum et Monachos ſuos Cantuarienſes altercatio exorta eſt de quibuſdam praediis. Illi, injuriam ſibi factam ab Archiepiſcopo, apud Pontificem conqueruntur, qui miſſo Cantuariam nuncio, hanc cauſam cognoſcendi litemque terminandi dat facultatem. Hic ſive jure ſive injuria ſententiam tulit pro Monachis, et expenſas litis ſeptingentis libris aeſtimavit.

* 1328. EDW. 3. 1.

Interea, provinciam ſuam more anteceſſorum ſtatuit viſitare. Roffenſem dioceſim, Ciceſtrenſem, Sariſburienſem ac Wellenſem, nemine repugnante peragravit, ubique comiter et pro dignitate exceptus. Grandiſonus vero Exonienſis Epiſcopus, neſcio qua de cauſa, ab eo viſitatus ad Papam provocans, venienti ad Eccleſiam ſuam armata manu reſtitit[n]; cumque prope eſſet ut congreſſi confligerent; authoritate Regis certamen ad tempus diremptum eſt, et Pontificis judicio terminandum relinquitur. Archiepiſcopus vero hanc contumeliam aegerrimè ferens; nec minus commotus dedecore ſimul et jactura qua ex ſententia per nuncium Pontificium nuper lata fuerat affectus: dolori impar, incidit in aegritudinem, qua domum nondum reverſus abſumptus eſt Magfeldiae duodecimo Octobris 1333°, cum annos ſediſſet prope ſex. Cadaver Cantuariam deportatum eſt, et marmoreo ſepulchro conditum à parte Aquilonari Capellae quae Divo Anſelmo dicata eſt.

---

[k] Obiit menſe Novembri. *Walſingh.* p. 109 16 Kal. Dec. *Lichf.* In manerio ſuo de Mortelak, *Regiſtrum MS. Eccleſ. Cant. Angl. Sacr.* V. 1. p. 117.

[l] Electus eſt à Monachis, Dec. 8. 1327. Bulla Johanis Papae pro confirmatione et conſecratione dat. Jun. 8. 1328. *Concil. Anglic.* Tom. 2. p. 544. Sept. 19 fecit fidelitatem et temporalia reſtituta; *Clauſ.* 2 *E.* 3. *m.* 13. dat. 26 Sept. Conſecra. die S. Trinit. *Chron. Lichf.*

[m] In Provinciali concilio tent. apud London die Veneris poſt Purificationem B. Mariae A. 1328. *Walſingh.* p. 110.

[n] *Walſingh.* p. 113.

* * *

LII. JOANNES STRATFORD[p].

1333. Edw. 3. 8. PONTIFICES Romani, poſtquam magno molimine Chriſtianos Principes ab Epiſcopatuum inveſtitura ac donatione dejeciſſent, ut Ecclesiis Cathedralibus (id enim prae ſe ferebant) jus electionis aſſererent; in hoc jam poſtea omnibus ingenii nervis incubuerunt, ut deſignandorum antiſtitum jus Capitulis cathedralibus per ipſos acquiſitum, illis quoquo modo ereptum ad ſe transferrent. Variae rationes ad hanc rem excogitatae ſunt, ſicuti ſuperiora legentibus ſatis poteſt liquere. Nihil vero firmius, aut validius viſum quam quo nihil impudentius, ex plenitudine poteſtatis licere ſibi contendere, Eccleſia qualibet nondum vacante, de ſucceſſore futuro providere. Hoc cum ab initio raro fieret, et plerunque non ſine praetextu aliquo ſpecioſo, non admodum repugnatum eſt; donec mox ſuccedere hanc technam conſpicientes Pontifices, ut Eccleſia quaevis incumbente deſtituta eſt, proviſione papali reſervatam eam illicò dictitarent. Qua ratione, non ſolum Epiſcoporum, ſed Abbatum etiam, Canonicorum et ne quid promotionum Eccleſiaſticarum intactum reliquiſſe videantur, Rectorum et Vicariorum omnium deſignationem (in ſacerdotiis ſaltem paulò opimioribus) ſui adeo juris fecerunt; ut quoſcunque demum quiſquam haberet propitios, ceu patronos, ceu ſuffragatores, confidere tamen non poſſet ſe quicquam in Eccleſia conſequuturum, priuſquam pecunia data, ut id Curia Romana ratum haberet, effeciſſet. Imo, non raro contigiſſe certum eſt, ut qui magno ſumptu proviſionem Pontificiam comparaſſet, clauſula quadam fraudulenta (Non obſtante appellant) recentiori bullae inſerta, emptione ſua excluderetur.

Hucuſque tyrannis Pontificia proceſſerat, quando Mephamo mortuo, ſpreta jam electione Monachorum, tanquam inutili et minime neceſſaria, Rege verò petente, per proviſionem Papalem Joannes Stratford Wintonienſis Epiſcopus, in ſede Metropolitica Cantuarienſi collocatur[q]. De cujus viri natalibus, aut educatione, traditum non reperi quicquam: niſi quod Oxoniae literis nonnunquam navarit operam. Juris utriuſque ſtudio[r] ab ineunte aetate incubuiſſe conſtat, et juvenem adhuc Archidiaconum factum Lincolnienſem. Eam juriſdictionem cùm prudenter aliquandiù adminiſtraſſet; à Waltero Archiepiſcopo, curiae ſuae Arcuatae Decanus ſive ſummus judex praefectus eſt. In quo gerendo magiſtratu, non minus juris ſcientiam, quam in rebus dijudicandis, litibuſque definiendis acerrimam perſpicaciam, prudentiamque ſummam declaravit. Hinc Regi Edwardo ſecundo innotuit, et intimis ejus conſiliis adhibitus, Secretarius ab eo conſtitutus eſt. Contigit vero ut Legatus ad Pontificem Avenione

---

[o] *Regiſtr. Cantuar.* et *Step. Birchingt.* et ſepultus eſt Cantuariae 7 Kal. Nov. *Walſingh* p. 115. *Birchingt.* In Capellâ quâdam S. Petri ex parte auſtrali ſummi altaris. *Regiſtr. Cant.*

[p] De Bethford. Chron. Angl. per *Rob. de Boſton.*

[q] Papa providit de Archiepiſcopatu Cantuarienſi primo die Decembris 1333, non virtute poſtulationis Capituli, ſed proprio motu *Walſingh.* p 115. Nihilominus à Capitulo prius fuit electus ante 18 Nov. eo enim die Rex ipſe Pontifici Romano electionem notificat. *Rym. Foed.* Tom 4. p. 582. Temporalia reſtituta ſunt 5 Febr. 1 *Pat.* 8 *Ed.* 3. m. 40.

[r] In Collegio Merton. I. C. D. 1314.

nione ageret, quando ibi de morte Wintonienſis Epiſcopi nunciatum eſt. Walterus igitur Archiepiſcopus qui eum hucuſque produxerat, et ad altiora evehendi cupidus erat; ſcriptis ad Pontificem literis, ab eo petit enixe, ut Epiſcopatum vacantem in eum velit conferre. Annuit Papa, et per proviſionem ejus, Epiſcopus declaratus, conſecratus eſt[s] in Dominica quando cantari conſuevit, *Multae tribulationes juſtorum, &c.* quod ille ominoſum arbitratus, in toto vitae curriculo continuas imminere moleſtias ſtatim pronunciavit. Neque certe opinione ſua falſus eſt. Vix enim reperias inter omnes qui Cantuarienſi ſedi vel ante illum vel poſt praefuerunt, qui omnem adhibens operam et diligentiam ne qua offenderet; ſine aliqua ſua culpa plus offenſarum contraxerit, pluribuſve aerumnis et difficultatibus conflictatus ſit.

Fuit ea tempeſtate Angliae Cancellarius Robertus quidam Baldocus, ea apud Edwardum ſecundum Regem gratia et authoritate, ut propter facilitatem ingenii, quovis eum flectere aut ad quidvis poſſet impellere. Iſtum mira inceſſit cupido Epiſcopatûs Wintonienſis potiundi; et cum praereptum ſibi hunc bolum cognoviſſet; Regem, ſuâ ſponte iratum ſatis, quod ſe inconſulto hunc Epiſcopatum aut Papa tradere voluerit, aut Stratfordus auſus ſit accipere, inſtigavit ita, ut novum hunc Epiſcopum proſcripſerit illicò et Epiſcopalium praediorum fructus fiſco inferri mandaverit. Tum variis edictis in jus vocatum[t], et prae metu deliteſcentem, novo quodam atrociſſimoque edicto promulgato, interminatur, ne quis aedibus aut hoſpitio excipiat, eive alimenta miniſtret, aut aliquid demum commercii cum illo habeat[u]. Annum unum integrum, ſe ut potuit apud amicos occultans, magno in metu, omnium rerum inops vixit. Pontifice tandem per literas deprecante, et Waltero Archiepiſcopo demonſtrante, quam aequum non eſſet virum doctum et pium, de Rege propter obſequium bene meritum, talia pati ſine culpa aliqua ſua: lenitâ nonnihil iracundiâ, reſpondit Rex, haec quidem omnia ſe feciſſe Baldoco inſtigante, attamen non ſine cauſa. Cur enim patiatur Pontificem in Anglia ſua adeo impunè graſſari, ut cunctas promotiones Eccleſiaſticas pro libitu diſponat? Tum Walterus, uſurpationem hujuſmodi injuſtam primo quoque tempore amoliendam optat, ſed edicto prius promulgato, aut lata lege; Stratfordum verò ita graviter non peccaſſe, cùm viam ab aliis permultis nuper calcatam ingreſſus ſit. Quid plura? his aliiſque rationibus permotus Rex, in gratiam hominem recepit[x], intimis eum conſiliis adhibuit, in legationibus multis opera ejus uſus eſt, et ſummis regni negotiis gerendis praepoſuit; quae tanta non ſolum ſolertia ſed fide etiam adminiſtravit, ut poſtea ab omnibus deſerto Rege praedicto, imo ab ipſo etiam Waltero; iſte tamen ab obſequio ejus nunquam voluerit diſcedere, aut adverſae parti adhaerere. Quapropter, à Regina et conſiliario ejus Mortimero, Rege jam exauthorato, ad necem deſignatum ferunt, idque cùm inaudiviſſet, ad latebras iterum quaerendas adactum.

Rege, caeteriſque omnibus abſumptis qui ipſi extiterant fideles (hoc uno excepto) gnara Regina, aliud huic non objici quam quod Domino bene merenti perfidus eſſe noluerit; non ſolum ſimultatem deponit, ſed Angliae porro Cancellarium conſtituit, loco Baldoci, in carcere mille cruciatibus

---

[s] Conſecratus eſt à Vitali Cardin. Albanenſi Jun. 26. 1323. poſtpoſito Roberto de Baldok à Rege nominato. *Rym. Fœd.* Tom.3. p.1015.

[t] Totam hanc contra Archiepiſcopum proſecutionem videre eſt apud *Rym.* Tom.4. p. 30. et de Archiepiſcopi hujuſce maleficiis. *Id.* Tom. 5. p. 225, 236, 240.

[u] *S. Birchingt.* p 19.

[x] A.1323. in Vigiliâ Apoſt. Petri et Pauli. *Birch.* ib. Temporalia reſtituta Jun.28. *Rym Fœd.* Tom. 4. p 461.

ciatibus enecti. Sic nimirum nonnulli. Alii, quibus magis aſſentior, non Cancellarium, ſed ſummum Angliae Quaeſtorem factum aſſerunt, quem hodie Theſaurarium appellamus[y]. Wintoniae poſtquam annos decem ſediſſet, Papa, via jam trita incedens, nullâ requiſitâ electione, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, Rege id petente, ex plenitudine poteſtatis ipſum (ſicut antea retulimus) transfert: et Monachi repugnare non auſi, Archiepiſcopum jam renunciatum ipſi quoque eligunt.

Haec erant tempora, quando Rex ille magnanimus Edwardus tertius, ad ſubigendam Galliam ingenti animi impetu ferebatur. Adminiſtrationem regni ſe abſente, novi Archiepiſcopi fidei trajecturus commendat. Qui praeterquam quod in genere pollicitus eſt, munus ſibi commiſſum fideliter omnique adhibitâ diligentiâ curaturum; recepit porro, in hac expeditione nummos illi non defuturos. Hoc nimirum bellum, ab omnibus omnium ordinum hominibus tam cupidè expetitum noverat, ut nullam pecuniam tam magnam exiſtimarent, quam Rege poſtulante promptiſſimè non penderent, quam diu ibi loci rem gereret. Nec vero opinione falſus eſt. Nam vix in Galliam Rex appulerat quando auri vis ingens ad hujus belli ſumptus tolerandos coacta eſt; magna animi alacritate conferentibus ſingulis quicquid fuerat imperatum. Hanc pecuniam, quam in duos aut tres annos ſuffecturam omnes erant arbitrati, Rex juvenis, ideoque ad errorem proclivis et ſuorum fraudibus obnoxius, anno nondum circumacto abſumpſerat. Miratus vehementer Archiepiſcopus tantam pecuniam tam celeriter exhauſtam; Regem literis hortari non deſtitit, ut diſpenſatores ejuſdem amoveret: fieri non poſſe contendens, ut bona fide ſui ſecum egerint. Rex è contra interpellare Archiepiſcopum, ut promiſſi memor, pecuniam (belli nervos) ſubminiſtraret, quâ nimirum venementer jam coeperat egere. Ille verò probe gnarus quam magnae difficultatis res eſſet futura, poſt ſubſidia tam larga tam recenter exhibita, alia tam cito à ſubditis extorquere; hortatur, ut pacis conditiones à Gallo jam aliquoties victo oblatas accipere non gravetur. Quod conſilium Rex iniquiſſime, ſi forte non ferebat, attamen ferre viſus eſt. Sed cùm aliud non haberet quod faceret, pecuniae, et quam attulerat ſecum et quicquid à foeneratoribus poterat mutuari, nihil relicto; domum, exercitu alterius fidei commiſſo, reverti decrevit: militibus dicens, Gallo ſe proditum ab Archiepiſcopo, qui nummos ad ſtipendia illis perſolvendos detineret ſecum; Foeneratoribus autem ſolutionem flagitantibus, debita illa omnia Archiepiſcopum in ſe recepiſſe, utpote qui auri magnam vim, ut fidem ab ipſo datam exolueret, jam apud ſe coactam domi haberet.

Horum igitur incommodorum invidia partim lenita, partim in Archiepiſcopum conjecta; conſultum porro viſum eſt, ut in Angliam Rex trajiciens, Archiepiſcopum ſimul cum Cancellario et Theſaurario in vincula protinus conjiciat. Noctu, ſubitò et inexpectatus Rex appulit. Et Epiſcopos Ciceſtrenſem Cancellarium atque Lichfeldenſem Theſaurarium captos in arce Londinenſi incarceravit. Archiepiſcopus, pridie forte fortuna, Lametha neſcio quo profectus fuerat, et cùm de Epiſcoporum caſu inaudiviſſet, ſimilia veritus, Cantuariam ſe ſubtraxit. Miſſus illuc nobilis quidam, Regio nomine imperat, ut mercatoribus certis tranſmarinis ingentem pecuniae ſummam eveſtigiò perſolvat, mutuo ab illis acceptam et quam ab Archiepiſcopo pendendam Rex receperat, quia id ſe facturum diſcedenti ſpoponderat: hoc ſi non faceret extemplò, oportere ut illis ſe ipſum tradat obſidem, quo ſic fides fiat tempeſtivae ſolutionis.

---

[y] Johannes Stratford Wintonienſis Epiſcopus conſtitutus Theſaurarius Scaccarii 16 Nov. 1319. 1 *Pat.* 12 Ed. 2. m. 18. idem ac qui hodie ſummus Angliae Theſaurarius vocatur. Poſtea 20 Ed. 2. Gulielmo de Melton Archiepiſcopo Eboracenſi in Theſaurarium Scaccarii promoto 30 Jul. 1325. 2 *Pat.* 18 Ed. 2. m. 5. Johannes de Stratford Winton. Epiſcopus conſtitutus erat locum-tenens Theſaurarii 6 Nov. *Com. de Term. Michael.* 20 Ed. 2. A. 1327. Deinceps, quarto &c. Ed. 3. A. 1331. Johannes de Stratford, Epiſcopus adhuc Wintonienſis, habuit ſigillum magnum ſibi à Rege cuſtodiendum traditum 28 Nov. i. e. Cancellarius conſtitutus eſt. Poſt duos autem annos frater ejus Robertus Epiſcopus poſtea Triceſtrenſis cuſtodiam habuit magni Sigilli, dum Johannes quibuſdam negotiis Regiis intendebat 23 Jun. 1333. *Clauſ.* 6 Ed. 3. m. 22. *in dorſo.* Anno 8 Ed. 3. 1335 Aprilis ſexto Johannes de Stratford Cantuarienſis Archiepiſcopus electus (eo enim tempore tantum erat electus) confirmatus Cancellarius liberavit magnum ſigillum Roberto de Stratford fratri ſuo cuſtodiendum. *Clauſ.* 8 Ed. 3. m. 27. *in dorſo.* Iterumque, 14 Ed. 3. A^{o} 1341. conſtitutus Cancellarius et Cuſtos magni Sigilli 28 Apr. *Clauſ.* 14 Ed. 3. *par.* 1. m. 27. *in dorſo.* Licet igitur frater ejus Robertus Cancellarius pro tempore tantum conſtitutus videatur, brevi tamen poſtea Regi ſupplicavit ab eo onere liberatum eſſe, quod et obtinuit die Jovis in feſto S. Andreae Apoſtoli, ubi magnum ſigillum Regi reſtituit. *Clauſ.* 14 Ed. 3. *par.* 2. m. 12. Eodem anno 1341 magnum Sigillum Rex tradidit Domino Rob. de Burgherk equiti cuſtodiendum die proximè ſequenti, in craſtino S. Luciae Virginis. *Clauſ.* 14 Ed. 3. *par.* 2. m. 13. *in dorſo.* Haec omnia è *MS. Gale.*

Paulo deinde poſtea venit à Duce Brabantiae nuntius, quem cum convenire Archiepiſcopus recuſaret, citatione neſcio qua in ſcriptis concepta monitus eſt, ut quoniam ſub bonorum ſuorum hypotheca atque pignore ſeſe obligaſſet de pecuniis reddendis, quas Rex ad bellicos uſus à ſe mutuo ſumpſiſſet, pecunias praedictas huic nuntio perſolveret, aut in Flandriam trajiceret, ibi rationem redditurus cur id non debeat facere. Ex his Archiepiſcopus perſpiciens quanta jam ingrueret procella[z], perſcriptis ad Regem literis, de criminibus objectis diligenter ſe purgat: obſecrat deinde ne accedere ad ſe jubeat, donec convocatis in Parliamento ordinibus, rationem rerum à ſe geſtarum reddat, quorum judicium ſe non recuſaturum recipit. Deinde quia non latebat eum, ad multos Regem ſcripſiſſe ſuis de rebus epiſtolas bene longas, Londinenſem Epiſcopum, Conventum Cantuarienſem, alioſque, hunc ipſum in finem ut omnibus innoteſcerent quae ſcripſiſſet: ſuggeſtu Cantuariae conſcenſo, de fide ſua integritateque tam in Regem quam regnum, coram populo pro concione pluribus diſſerit, atque hoc ſumpto themate (*Non pertimuit principem et nemo potentia vicit illum. Eccle.* 48. 13.) ad omnia accuſationis Regiae capita ſigillatim reſpondet; cùmque perorâſſet, more Pontificio accenſis et extinctis lucernis, campaniſque pulſatis, omnes excommunicat qui ſe vel ſuae provinciae Epiſcopum quemcunque in Regis odium aut iram traxerint, eoſve proditionis aut cujuſquam capitalis criminis inſontes, reos fecerint. Apologia porro bene prolixa perſcripta, eadem repetit quae pro concione dixerat, et multis divulgatis exemplaribus, in Eccleſiis aliquot publice coram populo hanc Apologiam legi mandat.

Cogitur tandem Parliamentum, et protectio regia ut tutò accedere poſſit Archiepiſcopo data eſt. Huc cùm veniſſet, ab ingreſſu prohibitus eſt, donec in ſcaccario Regis de criminibus objectis judicium ſubiiſſet. Qua propter ne Regem amplius commoveret, ad ſcaccarium extemplo ſe contulit, ubi accuſationis formula accepta, ad Cameram Parliamentalem reverſus, admittitur. Eo die cùm nihil actum eſſet, poſtridie accedit iterum et à miniſtris regiis foribus arcetur. Quo facto, aſtantes his verbis affatus eſt; *Rex me ad hoc Parliamentum ſcripto ſuo vocavit, et ego tanquam major Par regni poſt Regem, et vocem primam in Parliamento habere debens*, (ſic loquitur Birchingtonus[a]) *jura Eccleſiae meae vendico et ingreſſum in Parliamentum peto.* Cumque ingredi, à ſatellitibus excluſus, non poſſet, crucem propriis manibus apprehendit, ac firmiter aſſeruit, ſe ab eo loco non receſſurum donec Parliamentum ingrediendi poteſtas ei à Rege fieret. Dum ibi ſtaret, non defuerunt qui à convitiis haud temperarent et Regis regnique proditorem dicerent. Quibus ille, *Maledictio*

---

[z] Tota haec narratio ſumpta eſt è Birchington de vitis Archiepiſ. Cantuar. quamvis non in iiſdem verbis.

[a] P. 39.

(inquit) *Dei omnipotentis, et beatiſſimae Matris ſuae, et ſancti Thomae, et mea, ſuper capita eorum qui ipſum Regem taliter impediunt, Amen, Amen.* Prodeuntibus deinde procerum nonnullis, obſecrat eos Archiepiſcopus ut apud Regem pro ipſo intercedant. Id cum feciſſent ac in conſeſſum is fuiſſet admiſſus, de omnibus ſibi objectis criminibus ſe legitime purgaturum obtulit. “ Unde (inquit Birchingtonus[b]) electi ſunt duodecim pares “ regni Angliae, videlicet Epiſcopi Londinenſis, Herefordenſis, Bathonenſis, Exonienſis; tum Comites Arundeliae, Sarisburienſis, Huntindoniae, “ et Suffolcienſis; ac Barones, Henricus Percy, Thomas Wake, Radulphus Baſſet, et Radulphus Nevil; ut hi de criminibus Cantuarienſi objectis deliberarent, Regique referrent quid conſultiſſimum factu ſit.” Haec omnia ad faciendum populum. Culpa erat admiſſa, et Rex, modo illius labem à ſe poſſet abſtergere, parum ſollicitus in quem ea incideret; ut plebis oculis caliginem obduceret, et in Archiepiſcopum (quantum video inſontem) omnium incommodorum infamiam derivaret, has omnes turbas excitarat. Nam haec tanta crimina in diſceptationem coram his Paribus nunquam venerunt.

Procerum nonnullorum interceſſione, in gratiam Archiepiſcopus recipitur, et Rex ex animi ſententia rebus in Parliamento confectis, ſua ſponte, legitime Archiepiſcopum à criminibus objectis purgatum atque excuſatum pronunciat. Et certe, quanquam non deſint qui ſuſpicentur, muneribus corruptum à Gallo, et ſatagente Papa qui Gallo multum favebat, ſegnius eum pecuniam ſuppeditaſſe quam par erat, Regique authorem pacis componendae fuiſſe: mihi tamen ſatis clarum videtur, Regi fidelitatem hominis plane exploratam fuiſſe; idque vel inde patere, quod cùm bellum Gallicum perſecuturus, Parliamento finito, illico in Galliam trajiceret: hunc unum omnibus in rebus, ſe in militia abſente gerendis, denuô praefecerit. Hâc tempeſtate ſic ut retulimus ſedatâ, aliquot tum poſtea annos in magna tranquillitate tranſegit.

Archiepiſcopus cùm ſediſſet annos plus minus quindecim, in aegritudinem incidit Magfeldiae, ibique cùm omnes ſuas facultates famulis ac domeſticis legaſſet, mortem obiit[c]. Tumulo conditus eſt alabaſtrino elegantiſſimo ab auſtrali parte ſummi altaris, in Eccleſia ſua. Homo miti adeo clementique ingenio praeditus, ut ſaepius parcendo et ſontibus ignoſcendo, quam nimia ſeveritate aut ſummo jure agendo peccaſſe reprehenſionemque meruiſſe palam ſit. Ter quotidie egenis tredecim eleemoſynas largitus eſt; mane videlicet ſingulis denarium, hora deinde nona aliis tredecim panes, pulmentum et carnes, ac denique hora pomeridiana aliis ſingulos panes totidemque denarios. Eccleſiae ſuae Cantuarienſi cappam dedit magni pretii, mitram etiam Pontificalem et libros decretalium atque decretorum[d]: conventui etiam Monachorum ſuorum centum ſolidorum penſionem aſſignavit, de Eccleſiis Preſton et Boſton coenobio Feverſamenſi appropriatis. Collegium denique extruxit Stratfordiae ad Avonam (ubi natus videtur) et liberaliter adeo dotavit, ut quo tempore ſub Henrico octavo dirutum eſt, praedia habuerit, annuo cenſu 123 librarum noſtratium, ſolidorum undecim et novem denariorum[e].

---

[b] P. 40.

[c] Die Sabbati in vigilia S. Bartholomaei Apoſtoli, A. D. 1348 et ſuae tranſlationis 15. *Birchin.* p. 41.

[d] Anno 1344 conſtitutiones edidit, quae adhuc in archivis Lameth. aſſervantur. MS. Num. 17.

[e] Poſt mortem omnia mobilia a regiis miniſtris regio juſſu ſunt direpta. *W. Dene.* Hiſt. Roff. p. 375.

LIII. THOMAS BRADWARDIN.

EDWARDUS Rex tyrannidis Pontificiae jam pertaeſus, nec ferendum ratus ut regni ſui praeſulatus, ſicut hactenus fecerat, pro libitu ſuo Papa diſponeret: hanc tam gravem injuriam per literas deprecatur, dicens, antiſtitum deſignandorum jus ad Reges antiquitus ſpectaſſe ſemper, donec illi ad Pontificum petitionem in Capitula Cathedralia illud tranſtuliſſent; quod ſi uſurpare ii ſuperſedeant, devolvi continuo ac redire ad eum qui contuliſſet. Quapropter rogat, ut proviſionibus et reſervationibus ſuis, Canonicis electionibus vim inferre deſiſtat, aut libertatem earum quoviſmodo imminuere. Hujus epiſtolae exemplar, apud Walſinghamium videre eſt [f]. Petitionem hanc Papa adeo non eſt aſpernatus, ut quanquam Regi iniquior et Gallus Gallo ejuſque rebus promovendis plurimum ſtuderet; raro tamen cuiquam Epiſcopatum Anglicanum conferret, niſi rogante Rege. Hinc vero factum eſt, ut Rege Pontificeque conſpirantibus, electionis jure Capitula Cathedralia plerunque exciderint. Mortuo igitur Stratfordo, cùm Monachi Cantuarienſes Thomam Bradwardinum elegiſſent: Rege tamen literis ad Pontificem datis, Joannem Uffordum commendante; oraculo Papali Archiepiſcopus is pronunciatus eſt. * 1349. Ed. 3. 23.

Filius hic fuit Comitis Suffolcienſis, et Cantabrigiae dicitur educatus [g], ibique juris utriuſque Doctor creatus. Sic nimirum neſcio quo authore Parkerus, cùm ſatis conſtet (hunc an alium non pronuncio) Joannem quendam Offordum (ſicut oſtendere poſſum) gradu hujuſmodi his temporibus Oxoniae honeſtatum. Ex Decano Lincolnienſi Cancellarius [h] Angliae et Archiepiſcopus renunciatus [i], pallii conſecrationiſque expers moritur Junii 7. 1348 [k]. quo tempore ſtrage inaudita peſtis in Anglia noſtra ſaeviens, populi novem partes, vix decima relicta (ſi Walſinghamo [l] fides) ſuſtulit. Defuncti cadaver ſine pompa aliqua ſolenni Cantuariam delatum, et ſepultum ferunt ad parietem aquilonarem juxta murum Thomae Beckett, ibi (ni fallor) ubi monumentum [m] videmus ligneum prope tumulum Warhami. Iſte (quem ideo non numeramus inter Archiepiſcopos quod conſecratione caruerit) palatium Archiepiſcopale Maydeſtonae inchoavit, ſed morte intempeſtiva ſublatus abſolvere nequivit.

Extincto jam ſic ut retulimus Offordo, Cantuarienſes Monachi, geminata electione [n] Bradwardinum, Rege annuente, Archiepiſcopum iterum renunciant; et Papa antequam de hac monachorum electione quicquam reſciviſſet, illum ipſum Eccleſiae Cantuarienſi praeficiendum decernit. Vix alium reperias qui adeo ſine ambitu, ac nemine tamen contradicente, Archiepiſcopale ſolium conſcenderit. Sacratus eſt Avenione [o], per Bertrandum quendam S. Marci Cardinalem, in Eccleſia fratrum Minorum ibidem. Ritu conſecrationis peracto, in Angliam quantum potuit properavit, ubi à Rege benigniſſime exceptus, temporalibus illico reſtitutus eſt.

---

[f] *Hiſt. Angl.* p. 150. [g] In miſſa Benefactorum Cantabr. orabant pro Magiſtro de Offord Cantuar. electo. [h] Cancellariatûs officium tenuit uſque ad mortem. *Rym. Foed.* Tom. 5. p. 662. [i] Bulla Clementis Papae pro promotione Joan. Offord dat. Avinion. 8 Kal. Oct. 1348. Pontif. A. 7°. *Ib.* p. 641. Reſtitutionem habet temporalium 14 Dec. 3 *Pat.* 22 Ed. 3, m. 13. et Literas habet ſummonitorias ad Parliamentum, 20 Nov. *Clauſ.* 22 Ed. 3. par. 2. m. 7. in dorſo. *Dugdal. ſummonition.* et iterum 1 Jan. et 10 Mar. [k] Ob. apud Totenhall 20 Maii 1349. *Rym.* Tom. 5. p. 662. [l] *Hiſt. Angl.* p. 159. [m] Nequaquam, hoc enim non Offordi ſed Peckami tumulum. [n] Electus fuit primò Aug. 29. 1348. ſed abrogatâ electione Pontificis oraculo, praeficitur Joannes Offord; eo verò mortuo iterum eligitur Bradwardinus. Jun. 4. 1349. [o] Jul. 19. 1349. et temporalia à Rege reſtituta ſunt 22 Aug. 2 *Pat.* 23 Ed. 3. m. 14.

Ab aula Lametham mox ſecedit, ut corpus itineris longinqui laboribus defatigatum quiete reficeret. Ibi Roffenſis Epiſcopi hoſpitio uſus, morbo corripitur, et diebus non multis decumbens, è vivis excedit [p], conſecrationi ſuae quinque tantum ſeptimanis, et quatuor diebus ſuperſtes, Cantuariae pro more nondum inthroniſatus. Sepultus eſt in capella S. Anſelmi ad murum auſtralem.

Natus fertur Bradwardinus Hatfeldiae in comitatu [Suſſexienſi], Oxoniae vero educatus, ubi cum bonarum literarum ſtudiis aliquot annos incubuiſſet, Academicorum ſuffragiis procuratorum unus creatur anno 1325; poſteaque Doctoris in Theologia gradu honeſtatur. Mathematicus fuit inſignis, Philoſophus egregius, in Theologiae verò ſtudiis eouſque verſatus, ut apud doctos illorum temporum, *Doctoris profundi* appellatione innotuerit; eamque non immerito delatam illi fatebuntur credo, qui libros ab illo conſcriptos perlegerint. Verum in hoc homine nihil erat quod potius laudaveris quam morum vitaeque ſanctimoniam, ob quam caeteraſque virtutes, à Stratfordo delectus eſt, ut Regi eſſet à confeſſionibus. In quo munere ita ſe geſſit, ut optimi ſimul ac prudentiſſimi viri laudem retulerit. Regem ſiquidem à recto deflectentem increpare conſuevit audacter, eâ tamen prudentiâ verborumque lenitate, ut animum Principis nunquam offenderit. Neque vero illum ſolum monuiſſe contentus, habitis ſaepe coram exercitu concionibus, milites ſe efferentes et propter crebras de hoſtibus victorias ferocientes, ad humilitatem ac modeſtiam hortatus eſt, et erga Deum, omnium bonorum largitorem, gratitudinem. Non deſunt certè inter ſcriptores, qui inſignes illas Edwardi victorias, hujus potius ſanctitati ac virtutibus acceptas ferendas exiſtiment, quam cujuſpiam ſeu fortitudini ſeu prudentiae. Iſte tamen qui cùm talis habitus fuerit, ut â Rege ſuo nihil non potuiſſet impetrare, aegre perſuaſus eſt, ut Eccleſiae Paulinae Cancellariatui praebendam in Lincolnienſi Eccleſia [q] adjungeret. Et ad Archiepiſcopatum quod attinet, certo certius eſt, nihil facilius fuiſſe quam quo tempore primum electus eſt, Regem ſuffragatorem habere, ſi id ſibi annitendum exiſtimaſſet. Nam cum eſſent qui mirari ſe dicerent, electionem de illo factam Regem non probare, reſpondiſſe dicitur Rex praedictus, non libenter ſe tali confeſſore cariturum, cariturum tamen libentiſſime ſi illum Archiepiſcopatum cupere perſpexiſſet [r].

LIV. SIMON ISLIP.

1349. E D. 3. 23. SIMON Iſlip, in Collegio Mertonenſi Oxoniae educatus, Legum Doctor ibi creatus, factus eſt primum Eccleſiae Paulinae Canonicus [s], tum curiae Arcuatae Decanus, et inde Secretarius Regius, in numerum eorum allectus qui regi erant ab arcanis et intimis conſiliis, poſteaque privati ſigilli cuſtos conſtitutus. Joannes Stratfordus morti vicinus, Cantuarienſem Archiepiſcopum eum olim futurum vaticinatus fuerat. Neque vaticinii fidem fefellit eventus, duobus vix annis elapſis Archiepiſcopo illo declarato, quanquam intereà duo fuerint qui eam dignitatem ipſi praeripuiſſe viſi ſunt. Monachi (approbante Rege) elegerunt, et Papa electionis nulla habita ratione, Archiepiſcopum renunciavit ex plenitudine poteſtatis[t]. Octobris quarto 1349 promulgatae ſunt in Eccleſia Arcuata Londini bullae, quarum virtute menſe Decembri proxime ſequenti conſecratus eſt in Eccleſia Paulina, Epiſcopi Londinenſis miniſterio[u]. Ut ſumptui parceret, inthroniſatus eſt clanculum.

---

[p] Aug. 26. 1349. adeò ut infra annum et perpaucos dies ſedes ter vacaverat.

[q] S. Botolphi Scil.

[r] Magnificum Dominicanorum Collegium in area cujuſdam caſtri Londoni conſtruxit hic Bradwardinus, teſte *Lelando* in Syllabo Antiqu. Dict. in voce Bellini caſtrum.

[s] Archidiaconus fuit Stow in Eccleſ. Linc. 1331. et Preben. de Aileſbury primò, dein de Welton Beckhall in eadem Eccleſ. *Regiſt. Burgh.* nec non Epiſc. Lincolnienſis in remotis agentis Vicarius generalis. *Clauſ.* 11 Ed. 3. par. 2. m. 26.

Homo ſiquidem deparcus fuit et frugi, externae pompae ſplendorem nihili aeſtimans. Sed et ſeverus admodum fuit. Cum dioceſin ſuam primum viſitaret, multos ob varia peccata ſacerdotiis ejecit. In Roffenſi et Ciceſtrenſi nihil agere viſus, ut nimiam in eo lenitatem non pauci reprehenderent. Reverſus vero domum, vocatos ad ſe delinquentes mulctavit ita, ut ſeveritatem in eo pauci jam poſthac deſiderarent. Certe Lincolnienſis Epiſcopus Joannes Synwell, aſperitatem ejus adeo veritus eſt, ut magna data pecunia diploma bullatum à Papa impetrarit, quo ſe ſuoſque ab Archiepiſcopi hujus juriſdictione defenderet, quod tamen poſtea Iſlepo flagitante reſciſſum eſt, et revocatum; idque hac occaſione.

[x] Gulielmus quidem de Palmorna ab Academicis Oxonienſibus in Cancellarium legitime electus, à dicto Epiſcopo ea tempeſtate confirmationem pro more petiit, quia Oxonium Lincolnienſis dioeceſis pars tunc temporis cenſebatur. Verum is, qua de cauſa incertum, de die in diem rem prolatando, negotium adeo non expedit tempeſtive, ut Academici de gravamine injuriaque conqueſti ad Archiepiſcopum provocarint, qui Epiſcopo tempus praeſcripſit, ante quod electum praedictum confirmaret, vel cur id non faceret rationem redderet maturè. Tempore conſtituto adfuit electus una cum Procuratoribus Academiae ut admiſſionem poſtularent. Ille nihilo ſeciùs privilegio nuper adepto (ut videtur) confiſus, rem ſicut ante in aliud tempus rejecit. Qua re cognita, Archiepiſcopus electum confirmat, et Epiſcopum citatum, coram ſe jubet comparere ad reddendam rationem, quare, Cantuarienſis provinciae ſuffraganeus, Archiepiſcopi ſui mandato legitimo non obtemperarit. Epiſcopus ad Pontificis Romani tribunal extemplo provocat, ubi diu lite inter eos agitata, ſuccubuit tandem Lincolnienſis, adempto et reſciſſo privilegio.

Hoc negotio confecto, Andream Ufford aggreditur, Archidiaconum Middleſexiae[y], fratrem Joannis Ufford electi Cantuarienſis, ejuſque bonorum adminiſtratorem. Hunc ob non refecta aedificia Archiepiſcopalia (etſi frater nunquam fuiſſet conſecratus) in jus vocavit, et lite potior, recuperavit ab eo mille ac centenas libras, quas acceptas in reparatione palatii Cantuarienſis impendit. Tum poſtea villam Wrothenſem demolitus eſt, et materie ibi reperta uſus eſt in ſtructura aedificii quod Maidſtonae inchoarat Uffordus, quodque iſte jam tandem omnibus numeris perfectum reddidit; ſed tanto ſumptu, ut oneris magnitudini ſe ferendo imparem dictitans, à Papa petierit atque impetrarit, annui cenſus partem quadrageſimam ſibi dari ab omni provinciae ſuae clero. Sed miniſtri, utrum errantes, an data opera ſcientes incertum, integram decimam collegerunt. Haec omnia ſub initium Pontificatus ejus; quo porro tempore, anno videlicet 1350 vetus controverſia renovari coepta inter illum et Eboracenſem Archiepiſcopum de cruce in provincia Cantuarienſi geſtanda. Rex ipſe tandem tota lite ab Archiepiſcopis ejus arbitrio compromiſſa, negotium hoc modo compoſuit. Ut in alterius provincia ante eos cruces ferantur: ſed Eboracenſem oportuit, et omnes ejus ſucceſſores in ſubjectionis ſignum ſecundo menſe poſtquam deinceps Cantuarienſem provinciam ingreſſi fuerint, pro pacifica crucis delatione, nuncium aliquem ſolennem, vicarium puta generalem, vel aliquem Legum Doctorem aut militem, ad Eccleſiam Cantuarienſem mittere cum imagine aurea Sancto Thomae offerenda, quae quadraginta libras noſtrates valeret, et in effigiem Archiepiſcopi crucem bajulantis eſſet efformata.

---

[t] Bullâ Proviſionis datâ Avinion. Non. Oct. Pontif. Clementis Papae A. 8 *Regiſt. Iſlip.* f. 1.

[u] Archiepiſcopus vocatur die 25 Nov. in ſummonit. ad Parliamentum. *Clauſ.* 24 Ed. 3. par. 2. m. 3. in dorſo, apud *Dugdale*: conſecratum verò non fuiſſe ante 20 Dec. conſtat ex illius Regiſtro.

[x] *Park. Antiqu. Brit.* p. 365. Edit. *S. Drake.*

[y] *Id.* p. 366.

Inter caeteras Iſlepi noſtri res geſtas, nullo modo praetermittendum eſt, quod Collegium dictum Cantuarienſe [z], quodque nunc collegii ſive aedis Chriſti Oxoniae pars cenſetur, ſuis ſumptibus conſtruxit, et dotavit, appropriatis eidem rectoriis Eccleſiarum de Pagham et Magfield. Monachis etiam ſuis Cantuarienſibus conceſſit Eccleſias de Monkton et Eſtry. Sed et hoc memoratu non eſt indignum, quod cùm Cantiae quaedam Comitiſſa [a], marito Comite defuncto, monialis facta, in coenobio aliquot annos inter velatas vixiſſet, tumque derepente equiti cuidam aurato clanculum nupſiſſet, Euſtacio Abricourt appellato: poena quidem mulctaverit non levi; veruntamen conjugii vinculum ab illo non diremptum, adeoque permiſſum, et cohabitantes, aetatis reliquum unà tranſigerent.

Inter caetera benefacta, vitio vertitur huic Archiepiſcopo, quod Comiti Arundeliae pro 240 marcis vendiderit jus viginti et ſex damarum annuatim ipſi ſucceſſoribuſque reddendarum. Cum ſedi Cantuarienſi praefuiſſet annos ſedecim menſes quatuor atque dies duodecim vitam cum morte commutavit. Magfeldiam [b] iter faciens, jumento quo vehebatur forte fortuna titubante, in paludem dejectus, illaeſus caetera, luto conſpurcatus eſt, veſtibus madefactis [c]. Lutoſus ita et madidus Magfeldiam perveniens, ſomno ſe corripi paſſus veſtibus non dum mutatis, in paralyſim continuo incidit, qua paulo pòſt extinctus eſt [d]. Eccleſiae ſuae Cantuarienſi moriens legavit mille oves, veſtimenta quaedam auro intertexto pretioſiſſima, cappam item valde pretioſam, et caelati argenti magnam vim, nempe lances ſexies duodecim, ſalſaria ſex, et pelves praegrandes quatuor inſignibus ſuis ornatas. Sepultus jacet in medio navis Eccleſiae ſuae, marmoreo conditus tumulo, cui inſcriptum legimus quod ſequitur Epitaphium:

Simon Iſlep oriens, vir bina lege probatus,
Ut naſcens moriens, ſic nunc jacet arcte locatus:
Arcem qui tenuit hic quondam Pontificatus,
Clero quique fuit regno toti quoque gratus;
Princeps paſtorum fac SIMON Apoſtolorum,
SIMON ut iſte chorum per eos pertingat eorum;
Mil. trecenteno ſexageno modo ſeno,
Ejus ſepteno paſtoratus quoque deno,
Flos cadit è foeno, coelo peto qui ſit amoeno.

---

[z] Edwardi tertii Regis diploma Simoni Iſlip Archiepiſcopo Cantuarienſi datum pro fundandâ Oxonii Aulâ Cant. extat inter MSS. Lameth. Num. 104. Simonis Iſlepi Charta fundatoria anno 1363. Ejuſdem Charta eccleſiam de Pageham ſcholaribus ſuae Aulae annexans. Ib. *MS. Lond.*

[a] Fuit illa Elizabetha Ducis Juliacenſis filia, Joannis de Plantageniſtâ vidua, filii natu ſecundi Willielmi de Woodſtock fratris Edwardi ſecundi Regis. Joannes iſte Comes tandem erat Cantiae. Fuit Euſtacius ille d'Abridgecourt, qui duxit Comitiſſam iſtam Cantiae, filius natu ſecundus Dom. d'Abridgecourt ordinis Periſcellidis Equitis, et unius ex fundatoribus ejuſdem. *MS. Gale.*

[b] Nunc Mayfield

[c] *Walſingh.*

[d] Obiit apud Maghfeld (Otteford *MS. Baker.*) Apr. 26. 1366, et die ſabbati Maii 2. in Eccleſia Cantuarienſi humatus eſt. *Step. Birchingt.* p. 46.

O ſpes ſanctorum decus et pie Chriſte tuorum,
Coetibus ipſorum prece jungas hunc precor horum.

Sine populi frequentiâ et quam minimis impenſis humari voluit; ſplendorem et magnificentiam magnis ſumptibus emptam, ſicut in tota vita, poſt mortem etiam devitans [e].

◆ ◆ ◆

LV. SIMON LANGHAM.

AD Cantuarienſem ſedem per Iſlepi mortem vacantem, illius Eccleſiae Monachi elegerunt qui ſuccederet Gulielmum Edindonum Wintonienſem Epiſcopum, recuſante illo [f], et electioni de ſe factae conſenſum praebere detrectante. Rege tum annuente, ab Elienſi ſede Cantuariam authoritate Pontificia [g] tranſlatus eſt Simon adhuc alius, Simoni Iſlepo ſucceſſurus, nempe Langhamus Elienſis Epiſcopus et Angliae Theſaurarius. Qui Monachus primum Weſtmonaſterienſis, tum Prior, ac demum Abbas ibidem; inde Londinenſis Epiſcopus deſignatus, priuſquam conſecrari contingeret, praeſulatum dignitate ſuperiorem opulentiori poſtponens, Elienſem oblatum accepit libenter, et quinque per annos tenuit. Pallium in capella S. Nicolai ſolenni ritu illi traditum eſt per Epiſcopum Bathonenſem Novemb. quarto 1366. et in feſto Annunciationis ſequenti inthronizatus eſt. 1366. Ed. 3. 40.

Annis praefuit duobus non amplius, ut multa de eo ſcribere non patiatur temporis quo ſedit anguſtia. Litem quae magna exarſerat inter cives et clericos Londinenſes de ratione decimandi, ita compoſuit, ut de ſingulis libris annui redditus unum obolum ſacerdotibus ſuis cives perſolverent, praeter oblationes atque decimas perſonales [h]. Inter ipſum poſtea et ſtudioſos Cantuarienſis collegii, per anteceſſorem ejus Iſlepum extructi, contentio exorta eſt. Eccleſiae de Pagham fructus, illis conceſſos ſequeſtravit; et alias exhibendo moleſtias, illud egit, ut ejectis ſtudioſis, Monachos induceret, quod revera tandem per ſuam potentiam, Pontificis Romani opera effecit. Inter alios ſic ejectos numeratur Joannes Wicklivius, qui ſummâ Dei providentiâ hac tanta injuria irritatus, in illorum vitiis oculos eo libentiùs defigens, reformationis viam inter primos et perſpexit et ingreſſus eſt. Langhamus autem cùm annos ſediſſet plus minus duos, Cardinalis [i] creatus ab Urbano quinto, Maii duodecimo 1367. titulo S. Praxedis, Archiepiſcopatum reliquit [k] et Avenionem profectus, non ita multo poſt ab eo titulo tranſlatus, factus eſt per Gregorium undecimum Epiſcopus Cardinalis Praeneſtinus, datâ illi poteſtate, aliarum promotionum ſpiritualium fructus, adminiſtratoris nomine colligendi. Nam in ſola Wellenſi Eccleſia, praeter Theſaurariatum, Archidiaconatum etiam tenuit Tauntonenſem.

---

[e] Memoratur in miſſa Benefactorum Cantabr.

[f] *Steph. Birchingt.* p. 46.

[g] *Walſingh.* Hiſt. Angl. p. 175. Bullâ tranſlationis datâ 9 Kal. Aug. Pontific. quarto. *Regiſt. Langham.* fol. 45. Fidelitatem fecit Regi et temporalium habet reſtitutionem 5 Nov. 2 *Pat.* 40 Ed. 3. m. 17.

[h] De hac contentione, deque argumentis ab utraque parte prolatis, vid. MSS. Bibl. Lameth. N°104. *MS. London.* Tempore Langhami, "inquiſitione facta, compertum fuit (ut aſſe-
"rit Parkerus p. 373.) nonnullos Eccleſiaſticos viginti Eccleſias et dignitates Papae authoritate poſſidere; illiſque inſuper
"iiſdem Privilegiis indultum eſſe, ut ſine modo atque numero quaſcunque alias, quocunque modo nactas, licite retinere
"poſſint." Et poſtea, "eodem tempore omnia publica Regis regnique munera à clericis adminiſtrata ſunt. Nam Simon
"Langham Archiep. Cantuarienſis Cancellarius erat: Joannes Bathonienſis Epiſcopus Theſaurarius: David de Woller
"preſbyter Cuſtos Rotulorum: Willielmus Wickham Archidiaconus Lincolniae, Cuſtos Privati Sigilli: Joannes de Troy
"Theſaurarius Hiberniae: Willielmus Aſheby Cancellarius ſcaccarii &c. &c."

[i] Sept. 22. 1368. *Ciacon. Vit. Pont.* Tom. 2. p. 568. Vide etiam inter Cardinales.

[k] Archiepiſcopatum reſignat Nov. 17. 1368. *Regiſt. Cant.* MS. Lowth.

Avenione in magna vixit authoritate annos circiter octo, et eodem quo anteceſſor morbo ſublatus, (nempe paralyſi, qua ad prandium ſedens ſubito correptus eſt) mortem obiit[l] Jul. 22. 1376. Sepultus eſt bis. Temporario nempe ſepulchro conditus in Eccleſia Carthuſianorum, quibus coenobium Avenione conſtruxerat; et inde poſt tres annos (ſicuti vivens ordinaverat) Weſtmonaſterium deportatus, tumulo alabaſtrino illatus, ab auſtrali parte chori ibidem jacet humatus in capella ſancti Benedicti. Dignus cujus memoriam Weſtmonaſterienſes concelebrent, propter munificentiam ejus erga illud coenobium vix credibilem. Quicquid pecuniae Monachus, aut Prior corraſerat ibidem, in aere alieno conventum liberando impendit, quo primum tempore Abbas creatus eſt, videlicet 2200 marcas, praeter multam aliam pecuniam quam ſeperatim in ſingulos Monachos quotidie contulit, quos ut liberos ſuos fovit et dilexit[m]. Dum Angliae eſſet Theſaurarius et Cancellarius, praedia multa coempta illis donavit. Ex Anglia diſcedens, reliquit illis libros valentes 830 librarum noſtrae monetae, et cappas ac veſtimenta ad pretium 437 librarum. Moriens legavit illis quicquid haberet argenti coelati (quod valuiſſe dicitur libras 2700) nec non omnes pecunias ſibi debitas, quae fere 4000 librarum conficiebant. Miſit illis praeterea mille marcas dum adhuc viveret, ut inde quadraginta marcas annui redditus compararent pro quatuor Monachis, qui pro demortui anima miſſificarent. Ut de Carthuſianorum coenobio nihil dicamus Avenione conſtructo, pecunia in hoc Weſtmonaſterienſe ſolum ab illo collata à quodam Monacho ejuſdem dicitur ad decies mille et octingentas libras conſurgere. Tumulo ejus Epitaphium hujuſmodi dicitur inſculptum:

Simon de Langham ſub petris hiis tumulatus,
Iſtius Eccleſiae Monachus fuerat, Prior, Abbas.
Sede vacante fuit electus Londonienſis
Praeſul, et antiſtes Ely, ſed poſtea Primas
Totius regni, magnus Regiſque miniſter:
Nam Theſaurarius, et Cancellarius ejus,
Ac Cardinalis in Roma Presbyter iſte,
Poſtque Praeneſtinus eſt factus Epiſcopus, atque
Nuncius ex parte Papae tranſmittitur iſtuc.
Orbe dolente, pater, quem nunc revocare nequimus,
Magdalenae feſto, milleno ſeptuageno
Et ter centeno ſexto Chriſti ruit anno.
Hunc Deus abſolvat de cunctis quae male geſſit,
Et meritis matris ſibi coelica gaudia donet.

LVI. GULIELMUS WITTLESEY.

* 1368. Ed. 3. 42. SIMONI Iſlip fuit ex ſorore nepos, nomine Gulielmus Wittleſey, quem in bonarum literarum ſtudiis Oxoniae[n] curavit inſtituendum, et per varios honorum gradus eouſque produxit, ut ſua opera Epiſcopum tandem factum viderit Wigornienſem. Poſtquam utriuſque juris Doctor Ox-

oniae creatus eſt; avunculus, jam factus Archiepiſcopus, ad Romanam Curiam miſit eum, ut ſimul negotia ſua ibi procuraret, et experientia rerumque uſu magiſtra, prudentiam compararet. Avocatus inde, Vicarius Archiepiſcopi generalis, ac mox Arcuatae Curiae Decanus conſtituitur; tum Archidiaconus Huntindonenſis, Rector Eccleſiarum de Croydon et Cliff, ac tandem (anno nimirum 1361) Epiſcopus Roffenſis. Quo munere per biennium functus, ad Wigornienſem ſedem anno 1363 promovetur. Langhamo tandem in Cardinalium album aſcripto, Archiepiſcopatu Cantuarienſi ab Urbano quinto donatus eſt undecimo Octobris 1367[o]. Pallium à Wickhamo Wintonienſi Epiſcopo traditum accepit Aprilis primo ſequenti, ac deinde Junii decimo ſexto (ſed ſine ſolenni aliqua pompa) inthroniſatus eſt.

---

[l] *Walſingh.* p. 187.

[m] Ita Parker è lib. de fundatione Eccleſiae Weſtmon.

[n] Anno 1349 Cuſtos fuit domus S. Petri; et moriens legavit libros ſuos omnes ſcholaribus ejuſdem; è quibus colligere fas eſt, eum in Academia Cantabrigienſi inſtitutum fuiſſe, et non alibi.

In duabus Synodis ſua authoritate coactis Latine concionatus eſt magna facundiae ac eruditionis laude. In earum poſtrema, dum adhuc in ſuggeſtu conſiſteret, aegritudine corripitur, ut Synodo amplius intereſſe non potuerit, atque duos totos annos decubuit. Julii tandem quinto (ſi Walſinghamo credimus[p]) 1374. animam exhalavit[q], poſtquam Archiepiſcopus ſediſſet annos ſex et menſes ferme novem. Sepultus eſt prope avunculum inter duas columnas, ubi ante annos triginta in tumulo marmoreo memini me legiſſe Epitaphium in aes inciſum. Hujus Archiepiſcopi opera et interceſſione, Academia Oxonienſis à juriſdictione Lincolnienſis Epiſcopi exempta eſt, ejuſque regimen Cancellario et Procuratoribus commiſſum, facultate data Cancellarium conſtituendi, ita ut, ab Academicis electo, jam inde ab eo tempore, Magiſtratum inire fas ſit, ſine cujuſquam alterius confirmatione[r].

* * *

LVII. SIMON SUDBURY.

IN conventu ordinum ſive Parliamento, anno gratiae 1373 coacto, decretum perhibet Walſinghamus (quod tamen inter ſtatuta quae edita ſunt non reperi) "Ut Eccleſiae Cathedrales ſuis gauderent electionibus et "quod Rex de caetero contra electos non ſcriberet, ſed per literas ſuas ad "eorum confirmationem juvaret. Sed tamen hoc ſtatutum in nullo (in"quit Walſinghamus[s]) profuit." At vero quod non profuerit, nihil aliud in cauſa fuit quam Monachorum Cantuarienſium protervia; qui electionis jure reſtituto moderate prudenterque uti neſcientes, ad ſedem Eccleſiae ſuae jam vacantem poſtularunt Adamum quendam Eaſtonum[t], Anglum quidem, ſed Cardinalem Romanum. Id quod Regem tam male habuit, ut de iis proſcribendis et tam regno quam monaſterio ejiciendis conſilium inierit. Sed Gregorius undecimus tunc Papa, partim ut Regem Monachis reconciliaret, partim, multoque magis (ut credibile eſt) quo fugitivum proviſionum jus ad ſe retraheret, poſtulationem hujuſmodi repu- 1375. Ed. 3. 49.

---

[o] Bulla data Veterbi 5 id. Oct. 1368. Pontificat. Urbani quinti ſexto. *Regiſt. Wittles.* fol. 1. Willielmus Wigorn. Epiſcopus per Papam ad Archiepiſcopatum Cantuar. vacantem (eo quod Simon nuper Archiepiſcopus extra curiam Romanam Cardinalis, abſolutus à vinculo quo onerabatur illi Eccleſiae per ipſum Papam, aſſumptus eſt in Preſbyterum Cardinalem S. Romanae Eccleſiae) praefectus habet reſtitutionem Temporalium 15 Jan. 2 *Pat.* 42 Ed. 3. m. 4. Inthronizatus eſt 15 Kal. Jul. 1369. *Reg. Wittles.* fol. 13.

[p] P. 183.

[q] Obiit die Lunae Jun. 5. 1374, apud Lameth. ita in *Regiſtr.* ejus f. 68.

[r] *Parker.* p. 381.

[s] Hiſtor. Angliae. p. 183.

[t] Nequaquam; hic non alius fuit quàm Simon Gulielmi deceſſor, *quem abdicati Archiepiſcopatûs poenituiſſe videtur*, ut ait *Whartonus in Angl. Sacr.* Vol. 1. p. 120.

lit, et (quod Regi in primis gratum futurum non ignorabat) Archiepiſcopatum proviſionis titulo Simoni Sudburio contulit[u], Epiſcopo Londinenſi.

Hic patre prognatus eſt nobili cui nomen Nigellus Tibold: unde cognomen inditum conſtat à Sudburia, comitatus Suffolcienſis oppido, ubi primum in lucem eſt editus, in parochia nempe ſancti Georgii[x]. Ex ephebis vix dum egreſſus, à patre ad tranſmarinas oras emiſſus eſt, ut juris cognitionem compararet, cujus facultatis Doctor evaſit poſtquam Galliae plurimas Academias perluſtraſſet; tumque Innocentio ſexto à ſacris, et in Romana Curia judex ſive auditor rotae factus eſt: ejuſdemque Pontificis proviſionibus, primum Cancellarii munus occupavit in Eccleſia Sarisburienſi, dein anno 1364. Londinenſem Epiſcopatum, ac tandem (ſicuti retulimus) Archiepiſcopatum Cantuarienſem[y], cujus tranſlationis bullae ipſi redditae ſunt Junii ſexto 1375. Synodos celebravit duas, in quarum utriſque Latino uſus idiomate, doctiſſime concionatus eſt.

Sedit annos circiter ſex, et nece tandem indigniſſima eſt affectus. Sacrificus quidam id temporis (Joannem Balum appellabant) concionibus, ex infima et egena plebe per multos ad id induxerat, ut exiſtimarent, per omnia ſervandam aequalitatem, hominem homini non praeſtare, non nobilem ignobili, non opulentum pauperi, non doctum ignaro: communes omnium mortalium parentes, et primos quidem illos, ad eum vixiſſe modum, nullo prorſus obſervato diſcrimine. Itaque author illis fuit, ut ad magnum numerum collecti, Regem interpellarent: futurum ut illi multum adoleſcenti perſuadeatur: quod ſi non fiat, ferro ſe in libertatem vindicarent. Hunc Archiepiſcopus, in carcerem aliquando conjectum, neſcio qua tandem religione motus, expedivit, magno certe ſuo et exitiali malo. Dimiſſus enim coepit aliquanto etiam pertinaciùs urgere inſtitutum ſuum. Qui Londini tum erant tenuiores, odio locupletiorum (ut fieri ſolet) laudare factum, per literas etiam invitatis illis Londinum pervenirent, patefacturos ſe urbem promittentes. Collecti adeo ex hac faece ad ſexaginta pene millium, duces ſibi praeponunt Tilerum, Straw, Leiſterum alioſque infimae ſortis homunciones, tumque Londinum petunt, nobilium aut paulo opulentiorum domos, quà iter faciebant, ubique diripientes, ipſis etiam plerunque utcunque cepiſſent obtruncatis aut peſſimè mulctatis.

Londinum cum perveniſſent, mittit ad illos Rex qui percontetur quid ſibi velint; ad quae illi, cupere ſeſe gravibus de rebus cum illo verba facere, deſcenderet igitur ad colloquium. A conſulatione, pleriſque viſum, faceret quod peterent: Archiepiſcopus vero et Robertus Haleſius Theſaurarius Regius, nec decorum nec tutum exiſtimabant, ut ſalutem ſuam fidei committeret hominum flagitioſorum, à quibus quam nihil boni aut aequi eſſet ſperandum, ea ſatis demonſtrare quae paucis antè diebus perpetraſſent: quapropter, conſultius futurum, noctu, vino ſomnoque ſepultos, inermes, diſcinctos atque diſſipatos opprimere. Haec eorum ſententia quanquam non probaretur, neſcio qua ratione tamen ad ſeditioſos emanavit; qui iracundia perciti, in arcem Londinenſem ubi Rex tunc erat, impetum fecerunt, et cum ſatis praeſidii non eſſet ad reſiſtendum irrumpunt, ac Archiepiſcopum, Haleſiumque magnis clamoribus ad caedem depoſcunt. Archiepiſcopus, quid eſſet eventurum praeſagiens, omnem eam noctem precibus impenderat, et tum forte miſſam celebrabat quando irrumpentium tumultus primum eſt auditus. Sacro finito, magna animi conſtantia percuſſores opperitur, et cum morari viderentur, ſacello egreſſus, "vadamus ait ſecuri, praeſtat mori quam quando non juvat vivere; neque ſane tempus hucuſque datum eſt in toto vitae curriculo, quando majore animi conſcientiaeque tranquillitate mortem oppetere potuiſſem." Seditioſis obviam datis et clamantibus ubi eſt proditor, "adventum veſtrum (inquit) habeo filii gratum, eccum vobis Archiepiſcopum quem quaeritis ut credo, proditorem non item." Correptum è veſtigio trahunt ex arce ad locum maleficis plectendis conſuetum: quo cum perveniſſet, quanquam omnia ubique horrendis clamoribus circumſonare et nihil praeter minas audiret, neque ullam cruentas nebulonum manus evadendi ſpem ſupereſſe cerneret; his tamen vocibus circumſtantes dicitur affatus. "Quid eſt chariſſimi filii, quid eſt quod paratis facere? quodnam eſt delictum meum tam grave ut mortem mereatur? Cavendum vobis eſt ne, me interfecto qui paſtor et Archiepiſcopus veſter ſum, (ut de judicio divino nihil dicam) univerſa Anglia interdicto ſupponatur." Plura dicturum, promiſcuis clamoribus undique perſtrepentes, interpellarunt, ſe nec interdictum nec ipſum Pontificem flocci pendere, neque igitur aliud ſupereſſe quam ut cervicem exhibeat amputandam qui regni populique Anglicani proditor extitiſſet. Ille nihiloſecius pergit, et incredibili facundia (*ut erat vir eloquentiſſimus*, inquit Walſinghamus[a], *et incomparabiliter ultra omnes regni ſapientes ſapiens*) ad pietatem in Deum et Principis obſequium hortatur, non tam proficiendi ſpe, quam officio ſuo fungendi propoſito. Noviſſime poſt remiſſam carnifici necis ſuae offenſam, perſecutoribus veniam à Deo precatus, cum ſe miſericordiae divinae commendaſſet, flexis genibus, gladii ictum intrepidus expectavit. Percuſſus tandem leviter, manum vulneri admovit, verba haec ultima edens, *ah manus Domini eſt*, quando repetito ictu, digitorum aliquot amputatis, proſternitur. Octavo tandem vulnere mutilatus capite truncatus eſt.

---

[u] Bullâ tranſlationis datâ 4 Non. Maii, Pontif. Gregorii 11 quinto, *Regiſt. Sudbury.* fol. 1. et reſtitutionem habet temporalium 5 Junii. 1. *Pat.* 49 Ed. 3. m. 9.

[x] Nigellus Theband et Sarra parentes ejus atque benefactores Eccleſiae S. Gregorii in Sudbury Regiſt. 6 Norwic. *MS. Wren.*

[y] Simon de Sudbury Archiepiſcopus Cantua. factus Cancellarius et Cuſtos M. Sigilli die lunae proximè poſt feſtum Converſionis S. Pauli. *Clauſ.* 3 Ric. 2. m. 22. *in dorſo. MS. Gale.* et hoc (ut inquit *Walſingham.* p. 243.) *contra gradum ſuae dignitatis.*

Caedes haec deteſtanda patrata eſt mane Junii 14. 1381[b]. quo toto die et parte proximi corpus in loco ſupplicii jacuit nemine auſo attingere. Capita vero ejus et Haleſii (ſimili crudelitate perempti,) poſtquam pileos clavis affixerant, haſtis praeligata per vicos civitatis ad ludibrium circumferunt, et tandem ſuper Pontem Londinenſem ſuſpendunt. Hunc finem vitae habuit inclytus hic Praeſul, qui quanquam ſacerdotio et canitie reverendus, ſapientia, eruditione, pietate, facundia, comitate praeditus; et propter has aliaſque animi imo et corporis etiam virtutes quae haud deerant ſumme fuiſſet venerandus; liberare tamen eum non potuerunt haec omnia à furore multicipitis illius belluae (plebis inquam) cujus iracundia et ſaevitia accenſa, nulla exiſtit fera tam atrox, tam crudelis, tam immanis. Quomodo tumultus hic ſedatus fuerit et ii qui concitarunt puniti, petant lectores à Chronographis illorum temporum. Hoc interim non praetereundum, Joannem quendam Starling, qui ſe Archiepiſcopum obtruncaſſe gloriabundus jactaverat, eodem ſupplicii genere coeſa cervice infra paucos dies occubuiſſe, ſimul cum multis aliis qui ipſi tanti facinoris perpetrandi, authores fuiſſe noſcebantur. Cadaver Archiepiſcopale pace reddita, Cantuariam una cum capite delatum, ab auſtrali parte altaris ſancti Dunſtani ſepulturae honorifice mandatum eſt, paulo ſupra tumulum Stratfordi.

---

[a] *Hiſtor. Angliae.* p. 262.

[b] *Walſingh.* ib.

Dum Londinenſis adhuc eſſet Epiſcopus, ſuperiorem partem Eccleſiae ſancti Georgii Sudburiae de novo conſtruxit; et in loco habitationis paternae Collegium condidit ſecularibus ſacerdotibus, quod Henrico octavo regnante [ſuppreſſum], in annuo cenſu numerabat 122 libras noſtrates et octodecim ſolidos, hoc eſt aureorum Gallicorum 402. Poſtquam vero ad ſedem Cantuarienſem tranſlatus eſt, Occidentalem civitatis portam, prout et moeniorum quantum inde ad Septentrionalem uſque portam protenditur, à fundamentis excitavit. Opus nobiliſſimum, eoque utilius, quod hic murus, praeter munimentum, pontis uſum civibus exhibet, et à porta ad portam compiti in morem totus fere pervius eſt.

LVIII. Gulielmus Courtney.

1381. Ric. 2. 5. SIMONE Sudburio ſic ut retulimus à ſeditioſis occiſo, convenientes Monachi Cantuarienſes, annuente Rege, electione legitima Archiepiſcopum renunciarunt Gulielmum Courtneium Epiſcopum Londinenſem. Cujus rei ignarus Pontifex Romanus, Archiepiſcopatum eidem ſub id ipſum tempus per proviſionem contulit. Filius is fuit Hugonis Courtney Devoniae [c] Comitis, et etiamnum adoleſcens, juris Caeſarei Pontificiique ſtudio gnaviter incubuit. Tum ſacris ordinibus initiatus, proventibus Eccleſiaſticis illico locupletatus eſt, collatis in eum Praebenda una in Eccleſia Exonienſi, in Wellenſi altera, in Eboracenſi tertia, ac ſacerdotiis itidem opimis neſcio quot [d]. Anno 1369 in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus eſt, ubi cum ſediſſet annos quinque et menſes ſex, Londinum tranſlatus eſt, Sudburio ad Archiepiſcopatum provecto. His adjicit Walſinghamus, Cardinalem anno 1378 creatum, qua de re ſuo loco. Tranſlationis ad Eccleſiam Cantuarienſem, diplomata bullata Cantuariae promulgata ſunt Januarii 9. 1381 [e]. Temporalibus (ut loquimur) reſtitutus, et Regi pro more homagio praeſtito, Lametham venit. Ibi acceſſit ad eum monachus à Priore et Conventu Cantuarienſi miſſus ut crucem illi traderet, id quod fecit Januarii 12. his verbis novum Archiepiſcopum affatus, "Pater reverende, nuncius ſum ſummi Regis, qui te rogat, mandat " et praecipit, ut Eccleſiam ſuam regendam ſuſcipias, eamque diligas et " protegas: In cujus ſignum nuncii, ſummi Regis vexillum tibi trado " ferendum." Pallium brevi poſtea Croydonae accepit.

Hic ſolenniter peractis ritibus, ad res pro munere gerendas ſe accingit. Ac primum civitatis Cantuarienſis Balivos, qui laica poteſtate adulteria et hujuſmodi crimina, à praelatis corrigi conſueta, vindicaverunt, Eccleſiaſtica cenſura compeſcuit. Synodum deinde celebravit Londini [f], ubi Joannis Wiclevi dogmata (magna ex parte orthodoxa et hodie in reformatis Eccleſiis recepta) quae non modo inter doctos, ſed in ipſum vulgus late ſparſa fuere, quaſi haeretica damnavit [g]. Robertum Rugg Oxonienſis

---

[c] *Regiſt.* ejus fol. 1.

[d] Jur. Civ. Doctor Oxon. nec non Academiae Cancellarius.

[e] Licentia eligendi data fuit Monachis Cantuar. 12 Jul. 1 *Pat.* 5 Ric. 2. m. 36. Regis habet aſſenſum 5 Aug. et temporalia reſtituta ſunt 23 Oct. 1 *Pat.* 5 Ric. 2. m. 31 et 17. Ita legitimè electus eſt et confirmatus; Papa verò pro more eundem huc tranſtulit Bullâ datâ Sept. 9. quam et accepit Archiepiſcopus 10 Decembr. 1381.

[f] A. 1382. Proceſſus contra dogmata Wickleviana aliorumque factus, extat apud *Concil. Anglic.* Tom. 3. p. 157.

[g] *Walſingh.* Hiſt. Angl. p 30;

Academiae Cancellarium et Thomam Brightwell Theologum Doctorem cum Wicklevianis ſentientes, ad palinodiam protinus adegit. Nicolaum vero Hereford et Philippum Repingdon Theologiae etiam Doctores, ac Joannem Aſhton Artium Magiſtrum, cum à ſententia nollent dimoveri, haeriticos pronunciatos excommunicavit; qui tamen poſtea coacti ſunt juramento Wicklevianis dogmatibus renunciare. Ex his Repingdonus Epiſcopus poſtea Lincolnienſis et Cardinalis etiam creatus eſt. Aliam deinde poſtea ſynodum celebravit, in qua Latine concionem habuit hoc themate aſſumpto, *Super murum Jeruſalem conſtitui cuſtodes*, Iſ. 62. 6. Eodem ipſo tempore ordines in Parliamento convenere: Cumque proceres nonnullos, qui ſeditionis inter Regem et optimates authores ferebantur, ad ſupplicium popoſciſſent, priuſquam ea de re quicquam decerneretur, Archiepiſcopus, quem Canones prohibebant adeſſe cum de ſanguine ageretur, abductis ſecum ſuffraganeis ſuis, è Parliamento diſceſſit, proteſtatione prius facta, cujus ſententiam paucis ſubjungam: et ſi quem juvet integram perlegere, Regiſtrum petat iſtius Archiepiſcopi, ubi fol. 174 habetur [h]. "Cum de jure et conſuetudine regni Angliae, ad Archiepiſcopum Cantuarienſem nec non caeteros ſuos ſuffraganeos, coepiſcopos, Abbates &c. per baroniam de Rege tenentes, pertineat in Parliamentis Regis quibuſcunque ut Pares regni praedicti, cum caeteris regni Paribus perſonaliter intereſſe, conſulere, tractare, definire &c. de jure intereſſendi &c. cum caeteris paribus proteſtantur. Verum propterea quod in hoc Parliamento agitur de nonnullis rebus in quibus non liceat illis per ſacrorum Canonum inſtituta intereſſe, proteſtantur porro ſe abituros, jure paritatis cujuſlibet eorum ſemper nihilominus ſalvo, &c." Anno 1388. aliud Parliamentum Cantabrigiae habitum eſt, in quo, praeter alia multa ſtatutum eſt, nemini poſthac licere promotionem aliquam Eccleſiaſticam per proviſionem papalem collatam accipere. Quod ſi quis fecerit, à protectione Regia per hanc legem excludebatur, et patrono facultas data alium tanquam vacanti, ordinario praeſentandi [i].

Poſt haec Archiepiſcopus bullis Papalibus affatim munitus, ad univerſam provinciam ſuam viſitandam ſe accingit [k]. Cum Roffenſem, Ciceſtrenſem, Wellenſem et Wigornienſem dioeceſes peragraſſet; Exoniam venienti mos ipſi non geritur, magis quam olim Simoni Mephamo ibidem ſimilia tentanti. Hujuſmodi contumaciae occaſionem aliquam dediſſe videtur ipſe Cantuarienſis. Nam poſtquam Epiſcopum alioſque praelatos à juriſdictione pro more inhibuiſſet; ſeſſionum tempora de die in diem eouſque prorogavit, ut diutius à juriſdictione ſua ſe arceri quererentur quam Canonibus Eccleſiaſticis conſtitutum ſit. Quapropter, ſub poena excommunicationis, dioeceſanis ſuis Epiſcopus interminatur, ne viſitanti Archiepiſcopo jam amplius pareant; ac deinde appellatione interpoſita, ad Pontificem provocat. Ille nihiloſecius in viſitatione pergit, ac non obtemperantes univerſos excommunicat, interque caeteros Epiſcopum ipſum Thomam Brentingamum Angliae nuper Theſaurarium. Cujus ſane cauſae multum attulit praejudicii famulorum ejus aliquot factum petulantiſſimum. Ii enim mandatarium Archiepiſcopi Thomam Hill in oppido Topſham comprehendentes, et ſarcinas ejus excutientes, ſcriptum quoddam repererunt Archiepiſcopali ſigillo munitum, quo Epiſcopus ipſe coram Archiepiſcopo, neſcio quibus articulis reſponſurus, comparere fuerat juſſus. Hoc ſcriptum dicti Epiſcopi famuli, dentibus una cum cera manducare ac denique deglutire miſerum mandatarium prius peſſime mulctatum, vi coegerunt. Qua re Rex adeo offenſus eſt, ut qui antea ſe medium inter utroſque geſſerat, jam poſtea in Archiepiſcopi gratiam nihil non facturus videretur. Quapropter, appellationem quam in Romana curia aliquandiu fuerat proſequutus, deſeruit tandem Exonienſis et Archiepiſcopo ſeſe ſuamque cauſam ſupplex commiſit, quocum ab illo ſatis clementer actum eſt. Mandatario vero factam injuriam ſeveriſſime vindicavit. Gulielmum etiam Byd legum Doctorem, curiae arcuatae advocatum, ordine atque loco movit, quia contra Cantuarienſis ſedis dignitatem, conſilium Epiſcopo antedicto dediſſe videbatur. Tum juramentum à ſingulis ejuſdem curiae advocatis, admiſſionis tempore conceptis verbis praeſtandum, conſtituit, quod jam inde ab eo tempore obſervatum ferunt.

---

[h] Extat etiam *Concil. Angli*. Tom. 3. p. 203.

[i] *Walſing*. Hiſt Angl. p. 367.

[k] A. 1389. Id. p. 373.

Interea vero dum haec gererentur, Sariſburienſis Epiſcopus Joannes Walthamus, ab Exonienſis exemplo, et gratia qua multum valebat apud Regem ſpiritus ſibi ſumens; Archiepiſcopo viſitaturo ſimiliter reſtitit, hoc obtentu, quod Urbanus ſextus tum nuper obierat, à quo diplomata is impetrarat. Archiepiſcopus vero juris ſcientia Sariſburienſi non paulo peritior, ſatis intelligebat, viſitationis jus Papali authoritate non inniti, etſi diplomata (qualia fortaſſe Waltero Rainold conceſſa diximus) authoritati Archiepiſcopali, adminiculi quippiam adjectura exiſtimaret. In viſitatione proinde perrexit, non obſtante appellatione Epiſcopi, quem cenſuris Eccleſiaſticis ita exagitavit, ut appellationem deſerere conſultiſſimum putarit, et Archiepiſcopi clementiam experiri, qui, etſi aegre, tandem tamen à Comite Sariſburienſi aliiſque interceſſoribus exoratus, in gratiam hominem recepit. Ac ab eo jam inde tempore, non eſt inventus ſuffraganeorum quiſquam, qui de viſitationis jure cum Archiepiſcopo voluerit contendere. Non multo ante obitum, à clero provinciae ſuae poſtulavit, ſexageſimam partem annui cenſus, cujus rei facultatem à Papa ſe habere dicebat. Quomodo alibi profecerit me latet. Lincolnienſis vero Epiſcopus hanc pecuniam in ſua dioeceſi colligi non eſt paſſus: Unde ad Pontificem provocatum.

Hac pendente appellatione, moritur Archiepiſcopus Julii 31. 1396[l] cum ſediſſet annos prope duodecim idque Maidſtonae, ubi demolito veteri opere[m], ſacerdotibus ſecularibus collegium condidit, cujus annuus cenſus quando dirutum id eſt ab Henrico octavo aeſtimatus eſt ad centum et quadraginta libras noſtrates. Tum Eccleſiam de Mepeham collapſam, ad uſus infirmorum fratrum refecit, juxtaque eam quatuor novas aedes extruxit. In aedificiorum ad ſuam ſedem ſpectantium ſtructura ac ornatu magnam pecuniam impendit, ac praecipue arcis Saltwodenſis. Ad reparationem navis Eccleſiae ſuae, clauſtrorum et murorum ejuſdem, mille marcas teſtamento legavit. Item imaginem argenteam deauratam ponderis centum et ſexaginta librarum, veſtimenta ſacerdotalia duo, cappas pretioſas tredecim libroſque permultos. Humatus jacet ad pedes Edwardi Principis, ab auſtrali parte feretri ſancti Thomae, ſepulchro conditus alabaſtrino.

---

[l] *Walſing*. p.391. *Eſc*. 20 Ric. 2. n.17. Devon. Jur. dicunt ſuper ſacramentum ſuum, quod Gulielmus de Courteneye nuper Archiepiſcopus Cant. obiit die Lunae prox. ante feſtum S. Petri ad vincula. *MS. Baker*.

[m] *Parker*. p.405.

LIX. THOMAS ARUNDEL.

1396. Ric. 2. 20. PROVISIONE Papali[n], Thomas Arundellus Eboracenſis Archiepiſcopus Cantuariam tranſlatus eſt circa feſtum Natalis quod Courtneii mortem proxime ſubſequutum eſt. Qui Cancellariatu Angliae, illico ut Archiepiſcopus factus eſt ſe abdicavit[o]. Tranſlationis bullae Cantuariae promulgatae ſunt Januarii undecimo. Crux tum paulo poſtea per[p] Henricum Chellenden Cantuarienſem Priorem tradita, Rege multiſque procerum praeſentibus. Deinde Februarii decimo pallium accepit, et decimo nono ejuſdem magna cum pompa Cantuariae inthronizatus eſt. Genere nobiliſſimo ortus eſt, utpote filius Arundeliae Comitis[q] Roberti, frater Ricardi qui paulo poſt à contraria ſibi factione oppreſſus, ſecuri percuſſus eſt. Ex Subdiacono et Archidiacono Tauntonenſi, annos natus viginti et duo, Epiſcopus factus eſt Elienſis anno 1374. et Eboracum tranſlatus 1388. Cantuariae vix dum planè conſederat quando offenſam Regis incurrens, ejectus eſt inde. Tranſlationis ejus anno ſecundo Parliamentum Londini coactum eſt. Proditionis ibi rei facti ſunt Gloceſtriae Dux, et praeter alios nonnullos, Arundeliae Comes antedictus Archiepiſcopi frater. Cùmque praeſulibus fas non eſſe putarent (ſicut antea retulimus) cauſis ſanguinis intereſſe: Archiepiſcopus, una cum caeteris Epiſcopis è conſeſſu ſe proripuerunt, ſimul ac ea de re mentio facta eſt. Illis abſentibus, non ſolum caeteri, ſed Archiepiſcopus etiam una cum illis damnatus eſt.

Ad Comitem quod attinet, de eo ſupplicium illico ſumptum. Archiepiſcopo mandatum ut infra quadrageſimum diem inde ſequentem regno excederet. Qui in exilium ſic ejectus, ad Pontificem profectus eſt. Ille exulis miſertus, injuſte (ut videbatur) damnati, literis pro eo reſtituendo apud Regem intercedit: et cum nihil ea ratione obtineri perſpiceret, ad Archiepiſcopatum S. Andreae in Scotia[r] eum transferre et Eccleſiaſticis dignitatibus in Anglia per proviſionem, Rege quantumvis invito, locupletare jam decreverat; quando Rex, qui ea de re nonnihil jam inaudiverat, minis precibus admixtis, per literas magnopere contendit, ne inimicum ſuum capitalem fovere velit amplius aut promovere[s]. Tantum valuerunt hae literae, ut poſtea quamdiu Richardus rerum potitus eſt, non ſolum nihil in ejus gratiam fecerit, ſed etiam ab eodem rege exoratus, Cantuarienſem Archiepiſcopatum contulerit Rogero Walden Decano Eboracenſi et Angliae Theſaurario[t], qui conſecratus et inthronizatus[u], ſynodos indixit, et omnia Archiepiſcopalia munia per duorum annorum ſpatium obivit. Contigit interea Richardum Regem exauthorari, regno ſe abdicare coactum per Henricum Lancaſtriae Ducem, qui deinceps rerum potitus, Henricus quartus appellatus. Bonifacius tum Papa quamprimum reſcivit Richardum in ordinem redactum; Waldenum per ſummam injuriam Eccleſiam Cantuarienſem occupaſſe pronunciavit[x], eoque proinde amoto

---

[n] Bullâ tranſlationis datâ 7 Kal. Oct. Pontifica. Bonifacii Papae ſeptimo. *Regiſt. Arundel.* fol. 2. Temporalia, quae cuſtod. commiſſa fuere 26 Aug. (1 *Pat.* 20 Ric. 2. m. 16) reſtituta ſunt 11 Jan. 1 *Pat.* 20 Ric. 2. m. 1.

[o] *Walſingh. Hiſt. Angl.* p. 391.

[p] Thomam. *Somner.* p. 291.

[q] Ricardi, *MS. Hutton.*

[r] *Regiſt. Arund.*

[s] Extant literae Regis ad Pontificem, apud *Parker* in *Antiqu. Brit* p. 407.

[t] Conſtitutus erat Theſaurarius 20 Sept. A. 1395. *Pat.* 19 Ric. 2. m. 18. *MS. Gale.*

[u] Tempor. reſtit. 21 Januar. 1398. *Rymer.* Tom. 8. p. 31.

[x] Bullâ datâ 14 Kal. Nov. Pont. decimo. *Regiſt. Arund.*

Arundelium reſtituendum, id quod protinus factum eſt[y]. Waldenus nunc Epiſcopus ſine Epiſcopatu (nam Epiſcopatus ordo eſt, adeoque character indelebilis) in eo ſtatu vixit aliquandiu, donec tandem aemuli Arundelii (miſericordia moti) opera, in Londinenſi Epiſcopatu collocatus eſt, quo tamen diu haud datum eſt frui, nam anno vix dum circumacto, mortuus eſt.

Reſtitutionis ejus anno primo ſynodum indixit, quo acceſſerunt Northumbriae et Weſtmorlandiae Comites, dicentes à Rege quidem miſſos ſeſe, ſed nuncium ſolitum haudquaquam apportare; ſiquidem ideo ſe venire, non ut pecunias flagitent, ſed orationes eorum, pro ipſo, regnique incolumitate fundendas. En ut locum habeat nonnunquam illud poetae,

« —— Mitiſſima ſors eſt
« Regnorum ſub Rege novo.

Hic tantus pecuniarum contemptor, ante elapſum biennium ita mutatus eſt, ut annui cenſus ſimplicem decimam à clero in proxima ſynodo oblatam ultro, aſpernaretur, multo majora poſtulans, et aurem mox coeperit praebere ſacrilegorum conſiliis, nitentium, omnium ſubſidiorum onera in Eccleſiaſticos conjicere. Hos nimirum dicebant (idque in ipſo conſeſſu Parliamentario) omnes regni opes poſſidere; ac proinde aequum eſſe, ut hii Regis indigentiam curent ſublevandam, vel divitias quibus nimium affluant laicis inopiâ laborantibus communicent. Archiepiſcopus (antiſtes proculdubio egregius vir ſapiens et animo ſatis magno praeditus) hujuſmodi vocibus vehementer commotus; è loco ſuo exurgens, oſtendit primum, ſaepius à clericis proventuum decimam partem hactenus principibus conceſſam, quam decimam quintam à laicis: et quanquam ipſi non militarent, clientes tamen et famulos ipſorum Regi nunquam ita defuiſſe, quin auxilia ſemper tulerint in omnibus bellis pro rata portione laicis multo copioſiora. Neque vero (inquit) nos ipſi ut otioſi ac inutiles plane habendi, cum ſi non manibus et ferro, armis ſpiritualibus, nempe orationibus, ab hoſtibus tutos reddere regnum et Regem die noctuque ſatagamus. Secundi ſive inferioris ſenatus Parliamenti prolocutor, ea tempeſtate fuit Joannes quidam Cleyn, qui ſacris olim initiatus et Diaconus factus, ad militiam ſe conferens, ſacrum ordinem exuerat. Nebulonem non puduit impudenter et profano ore profiteri, orationes clericorum parvi ſe pendere, modo nummos nanciſcantur. Ad quae Archiepiſcopus, video jam quorſum tendat regni fortuna, vilipenſis ſuffragiis quibus divinitas placari ſolet. Certe nunquam fuit, aut erit (quantum autumo) ſtabile regnum, ubi preces et orationes ad Deum negligantur. Tum Regem nutantem videns, genu flexo rogavit, ut juramenti quando primum regnare coepit ſuſcepti memor (quo Eccleſiam conſuetis omnibus privilegiis et libertatibus gaviſuram receperat) Regem per quem Reges regnant offendere vereretur. Neque vero ſperandum ait ut emolumenti quicquam ex ſacrilegio hujuſmodi percipiatur. Vos (inquit) et veſtri ſimiles (ad Cleynum et ſocios converſus) Richardo Regi authores fuiſtis, uti cellas quae extranei poſſederunt in Anglia diriperet, futurum aſſerentes, magnas ut inde divitias reportaret, cum hodie conſtet, ne dimidia quidam marca ditiorem illum factum ex eo ſacrilegio; ac poſt eam depraedationem, quam foeliciter illi caetera ſucceſſerint, ſatis noſtis. Et, ſi Rex (quod abſit) execrando veſtro conſilio jam nunc obſequeretur, auſim recipere, exacto demum anno, ne uno quidem denarialo opulentiorem eum futurum. Haec elocutum, jubet Rex ſedem ſuam repetere, ſpondens Eccleſiam ſe regnante nil detrimenti accepturam. Neque ſane accepit, nemine poſt id temporis auſo contra illam quippiam moliri. Clerus vero Regis hujuſmodi fluctuatione (quae tamen fortaſſis ſimulata fuit) adeo territus eſt; ut ſingulis deinceps annis decimam illi conceſſerit, ſynodo vel eam unam ob cauſam, ſi alia non ſubeſſet, quotannis convocata.

---

[y] Temporalia iterum reſtituta ſunt 21 Oct. 1 *Pat.* 1 Hen. 4. m. 15. et conceſſa eſt carta eidem omnes rebelliones condonans dat. 29 Oct. 1399. *Rym. Fœd.* Tom. 8. p. 97. et extat orig. inter Bullas Bibl. Lameth. *MS. Lond.*

Reliquo Pontificatus ſui tempore in id plurimum incubuit, ut Wicklevianorum dogmatum profeſſores coerceret; in quos omnium primus ſaeviit vivi comburio; eo mortis genere inter alios affecto Joanne Old-caſtell Domino Cobham [z]. Cumque nihiloſecius iſtorum hominum creſcere indies numerum conſpiceret; ut caliginem offunderet oculis eorum, ne illos defigere poſſent amplius in pravis illis ſuperſtitionibus quae in Eccleſiam jam olim paulatim irrepſerant: Scripturas ſacras in vernaculam Anglicanam converti, vel converſas legi vetuit in ſynodo; cum non ita pridem in funere Annae Reginae concionatus, haud alio nomine eam magis laudaverit, quam quod Evangelia in Anglicanum idioma converſa aſſidue lectitaret. Sed juſto Dei judicio factum ferunt, ut is qui verbum Dei, animae pabulum, ſubtraxerat popularibus; clauſis per anginam aut morbum aliquem conſimilem faucibus, aliquanto ante mortem tempore, nec verbulum potuerit fari, nec cibi vel minimum deglutire, adeoque mutus fameque tandem enectus inedia interierit. Certe, quocunque demum morbo ſublatus, diem is clauſit extremum Februarii viceſimo 1413 [a]; quando annos plus minus ſeptendecim Eccleſiae Cantuarienſi praefuiſſet. Lapide tectus marmoreo, ſepultus jacet inter duas columnas in orientali parte navis Eccleſiae ſuae verſus Septentrionem. Campanile condidit ibidem et in pyramidem faſtigiatum plumbo operuit. Campanis etiam inſtruxit quinque, quibus Pontificio more nomina indidit, Trinitatis, Mariae, Gabrielis, Blaſii et Joannis. Ipſum vero campanile, conditoris nomine in hodiernum uſque diem nuncupatur.

LX. HENRICUS CHICHLEY.

POST Arundelli obitum, eligitur [b] in Archiepiſcopum à Monachis 1414.
Cantuarienſibus Henricus Chichleius Menevenſis in Wallia Epiſco- HEN. 5. 2.
pus, quam electionem Rex niſi ex ſententia Pontificis noluit confirmare [c]. Ille vero occaſionem inde libenter arripiens proviſionum jus iniquiſſimum repetendi; cum electionem Monachorum irritam declaraſſet, eidem electo Archiepiſcopatum confert proviſionis titulo [d]. Natus eſt ille Highamae-Ferreriorum in Comitatu Northamptonienſi, educatus vero Oxoniae in Collegio Wiccamiano, ubi eo uſque ſtudio ac induſtria profecit, ut gradu Doctoris in Jure Civili Pontificioque honeſtatus, Eccleſiae Sariſburienſis

---

[z] A. 1413. *Walſingh.* Hiſt. Angl. p. 427, &c.

[a] *Id.* p. 432. Feb. 19. inter tres et quatuor de Campana poſt mediam noctem. Regiſt. Cant. *MS. Baker.*

[b] Prior et conventus Cantuariae licentiam obtinuere eligendi Archiepiſcopum poſt mortem Thomae Arundel, 21 Feb. 1413. *Regiſt. Cant. MS. Baker.* Febr. verò 27. 4 *Pat.* 1 Hen. 5. m. 2. Regium habet aſſenſum 23 Martii 1 *Pat.* 2 Hen. 5. m. 41. et temporalia reſtituta ſunt 30 Maii. 1 *Pat.* 2 Hen. 5. m. 19.

[c] Perperam hoc dictum eſt; Henricus enim Archiep. electus, (ut habet *Antiqu. Britan. auctor* p. 414.) non Rex, *electioni neque conſentire, neque diſſentire voluit; ſed Papae arbitrio rem totam permiſit.*

[d] Bullâ Proviſionis datâ Bononiae 5 Kal. Maii. Pontif. (Ioan. Papae) A. quarto *Regiſt. Chich.* fol. 2.

Cancellariatum adeptus fuerit[e]. Tum Legati munere ſaepe functus magna cum prudentiae ſolertiaeque laude; Henrici quarti Regis operâ Epiſcopatui Menevenſi praeficitur anno 1409. Unde, poſt quinquennium, Rege Henrico quinto annuente, Cantuariam (uti diximus) tranſlatus eſt. Pallium accepit à Wintonienſi Epiſcopo traditum Julii 29. 1414. et fructus vacationis tempore collectos (vacaverat autem ſedes bimeſtri ſpatio) redemit à Rege numeratis ſexcentis marcis. Anno 1428 Legatus conſtitutus eſt Pontificius, ſed authoritatem eam exercere aut aliquid pro poteſtate ſibi conceſſa agere renuit, donec ad id facultas ſibi à Rege facta eſſet. Oppido de Higham-Ferreriorum (ubi natus eſt) multa impetravit à Rege privilegia, et ibidem anno 1425 Collegium ſimul et Xenodochium inſtituit. Ac Collegium quidem, in quo octo collocavit Sacerdotes ſeculares, Clericos quatuor totidemque choriſtas, partim ab ipſo, partim à fratribus teſtamenti ſui executoribus latifundiis ampliſſimis locupletatum eſt, ita ut quo tempore ſub Henrico octavo dirueretur, redditus habuerit annuos 156 librarum et duorum itidem ſolidorum. Xenodochium porro proventibus dotavit quantum pauperibus aliquot alendis ſufficeret.

His fundationibus abſolutis, duas adhuc alias Oxoniae inchoavit et perfecit; Collegium nimirum D. Bernardo dicatum quod abolevit Henricus octavus, reſtituit vero atque adauxit Thomas Whitus Praetor (ſive ut loquimur Major) Londinenſis, indito S. Joannis nomine. Alterum vero illud quod Omnium Animarum nuncupari voluit, inter ſpecioſiſſima illius Academiae aedificia numeratur et Eccleſiae Reipublicaeque viros doctos quotidie quamplurimos progignit. Huic Collegio Henricus ſextus Rex, Chichleio petente, lateſundia dedit Coenobiorum quatuor extraneis alendis deſtinatorum, Alberburiae in Comitatu Salopienſi, Rumneiae in Cantio, Langvenithae in Wallia auſtrali et Wodonae-Pinkneiorum in Northamptonienſi pago. Magnam deinde pecuniam cum impendiſſet in reparatione bibliothecae Eccleſiae ſuae, eandem libris quamplurimis iiſque praeſtantiſſimis inſtruxit[f]. Quingentos per annos jam elapſos, Archiepiſcoporum nulli datum eſt tam diu illa ſede potiri; cui nimirum praefuit annos 29[g] et Aprilis 12. 1443 è vivis excedens, tumulo conditus eſt alabaſtrino per ſe dum viveret extructo ab aquilonari parte Presbyterii, in quo Epitaphium hujuſmodi inſculptum legimus:

"Hic jacet Henricus Chichley LL. Doctor, quondam Cancellarius Sa-
"rum, qui anno ſeptimo Henrici quarti Regis ad Gregorium Papam 12.
"in ambaſſiata tranſmiſſus, in civitate Senenſi per manus ejuſdem Papae
"in Epiſcopum Menevenſem conſecratus eſt. Hic etiam Henricus anno
"ſecundo Henrici quinti Regis in hac ſancta Eccleſia in Archiepiſcopum
"poſtulatus, et à Joanne Papa 23 ad eandem tranſlatus, qui obiit anno
"Domini 1443. menſis Aprilis die duodecimo.

"Coetus ſanctorum concorditer iſte precetur,
"Ut Deus ipſorum meritis ſibi propitietur.

Cardinalem Romanum creatum fuiſſe ſunt qui tradant; perperam ut opinor, cum (ut nihil aliud dicam) in Epitaphio ejuſce rei mentio nulla facta fuerit. Vir certe fuit honore quovis dignus: ea ſiquidem prudentia praeditus, ut cum munus paſtorale [probatiſſime] ſummaque cum integritatis laude obiverit; Principis tamen gratiam ſemper retinuerit; eaque deinde pietate, ut opes univerſas profunderet, vel egenos ſublevando, vel in literarum commodum Collegia extruendo[h].

---

[e] Beneficia hoc modo enumerantur; A. 1391. Paſtor fuit Eccleſ. de Llanvarchell Aſaph. Dioc. 2 *Pat.* 16 Ric. 2. A. 1396. Advocatus fuit in Curia de Arcubus, *Rot. Petrenſ.* A. 1400. Rector fuit Eccleſ. de Brington. Com. Northamp. *Regiſt. Linc.* Reſignat 1410. *Regiſt. Repin. Linc.* Archidiaconus Dorſet 1397. 1 *Pat.* 21 R. 2. Archidiac. Sariſbur. 1402, quem pro Cancellariatu Eccleſ. permutavit eodem anno. *Le Neve.* Proviſus ad Epiſcopatum Meneven. 4 Non. Oct. 1408. *Regiſt. Arundel.* fol. 42. Legatus ad Synodum apud Piſas, 1409. et tandem Anno 1414. Archiepiſcopale ſolium aſcendit. [f] Supplicatio Hen. Chichley ad Papam, quod propter grandaevitatem et debilitatem ſuas, det ſibi licentiam reſignandi; et commendat Joann. Bathon. Epiſcopum ad ſuccedendum ſibi 1442. 10 Apr. *MS. Lameth.* Num. 211. Preces Regiae pro eadem reſignatione &c. ibid. *MS. Lond.* [g] Annos 29, menſes undecim et totidem dies. *Regiſt. Cant. MS. Lameth.*

LXI. JOANNES STAFFORD.

DEFUNCTO Chichleio, ſucceſſit, ab Eugenio quarto Pontifice deſignatus[i], Joannes Staffordius Bathonenſis et Wellenſis Epiſcopus, qui Comitis Staffordiae filius, natus eſt in pago Dorceſtrenſis in villa paterna Hook nuncupata, educatus autem Oxoniae ubi Legum Doctor creatus eſt. Tumque cauſis agendis operam navavit, donec à Chichleio perſpecta hominis prudentia cum eruditione conjuncta, curiae ſuae Arcuatae Decanus conſtitutus eſt. Cujus porro opera Decanatum obtinuit S. Martini et Praebendam de Milton in Eccleſia Lincolnienſi. Henrico deinde quinto ſatagente (qui hominem plurimum dilexit) factus eſt Decanus Wellenſis, Praebendarius Sariſburienſis, et ſigilli privati cuſtos, ac dein Angliae Theſaurarius[k]. Inclyto illo Rege immatura morte ſublato, quanquam tanto praeſidio orbatus, ad majora tamen paulatim progreſſus, à Martino quinto Pontifice anno 1425 Epiſcopus renunciatur Bathonenſis et Wellenſis: quam Eccleſiam cum annos rexiſſet octodecim ad Cantuarienſem tranſlatus eſt. Interea verò (anno nimirum 1431 menſe Febr.) Angliae fit Cancellarius, eoque munere (quandiu hactenus vix alius quiſpiam) annos totos decem et octo perfunctus eſt[l]. Dum Synodum Londini celebraret anno 1452, incidit in aegritudinem, et Maydſtonam diſcedens, vitam cum morte commutavit Julii ſexto[m]. Sepultus jacet Cantuariae in loco Martyrium nuncupato ſub lapide marmoreo cui Epitaphium hujuſmodi inſculptum cernitur: 1443. Hen. 6. 21.

« Quis fuit, enuclees, quem celas ſaxea moles?
« Stafford antiſtes, fuerat dictuſque Joannes.
« Qua ſedit ſede, marmor quaeſo ſimul ede?
« Pridem Bathoniae, regni totius et inde
« Primas egregius. Pro Praeſule funde precatus.
« Aureolam gratus huic det de virgine natus.

De iſto vide plura apud Bathonenſes et Wellenſes.

LXII. JOANNES KEMP.

POSTQUAM Staffordo juſta ſunt perſoluta, Monachi Cantuarienſes, à Rege pro more impetrata facultate[n], in ſucceſſorem elegerunt 1452. Hen. 6. 31.

---

[h] Iſte Henricus Archiepiſcopus Cantuariae erat compater Regis Hen. ſexti, per cujus manus idem Rex etiam ſacri baptiſmatis lavacrum ſuſcepit. *Rot. confirm.* 3 Hen. 7. p. 3. ita in *MS. Wood.*

[i] Bullâ tranſlationis datâ 3 Id. Maii. 1443. Pontif. 13. *Regiſt. Stafford.* fol. 1. Temporalia reſtituta ſunt 6 Auguſti.

[k] à Dec. 18. 1422. 1 *Pat.* 1 Hen. 6. m. 15 uſque ad Mar. 18. 1424.

[l] Cancellarius conſtitutus eſt 28 Feb. 1432. *Clauſ.* 10. Hen. 6. m. 8. *in dorſo.* Quo munere ab Epiſcopalibus officiis in Dioeceſi ſua avocatus, Joannem Olenſem Epiſcopum 10 Martii 1436. ſibi ſuffraganeum aſcivit. Et uſque ad annum 1449 adminiſtravit. *Dugd. Catal.* p. 21.

[m] 8 Kal. Jun. *Regiſt. Cant.* ita *MS. Baker.* nec non *Wharton* in *Angl. Sacr.* Vol. 1. p. 122.

[n] Defuncto Joanne Stafford, Prior et Conventus licentiam habent eligendi 1 Jun. 1452. 2 *Pat.* 30 Hen. 6. m. 26. et electus eſt, unanimi omnium conſenſu, Joannes Archiepiſc. Eborac. in vigiliis ſanctorum Petri et Pauli. Papa nihilominus anteceſſorum more propria authoritate eundem tranſtulit. Bullâ datâ 12 Kal. Aug Pontif. 6. *Regiſt. Kemp.* f. 210. Cui Rex reſtituit Temporalia 6 Sept. 1 *Pat.* 31 Hen. 6. m. 20.

Joannem Kemp, Archiepiſcopum Eboracenſem. Quam electionem Papa confirmare noluit; alium tamen non auſus obtrudere, hunc ipſum Cantuarienſi ſedi praefecit. Crucem accepit Londini Septemb[o]. 24. 1452. et poſtridie pallium traditum ſibi Fulhamiae, per Thomam Kemp Epiſcopum Londinenſem ſuum ex fratre nepotem. Tum Decembris undecimo ſequenti magna cum ſolennitate inthronizatus.

Natus hic fertur Wiae in Comitatu Cantiae, educatus autem Oxoniae in Mertonenſi Collegio, ubi Legum Doctor creatus, factus eſt poſtea primum Archidiaconus Dunelmenſis, tum Arcuatae curiae Decanus et Archiepiſcopi Vicarius generalis. Anno 1418[p] conſecratus eſt in Epiſcopum Roffenſem; unde Ciceſtriam tranſlatus eſt anno 1422, et Ciceſtria Londinum eodem anno, ac inde Eboracum 1425. Anno vero 1439, Decemb. 18. Cardinalis creatus eſt titulo S. Balbinae[q], quem titulum poſteaquam Cantuariam pervenit relinquens, ad illum S. Rufinae promotus eſt. Has omnes dignitates, unico verſiculo neſcio quis complexus eſt, hujuſmodi:

> “ Bis primas, ter Praeſes, et bis Cardine functus.

Sedem Cantuarienſem ultra ſeſquiannum non tenuit, dierum plenus et ſenecta gravis extinctus Martii 22. ſtilo Anglicano, 1453[r]. Archiepiſcopus adhuc Eboracenſis, Eccleſiam Wienſem in Collegium convertit in eoque collocavit ſeculares aliquot ſacerdotes[s], ut ibidem ſacra celebrarent et pueros in literis inſtituerent; atque horum rectorem ſive praeſidem Praebendarium voluit appellari. Collegium iſtud quo tempore [dirutum] eſt, redditus habuit annuos ad 93 libras et ſolidos duos. In eo ſepultis parentibus ſtatuit tumulum cum hoc Epitaphio, illorum temporum barbariem redolente.

Hic ſiſtunt oſſa Thomae Kemp marmore foſſa,
  Cujus opus pronum ſe probat eſſet bonum.
Dum vixit laetus fuit et bonitate repletus,
  Munificus viguit, pauperibus tribuit.
Jungitur huic ſatrix virtutum, ſponſa Beatrix,
  Quae partitur opes, ſponte juvans inopes.
Ex his proceſſit ut ramus ab arbore creſcit
  Cleri praeſidium, dux ſapiens ovium.
Chriſto lectoris mens cunctis ſupplicet horis,
  Ut patris Deitas luminet has animas.

Inter praecipuos Academiae Oxonienſis[t] benefactores hic Praeſul numeratur, quamvis quid ſit quod contulerit me lateat. Magnas opes moriens reliquit, et tamen dum viveret propinquos aliquot affatim locupletavit, quorum poſteri in magna exiſtimatione etiamnum hodie florent. Humatus eſt è regione Chichleii ab auſtrali parte Praesbyterii ubi tumulus ſatis eleganti jacet conditus[u].

---

[o] Crucem accepit in capella de Fulham die 23 Sept. Pallium in eodem loco die 24 Sept. *Angl. Sacr.* Vol. 1. p. 123.

[p] 1419.

[q] Vid. inter Cardinales.

[r] Ita *Pitſeus*. p. 876. *Ciacon.* verò 1456.

[s] “ Qui in eccleſia Parochiali “ S. Gregorii de Wye Cantiane Dioeceſis, in qua de ſacro fonte renati ſumus, quotidianum atque ſedulum Deo praeſtabunt “ et impendent famulatum. Inter quos et ex quibus unus qui Magiſtri ſive Prepoſiti Sociorum Gregorii et Martini nomi- “ ne fungi debet et officio, aliorum ejuſdem Collegii Sociorum ſive Capellanorum ac ipſius Collegii regimen habebit, geret “ et obtinebit ac gubernationem.” Verba fundationis dat. 14 Jan. 1447. et regni Regis Henrici ſexti 26. Noſtraeque tranſlationis A.23. Vid. *Append. ad Collect. Tho. Hearn.* p. 300.

[t] Vide poſtea inter Archiepiſcopos Eboracenſes. Vide etiam *Hiſt. et Antiquit. Oxon.* Lib. 2. p. 21.

[u] “ Tho. Gaſcoigne in Dictionario Theologico (MS. ut opinor apud Oxonienſes) in voce *Epiſcopus* p. 387. teſtatur quod “ Joannes Kemp de Cantia Epiſcopus *Roffenſis*, et poſtea “ *Ciceſtrenſis*, et poſtea *Londinenſis*, ac deinde *Eboracenſis* fuit; et per 28 fere annos ſtetit Archiepiſcopus *Eborac.* fuit to- “ taliter abſens à ſua Dioeceſi, manens *London* vel in Cantia, vel in aliis locis in Anglia remotis à ſua dioeceſi Eborac. ex- “ cepto quod aliquando ſemel in decem vel duodecim annis manſit in ſua dioeceſi Eborac. per duas vel tres ſeptimanas, pau- “ cis diebus vel nullis manſit in Eboraco: et in tempore ſuo Palatium Archiepiſcopale Ebor. defecit et fere ad ſolum ruebat, “ et ipſum Palatium ipſo exiſtente Archiepiſcopo reparatum non fuit; et in receſſu ſuo ab Eboraco, quando Rex Angliae “ Hen. 6. et Dux Somerſet. Edmundus fecerunt eum Archiepiſcopum Cantuariae, reliquit eccleſiam ſuam in magna per- “ turbatione ſine remedio &c.” *MS. Wood.* Vid. etiam excerpta in *Hemingſ. Chron.* V. 2. p. 522.

LXIII. THOMAS BOURCHIER.

A MORTE Joannis Kempi 15 diebus elapſis Cantuarienſes Monachi licentiam novi Archiepiſcopi deſignandi à Rege impetrant[x], qui nec ſcripto quidem nec verbo quenquam ad id muneris voluit commendare, ne libertatem electionis videretur imminuere. Aprilis 22. 1454 eligunt illi Thomam Bourchier Epiſcopum Elienſem. Patre is natus eſt [Willelmo Comite de Ew, et frater fuit Henrici Bourchier Comitis Eſſexiae] educatus vero Oxoniae, cujus Academiae factus Cancellarius anno 1434, magiſtratum illum per triennium deinceps geſſit. Ex Decano S.[y] Martini factus eſt Wigornienſis Epiſcopus 1435, unde ad Elienſem ſedem tranſlatus eſt 1443. Electionem de illo à Monachis Cantuarienſibus factam Papa confirmavit, qua de re bullae Pontificiae Cantuariae promulgatae ſunt Auguſti 22, ac Januarii 26 ſequenti inthronizatus eſt ibidem [z]. Poſtea, nimirum Septemb. 18. 1464 Cardinalium albo aſcribitur, titulo aſſignato S. Cyriaci in Thermis[a], ab Archiepiſcopo Ravennate galero magna cum ſolennitate tradito Decembris nono[b]. Diuturnitate praeſidendi Chichleium tres annos ſupergreſſus, ſedit Archiepiſcopus annos 32, vixit autem poſt primam conſecrationem annum unum ſupra quinquaginta. Vita tum demum exceſſit[c] Martii trigeſimo 1486. 1454. Hen. 6. 32.

Inter Anglos noſtros non reperi quenquam qui unquam Epiſcopatum tam diu geſſerit; neque vero per octingentos annos jam elapſos habuimus qui Archiepiſcopatum tot per annos tenuerit. Unde mirari ſubit, monumento nullo egregio pietatem ſuam poſteris teſtatam reddidiſſe. Libras tamen 120 Cantabrigienſi dedit Academiae, quae una cum 100 libris quas contulit neſcio[d] quis Billingforthus, in arca dicuntur aſſervari (quam inde arcam nuncupant Bourchieri et Billingforthi) ut ex ea pecunia ſtudioſi quando opus fuerit mutuo poſſint ſumere. Sed majora praeſtiturum Bourchierum facile crediderim, niſi in tempora incidiſſet turbulentiſſima, Henrici nimirum ſexti et Edwardi quarti, quorum ille, ob pietatem vir habitus ſanctiſſimus, ob inertiam tamen inter peſſimos Reges numerandus (nam Galliam à patre ſubactam amiſit turpiter, ac poſtea deinde Angliae etiam regno excidit) Edwardus verò paterque ejus Henricum evertere ſatagentes, inteſtino bello multos per annos patriam graviſſime afflixerunt. Neque id finem habuit, priuſquam, paulo ante obitum hujuſce Praeſulis, foeliciſſimo connubio Henrico Richmundano cum Elizabetha Edwardi filia primogenita conjuncto, Lancaſtrenſium et Eboracenſium factiones extinctae, ac pax tandem ſolida et diu exoptata coaluit. Sepultus jacet Bourchierus ab aquilonari parte ſummi altaris tumulo conditus marmoreo, ubi haec verba leguntur inſcripta:

---

[x] Licentia eligendi conceſſa eſt 9 Apr. *Pat.* 32 Hen. 6. m. 17. Electus eſt 23 die ejuſdem menſis. Temporalia reſtituta ſunt 22 Aug. *Pat.* 32 Hen. 6. m. 15.

[y] Decanus fuit S. Martini A. 1433. *Clauſ.* 12 Hen. 6. m. 16. *in dorſo.*

[z] Anno 1455 Martii primo Thomas Bourchier Archiepiſcopus Cantuariae Cancellarius Angliae conſtitutus eſt. *Clauſ.* 33 Hen. 6. m. 9. *in dorſo.* ita *MS. Gale.*

[a] *Ciacon. Vit. Pontif.* Tom. 2. col. 1097.

[b] Thomae Archiepiſc. Cantuar. publicatio indulgentiarum Nico. 5. Eccleſias etiam quaſdam in Anglia nominans, quibus Romae loco viſitatis, indulgentiarum beneficium obtinere poſſit A. 1454. inter Bullas in Biblioth. Lameth. num. 109. *MS. London.* Apoſtolicae ſedis Legatus et conſanguineus noſter ait Edwardus quartus in Carta Windeſor. Lib. Nig. p. 126. *MS. Wren.*

[c] Apud Knoll. *Regiſt. Cant. MS. Lowth.*

[d] Rob. (Ric. apud Fuller p. 46.) Billingford, Norfolcienſis, S. T. D. Magiſter Collegii Corp. Chriſt. 1400 et ſic floruit annos 32. Academiae Procancellarius 1409, 1413, 1432. Praeter ciſtam Collegio datam, Univerſitati alteram dedit, cum 100 Libris. *MS. Ca.* Haec ideo adnotavi, ne vir illis temporibus eminens, ex verbis Godwini obſcurior putaretur. *MS. Lond.*

“ Hic jacet Reverendiſſimus pater et Dominus, D. Thomas Bourchier, quondam ſacroſanctae Romanae Eccleſiae S. Cyriaci in Thermis Cardinalis, et Archiepiſcopus hujus Eccleſiae, qui obiit trigeſima die Martii 1486, cujus anima propitietur Deus.” De illo vide plura apud Elienſes.

LXIV. JOANNES MOORTON.

1486. HEN.7.2. QUI Bourchiero ſucceſſit, Joannes Mortonus, natus eſt Beriae in comitatu Dorſetenſi, et cum Oxoniae juris utriuſque ſtudio eò uſque operam dediſſet, ut Legum Doctor crearetur; in Arcuata-curia Londini cauſas advocatus egit. Inde factum eſt ut in notitiam perveniret Bourchieri Archiepiſcopi, quem diu non poterant latere multiplices hominis virtutes, juris non vulgaris peritia, eruditio, [prudentia.] Quapropter, proventibus Eccleſiaſticis honeſtatum uberrimis, Regi eum commendavit Henrico ſexto, à quo in numerum eorum lectus eſt, qui ſibi eſſent ab arcanis et intimis conſiliis. Hunc principem multis cladibus fractum, quantumvis miſerum et aerumnoſum, deſerere tamen Mortonus non ſuſtinuit, à caeteris omnibus deſertum. Quam fidem Edwardus hoſtis adeo eſt admiratus, ut Henrico mortuo non deſtiterit ad obſequium ſuum hominem allicere, quem poſtea intimis conſiliis admotum, omnium arcanorum fecit participem. Qui enim poterat de fidelitate ejus dubitare, quem compererat alteri in adverſis tam diù tamque conſtanter adhaeſiſſe?

Certatum tum poſtea inter illos uter vinceret, obſervantiâ Mortonus et diligentiâ, an beneficiis Rex, qui illum ſacerdotiis jam antea cumulatum ad Epiſcopatum tandem Elienſem provexit anno 1478. Non multum dein temporis ſuperſtes Edwardus, moriturus, inter executores teſtamenti Mortonum unum conſtituit; idque merito, cum non haberet in cujus fide prudentiaque majorem collocaret fiduciam. Quapropter, Dux Gloceſtrenſis Richardus Edwardi frater, cum decreviſſet nepotes ſuos è medio tollendo viam ſibi ad regnum patefacere; ac probe gnarus quam ſollicite ſaluti eorum Elienſis invigilaret, quem muneribus aut pollicitationibus corrumpi, vel minis ab officio terreri poſſe deſperabat: multa in eum ac graviſſima confinxit crimina, tumque inſontem in carcerem conjecit. Deinde horrendo parricidio occiſis pueris et regno occupato, rebuſque ex animi ſententia confectis; è carcere quidem liberat Epiſcopum, ſed ita, ut manere eum jubeat tanquam in libera cuſtodia apud Ducem Buckingamenſem, cujus opera is plurimum uſus fuerat in his flagitiis perpetrandis. Dux ea tempeſtate Brechiniae moram ut plurimum trahebat, et mutata repente voluntate, animo coepit eſſe à novo Rege alieno: ſive quod propter magnitudinem ſcelerum non poſſet hominem non odiſſe (quod prae ſe Dux ferebat) ſive quod praemia pro meritis ab eo non fuerit conſequutus (id quod plurimi opinantur) ſive denique invidia motus propter foelicitatem alterius, qua ſe ipſum digniorem exiſtimabat; (ſic enim nonnulli arbitrantur.) Quod cum ſagaciſſimum Epiſcopum non latuiſſet; author ipſi fuit, ut injuriam filiis Edwardi Regis factam compenſare niteretur filiam ejus natu maximam ad regnum evehendo: quam rem non adeo difficile factu oſtendit, modo ipſe paululum conniti non gravaretur. Regem ſiquidem magna apud omnes invidia laborare, tam exteros quam cives:

Lancaſtrenſes tantummodo metuendos, quorum principem Henricum Richmondiae Comitem ſi conjugio cum Edwardi filia praedicta copulandum curarent; nihil facilius putabat, quam tyrannum è ſolio, quod tot per ſcelera conſcenderat, praecipitem dejicere. Quid plura? conjuratio initur in caput tyranni. Sed oportuit utrunque tam Ducem quam Regem, ſuae in legitimum principem perfidiae poenas luere.

Epiſcopus cum Ducem eo deduxiſſet ut regrediendi ſeque recipiendi nullum locum relictum ſciret; noctu, ſimulato habitu ad inſulam ſuam Elienſem profugit, ac inde tandem in Flandriam, ubi conjuratorum conſilia mirificè promovit. Dux immature bellum ciens, opprimitur, et Sarisburiae ſecuri percutitur. Richmundanus attamen, profligato ac caeſo tyranno, rerum potitur, et Rex factus, Elizabetham Edwardi filiam (prout conſtitutum erat) ducit in uxorem. Domum tum reverſus Elienſis, regni Cancellarius [e] illico conſtituitur: et Bourchiero brevi poſtea defuncto, à Monachis Cantuarienſibus eligitur in ſucceſſorem: et Papa electionem eam cùm ratam habuiſſet Oct. 6 [f]. 1486; Cardinalem porro deſignat titulo ſanctae Anaſtaſiae Sept. 20. 1493 [g]. Eccleſiam illam cum foeliciſſime gubernaſſet annos tredecim, in mannerio ſuo de Knoll moritur menſe Octobris [h] anno 1500.

Ad primum Archiepiſcopatus ingreſſum, magna pecunia provinciales emunxit, coactos authoritate Papali ad ſumptus tranſlationis tantum impendere, ut à ſolo dioeceſis ſuae clero (eſt autem illa totius Angliae fere minima) libras acceperit noſtrates 354, ſecundum quam proportionem caeteris contribuentibus, exurget facile ſumma ad triginta millia aureorum. Paulo ante obitum, Anſelmum, Archiepiſcopum olim Cantuarienſem (non ſine ſumptu permagno) Sanctorum catalogo aſcribi curavit. Opes moriturus pene univerſas, teſtamento condito, aut in pios uſus erogandas, aut inter domeſticos quos hactenus non promoverat partiendas mandavit. Regi legavit portiforium; Reginae pſalterium; Margaretae eorum filiae (cujus fuerat in baptiſmo ſuſceptor) ſcyphum aureum et quadraginta libras; et Eccleſiae Elienſi mitram ac crucem ſuam. Executores teſtamenti juramento obſtrinxit [i], ſtudioſos tenuioris ſortis viginti alere Oxoniae, decem vero Cantabrigiae, per annos poſt mortem ejus viginti. In [aedium] Archiepiſcopalium reparatione ac ornatu ingentem profudit pecuniam, Knollae nimirum, Maidſtonae, Alingtonae, Fordae, Lamethae, ac Cantuariae. Propinquorum nonnullos, praediis ampliſſimis locupletavit; ac ut tandem finem faciam [k], in ſubterraneo crypto Eccleſiae ſuae, elegantiſſimam capellam conſtruxit, in cujus medio ſepultus jacet ſub ſaxo marmoreo; attamen tumulum habet ab auſtrali parte dictae capellae [l], affabre factum et admodum ſpecioſum [m].

---

[e] Conſtitutus Cancellarius Aug. 8. 1487. *Pat.* 2 Hen. 7. p. 2. ita *Dugdal.* in Catal. p. 22.

[f] Bulla tranſlationis data prid. Non. Oct. 1486. *Regiſt. Morton.* fol. 1.

[g] Cardinalis creatus eſt ab Alexandro Pontifice 12 Kal. Sept. 1493. Ciacon. Vit. Pontiff. et Card. Tom. 3. coll. 167.

[h] Nequaquam; dies enim obitus incidit in 16 Kal. Oct. ſi obituario Cantuar. Sept. 15 ſi Regiſtro Eccleſiae fidendum eſt.

[i] Teſtamentum ejus probatum 22 Oct. 1500. *Lib. Moone.* ita *MS. Rev. Tho. Baker.*

[k] Pitts. p. 879.

[l] De Joan. Morton. vid. in Regn. Hen. 7 ſcript. per Dom. Franc. Bacon Vicecom. S. Albani Edit. Angl. fol. A. 1641, quamplurimis in locis. Mortonum etiam laudat D. Tho. More in ſua Utopia. Fundavit quatuor ſcholariatus in Collegio Joannenſi Cantabr. *MS. Ca.* p. 82.

[m] Haec omnia, vel ſaltem maxima pars de Joan. Morton deſumpta erat è vita ejus ſcript. per Jo. Budden. Lond. 1607.

LXV. HENRICUS DEANUS.

1501. Hen.7.17. MORTONO defunċto ſucceſſor deſignatur à Monachis Cantuarienſibus Thomas Langtonus Wintonienſis Epiſcopus. Illum vero peſte contigit interire ante tranſlationem perfeċtam. Epiſcopus tum Sarisburienſis ab iiſdem eligitur Henricus Dean. Quo tempore nobilis ille impoſtor Petrus Warbecus ſe pro Richardo Duce Eboracenſe venditavit, Edwardi quinti fratre (quorum utrunque horrendo parricidio à Richardo tertio avunculo ſceleratiſſimo interemptos conſtitit.) Deanus iſte (quem in Collegio Novo Oxoniae educatum teſtatur in Eccleſiaſtica hiſtoria Harpſeldius[n], utcunque Cantabrigienſes eum pro ſuo vendicent) Abbas[o] fuit Lanthonienſis in Monumethenſi noſtro comitatu. Henricus autem Rex hominis perſpeċta prudentia, Cancellarium eum conſtituit Hiberniae[p], in qua provincia adulterinus ille Dux Eboracenſis primum ementitam ſumpſerat perſonam. Illius conſilio diligentiaque ex illis oris impoſtor brevi eliminatus eſt. Dum hoc munus ſolerter exequitur, Bangorenſis in Wallia creatur Epiſcopus. Quae ſedes, propter perpetua Wallorum cum Anglis diſſidia, populationibus obnoxia, inanem plerunque titulum Epiſcopo jam diù largita eſt, dum ambitioſi homines et Eccleſiaſticis promotionibus antea locupletati, hunc praeſulatum in titulum aſciſcerent, retentis per diſpenſationem Pontificiam quae antea poſſiderant; et Epiſcopi nomine contenti, in Anglia degebant, Epiſcopalibus praediis negleċtis prorſus et vicinorum [depredationi] reliċtis. Jam vero Henrico ſeptimo regno potito, qui et ortu et genere paterno Wallus erat, cum pax ſolida inter has gentes firmata videretur, ſedem Bangorae figere Deano conſultum viſum. Magnum ibi certamen habuit cum nobilibus vicinis, qui pleraque praedia ad Epiſcopatum ſpeċtantia invaſerant. Quod ſane ne in Anglia quidem novum eſt: videmus enim quotidie quanta cupiditate atque ferocia in Eccleſiaſticas poſſeſſiones, vel minima data occaſione, ſub quolibet praetextu laici [involant.]

Deanus vero cum Eccleſiae ſuae jura ſedulo exploraſſet; magna animi conſtantia exturbatis et ejeċtis illis malae fidei poſſeſſoribus, Epiſcopatui quae ſua fuerant aſſeruit. Inter caetera, inſulam quandam quae à phocis nomen habet (et ab aquilonari parte Monae ſive Angleſeiae ſita eſt) jure pro ſua evicit; quam tamen obtinere non potuit, priuſquam armatis ſtipatus eos qui ſibi uſurpaverant, poſſeſſione vi deturbaſſet. Eccleſiam et Epiſcopalem domum quae eſt Bangorae ab Oweno Glendour jam olim ſub Henrico quarto incendio abſumptas reficere ſatagebat quidem; ſed opere nondum perfeċto, ad Sariſburienſem Epiſcopatum avocatus eſt. Succeſſori vero Pigoto, diſcedens, mitram dedit atque pedum paſtorale non parvi pretii ea lege, ut opera à ſe incoepta ad umbilicum perduceret. Sariſburiae annos nondum duos conſederat quando ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum poſtulatur[q]. Pallium accepit, miſſum quidem per Hadrianum Caſtellanum Secretarium Pontificium (qui poſtea Cardinalis fuit et Herefordenſis primum, deinde Wellenſis Epiſcopus) traditum vero per

---

[n] Hoc non dicit Harpsfeldius in libro laudato.

[o] Prior de Lanthony 1493. *Rym. Foed.* T. 12. p. 553.

[p] 1 *Pat.* 11 Hen. 7. *in dorſo.*

[q] Licentia eligendi data eſt Jan. 9. *Pat.* 16. Hen. 7. par 1 m. 11. Temporalia reſtituta ſunt 2 Aug. 1501. *ibid.* m. 1.

Epiſcopum Coventrenſem, cujus etiam verba adjungam ab eo tunc uſurpata, ſicuti crucem tradentis in Courtneio. "Ad honorem (inquit) Dei omnipotentis et beatae Mariae Virginis, ac beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum, et domini noſtri Alexandri Papae ſexti, et ſanctae Romanae Eccleſiae, nec non et Cantuarienſis Eccleſiae tibi commiſſae, tradimus pallium de corpore beati Petri ſumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis officii; ut eo utaris infra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apoſtolica ſede conceſſis[r]." Accepto pallio, juramentum porro Pontifici oportuit praeſtare, quo ſemel adſcribere non pigebit.

"Ego Henricus Archiepiſcopus Cantuarienſis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro ſanctaeque Apoſtolicae Romanae Eccleſiae, et Domino meo Domino Alexandro Papae ſexto ſuiſque ſucceſſoribus Canonice intrantibus. Non ero in conſilio aut conſenſu, vel facto ut vitam perdant vel membrum ſeu capiantur mala captione. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut nuntios, ad eorum damnum me ſciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia ſancti Petri adjutor ero eis ad retinendum et defendendum, ſalvo ordine meo contra omnem hominem. Legatum ſedis Apoſtolicae in eundo et redeundo honorifice tractabo [et in ſuis neceſſitatibus adjuvabo:] vocatus ad Synodum veniam, niſi praepeditus fuero Canonica praepeditione. Apoſtolorum limina Romana curia exiſtente citra Alpes ſingulis annis, ultra vero montes ſingulis bienniis viſitabo, aut per me, aut per meum nuncium, niſi Apoſtolica abſolvar licentia. Poſſeſſiones vero ad menſam mei Archiepiſcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeodabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice, ſicut me Deus adjuvet, &c." Quo ritu crux tradi conſuevit, vide ſupra p. 120. Exceſſit è vivis hic Archiepiſcopus Lamethae Februarii decimo quinto[s] (ſtilo Anglicano) 1502, [tranſlationis] ſuae anno ſecundo. Cadaver ejus à 33 nautis lugubri habitu veſtitis et multis cereis accenſis, ſecundo fluvio Feverſamiam delatum eſt in cimba, ac inde Cantuariam deportatum perhonorifice tumulatur quingentarum librarum ſumptu, in medio loci qui Martyrium nuncupatur, prope Staffordum anteceſſorem, ſub marmore aeneis laminis ornato. Eccleſiae ſuae legavit imaginem D. Joannis Evangeliſtae argenteam ponderis 151 unciarum. Magnam partem domus Archiepiſcopalis quae eſt Otfordiae conſtruxit; et cancellos ferreos, quibus pars dimidia pontis Roffenſis munita eſt, fieri curavit[t].

◆ ◆ ◆

LXVI. GULIELMUS WARHAMUS.

GULIELMUS Warham (qui ſucceſſit) familia ortus eſt nobili et antiqua in Comitatu Hantonenſi[u], educatus vero in Collegio Wintonienſi, ac inde traductus adoleſcens ad collegium quod dicitur Novum Oxo-

* 1503. Hen. 7. 20.

---

[r] Antiquitat. Britan. p. 452.

[s] Ita Hen. Wharton in *Angl. Sacr.* V. 1. p. 124. nec non Antiquitatum Britannicarum author p. 453. alii verò, ſed minus rectè, diem decimum ſextum aſſignant. *Dart. Hiſtor. Cantuar. Eccleſ.* p. 166. et *Regiſt. Coll. Mert. Oxon.* per Fitzjameſium Epiſc. Lond. fol. 138. a. ita *MS. Wood.* Angliae fuit Cancellarius à decimo tertio Octobris 1500, uſque ad mortem.

[t] In teſtamento quod habetur in *Offic. Prerog. Cant.* ſic ſcriptum legimus; *Do et lego confratri meo Joanni Bell Epiſc. Mayonenſi ſuffraganeo meo* ——. Qu. an idem cum Joann. Bell Epiſc. Wigorn. A. 1539.

[u] Apud Oakeley.

Oxoniae [x], ubi gradum ſuſcepit Doctoris in legibus. Advocatus deinde factus in curia Arcuata Londini, brevi poſtea Rotulorum conſtitutus eſt (ut loquimur) magiſter [y]. Quod muneris dum gereret, miſſus eſt à Rege Legatus ad Carolum Burgundiae Ducem, oratum, ne figmentis uxoris ſuae ſe decipi pateretur. Haec enim cum aequis oculis intueri non poſſet, Henricum Lancaſtrenſem in ſolio ſedentem fratris ſui, cujus tamen filiam is duxerat uxorem; duos excitarat adulterinos principes, quorum opera ſi regno Henricum potuiſſet dejicere, ſperabat tum facile ſibi fore, Edwardum Comitem Warwicenſem, nepotem ſuum ex fratre Georgio Clarentiae Duce, ad regnum evehere; quanquam is in carcere tunc temporis teneretur, non aliquod ob crimen, ſed ut ſeditionis materia tolleretur. Horum primus erat Pſeudo-Richardus, de quo antea, vero nomine Petrus Warbecus appellatus. Alter vero, Lambertus nuncupatus, eo impudentiae proceſſit, ut ſibi nomen auſit imponere Comitis Warwicenſis antedicti, viventis adhuc in cuſtodia, quem ideo Rex per vicos urbis Londinenſis palam juſſit circumduci ad impoſturam detegendam. Quomodo hii ſcenici Principes detracta tandem perſona, poenas dederint nequitiae, bello devicti et capti; Lamberto culinae regiae miniſteriis deputato; ſed Warbeco, quod poſt datam veniam res novas iterum fuiſſet molitus, capitali ſupplicio affecto; quaerant qui volent à Chronographicis, qui haec ſatis fuſe tradiderunt.

Warhamus interea munus ſibi demandatum ſolerter adeo exequutus eſt, ut magnam prudentiae diligentiaeque laudem à Rege reportarit, et majora meritus, dignus putaretur qui Londinenſi ſedi tum forte vacanti praeficeretur. Hanc igitur Regis opera adeptus, biennio vix dum inde exacto, Deano demortuo, in Archiepiſcopatu Cantuarienſi ſucceſſor ſufficitur. Nov. 29. [z] 1504 tranſlatus, Martii 9 ſequenti inthronizatur, idque tanta cum ſolennitate et magnificentia, ut, ſicuti jam antea crucis ac pallii tradendi, ſic nunc tandem ſemel inthronizationis ritum deſcribere, abs re futurum non exiſtimem. Martii octavo Cantuariam venit Edwardus Buckingamiae Dux, equitibus ſtipatus centum et quadraginta, qui Archiepiſcopi erat et Seneſchallus et Pincerna. Tum vero, cùm utrunque munus unus exequi non poſſet, pincernam ea vice ſubſtituit Thomam Bourchier equitem auratum. Sequenti die, poſtquam omnia pro officio perluſtraſſet, Archiepiſcopo civitatem ingredienti obviam prodit donec ad templum ſancti Andreae perventum eſt. Tum pedibus nudis ad Eccleſiam Cathedralem incedentem, anteambulo magnificus praecedit. A Priore et conventu ad portam Eccleſiae exceptus, et ad thronum Archiepiſcopalem deductus in eo collocatur, tumque ipſe miſſam celebrat: qua peracta, Duce ſicut prius praeeunte, palatium ingreſſus eſt, recepitque ſe primum in cubiculum interius; inde paulo poſt in magnam aulam publice pranſurus prodiit. Ferculorum ibi varietatem, apparatum, magnificentiam, quid attinet dicere? Multis opinor regibus potuit ſuffeciſſe. Dux praedictus equo vectus, et ſcipionem candidum manu geſtans (muneris inſigne) miniſtros obſonia inferentes aperto capite antecedens, primo ferculo in menſa collocato, corpus humiliter inclinat, tumque in cameram pranſurus ſecedit. Archiepiſcopo connivanti aſſidebant à dextris, Comes Eſſexiae, Epiſcopus Sodorenſis ſive Mannae inſulae, et Eccleſiae Cathedralis Prior; à ſiniſtris vero Baro Bergevennenſis, Brokius Baro, et Abbas divi Auguſtini. Cum Duce in camera ſua diſcumbebant, Clintonus Baro, Edwardus Poynings miles, Dominus Fineux capitalis Juſticiarius, Gulielmus Scot, et Thomas Kemp milites, ac Butlerus quidam ſerviens ad legem. Proxima erat his Theologiae atque Juris Doctorum menſa, tum equitum auratorum, tertiò nobilium quos generoſos vulgo appellamus. Caeterorum deinde convivarum numerum et obſonia ſi commemorarem, fidem profecto ſuperaret[a].

---

[x] Cui fuit Benefactor; meſſuagium enim et latifundia, Kyngsclerae in Agro Hantonenſi collocata, ad ſe à patre haereditario jure devoluta, tranſcripſit Feb. 6. 1509; praeter vaſa argentea 144 unciarum ponderi aequalia. *Hiſt. et Antiqu. Oxon.* L. 2. fol. 130. b.

[y] Conſtitutus Magiſt. Rotulorum 13 Feb. 1494. 1 *Pat.* 9 Hen. 7. Cuſtos magni Sigilli Aug. 11. 1502. *Dugd. Chron. Ser.* p. 76. et poſtea ſummus Angliae Cancellarius conſtitutus eſt Jan. 1. ſequ. *Clauſ.* 17 Hen. 7. *in dorſo.*

[z] 1503.

Haec nunc ut tandem mittamus, commemorandum eſt, Warhamum Archiepiſcopum creatum, Angliae conſtitutum Cancellarium[b]. Ac iſta quidem munera ſicut magna integritatis laude adminiſtravit; ſic vivente Henrico ſeptimo, magna apud eum (ut par erat) gratia et authoritate floruit. Eo vero ſublato et filio Henrico octavo ſuccedente; Wolſaeus poſtea Cardinalis, tunc vero Eleëmoſynarius regius et Lincolnienſis Decanus adoleſcentis Regis animum aſtuta adulatione ita occupavit, ut per ejus gratiam, Archiepiſcopi potentiam ſubruere, atque haud magnopere repugnantem, omni paulatim authoritate potuerit ſpoliare. Primum ſiquidem, Cancellariatu ad mandatum Regis ſibi cedere coegit. Deinde Cardinalis creatus, et Pontificis à latere Legatus; curiam erexit quam Legatinam nuncupavit, ad quam omnes fere cauſas Eccleſiaſticas pertraxit, apud alia ſolitas tractari tribunalia, quorum judices, regiſtrarios, caeteroſque miniſtros, otioſos jam ſedere oportuit, et Wolſeianis emolumenta ſolita munerum ſuorum concedere. In caeteris porro rebus, adeo omnia poterat Wolſaeus, nihil Archiepiſcopus, ut à multis retroactis annis, Archiepiſcoporum nullus tam deſpicabilis vixiſſe videatur ac Warhamus; Epiſcoporum verò Anglicorum nemo qui potentia, ſplendore, magnificentia, cum Wolſaeo fuerit comparandus. Iniquam hanc Warhami ſortem (viri revera graviſſimi optimique) multi miſerabantur tanquam indigna paſſi. Sed eventus docuit, ipſi nihil potuiſſe contingere foelicius quam hujuſmodi (eo praeſertim tempore) dejectionem; Wolſaeo vero elationem illam exitioſam tandem extitiſſe. Cujus rei cauſam altius repetendam paucis tamen explicabo, et lectorem plura ſciendi cupidum ad Annales noſtros amandabo.

Henricus octavus Rex, ut primum regnum adeptus eſt, uxorem duxit Catharinam, Ferdinandi et Iſabellae Hiſpaniae Regum filiam, quae Arthuro Walliae principi, Regis fratri, prius fuerat nupta. Hanc ille, moribus ſanctiſſimis foeminam et Hiſpanica gravitate, ſed ſaepius abortientem, et quae filiam unicam ſuperſtitem habuit Mariam, faſtidire coepit poſt decimum ſeptimum conjugii annum, idque Wolſaei Cardinalis artibus, qui jam (uti diximus) in faſtigio potentiae apud Regem, ſui quodammodo erat impotens. Ille enim Carolo quinto Imperatori, Catharinae è ſorore nepoti infenſior, quod Archiepiſcopatum Toletanum petenti denegaſſet, et Papatum ambienti non faviſſet; ut Carolo aegre faceret, Henrico non nimium uxorio author fuit, Catharinam Caeſaris amitam repudiaret, et è Gallia neſcio quam peteret uxorem; nuptias dicens cum Catharina quae prius fuerat Arthuri fratris ipſius uxor, lege divina eſſe prohibitas, licet Julius ſecundus diſpenſatione ſua ratas eas habuiſſet. Regis cupiditatibus ſic fraeno laxato, jam fere quadragenarius deperire coepit efflictim Annam Bolenam, egregia forma adoleſcentulam, cujus pudicitiam cum non poſſet expugnare, exturbata Catharina, uxorem eam ducere decrevit. Cauſa divortii regii aliquot annos Romae agitatâ, conſtituuntur à Papa delegati qui ea de re hic in Anglia cognoſcerent, Campeius Cardinalis, et noſter Wolſeius. Reginae vero patroni aſſignati Warhamus Archiepiſcopus, et Nicolaus Weſt Elienſis Epiſcopus Legum Doctores, ac Jo. Fiſherus Roffenſis, et Henricus Standiſhius Aſſavenſis Epiſcopus Theologi. De caeteris ſuo loco. Warhamus autem, ita ſe geſſit in eo negotio, ut neque Reginam negligentia prodidiſſe, nec Regis offenſam nimium inſtando incurriſſe videretur. Wolſaeus autem dum ſegnius agit, et rem trahit in longum, ſic volente Papa, iracundiam Regis ita commovit, ut Cancellariatu ejecto, omnia bona erepta et fiſco adjudicata, et proditionis porro crimen paulo pôſt fuerit intentatum. Qua de re pluribus alibi. Statim ut ille mortuus eſt, Synodus indicitur, ubi certior fit clerus ibi congregatus univerſos in legem quandam peccaſſe, juxta quam, omnibus bonis et facultatibus eſſent plectendi, quod Wolſaei poteſtati legatinae ſe, Rege inconſulto, ſubmiſerint. Id quamvis verum eſſe nemo crederet, non auſi tamen refragari, ut ſe captos quam minimo redimant, paciſcuntur cum Rege, accipiat à Cantuarienſi provincia librarum millia centum, ab Eboracenſi vero octodecim. Sed neque hanc tantam largitionem Rex voluit accipere, priuſquam Eccleſiae Anglicanae CAPUT SUPREMUM eum declaraſſent, atque poſt longam altercationem titulum hujuſmodi diplomata conceſſionis inſeruiſſent. In eadem Synodo multi Canones contra Lutheranos eduntur, et de Papae authoritate abroganda plurimis diſceptatum. Cum aegre quicquam decerneretur in utramvis partem, ſaepius ſynodus prorogata eſt. Indicitur tandem denuo in Octobris quinto 1532.

---

[a] Vide *Lelandi Collectanea* Vol. 6. p. 16, 17. Append. ubi apparatus et ferculorum varietas fuſius deſcribitur. Extat etiam deſcriptio iſtius convivii in *Archiv. Bibl. Bodl.* Vid. *Hiſt. et Antiqu. Univerſ. Oxon.* L. 1. ſub A. 1503. nec non in *Antiquitat. Britan.* p. 456, &c.

[b] A. 1502. vid. ſupra. Cancellariatum tenuit uſque ad annum 1515.

Interea vero Warhamus ſenectâ gravis moritur, Auguſti nimirum 23[c]. 1532, cum ſedem Cantuarienſem tenuiſſet annos viginti et octo. Deceſſit in domo propinqui ſui Archidiaconi Cantuarienſis apud ſanctum Stephanum: Ibi nempe domicilium ſitum erat quod ad Archidiaconatum ſpectabat. Verum id jamdudum ſacrilegium devoravit, ut niſi alibi de habitaculo ſit proviſum, Archidiacono ſub dio poſthac ſit agendum. Sepultus eſt Warhamus ſine pompa funebri in capella[d] à ſe ad id condita prope Martyrium, ubi tumulum habet ſatis elegantem. Propinquis multa vivens latifundia comparavit, et in aedificiis reficiendis Archiepiſcopalium domorum ingentem erogavit pecuniam, librarum nempe (ſi ipſi credimus in teſtamento ſuo id aſſerenti) triginta millia: eamque ob cauſam ſucceſſorem rogavit, quicunque tandem is futurus eſſet, ut executoribus de domorum reparatione nollet eſſe moleſtus. Erant autem ii, Norfolciae Dux, et Winſorius Baro[e].

[c] Obiit 22 Auguſti inter horas 3 et 4 antemeridiem A. 1532, apud S. Stevyns juxta Civitat. Cantuariae. Ita in *Officio Armorum*, in libro quodam Certif.

[d] Cantariâ potius.

[e] Complures extant Epiſtolae iſtius Warhami Cancellarii Oxon. ad Oxonienſes, et illorum viciſſim ad ipſum; quorum nonnullis *Sanctiſſimum in Chriſto Patrem* eum appellant. —— Warhami inſtrumentum originale A. 1530 ſuper decreto Henrici octavi, prohibente novum teſtamentum et alios libros in lingua vulgari, extat inter *MSS. Lameth.* viz. Num. 24. *MS. Lond*

LXVII. THOMAS CRANMERUS.

ANNOS plus minus quinque divortii regii cauſa, errore inextricabili in Curiae Romanae Labyrintho haerente, exitus tamen viam non videbatur habitura, niſi repertus tandem fuiſſet Alexander quidam, qui nodum hunc Gordium ingenio non ſolubilem, gladio ſcindendum docuiſſet. De novis legatis Romam mittendis Rex tum forte conſultabat, quando per Cranmeri ſapientiam via compendiaria reperta ac Regi monſtrata eſt, quae non ſolum praeſentibus moleſtiis ipſum liberavit, ſed aditum etiam monſtravit ad eam foelicitatem qua hodie potitur Eccleſia Anglicana, tyrannidis Pontificiae (qua miſerrime hucuſque fuerat oppreſſa) jugo, cervicibus noſtris penitus excuſſo. 1533. Hen. 8. 24.

Contigit ea tempeſtate Gardinerum Secretarium, ac Edwardum Foxum Eleemoſinarium Regium (quorum hic poſtea Herefordenſis, ille verò Wintonienſis Epiſcopus evaſit) cum iter facerent, in domum nobilis cujuſdam, Creſſei nomine, Walthamiae divertere, ubi forte fortuna tunc aderat, doctrina et pietate inſignis quidam Theologus, Collegii Jeſu Cantabrigiae ſocius, Thomas Cranmerus, qui duos Creſſei filios literis in ea Academia inſtituebat, ſed peſte id temporis ibi graſſante, Walthamiam adoleſcentulos ad patrem deduxerat, et aliquot jam menſes ibi cum illis triverat. Hunc, iſti novi hoſpites, in Academia ſibi jam antea ſatis notum[f], epulis ſuis adhibuerunt, et cum virum noſſent doctum juxta et prudentem, de cauſa Regia tam diu Romae ventilata, ſententiam ejus exquirere non verentur. Gravatè quidem ille primò, ſed inſtantibus conſiliariis Regiis, obtemperavit tandem, hac uſus oratione; “Non decet hercle niſi “ meditatione praevia de re tanta, ac praeſertim coram graviſſimis viris “ verba facere, quibus tamen morem non gerere piaculum duxerim. Quoniam itaque plane vultis ut quid cenſeam profitear, ego certe ſic exiſtimo, aegre afflictaeque conſcientiae remedium fruſtra Regem Romae “ quaerere, ubi litium tot ſunt dilationes et anfractus, ut illarum laqueis “ qui ſemel ibi tenentur vix unquam ſe expediant. Proinde conſultius eſſe “ duco, ut Romanae curiae longum valedicto; tam in noſtris quam aliis “ Europae Academiis, doctiſſimi qui uſquam reperiri poſſunt Theologi “ conſulantur hac de re. Et ſi illorum tum judicia ſequutus fuerit; non “ erit cur, quid Romana curia de ſua cauſa ſtatuat, multum ſane poſthac “ ſit ſollicitus.”

Cranmeri hoc conſilium ſaluberrimum Foxus poſtridie defert ad Regem; qui tanquam divinitùs datum amplexus illico, exclamavit, hic quiſquis eſt rem acu jam tandem tetigit, et viam demonſtravit, quam ſi ante duos aut tres annos fuiſſem ingreſſus, jam [centum] millia librarum haberem in loculis quae in curia Romana perperam et inutiliter impendi. Placuit igitur hominem accerſi, quem venientem jubet hanc ſuam ſententiam in ſcripta redigere, Comitique Wiltoniae dat in mandatis, ut ſcriptorem ſua domo exciperet, ac libros caeteraque quibus opus haberet ſubminiſtraret. Ille itaque libellum componit, in quo cum aequum eſſe oſtendiſſet ut Rex Theologorum ſententiis cauſam ſuam dijudicandam relinqueret; oſtendere tum conatur, ex ſacris ſcripturis, conciliis, et patribus orthodoxis, Regis cum Catherina nuptias, lege divina interdictas neque proinde Papae diſpenſatione vires ullas potuiſſe acquirere. Perlecto libello, percontatur ab eo Rex, an quae ſcripſiſſet, coram Papa auderet aſſerere? qui intrepide reſpondit libentiſſime ſe id facturum. Et vero facies (inquit) acturum: tumque legatum jubens ad Pontificem proficiſci, collegas dat, Wiltoniae Comitem, Stokeſleum, Carnum, Benettum, alioſque. Sed nihil ii egerunt, ſolitis dilationibus de die in diem rejecti, donec relicto Cranmero, ulterioris morae pertaeſi caeteri in Angliam redirent. Libello Pontifici tradito, pollicitus eſt, futuros qui ſolemni diſputatione hanc controverſiam ventilarent. Verum illi in animo nihil erat minus. Abeuntes blandis verbis demulcet, veritus Regem offendere, et ſummi per totam Angliam, Walliam et Hiberniam poenitentiarii munus in Cranmerum confert, cui tum Germania petenda erat, ut Caeſari ſimilia mandata perferret. Ibique Evangelicae doctrinae ea putatur collegiſſe ſemina, quae in ampliſſimam ſegetem poſtea, nobiſcum adoleſcentia, reformationis meſſem affluentiſſimam per Dei bonitatem Eccleſiae noſtrae pepererunt, quanquam crudeliſſimae necis ipſi cauſa extiterint, poſtquam Eccleſiam Cantuarienſem annos totos viginti magna pietatis et prudentiae laude rexiſſet.

---

[f] Rogatus eſt Cranmerus (vir eo tempore in Academia eminens) ut Cantabrigiâ relictâ, membrum eſſet Collegii Wolſaei, recenter Oxoniae inſtituti; ſed dum erat in via, ab amicis dehortatus revertitur. *Antiquit. Britan.* p. 495.

Natus is dicitur Arſlactoniae in comitatu Nottinghamenſi, parentibus honeſtis et familia perantiqua quippe, cujus primi authores Angliam dicuntur cum Gulielmo Normanno ingreſſi. Ejuſque rei argumentum afferunt, quod antiqua Cranmerorum ſedes adhuc nomen habeat de Cranmer-Hall, quaſi dicas Cranmeri aulam aut domicilium: et ſub illo Archiepiſcopo appuliſſe in Angliam nobilem quendam Normannum Cranmerum nomine, qui eadem cum illo ſtemmata gentilitia ſive inſignia geſtaret. Educationem ſortitus eſt (ſicut antea retulimus) in Collegio Jeſu Cantabrigiae, ubi inter ſocios aſcitus, locum tandem reliquit (collegii legibus id flagitantibus) quod uxorem duxiſſet. Ea vero poſt annum unum aut alterum morte ſublata, in ſociorum numerum iterum aſcriptus eſt ibidem. Dum adhuc in Germania (Legatus Regius) moram [traheret,] Warhamum Archiepiſcopum contigit vitam cum morte commutare. Quapropter Rex cui Cranmeri virtutes jam ſatis erant perſpectae, Archiepiſcopum eum per monachos Cantuarienſes curat deſignandum: qui ejuſce rei nuncio accepto, vehementer perturbatus eſt. Lubricitatem loci non poterat non horrere, homo literarum ſtudiis deditus, et aulicorum verſutiis nunquam aſſuetus. Praeterea, ignarus non erat, ad mutationem neſcio quam periculoſam omnia vergere; et ſi incommodi quicquam accidiſſet, non eſſe novum ejuſce rei culpam omnem in Cantuarienſem Archiepiſcopum protinus conjicere, utcunque bene meritum. Id vero quod maxime angebat, conſcientia fuit uxoris ductae (neptis ea fuit uxoris Oſiandri) cum ne in ſacros quidem ordines admitti conjugatum fas fuerit, multo minus Archiepiſcopum creari, idque praeſertim poſtquam bigamus, primae alteram ſuperduxiſſet uxorem. Domum igitur à Rege revocatus, ſex totos menſes ultra tempus praeſtitutum ſubſtitit, ſperans Regem, conſilio interea mutato, alium quempiam Archiepiſcopum creaturum. Reverſus in patriam, cùm inſtaret Rex, ut primo quoque tempore conſecrationem ſuſciperet; juramentum cauſatur Pontifici Romano praeſtandum, quod à ſe ſalvâ conſcientiâ nullo modo fieri poſſe contendit. Caeterum Rex, neque ita quidem à conſilio ſuo ſe depelli paſſus, juriſperitorum ingenio rationem quandam excogitavit, quo pacto proteſtatione neſcio[g] qua praevia, ſacramentum pro more Pontifici diceret. Excuſationi proinde cum locus amplius jam non eſſet quo minus Archiepiſcopale ſolium conſcenderet, uſitato ritu conſecratus eſt Martii 30.[h] 1533 per Joannem Vayſeium Exonienſem Epiſcopum, Henricum Standiſhium Aſſavenſem, et Joannem Longlandum Lincolnienſem.

Paulo ante ſacrationem ejus, ſynodus fuerat indicta[i], quam ingreſſus, duas quaeſtiones à clero ibi congregato ventilandas propoſuit: primo, an ducere uxorem cognitam à fratre decedente ſine prole, ſit prohibitio juris divini et indiſpenſabilis à Papa. In Conſeſſu ſuperiori dictam concluſionem quatuordecim affirmarunt, negaverunt ſeptem, unus aut alter dubitavit. In inferiori verò, poſtquam Academiarum ea de re judicia recitata ſunt, ex 216 patribus qui ſuffragium per ſe vel procuratores tulerunt, omnes Academicorum ſententiis acquieverunt praeter ſolos novendecim. Quaeſtio vero ſecunda fuit; utrum copula carnalis inter Arthurum Principem et Catharinam Reginam, ex allegatis et propoſitis ſatis extiterit probata. Quod, è clero inferiori omnes (ſex duntaxat exceptis) affirmarunt, Praeſuleſque deinde omnes praeter Clercum Bathonenſem et Wellenſem. Quare in ſynodo, et paulo poſt in Parliamento, decreto publico pronunciatum eſt, debuiſſe Regem, multoque magis licitum ei fuiſſe, à Catharinae conſortio abſtinere, et cum alia matrimonium inire.

His ita conſtitutis, Cranmerus Archiepiſcopus, Epiſcopis aliquot comitatus, Duneſtapliam acceſſit, oppidum non procul à loco ubi Catharina moram trahebat diſſitum eoque citatam, ut repudii ſui ſententiam audiret, ſed non comparentem, contumacem judicavit, et à Regis thoro conſuetudineque nuptiali amovendam. In ſynodo iterum congregata tum decernitur, Papae nullam juriſdictionis poteſtatem in Anglia competere: Cantuarienſem Archiepiſcopum, non legatum Apoſtolicum, ſed Primatem et Metropolitanum totius Angliae dicendum: ſacra biblia in Anglicanum idioma convertenda: Regem Eccleſiae Anglicanae caput ſub Chriſto cenſendum: Epiſcopos inconſulto Romano Pontifice jam poſthac deſignandos: et Eccleſiaſticarum promotionum primitias decimaſque non Papae (ut hactenus) ſed Principi pendendas. In multis deinde aliis, ab Eccleſiae Romanae placitis paulatim diſceſſum eſt; frémente Pontifice, qui talem ſibi bolum ereptum iniquiſſime ferens, excommunicationis tandem ſententiam in Regem ejaculatus eſt[k]. Qua re illi nunciata, inter indignationem et metum fluctuans; quaſi per vices quaſdam, nunc à Pontificiis averſus, reformatoribus favebat; mox reconciliationis cum Pontifice ſpe oſtentata, jugum Romanum denuo recipiendum ſuadentibus aures prebet non iniquas. Ira igitur praevalente, apud illum nihil non poterat Cranmerus: quoties vero metus, Pontificiis aures illius occluſas patefecerit, in ſummo is verſabatur periculo. Quibus de rebus ſigillatim dicere, inſtituti mei ratio non permittit. Verum ita ſors tulit, ut permanente diſſidio, quamvis multi conarentur Regem Papae reconciliare; in ſumma authoritate et gratia Cranmerus floreret quoad Henricus vixit; à quo moriente, inter executores teſtamenti primus et praecipuus conſtitutus eſt.

---

[g] Proteſtatio à Cranmero facta haec eſt, ut extat in Regiſtro ſuo; "In Dei nomine Amen. Coram vobis autentica perſona et teſtibus fide dignis, hic preſentibus, Ego Thomas in Cantuar. Archiepiſcopum electus dico, allego, et in hiis ſcriptis palam, publice et expreſſe proteſtor: Quod cum juramentum, ſive juramenta ab electis in Cantuar. Archiepiſcopos ſummo pontifici praeſtari ſolita, me ante meam conſecrationem, aut tempore ejuſdem pro forma potius quam pro eſſe, aut re obligatoria ad illam obtinendam oporteat; non eſt, nec erit meae voluntatis aut intentionis per hujuſmodi juramentum vel juramenta, qualitercunque verba in ipſis poſita ſonare videbuntur, me obligare ad aliquod ratione eorundem poſthac dicend. faciend. aut attemptand. quod erit aut eſſe videbitur contra legem Dei, vel contra illuſtriſſimum Regem noſtrum Angliae, aut Remp. hujus ſui regni Angliae, legeſve aut praerogativas ejuſdem. Et quod non intendo per hujuſmodi juramentum aut juramenta, quovis modo me obligare, quo minus libere loqui, conſulere et conſentire valeam, in omnibus et ſingulis, reformationem Religionis Chriſtianae, Reipublicaeve commoditatem, quoquomodo concernentibus, et ea ubique exequi et reformare, quae mihi in Eccleſia Anglicana reformanda videbuntur. Et ſecundum hanc interpretationem et intellectum hunc, et non aliter, neque alio modo, dicta juramenta me praeſtiturum proteſtor et profiteor. Proteſtorque inſuper, quodcunque juramentum ſit, quod meus Procurator ſummo Pontifici meo nomine antehac praeſtitit, quod non erat intentionis aut voluntatis meae ſibi aliquam dare poteſtatem, cujus vigore aliquod juramentum meo nomine praeſtare potuerit contrarium aut repugnans juramento per me praeſtito, aut impoſterum praeſtando praefato illuſtriſſ. Angliae Regi. Et caſu, quod aliquid tale contrarium aut repugnans juramentum meo nomine praeſtitit, Proteſtor, quod illud me inſcio, et abſque mea authoritate praeſtitum, pro nullo et invalido eſſe volo. Quas proteſtationes in omnibus clauſulis et ſententiis dictorum juramentorum repetitas et reiteratas volo. A quibus per aliquod meum factum vel dictum quovis modo recedere non intendo, nec recedam. Sed eas mihi ſemper ſalvas eſſe volo."

[h] Proviſus à Clemente Papa 9 Kal Mar. 1532 Pontif. 10. Pallium accepit 5 Non. Mar. Conſecratus 30 Mart. 1533, Indictione 6, Henr. Regis A. 24, in domo capitulari Sancti Stephani Protomartyris prope Palatium Regium Weſtmon. London. Dioeceſ. *Regiſt. Cranm.* Fol. 4, 5.

[i] *Concil. Anglic.* T. 3. p. 756. et *Rym. Foed.* T. 14. p. 454.

Illo defuncto, propter pueritiam Regis, ſumma rerum erat penes proceres, illos praeſertim qui erant Regi ab arcanis conſiliis, à quibus huc uſque Archiepiſcoporum Cantuarienſium raro quiſquam fuerat excluſus. Edwardo igitur regnante, magna Cranmero feneſtra patefacta eſt, ad reformationem Eccleſiae perficiendam, ſub Henrico coeptam. Cui rei omnibus ingenii nervis ſedulo incumbens, tandem cuncta ex animi ſententia confecit. Miſſam ſiquidem Papiſticam ejici curavit; ex templis imagines amoveri; Euchariſtiam ſub utraque ſpecie populo exhiberi; ſcripturarum ſacrarum lectionem omnibus permittendam; preces publicas, ſecundum Liturgiae formulam á ſe conſcriptam, lingua vernacula concipiendas; clericis conjugia permittenda, et alia ſecundum normam Eccleſiae noſtrae hodie praeſcriptam, omnium reformatarum (dicto abſit invidia) florentiſſimae. Tum non ignarus, Academias fontes eſſe, unde doctrinae latices fluant ad regnum univerſum, ne illis ſuperſtitionis foecibus inquinatis, tota inficeretur Eccleſia; ſtipendiis amplis propoſitis, accerſivit huc Theologos inſignes, Petrum Martyrem (quem Oxoniae collocavit,) Martinum Bucerum et Paulum Phagium (quos Cantabrigiae) ut puriori doctrina adoleſcentes imbuerent, in Eccleſiae meſſe operarios futuros. Praeter hos, invitati etiam venerunt in Angliam Immanuel Tremellius, Bernardinus Ochinns, P. Alexander, D. Valerandus, quos omnes cum liberis atque conjugibus abunde alebat Cranmerus; accerſitis etiam Philippo Melanchthone et Muſculo, qui á ſuis retenti, per literas ſeſe excuſarunt.

Sed nihil illi majorem creavit apud Pontificios invidiam, quam quod Epiſcoporum quoſdam, hiſce reformationis conſiliis occulte repugnantes, exauthorari permiſerit, et in ordinem redactos, carceribus mancipari; Gardinerum Wintonienſem, Bonerum Londinenſem, Tunſtallum Dunelmenſem, Heathum Wigornienſem et Daium Ciceſtrenſem; qui omnes per Mariam Reginam honoribus poſtea reſtituti, talionis reddendae nimis fuerunt memores. Ii namque (ac praecipue Gardinerus, in cujus conſilio Maria unice acquieſcebat) ſtimulare mulierem non deſinebant ad vindictam, quae muliebri ingenio iram propter divortium matris conceptam, jam tot annos coquebat.

" ——Manet alta mente repoſtum
" Judicium latum, ſpretaeque injuria matris.

---

[k] Extat ſententia Excommunicationis apud *Concil. Angl.* Tom. 3. p. 792. Aſſervantur, in Archivo Lamethano, nonnullae chartae Excambii facti inter Henricum octavum Regem et Thomam Archiepiſcopum. Hic ſcilicet Regi terras multas Archiepiſcopales conſignavit; Rex autem Archiepiſcopo terras eas, quas nuper conſecutus fuiſſet per diſſolutionem Monaſteriorum. *MS. Lond.*

Henricum Regem ferunt, cùm Mariae filiae contumaciam carceribus coercere ſtatuiſſet, quod Pontificiam doctrinam pertinaciter adeo defenderet; ad Cranmeri ſolius interceſſionem, mutaſſe ſententiam. Deinde, cùm eandem à fratre Edwardo exhaeredari oportuit; longa oratione ne id fieret, Archiepiſcopus (etſi fruſtra) contendit; neque ut ſubſcriberet decreto induci potuit, donec juriſperitis una voce aſſerentibus, legibus illud eſſe cenſentaneum, Rex multis et aſſiduis precibus id ab eo evicerit. Apud ingratos adeo plus valet unius injuriae opinio (ne dicam ſenſus) quam mille beneficiorum recordatio. Incerto rumore ferebatur eo tempore, religionem cum fortuna Cranmerum mutaſſe; adeo ut Reginae gratificaturus, exequias Edwardi Regis Pontificio more celebrare pollicitus fuerit. Quare ſcripto primo quoque tempore edito, ſe purgavit; et decreta de religione ſub Edwardo ſe authore facta, ut Dei verbo et Apoſtolorum doctrinae congruentia, tueri ſe paratum oſtendit; in eoque propoſito à Petro Martyre confirmatus, ipſum ſibi ſocium et adjutorem in hoc negotio popoſcit. Sed à verborum diſputatione res ad vim vocatur. De boni viri nece omnino decretum erat; de modo patrandi ambigebatur. Placuit primum, in eum ut perduellem lege agi, quod decreto de Jana Graia in Reginam provehenda, etſi invitus fere (uti antea retulimus) et omnium regni procerum poſtremus, ſubſcripſiſſet. Novembris itaque decimo tertio[1] cum in turre aliquandiù detentus fuiſſet; ut exiſtimationem ejus apud populum imminuerent, majeſtatis laeſae eum reum peragunt, una cum Jana ante memorata, quae Reginae perſonam aliquandiù non ita pridem geſſerat, et aliis nonnullis. Ac ejus quidem delicti, omnes ut ſontes ad mortem damnati ſunt. Ad Cranmerum vero quod attinet, adeo coepti eos mox puduit, ut venia illi ſtatim à Regina impetrata fuerit ab illis ipſis, qui haereſeos crimen ſtatim ei impegerunt. Antequam cuſtodiae traderetur, ut à certiſſima pernicie fuga ſe eriperet (confratrum aliquot ſuorum exemplo, qui in Germaniam jam dudum profugerant) amicorum multi hortabantur. Quibus ille; ſi furti (inquit) parricidii, aut cujuſvis ſceleris poſtularer, quantumvis inſons, induci fortaſſis poſſem ad fugam capeſſendam. Nunc vero cùm de mea non in homines, ſed in Deum fide, et ſacrarum Scripturarum veritate, contra Pontificios errores agendum video; conſtantia uſus Chriſtiano Praeſule digna, vita conſtitui potius quam regno, hoc in tempore cedere.

Datus igitur in carcerem, poſtquam per ſemeſtre aut amplius ibi jacuiſſet, Windeſoram abductus eſt atque inde Oxoniam, una cum Ridleio, (Londinenſi ſede nuper exturbato,) et Latimero, qui Wigornienſi Epiſcopatu jam olim renunciarat (uti ſuo loco dicetur) ut cum Theologis tam Cantabrigienſibus quam Oxonienſibus, de ſacra ſynaxi ſolenni diſputatione confligerent. Iniquiſſima plane conditione certatum eſt. Nam ſolo biduo ad ſe praeparandum conceſſo, ergaſtulis interim concluſi ſunt; nemine ad colloquium admiſſo, quem interrogarent aut conſulerent; à chartis et libris ſuis ſegregati, alienis tantummodo commodatis. Magnis clamoribus et tumultuoſiſſime res geſta eſt; plurimis ſimul unum impetentibus, ſine ordine, ſine modo, ſine modeſtia. Aprilis 14. 1554 ex carcere ad templum B. Mariae producti, Pontificiorum ſententiae ſubſcribere jubentur, et recuſantibus dies edicitur diſputandi: Cranmero quidem 16,

---

[1] Turri Londinenſi in cuſtodiam datus eſt 15 Sept. 1553. Bakeri Chronicon. p. 317. Edit. 1733; et Nov. 3 ejuſdem anni condemnatus eſt tanquam laeſae Majeſtatis reus. *Id ib.*

Ridlaeo 17, et Latimero 18 ejuſdem menſis; quando ſolos oportuit omnium argumentis et rationibus reſpondere. Quanquam clamoribus obtundebantur, et varietate interrogantium diſtrahebantur, quanquam ſannis et convitiis exagitati, ac multitudine obruti; ita tamen reſponderunt, ut adverſariis magnam ſui admirationem reliquerint; doctiſſime nempe Cranmerus et pro muneris in quo tot annos floruerat dignitate, graviſſimè; Ridleius acutiſſimè promptiſſimeque; et nervoſius Latimerus quam expectares in ſene, qui jam ad octogenariam aetatem proxime accederet. Hac diſceptatione finita, viceſimo ſtatim ejuſdem Aprilis, iterum ad D. Mariae producti, et an perſtare vellent in ſententia interrogati; cùm perſiſtere ſe reſpondiſſent, haeretici adjudicati ſunt, et ad rogum damnati. Mortis ſententiam magna animi conſtantia omnes exceperunt, Latimerus exultationi propior, quod aetatem longaevam, mox aliter finiendam, tam foelici clauſula Deus voluerit terminari. De Ridlaeo et Latimero Octobris 16. 1555 ſupplicium ſumptum eſt (ut ſuo loco narrabimus) quod funeſtum et lugubre ſpectaculum, Cranmerum ferunt ex ſumma aedium parte ubi incarceratus eſt, intuitum, et ſublatis ad coelum manibus, genibuſque flexis, his ſociis ſuis ſpei fideique conſtantiam in tam horrendi ſupplicii cruciatibus precatum; quemadmodum et ſibi ipſi, quem, non latebat, eandem cum illis ſortem brevi ſubeundam eſſe. Supplicium ejus quod nunc ad tempus dilatum ſit, Gardineri Wintonienſis molitione factum dicunt, non miſericordia ducti, ſed ambitione et commodi ſui ratione. Martii 24 mortem obierat Julius tertius Papa, et in Pontificatu ſucceſſerat Caraffa, Cardinalis Theatinus, jam Paulus quartus appellatus, qui Polum certas ob cauſas in vita ejus mox explicandas, vehementer oderat. Simultatis hujus Wintonienſis non ignarus, per clandeſtinos nuncios cum Papa egit, ut Cardinalitium honorem ſibi impertiret, et authoritatem Poli legatinam in ſe transferret. Cui petitioni Pontifex, pro odio quo Polum proſequebatur, libenter annuit, habens etiam in animo, illum Romam evocatum, haereſeos reum agere, et eodem modo tractare quo poſtea Moronum Cardinalem, Poli amicum ſummum, quem in carcere quoad ipſe vixit, detinuit. Hinc bonam ſpem conceperat Gardinerus, Archiepiſcopatum etiam Cantuarienſem conſequendi, quem Polus velut ſequeſter hactenus tenuit, neque vivente Cranmero, aliter ingredi ſuſtinuit. Hoc igitur callido conſilio, Gardinerus putatur à ſupplicio Cranmerum reſervaſſe, ne Archiepiſcopatum Polus praeriperet. Caeterum iſta Wintonienſis ille dum totus meditatur, morbo articulari à pedibus cruribuſque ad coxendicem aſcendente, Novembris duodecimo extinctus eſt.

Ita ſublato illo, cujus opera hucuſque ſervatus eſt Cranmerus; à nece ejus non eſt diutius temperatum. Quia Papa inconſulto, Archiepiſcopum plecti canones vetant, mittuntur continuo Romam, qui cauſae hujus cognitionem ad Polum Legatum Pontificium curent rejiciendum: qui id negotii detulit ad Jacobum Brocum Gloceſtrenſem Epiſcopum, quocum amandare placuit, Joannem Storeium et Thomam Martinum Legum Doctores, ut authoritate fulti Regia, Broco delegato adjumento atque ſubſidio forent. Quibus in Eccleſia B. Mariae ſuper excelſum pegma conſidentibus, Broco nimirum ſubter locum ubi panis Euchariſticus in pixide more Pontificio ſuſpendebatur; ab utroque latere Martino atque Storeio, ſed paulo inferiùs: Cranmerus, Doctoris Theologi, non Pontificali amictu indutus, in medium productus eſt. Ibi, monitus adeſſe, non ſolum qui Regiam perſonam gererent, Storeium et Martinum, ſed Papae etiam ſanctiſſimi patris, Epiſcopum Gloceſtrenſem; illos quidem aperto capite et flexo poplite magna cum reverentia ſalutavit; in Brocum vero vel oculos conjicere recuſavit, non hominis (ſicut tum ſtatim profeſſus eſt) contemptu, quem olim dilexerat; ſed ne videretur authoritati Pontificis aliquid deferre, quod ſe nunquam facturum (in Anglia ſaltem, ubi nihil illi juris eſſe, nullam authoritatem contendebat) ſacramento ſe dixit Henrico Regi confirmaſſe. Multis tum verbis eorum ſinguli hortati ſunt, ut mutata ſententia, ad Eccleſiae Catholicae unitatem redire vellet; ac monitis obtemperare recuſantem, jubent octogeſimo tum ſequenti die coram Pontifice Romano comparere, id quod ſe libenter facturum Cranmerus recepit, Regina duntaxat annuente. Verum Papa adventu illius non expectato, ante viceſſimum diem, literis ad Regem et Reginam ſcriptis, condemnari, et brachio ſeculari permitti juſſit. Paucis igitur diebus intercedentibus, nova poteſtas Thirlbaeo Elienſi atque Bonero Londinenſi Epiſcopis data eſt, ut Cranmerum, tam [m] Clericali quam Archiepiſcopali ordine deprivarent, et Laico Magiſtratui flammis uſtulandum traderent, quod Februarii 14 factum eſt [n].

Quamdiù ſimul vixerunt hii ſancti viri, Cranmerus, Ridleius et Latimerus; perſcriptis literis, ſe mutuo hortari conſueverunt, ad mortem pro Chriſtianae fidei veritate, conſtanter obeundam. At ſublatis è medio reliquis duobus; per Hiſpani cujuſdam fraterculi vafriciam, et aſſiduas ſuaſiones, labefactata viri conſtantia, diuturnioris vitae cupiditas Cranmero irrepſit. Veniae igitur ſpe propoſita; ea quae antea de religione docuerat, ſcripto brevi retractavit, quod mox typis editum et evulgatum eſt. Sed parum ei profuit hujuſmodi retractatio. Nam, ſive quod Polus ab Archiepiſcopatus poſſeſſione jam amplius nollet detineri; ſive (quod probabilius videtur) capitale odium quo Regina Cranmerum proſecuta eſt ob repudiatam matrem, ad vindictam mulierem extimularit, ut niſi viri graviſſimi ſanguine ira implacabilis non potuerit ſatiari: cum jam in certam vitae ſpem is inductus eſſet; en ſubito ad ſupplicium raptus [o], magna crudelitate vivus combuſtus eſt, ibidem loci, ubi Martyrii palmam quinto antea menſe Ridlaeus et Latimerus retulerant, in ima videlicet foſſa quae civitatis Oxonienſis ambit moenia, è regione Collegii Balliolenſis. Die ſupplicio ejus deſignato, concio ad domum Mariae habita eſt per Colum quendam, cui id muneris demandatum fuerat à Cardinale. Illuc productum Cranmerum, et è regione ſuggeſti collocatum hortatur, ut in fide, cujus confeſſionem nuper ediderat, conſtanter velit permanere ad mortem uſque, quam nunc imminere denunciabat. Magiſtratui placere, ut hoc ipſo die ſupplicium de eo ſumatur: non alia ratione quam ſanguine ejus placandum numen, ob Mori et Fiſheri caedes infenſum, qui Henrico regnante capite mulctati ſunt. Antequam vero moriatur, rem facturam Deo hominibuſque piis gratiſſimam, ſi converſionem ad Eccleſiae Catholicae unitatem ſinceram fuiſſe, publica jam confeſſione teſtatam faciat. Tali tamque inexpectato nuncio ſi Cranmerus conſternatus eſt, haud equidem mirer. Ille nihilo ſecius exurgens, et nullo pavoris ſigno edito, luculenta oratione populum praeſentem alloquitur, in qua multa de morum ac vitae emendatione praefatus; praecipua doctrinae capita repetens, quid ſentiret breviter explicat, atque Pontificis potentia Antichriſti regnum contineri et ſtabiliri dicit: ac poſtremo, quantopere Deum veritatis abnegatione offenderit demonſtrat: ſibi igitur decretum profitetur, ut poenam primo dextera luat, quâ nefariè peccaverat, quippe quâ, doctrinae à veritatis adverſariis propoſitae impie ſubſcripſiſſet. In hujuſmodi ſermone cùm progredi vellet; clamoribus et convitiis impeditus Pontificiorum, (quorum ſpem pulcherrime eluſerat) à loco in quo conſtiterat ad ſupplicium protinus raptus eſt[p]. Ibi videre erat ſpectaculum luctuoſiſſimum, quod vel à ſilice lachrymas exprimeret; regni ſummum Antiſtitem, ſumma modo potentia et principum gratia pollentem, moribus ſanctiſſimum, et ob aetatem, corporis ſpeciem, eruditionem, gravitatem, atque egregias animi dotes quamplurimas, ter venerabilem; obſoleta ad ludibrium veſte indutum (id enim curaverant Pontificii) convitiis contumelioſe exagitatum, ad mortem trahi, per horrendos ignis cruciatus ſubeundam. Ad palum alligatus, ubi primum flamma accenſa eſt, laeva ad caelum erecta, dextram longiſſime protenſam igni admovit, brachio nunquam reducto (niſi quod barbam ſibi demulcere ſemel viſus) donec tota ea combuſta eſt. Flamma tandem ſaeviente, erectis in coelum oculis, *Domine ſuſcipe ſpiritum meum* exclamavit, et corpore tam immotus perſtitit quam palus cui alligatus eſt, donec tandem placide in Domino obdormiſcens, expiravit. Cadavere alias in cineres redacto, cor integrum ac illaeſum repertum eſt. Quod ſi Pontificii in ſuae factionis aliquo comperiſſent, pro magno miraculo celebratum id fuiſſet, et vel ſolum ſuffeciſſet ad eum in ſanctorum album aſcribendum.

---

[m] Mandante Paulo Papa, Bulla data Dec. 14. 1555.

[n] Prolatâ à Cranmero appellatione à Pontificis Romani authoritate ad proximum generale concilium.

[o] Authoritate Regis et Reginae data 24 Feb. 1555.

De martyrio ejus à Rodulpho Skinnero haec carmina ſunt conſcripta:

« Succubuit ſanctus Praeſul Cranmerus, iniqua
  « Pontificum rabie, fraude doloque perit.
« Quod verbi invicto dejecerat enſe Papatum,
  « Quod docuit purâ quaerere mente Deum.
« Quodque Antichriſti ſubverterat impia regna,
  « Regna piis Anglis heu tolerata diù.
« Hinc pius et clemens crudeli addicitur igni,
  « Et dant innocui membra cremanda viri.
« Huc ubi jam ventum eſt, dextram projecit in ignem,
  « Projectamque tenens, talia dicta dedit:
« Primum peccaſti, primum et ſentire dolorem
  « Debes, Oh Chriſto DEXTRA inimica meo.
« Immotamque tenet, dum deflagraverat omnis,
  « In cineres totam dum cecidiſſe videt.
« Caetera cum pereant flamma (mirabile dictu)
  « COR manet illaeſum poſt, ubi flamma perit.
« Ecce invicta fides cor inviolabile ſervat,
  « Nec mediis flammis corda perire ſinit.

---

[p] Mar. 21. 1555.

LXVIII.

LXVIII. REGINALDUS POOLE.

1555. MARIAE. 3.

REGINALDUS Polus Cardinalis genere ortus eſt nobiliſſimo; Richardo[q] nempe patre, Henrici ſeptimi Regis conſobrino, et Margareta Sariſburiae Comitiſſa, Edwardi quarti nepte ex fratre Georgio Clarentiae Duce. Quorum cura (indole docili ac moribus benignis commodiſque praeditus) literis in pueritia domi inſtitutus eſt[r], cumque adoleviſſet, Oxoniam ad Magdalenenſe Collegium miſſus, et poſt aliquantum temporis in numerum ſociorum aſcriptus collegii Corporis-Chriſti. Ad virilem aetatem nondum pervenerat, cùm, ut eruditionem ſimul et uſum rerum compararet, ad tranſmarinas oras amandatus eſt. Ac Paduae quidem haeſit plurimum, ubi ſeptem totos annos commoratus dicitur. Rex interea (praeter ſtipendium ſatis amplum) contulerat illi Decanatum Exonienſis Eccleſiae[s], et magno videbatur amore adoleſcentem complecti, quod genere tam materno quam paterno ſibi eſſet propinquus, et indolis uſquequaque probatiſſimae ſpecimen dediſſet. Caeterum poſtquam ad ſcholas aliarum gentium viſendas dimiſſus in Italiam pervenit, à Circes Romanae poculis cito immutatus, altoris, Principis, propinqui ſui brevi pòſt hoſtis devenit capitalis. Nam cùm neque repudium Catharinae probaret, nec authoritatem Papae profligatam vellet, aliaque nuper à Rege in rebus Eccleſiaſticis inſtituta haud diſſimulanter damnaret; revocatus domum non paruit, ideoque et Decanatu et ſtipendio mulctatus eſt, ac perduellis publica praeconis voce pronunciatus; quod ille ſuſque deque habuit. Magna jam literarum, modeſtiae, prudentiaeque fama celebris, Contareni Cardinalis commendatione (ut quidam) vel Bembi (ut alii) in notitiam pervenit Pontificis, qui, ut eo tanquam ariete uteretur in Rege oppugnando, purpureum illi galerum largitus eſt, eoque tanquam arrhabone ſuum fecit, qui purioris doctrinae ſemina tum nuper hauſiſſe credebatur. Maii igitur[t] 22. 1536 Cardinalis[u] creatus titulo Sanctorum Nerei et Achillei[x], libellum ſtatim exaravit, qui annum unum aut alterum Romae deliteſcens, in Germaniam primum, deinde et ad ipſum tandem Regem emanavit. “ In eo (inquit Sleydanus[y]) Regem Henricum affatur,
“ graviterque reprehendit quod ſeſe caput Eccleſiae conſtituat: nam ad
“ ſolum Pontificem [Romanum] id munus pertinere qui ſit Chriſti vicarius,
“ &c. Ad cauſam divortii poſt accedit; Regem non conſcientiae
“ terrore, neque metu numinis divini (ſicuti prae ſe ferat) ſed libidine et
“ caeco quodam amore concitatum, deſeruiſſe Catharinam uxorem, quam
“ Arthurus frater, quatuordecim annorum adoleſcens et imbecillis virginem
“ reliquiſſet. Annam Boleniam non licuiſſe ei ducere, cujus antea
“ ſororem habuiſſet concubinam. Virginem autem fuiſſe Catharinam,
“ ipſummet eſſe profeſſum, tum aliis, tum Caeſari. Vehementer etiam
“ exagitat, quod dimiſſis literis ad omnes Academias, de primo ſuo matrimonio
“ Rex conſilium exquiſierit; et ſua ſit ipſe laetatus turpitudine,

---

[q] Filius erat natu ſecundus Richardi Poole.

[r] *Park. Antiquit. Britan.* p. 514.

[s] Vicarius fuit Eccleſ. de Piddletown Com. Dorſet. et Prebendarius Sariſburienſis, nec non Monaſterii de Wimborn Decanus. *MS. Cl. viri Brown Willis.*

[t] Dec. 20. 1536. *Ciaccon. Vit. Pontif.* Tom. 3. col. 627.

[u] Diaconus Cardinalis. *Id. ib.*

[x] Deinde ſanctae Mariae in Coſmodin; à die verò undecimo Decembris 1555 uſque ad mortem eandem Eccleſiam Presbyterali titulo ornatum retinuit. *Id.* col. 628.

[y] *Comment.* Lib. 10. p. 294.

“ cum illud inceſtum [fuiſſe] nonnulli pronunciarent: valde autem eſſe pudendum, quod ſcorti filiam legitimae filiae, et probatiſſimae quidem virgini praeferat. Poſt de ſupplicio Roffenſis Epiſcopi et Thomae Mori multum ſermonem habet, deteſtatus crudelitatem. Adhaec, quomodo Rex omnes ordines afflixerit, in quantam miſeriam florentiſſimum regnum adduxerit, quantum ei periculum immineat à Caeſare propter repudiatam materteram, ac profligatam religionem, et quam nullum aut poſſit aut debeat à ſuis, aut etiam externis, auxilium expectare, qui tam ſit male meritus de republica, demonſtrat; et ad Caeſarem oratione converſa, plurimis eum verbis ut familiae ſuae tam inſignem contumeliam ulciſcatur exacuit, et Turcicum ſemen per Angliam atque Germaniam diſſipatum eſſe dicit, doctrinam Pontifici contrariam deſignans. Poſt multam deinde criminationem et acerrimam reprehenſionem, ad poenitentiam invitat, nec ullum ſupereſſe dicit aliud remedium, quam ut ad Eccleſiae gremium revertatur, quam aliquando libris editis defenderit, glorioſiſſimo nimirum exemplo.”

Haec Sleydanus, qui etiam (id quod alii plurimi tradiderunt) Legatum eum dicit ad Gallum miſſum à Papa, honeſto quidem nomine pacis conciliandae inter eum et Caeſarem, revera autem ut utrunque in Regem ſuum concitaret. Quod poſtquam Henricus olfeciſſet, egit cum Gallo per oratorem ſuum, ut Polum perduellionis laeſaeque majeſtatis reum comprehenderet, et pro ea quae inter ipſos intercederet amicitia, ad ſe confeſtim mitti curaret, quo tanti criminis debitum ſupplicium ſubiret. Huic Regis poſtulato quanquam Gallus haud quaquam annuit, contra religionem juraque foecialium eſſe dicens Legatum ullum (ac praeſertim Papae) ad ſupplicium tradere; Legationem tamen admittere recuſavit, ne Regem offenderet, et Legatum quam celerrimè è finibus ſuis diſcedere mandavit. Hic igitur pro voto res cum neutiquam cecidiſſet; literis populares ſuos, amicos praeſertim ac propinquos ad res novas moliendas concitare aggreditur; quod Regi à Galfrido Polo Cardinalis fratre juniore proditum, matri [z] tum ſeptuagenariae, et fratri aetate maximo Vicecomiti [a] Montacuto exitiale fuit, nec non aliis permultis, qui quod hujuſmodi conſilia celaſſent capitali ſupplicio affecti ſunt. Quare coeptorum nihil provenire videns, legatione Viterbienſi donatus à Papa, ſe totum dedit literarum ſtudiis et quieti.

Sed Papa paulo poſtea defuncto, Cardinales de more conclave ingreſſi ut novum Pontificem eligerent, de Polo noſtro ſtatim agere coeperunt. Hii tunc ſuffragaturi, in duas praecipue factiones diſtracti erant; pars Caeſarianis rebus ſtudebant, pars Gallo: nonnulli etiam fuere (eorum princeps, Farneſius, defuncti Papae nepos) qui à factione integri, ſe medios inter utranque gerebant. Iſti, Caeſarianis conjuncti, vota unanimiter in Polum contulerunt. Quod ipſi quam primum innotuit, temeritatis eos accuſavit, iterum atque iterum admonens, ne quam animi perturbationem in conſilium adhiberent, aut aliquid amicitiae et gratiae darent, ſed omnes ſuas cogitationes ad Dei honorem et Eccleſiae utilitatem referrent. Ita per ipſum Polum negotio mora injecta; Galli Cardinales, rationem habendam clamitabant multorum è collegio ſuo qui propter viae longinquitatem adeſſe nondum valuiſſent; iniquum eſſe dicentes, electionem praecipitari antequam omnes potuiſſent convenire. Unus enimvero qui caeteris authoritate videbatur eminere, ſperans ſi Polum dejeciſſit, ſeſe fortaſſis eligendum (is erat Caraffa [b], qui aliquot annis poſtea Papa factus, Paulus quartus appellatus eſt) ad calumnias et obtrectationes ſe convertens, haereſis et incontinentiae ſuſpicionem Polo objecit; in Germania dicens atque Tridentina legatione (nam et illic unus fuerat illorum qui Papae gererent perſonam) Lutheranis aliquot nimium fuiſſe familiarem, cum Imm. Tremellio multam conſuetudinem habuiſſe; Antonium vero Flaminium Lutheraniſmi ſuſpectum, inter ejus domeſticos aliquandiù numeratum, et Eccleſiaſticis dignitatibus ab eo locupletatum: in Viterbienſi Legatione ſontibus plerunque peperciſſe, et paucos modico ſupplicio, nullos autem morte affeciſſe. Neque vero eam vultus gravitatem à luxuriae ſuſpicione tam immunem eum praeſtare, ut puellam quandam apud Moniales enutritam, à ſe genitam plurimi non exiſtiment. Mirari proinde quid ſibi velint, quot tanto impetu ad hunc unum eligendum ferantur: quaſi homines Pontificatu dignos Italia non progigneret, ab ultima ſcilicet Britannia hunc arceſſendum: at quem in finem? nempe ut Caeſar (cujus hic totus eſſet) Romam iterum quaſi convivando diriperet. His ita reſpondit Polus, ut non ſolum à criminibus objectis ſe purgaret, ſed etiam ſuffragatorum ſtudia ad ſe Pontificem conſtituendum amplius adhuc multo accenderet. Nocte igitur quadam ad cubile ejus convenientes, Ludovicum Priolum Venetum (familiarem ejus, eique ob morum [ſimilitudinem] percharum) excitare dormientem jubent, ideo ſe veniſſe teſtati, ut Pontificem eum electum pro more adorarent, atque ita jam tandem negotium ad umbilicum perducerent. Quod poſtquam expergefacto Priolus prae gaudio geſtiens nunciaſſet, increpuit hominem amicè, et jam ad ſe accedentes Cardinales repulit; nolle ſe nimirum tantam rem (quam pertimeſcendam potius quam appetendam cenſebat) tumultuoſe et temere, ſed recte atque ordine agi: alienum eſſe noctis tempus; Deum, lucis, non tenebrarum Deum eſſe; rem igitur in proximam lucem differri debere; tum enim (ſi Deo ita viſum) melius confici poſſe. Cunctationem hujuſmodi Itali Cardinales ignaviae et ſtupiditati tribuentes, hominem coeperunt contemnere, et mutatis ſententiis non multo poſt Montanum Cardinalem Pontificem crearunt, qui Julius tertius nuncupatus eſt [c].

---

[z] Capitè plexa anno triceſſimo tertio, à Parliamento prius damnata una cum quibuſdam aliis anno triceſſimo primo Henrici, annoque Dom. 1540. [a] Baroni, nunquam Vicecomes creatus eſt.

Poſtquam ita Pontificatu, alieno potius quam ſuo vitio excidiſſet; à novo Papa Julio impetrato commeatu, ad coenobium quoddam ſeceſſit agri Veronenſis quod Maguzanum dicitur, et à Benedictinis Monachis incolitur, cujus ordinis ille, dum Romae fuit, patronus extitit. Ibi cum ſemet abdere, et reliquam vitam tranſigere ſtatuiſſet; fama quae increbuerat de morte Edwardi Regis et ſucceſſione Mariae, intra clauſtri parietes deliteſcentem excitavit, et Romam iterum pertraxit. Cùm non lateret hominem, Maria Regina quam eſſet ſtudioſa Pontificiae doctrinae, ſperabat (nec ſine cauſa) honorificam legationem in patriam ſibi delatam iri à Pontifice, qui multum eum dilexit, poſtquam cunctatione ejus Papatum ipſe adeptus fuiſſet. Tumque duplicem ſibi ſpem propoſuit; regni videlicet ſi non ſecularis, at Eccleſiaſtici tamen ſub Legati titulo et Archiepiſcopi Cantuarienſis poteſtate conſequendi.

Educationem aliquot per annos Maria ſortita erat, Polo adhuc puero, ſub Margareta Poli matre, (de qua antea) ita volente Catharina Regina, cui erat in animo (ut ferebatur) Mariam filiam alicui ex liberis dictae Margaretae ſi poſſet elocare, ut quoniam Edwardi quarti ex Georgio fratre neptis ea extitiſſet, regni Angliae jus illi, connubio ejuſmodi firmaret, ſi forte ſine prole maſcula Henricus decederet. Sive hanc, ſive aliam ob cauſam, cum ſe Mariae percharum Polus cognoſceret, ſi non regnum ex conjugio ejus, at ex gratia qua apud eam pollebat, ampliſſima quaeque ſub illa conſequuturum, ſpem pluſquam certam concepit. Neque vero opinione uſquam falſus eſt: nam et Maria ſtatim ut regnum adepta eſt, invitavit eum ad ſeſe, (interim nihil non pollicita) et Papa (haud ignarus rerum ſuarum fideliſſimum procuratorem eum in Anglia futurum) ad petitionem Reginae amandavit extemplò cum ſumma poteſtate. Caeterum Caeſar (qui quid meditaretur Cardinalis, jam dudum videtur [ſubodoratus,] et Mariae nuptias filio ſuo Philippo conciliare omnimodis decreverat) cum Dandino Cardinale (Pontificis ad ſe Legato de pace inter Gallum et ipſum tranſigenda) diligenter egit, ut iter Poli aliquantiſper retardaret, ne adventus ejus in Angliam, rebus nondum confectis, rationes ſuas conturbaret. Quapropter Dandinus[d], ut Caeſari gratificaretur, per Franciſcum quendam Commendonum literas ad Polum dedit, quibus, ne adhuc in viam ſe daret, admonebat; quippe Caeſari eam legationem diſplicere, quae ſe inconſulto ſuſcepta ſit: tum Anglos pleroſque ac Londinenſes maxime, ipſum nomen Romani Pontificis ſuaſque legationes averſari dicebat: proinde non eſſe eos legatina proteſtate adeundos, donec ſuaſionibus ad eum aequo animo perferendum adducerentur.

---

[b] *Park. Antiquitat. Britan.* p. 520.

[c] 6 Id. Feb. 1550. *Ciaccon. Vit. Pont.* Tom. 3. col. 741.

Has literas Polus cùm in Maguzano coenobio accepiſſet; ultra ſibi progrediendum non exiſtimavit, antequam de Pontificis voluntate amplius cognoviſſet. Ille autem cum Caeſaris potentiam adeo in immenſum augeri nollet tot provinciarum acceſſione; ſtomachatus quod Dandinus itineri Cardinalis impedimentum objeciſſet, hominem revocavit, et utranque tam in Angliam, quam ad Caeſarem atque Gallum, de pace componenda legationem, uni Polo detulit: qui munere libenter ſuſcepto, in viam protinus ſe dedit. Tridentum cùm perveniſſet, et ad Caeſarem et Gallum nuncios praemiſit, qui de legatione ſua utrunque facerent certiorem. Caeſar autem cùm artibus hujuſmodi amplius diſtineri eum non poſſe videret, ad vim converſus, illuſtrem virum Joannem Mendozam cum literis ad eum miſit, in quibus, non diſſimulavit, vereri ſeſe, ne profectio ejus, negotiis quibuſdam magni momenti, quae nunc tractarentur obfutura eſſet: placere itaque ut vel iter ſiſtat, neque ultra progrediatur, donec ex animi ſententia omnia confeciſſet; vel ſaltem Leodii quieſcat, ſi eouſque proficiſci velit. His literis acceptis, Dilingam (quae non procul à Tridento abeſt) reverſus; Pontificem de re tota certiorem facit, et ad Caeſarem literas expoſtulatorias dat, in quibus, quam ſit indignum facinus oſtendit, Pontificis Legatum, pacis et religionis cauſa miſſum, in media Germania ſub ipſis haereticorum oculis et conſpectu, cum ſummo dedecore et Pontificis contemptu, Caeſaris praeſertim juſſu detineri. Dillingae tunc erat Dominicus à Soto, magnus ille Theologus, qui Caeſari fuerat à ſacris concionibus. Per hunc Caeſarem urget, ne patiatur diutius legationem impediri, magno Chriſtianae rei, atque in primis Anglici regni detrimento. Vix tandem et aegre impetratum eſt (poſtquam de pactis nuptialibus conventum Caeſar intellexit) ut Bruxellas ad ipſum venire liceret,

---

[d] *Park.* ut ſupra. p. 522.

ceret, conditione adſcripta, ibi tantiſper ut maneret, donec nuptiae inter Philippum et Mariam celebratae fuiſſent.

Poſtquam igitur Bruxellas veniſſet, et Caeſarem (à quo perhumaniter exceptus eſt) ſalutaſſet; ne illic otioſus deſidere cogeretur, alteram legationis partem placet aggredi, ſi qua forte iniri ratio poſſet pacis inter Caeſarem Gallumque conciliandae. Ac Caeſarem primum ea de re tentavit: qui ut non iniqua reſpondere viſus, ad Gallum ſe contulit, pacis ſimiliter ſtudium prae ſe ferentem: in ea tamen conficienda, propter animos inveterato odio exulceratos, nihil agi potuit. Spem vero Gallus concordiae nonnullam faciens, abeuntem arctius complexus eſt, plurimum ſe dolere dicens, quod non rectius eum antehac noviſſet: nam ſe nullum alium quam ipſum creari maluiſſe Pontificem, ſi de ſummis ejus virtutibus magis ex fide fuiſſet edoctus. Paulo poſtquam Bruxellas rediit, venere à Philippo et Maria ad Caeſarem Legati, Pagetus et Haſtingus Barones, qui Polum videndi ſtudio et deſiderio magno utrunque flagrare oſtenderent; et ut primo quoque tempore cum bona ejus gratia dimitteretur orabant, quo res Eccleſiaſticas longo ſchiſmate in patria labefactatas et turbatas, authoritate Pontificia conſtitueret.

Menſe igitur Septembri impetrato commeatu, trajicere tamen non potuit propter adverſam tempeſtatem ad Novembrem uſque, quando ventos nactus propitios, navem tandem conſcendit, et Doveram appulit[e] anno 1554, perhonorificè à Regibus cunctiſque proceribus, ſeu vere, ſive ex metu ſimulatè gaudentibus, exceptus eſt. Et quia ſanctione Parliamentaria hoſtis judicatus ante annos quindecim, mortis poenam juxta leges ſubire oportebat; ſanctio hujuſmodi ab ordinibus tum congregatis antiquata eſt, adeoque ipſe omnis nobilitatis juribus reſtitutus. Cumque leges apud nos latae viribus caſſae authoritate careant, donec à Principe comprobentur; Regum uterque praeter morem (nam tantum ſemel, cùm coguntur et deinde cùm dimittuntur, ad comitia venire ſolent) ipſi praeſentes actionem eam ratam habuerunt, antequam ille Londinum perveniſſet. Paulo poſt adventum ejus in regia habitus eſt conventus coram Regibus; ubi cum Wintonienſis Cancellarius de grato Poli adventu quaedam ad Proceres et univerſos ordines praemiſiſſet; ille (Cardinalis inquam[f]) patriâ linguâ orationem ſatis longam habuit, in qua Regi ac Reginae, Proceribus atque populo gratias ſummas agebat quod eorum tanto beneficio, omnibus exilii et proſcriptionis legibus abrogatis, in patriam reſtitutus eſſet; ſui proinde officii atque gratitudinis eſſe dicebat, hoc meritum ita compenſare, ut cùm illi à ſede Apoſtolica ſuperiori ſchiſmate defeciſſent, eoque modo ab unitate Eccleſiae atque regno Dei exulaſſent; eos authoritate ſibi à Papa (Chriſti ſcilicet vicario) data, ad ſedem Romanam, tanquam haereditatem coeleſtem reducere. Quapropter hortatus eſt, ut ſuperiorum temporum errorem ingenue agnoſcant et ex animo deteſtentur; et quod iis beneficium Deus per Vicarii ſui Legatum deferat, id ſincera animorum alacritate accipiant, ac ſedulo retineant. Hoc enim reliquum jam eſſe, ut cum ipſe adſit claves adferens, quibus Eccleſiae valvas illis aperiat, quemadmodum aditum ſibi in patriam feciſſent, legibus quae illum excludebant antiquatis; ita ipſi leges omnes abrogandas curent, quae contra ſedem Apoſtolicam nuper latae, ipſos à reliquo Eccleſiae corpore omnino divulſos teneant.

---

[e] Novembris viceſimo primo.

[f] Park. ut ſupr. p. 525.

In hanc ſententiam cum pluribus diſſeruiſſet, et ex ultima antiquitate repetitis exemplis, quam religioſe ſedem Romanam majores noſtri coluiſſent demonſtraſſet; oris gravitate, verborum concinnitate, et eleganti [orationis] ſpecie, adeo permovit animos multorum qui Pontificiis ritibus erant dediti; ut eo demum die ad ſalutem ſe natos profiterentur. Non deerant tamen ex plebeiis in illo Parliamenti conventu, qui jugum Papale foeliciter excuſſum, nullo modo recipiendum contenderent. Sed urgente Rege ac Regina, omnia tandem ex ſententia Poli confecta ſunt. Pontifici Romano quicquid authoritatis in hoc regno olim uſurpâſſet, reſtitutum; Regibus ſupremi in Eccleſia capitis titulus abrogatus, et ut populus cleruſque Anglicanus à ſchiſmatis ac haereſeos crimine abſolvantur, libello ſupplici ad Legatum per Wintonienſem porrecto petitum eſt: qui omnibus deinde ordinibus in genua procumbentibus, univerſos conceptis verbis Anglicè loquens abſolvit. Id poſtquam factum, ad ſacellum regiae perrectum eſt, ubi BB. Anguſtini et Ambroſii hymnus decantatus; et Sabbato ſequenti, ejus diei geſta à Wintonienſi praedicto pro concione ad crucem Paulinam habita recenſentur. Tum legatio decernitur ad Pontificem perhonorifica, quam nempe Regina miſſuram ſe receperat quo tempore primum regnum adepta eſt. Romam itaque miſſi, Epiſcopus Elienſis, Brownus (poſtea Montacuti Vicecomes) ac Edwardus Carnus juriſconſultus, qui Reginae et Philippi ejus mariti nomine, obedientiam ſedi Romano et Pontifici praeſtarent: verum id fruſtra fuit: nam antequam ii Romam pervenerunt, Pontifex diem [clauſerat extremum.]

Eligitur tum in defuncti locum[g] Caraffa Cardinalis Theatinus, jam Paulus quartus nuncupatus, de cujus cum Polo contentione, in praecedentibus pluribus diſſeruimus, et quomodo ſibi mutuo per Julium tertium nondum tum Pontificem reconciliati ſunt. Reconciliationem vero hujuſmodi ex parte Theatini parum ſinceram fuiſſe, Papa creatus declaravit. Nam molitionibus Gardineri (de quibus in vita Cranmeri fecimus mentionem[h]) mox favit. Et cum tam Gardinero quam Cranmero è medio ſublatis, Archiepiſcopatus poſſeſſionem Polus nactus eſſet, conſecratus Martii 22. 1555[i]; ut hunc jam non poſſet in alium transferre: levi arrepta occaſione, vel potius praetextu, legationem illi abrogavit, Romamque revocatum, loco ejus Petrum quendam Petow, Franciſcani ordinis Monachum, Cardinalem et Legatum creavit, pauloque poſtea Epiſcopum Sarisburienſem deſignavit, indignum dicens hoc munere Polum, qui Reginam, pro ea qua apud illam valebat gratia et authoritate, à bello cum Gallo gerendo non cohibuiſſet. Quae cum Reginae nunciata eſſent; diligenter in primis cavit, ut Polum haec omnia clam eſſent; prohibitis in regnum ingredi non ſolum novo illo Cardinale, ſed quibuſcunque aliis quos ſuſpicaretur mandata à Pontifice hac de re adferre, et literis magna cum diligentia interceptis. Oratori deinde ſuo Romae agenti mandavit, ut Papam admoneret, quantum periculum religioni vix dum ſtabilitae creaturus eſſet, ſi tanto viro contumeliam inferret, cujus authoritas ad gentis converſionem maximum pondus attuliſſet.

Sed dum iſtis de rebus inter Papam et Reginam agitur, rem Polus (incertum unde) ſubodoratus, ab argentea cruce (legationis inſigni) geſtan-

---

[g] Marcellus ſecundus paucorum dierum Pontifex, qui electus fuit 5 Id. Aprilis 1555, et obiit 1 Maii ejuſdem anni; deinde Paulus quartus electus eſt 10 Kal. Junii. *Ciacon. Vit. Pontif.* Tom. 3. Coll. 802, 810.

[h] Pag. 142.

[i] Bulla proviſionis data 3 Id. Dec. 1555. *Regiſt. Poole.* fol. 1. Conſecratus eſt 22 Mar. 1555. *Id.* fol. 3. Electus eſt Cancellarius Univerſ. Oxon. Nov. 6. 1556. *Id.* fol 22. a.

da

dà abſtinuit, neque Legatinam authoritatem uſquam poſtea exercere voluit, donec Ormaneti (Datarii in Anglia Papalis) opera et interceſſione, muneri praedicto reſtitutus eſt. Vixit in Archiepiſcopatu annos duo menſeſque octo. Quartanae febris plurimum graſſatae anno 1558 provectioris aetatis permultos ſuſtulerunt, ac ordinis praecipuè ſacerdotalis. Inter caeteros Polus, quando cùm eo morbi genere aliquot ſeptimanis conflictatus, ad ſummam jam corporis imbecilitatem redactus fuiſſet, Regina moriente, mortis ejus nuncio tanquam telo mortifero confixus, tertia ſequentis noctis hora expiravit, videlicet Novembris 17, natus annos 58 et ſex menſes. Idem igitur illi contigit quod anteceſſorum ſuorum cuidam (nomen ei Deus-dedit) qui eo ipſo die quo Ercombertus Cantiae Rex exceſſit è vivis.

Vir fuit Polus egregie doctus, modeſtus, manſuetus, et moribus ſuapte natura placidiſſimis; prudens etiam et in rebus gerendis magnae dexteritatis; ut nihil in eo deſiderares, ſi Pontificia doctrina depravatus, ad crudelitatem in verae religionis profeſſores exercendam, quaſi invita Minerva et genio reclamante, non deflexiſſet [k]. Ad corporaturam quod attinet, ſtatura fuit mediocri, corpore tereti atque exili, colore candido rubro permiſto, vultu latiori, et oculis laetis, animi placabilitatem indicantibus. In ſacerdotia novendecim jus patronatus à Regina impetravit ſedi ſuae, cui alias vix quicquam profuit, niſi quod ſolarium quoddam orientem verſus Lamethae extruxit, et aedificia nonnulla vicina. In animo illi fuiſſe ferunt magnam pecuniam in Palatii Cantuarienſis ſtructura impendiſſe ſi vixiſſet diutius. Eccleſiae ſuae dedit (ſicut annotatum reperi) duo candelabra argentea deaurata magni ponderis; crucem ex ſimili metallo deauratam itidem; thuribulum in navis ſpeciem efformatum, argenteum quoque et partim deauratum; mitram argenteam gemmis ornatam, pedum paſtorale, et crucem geſtatoriam argenteas aliqua ex parte deauratas; annulos duos Pontificales quibus gemmae variae inſertae fuerunt magni pretii; ac denique ad aquam luſtralem capiendam, vas argenteum praegrande. Opes univerſas moriens legavit Ludovico Priolo Italo veteri amico, qui omnes in pios uſus erogavit, nec quicquam inde voluit accipere, praeter libellos duos, Breviarium videlicet et Diurnale. Cadaver defuncti capſae plumbeae incluſum et Cantuariam delatum, in capella ſancti Thomae tumulo conditum eſt, hoc tantum elogio brevi, Epitaphii vice adſcripto, DEPOSITUM CARDINALIS POLI.

LXIX. MATTHAEUS PARKER.

1559. ELIZ. 2. MATTHAEUS Parkerus Norwici natus Auguſti ſexto 1504, et patre orbatus, curante matre in Cantabrigienſi Academia bonis literis inſtitutus, in ſociorum numerum cooptatus eſt [l] collegii cui à corpore Chriſti nomen eſt ibidem [m]. Quo in loco, ea edidit prudentiae cum eruditione non vulgari conjunctae ſpecimina, ut Anna Bolenia Regina, cui fuit à ſacris, Decanatum ei impetrarit [n] à Rege collegii Stokenſis, quod ſub Edwardo Sexto, quantumvis invito et reclamante Parkero, ſuppreſſum ac diſſipatum eſt[o]. Poſt Boleniae mortem, ab ipſo Rege in Capellanum aſcitus eſt, quemadmodum et poſtea à filio ejus Edwardo, qui eum Eccleſiaſticis dignitatibus variis honeſtaverunt. Sub Henrico nimirum Elienſis Praebendarius et collegii Corporis Chriſti (ubi educatus eſt) Praeſes[p] conſtitutus; ab Edwardo vero Lincolnienſis Decanus renunciatus[q] et Praebendarius de Coldingham[r] in eadem Eccleſia. Quae omnia obivit munia (factus etiam interea Eccleſiae parochialis de Landbeach[s] propè Cantabrigiam Rector) donec regnum adepta Maria, his omnibus privatus ac per vim expulſus eſt[t], nullum aliud ob crimen, quam quod uxorem ſibi legitimo matrimonio copulaſſet. Illa igitur regnante, uxore ac liberis gravatus, in ſumma omnium rerum inopia vitam traduxit. At morte ejus reſtincto incendio illo tam immani, quod tot pios doctoſque viros abſumpſit; et vacante per interitum Poli Archiepiſcopatu; hunc potiſſimum delegit Regina prudentiſſima, matris ſuae nonnunquam Capellanum, cui tantum munus demandaret. Quare, Decembris 17, 1559 (electus[u] Canonicè à Capitulo Cantuarienſi) conſecratur, ritu in Eccleſia noſtra recepto; miniſterium illud obeuntibus viris quatuor graviſſimis, praeſulatibus ſuis ſub tyrannide Mariana ejectis; Gulielmo Barloo (qui Aſaphenſis primò, mox Menevenſis, ac tandem Bathonenſis extiterat et Wellenſis Epiſcopus, tunc vero Ciceſtrenſis electus) Milone Coverdalo Exonienſi; Joanne Scoraeo (Roffenſi quondam, tum recens Ciceſtrenſi Antiſtite, et Herefordenſi jam electo) ac denique Joanne Hodgekino Bedfordienſi Suffraganeo.

---

[k] Parker. ut ſupr. p. 532.

[l] Anno 1538.

[m] Rogatus eſt à Cardinali Wolſaeo, ut eſſet membrum Collegii ſui, Oxonii recens inſtituti, ſed aliter perſuaſum eſt ab amicis; ſelecti enim fuere à Cardinale juvenes optimi ingenii et eruditionis. *MS. Ca.* 5. p. 138.

[n] Sept. 10. 1535. *MS. Wren.*

De loco, ſi quaeris, hujus conſecrationis, haud alius fuit quam conſuetus, capella nimirum palatii Archiepiſcopalis Lamethenſis; utcunque diverſa tradant impudentiſſimi rabulae, Hardingus, Fitz-ſimons, alii. Quanquam Hardingo, aliquo fortaſſis modo ignoſci poteſt, quod, quae nemo adhuc arguerit, tradiderit, ſibi tametſi nunquam credita. Quis enim ſanae mentis tam ridiculae et ab omni probabilitate abhorrenti calumniae fidem adhibuerit? Sed quod poſt tot reſponſiones, Jewelli (foeliciſſimae memoriae Antiſtitis) Maſoni et aliorum[x], hujuſce conſecrationis ſeriem enucleatè tradentium et publicarum tabularum fide confirmantium, ut tam craſſi mendacii malignitatem caecus quivis ſi non intueri clarè, at manibus poſſet palpare; auſus tamen fuerit quiſpiam, eadem rurſus in medium proferre, quis ferat? Anne tales reverendos patres producit ſocietas Jeſuitica? Errare, labi, decipi, humanum eſt: ſed fronte perfricta aſſeverare, quae nemo jam vel ſtupidiſſimus crediderit, adeoque ne ipſe quidem qui aſſeverarit, ſummae eſt tam dementiae quam impudentiae. Apageſis igitur Sinonis potius filius quam Simonis dicende, niſi mendacia tua ſtoliditatem nimium ſaperent. Ut aliis vero conſulatur per hujuſmodi homines in errorem perductis (ſi forte naris tam obeſae quiſquam reperiatur, ut figmenti tam abſurdi vanitatem ſtatim non [ſubodoretur]) hortor primum, ut Archiva adeant Archiepiſcopalia, ubi nemini non licet videre, electionis Canonicae, et conſecrationis (ſecundum ritus authoritate Parliamentaria, ſub Edwardo ſexto conſtitutos) tam Parkero, quam caeteris illorum temporum Epiſcopis impertitae, totum (ut loquimur) proceſſum. Hoc, quibus aut non vacat aut non libet, aut denique copia non eſt faciendi; conſulant (ſi placet) Alexandrum Fayrcloth et Thomam Lathwait (alias dictum Scot) Jeſuitas; Joannem Colliton, poſt Birkheadi interitum, pro tempore Archipresbyterum, et Thomam Leak ſacerdotem. His nimirum jam ante annum, in praeſentia Archiepiſcopi Cantuarienſis moderni, nec non et Epiſcoporum aliquot aliorum (Londinenſis, Elienſis, Lincolnienſis, et Roffenſis) codex Regiſtralis ejuſdem Parkeri oſtenſus eſt (pulcherrimus ille quidem, et magna ſollicitudine inter publica monumenta aſſervatus) quem, quantum libuit, ſpectarunt, contrectarunt, evolverunt, perlegerunt: et teſtimonio tam amplo omnique exceptione majori fidem (ut videbatur) habentes; quid viderint, literis ad Thomam Fitz-herbertum Romae degentem perſcriptis, hujuſce rei veritatem teſtati ſunt. Quas literas Kelliſono traditas (collegii Anglicani quod eſt Duaci Praefecto) ad Fitz-herbertum perferendas, dictus Kelliſonus in ſe recepit, neque dubito, promiſſi fidem ab eo exolutam. Ab his igitur (Fairclotho, Lathwaito, Collitono, Leako, imò et Kelliſono, Fitz-herberto ac aliis Romano-catholicae religionis profeſſoribus) harum rerum à me de Parkeri referuntur conſecratione veritas, ſi vel pilum boni viri habeant, confirmabitur.

---

[o] Quo tempore Antiquitatis et Hiſtoricorum libros, corruente unà cum inſigni Bibliothecâ Coenobio, ab interitu vindicavit, et in armario Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae collocavit.

[p] 1544. *MS. Ca.*

[q] Anno 1552.

[r] CORINGHAM.

[s] Sept. 27. 1545. jam tum S. T. P. viz. 1538. *MS. Wren.*

[t] Et in tranſmarinis regionibus confeſſor vixit *MS. Ca.*

[u] Aug. 1. 1559. *Regiſt. Cant.*

[x] Nec non reverendi fratris Franciſci Courair Galli, qui non minus doctè quam prolixè objectiones refutavit in libro cui titulus *Diſſertation ſur L'Validite des Ordinationes Angloiſes.*

Ad Parkerum jam redeo; qui cum ſupra annos quindecim [ſediſſet,] Lamethae deceſſit decimo ſeptimo Maii 1575[u], pietatis ac munificentiae teſtimoniis relictis quamplurimis. Ad inſtitutionem puerorum ſcholam fundavit Rochdaliae in Comitatu Lancaſtrenſi. Collegio Corporis-Chriſti (ubi educatus eſt) comparavit praedia ad ſocios duos [et] tredecim[x] ſcholares alendos; Bibliothecam conſtruxit interiorem et duo conclavia eidem vicina; ac libros[y] contulit quamplurimos, impreſſos nonnullos, alios manuſcriptos magni pretii. Dedit etiam eidem Collegio 310 uncias argenti caelati deaurati; jus patronatus Eccleſiae S. Mariae de Abchurch Londini; locationem quandam unde per annos ſeptendecim colligerent quatuordecim libras et octo ſolidos; ac denique centum libras ad emenda praedia, quorum redditibus ignis aleretur in aula ibidem, ab initio Novembris ad exitum Januarii. Sex conciones ordinavit quotannis habendas ſuis ſumptibus in quinque Eccleſiis Dioeceſis Norfolcienſis, idque in hebdomada Rogationum. Norwicenſi civitati (ubi natus eſt) pelvem dedit [et] infundibulum ex argento deaurato, habentia pondus 173 unciarum, et ſolidos quinquaginta pauperibus ibidem quotannis diſtribuendos. Collegio quod à Gunwello ſimul et Caio Cantabrigiae nomen habet, poculum dedit argenteum deauratum unciarum 56 praeter tres cyphos et libros aliquot. Aulae Trinitatis unum ſcholarem adjecit, libros dedit et argentum caelatum eadem fere menſura qua Gunwellianis[z]: Academiae libros dedit centum et quinquaginta impreſſos, et manuſcriptos totidem pretioſiſſimos: multamque deinde pecuniam in alios pios uſus erogavit. In reparatione palatii Cantuarienſis impendit libras 1400[a]: Et Lamethae multa conſtruxit. Sed nihil eſt quod libentius memorarim, quam rei antiquariae praeclarum in eo ſtudium, quod hiſtorias noſtrae gentis non paucas nobis ſervavit aliter (ut credibile eſt) perituras[b].

---

[u] Aetat. 71. Natus eſt 19 Aug. 1504.

[x] Quindecim. *MS. Ca.*

[y] Centum Codices dedit; è quibus quamplurimi veterum hujus Regni ſcriptorum monumenta continent.

[z] Hujus certe memoriae litemus Cantabrigienſes, quotquot ſumus, omnes; qui in ſua Chorographica Tabella Cantabrigiae edita 1574 ſerio exoptavit, ut novus amniculus à fontibus prope montes Vandleburianos, vulgo GOGMAGOG-HILLS dictos, ad oppidum Cantabrigienſe juxta vadum Trumpingtoniae incideretur, et duceretur ad foſſam Regiam alluendam. In tantum enim hujus loci commodum redundare auguratus eſt pius Archipraeſul, *ut non ſit Cantabrigia* (ipſius ſunt verba) *urbs ulla elegantior, tantique facti memoria non tam poſteris grata, quam ipſis incolis jucunda exiſteret.* Ille hujus operis in Horizonte noſtro Cantabrigienſi primum mobile; cujus voto obſequentes Spherae Academicae tandem revolventes optatum finem nuper (1615) impoſuerunt. Ita *MS. Ca.*

[a] 1406. 15. 4. *MS. Lowth.*

[b] Antiquitates Britannicas confeciſſe creditur, ſed ſtylo atque opere uſus eſt Georgii Ackworth L.L.D. Socii Petrenſis.

Sepultus eſt in capella palatii ſui Lamethenſis, lapide ibidem tectus marmoreo[c].

◆

LXX. EDMUNDUS GRINDALL.

1575. Eliz. 18. FEBRUARII menſe, qui obitum Parkeri proxime ſequutus eſt, Edmundus Grindallus Eboracenſis Archiepiſcopus Cantuariam eſt tranſlatus. Ortum hic habuit apud S. Begae in Cumbria, vulgo S. Bees[d], et ex ſocio Praeſes conſtitutus eſt aulae Pembrochianae Cantabrigiae, cujus Academiae Procuratorum unus fuit quandoque. Inde Londinum profectus, Ridlaeo Epiſcopo à ſacris erat ad tempus, donec nimirum illius commendatione, in numerum allectus eſt ſacellanorum Regiorum. Paulo ante obitum Edwardi Principis, fama increbuerat Dunelmum tranſlato Ridlaeo, Londini Grindallum ſucceſſurum. Irrita vero reddidit haec conſilia mors Regis, et pro dignitate ſperata exilium retulit in Germaniam pulſus, ubi Marianarum tempeſtatum procellas declinans moram traxit. Per Elizabethae principatum ſerenitate reddita, remeavit in patriam, et mox gubernaculo admotus eſt Eccleſiae ſibi diù antea (ſicuti retulimus) deſtinatae, Londinenſis conſecratus Epiſcopus viceſimo primo Decembris 1559[e]. Praefuit ibi plus quam decennio, et viceſimo Maii 1570 Eboracum tranſlatus eſt; unde etiam poſt[f] ſexennium Cantuariam migravit. Diem is clauſit extremum Croidonae ſexto Julii 1583, aetatis[g] 64, cum per biennium oculis fuiſſet captus: de quo ſic veriſſime Camdenus noſter[h]; “ Vir fuit pius “ et gravis, qui ab exilio ſub Maria reverſus, primum Londinenſis Epiſco- “ pus, poſtea Eboracenſis Archiepiſcopus, et tandem Cantuarienſis, ſumma “ apud Reginam gratia diu floruit, donec ſubdolis quorundam artibus “ omnino excidit, quaſi turbulentorum miniſtrorum conventiculis et Pro- “ phetiis (quas vocarunt) faviſſet; revera, quod Julii Medici Itali illicitas “ cum alterius uxore nuptias, Leiceſtrio fruſtra obnitente, damnaſſet. O- “ pes quas paravit tenues, ad ſcholam apud S. Begae in Cumberlandia (ubi

---

[c] Hoc Elogio inſignitus:

Sobrius et prudens, Studiis excultus et Uſu,
  Integer, et verae Relligionis amans,
MATTHAEUS vixit PARKERUS. Foverat illum
  Aula Virum, Juvenem; fovit et Aula Senem.
Ordine Res geſſit; recti Defenſor et aequi;
  Vixerat ille Deo; mortuus ille Deo eſt.

Saeviente civili bello, effoſſum eſt Archiepiſcopi cadaver à quodam Matthaeo Hardy, et in ſterquilinio ſepelitur. Carolo verò reduce, è Magnatum praecepto, dat. Jul. 24. 1661. iterum ſepulturae in Capella traduntur oſſa, tumulumque reparatum eſt ſumptibus ejuſdem direptoris. Hoc inſcripto Elogio:

MATTHAEI ARCHIEPISCOPI CENOTAPHIUM.
CORPUS ENIM NE NESCIAS LECTOR
IN ADYTO HUJUS SACELLI OLIM RITE CONDITUM
A SECTARIIS PERDUELLIBUS ANNO MDCXLVIII
EFFRACTO SACRILIGE HOC IPSO TUMULO
ELOGIO SEPULCHRALI IMPIE REFIXO
DIREPTIS NEFARIE EXUVIIS PLUMBEIS
SPOLIATUM VIOLATUM ELIMINATUM
ETIAM SUB STERQUILINIO PROH SCELUS ABSTRUSUM
REGE DEMUM PLAUDENTE COELO ET TERRA REDEUNTE
ET SACELLO POSTLIMINIO REDDITUM
IN EJUS QUASI MEDIO TANDEM QUIESCIT
ET QUIESCAT UTINAM
NON NISI TUBA ULTIMA SOLICITANDUM
QUI DENUO DESECRAVERIT SACER ESTO.

[d] Filius Gulielmi generoſi.

[e] Et menſe Auguſti ejuſdem anni electus eſt Magiſter Aulae Pembr. per procuratorem verò admiſſus eſt, ipſe per biennium nunquam adfuit in Collegio. Ex *Archiv. Coll.* In conſtituendis Aularum et Collegiorum Praeſidibus, crebrò labitur Godwinus, qui non videtur intellexiſſe, quam frequenter iis temporibus Magiſteria poſt adeptos Epiſcopatus tenuere; etiam Epiſcopi dignitatem Magiſterii ambierunt. *MS. Lond.*

[f] Anno 1575.

[g] 63 ex Epitaph.

[h] In Annal. p. 345.

“ natus) fundandam, et bonas literas in utraque Academia promovendas contulit. Ejuſque curae (ſi rem tantillam memorare liceat) Tamaricum Angli debent, quam induratam lienis paſſionem eximie juvare expertus, primus in Angliam tranſtulit.” Mihi vero opera illa pietatis ab illo paucis perſtricta ſigillatim duco recenſenda. Praeter ſcholam igitur praedictam ab illo apud S. Begae inſtitutam (quam praediis dotavit triginta librarum annui cenſus) Collegio Reginae Oxoniae contulit alia annuatim reddentia viginti libras, ad alimentum unius ſocii et duorum ſcholarium, quos voluit ex ſcholae praedictae ſtudioſis deſumi. Dedit etiam eidem librorum ſuorum partem multo maximam, et argenti caelati uncias 87, ac aes deinde alienum, quod apud eum contractum fuerat, ad ſummam quadraginta librarum condonavit. Aulae Pembrochianae Cantabrigiae dedit annuas 22 libras, ad alimoniam Graeci praelectoris, unius ſocii et duorum ſcholarium, qui ſimiliter ut Reginenſes ex ſcholae Begenſis tyrocinio erant arceſſendi. Illis etiam vaſa argentea largitus eſt ponderis quadraginta unciarum, et librorum reliquos. Magdalenſi Collegio in eadem Academia contulit praedia quinque libras annuatim valentia, uni ſocio ibidem tribuenda qui itidem è ſchola prodiret Begenſi: Collegio Chriſti ibidem argentea vaſa quadraginta uncias pendentia; pauperibus quibuſdam Croydonenſibus quinquaginta libras ad emenda praedia unde ii poſſent ſuſtentari: et civitati denique Cantuarienſi centum libras, ex quibus tenuioris ſortis hominibus, lanificio, aut ſimilibus artibus victitantibus, lana comparata aut alia artificii ſui materia, ad tempus poſſet commodari. Tumulo jacet conditus, ſane haud quaquam ineleganti, à ſeptentrionali parte cancelli Eccleſiae Croydonenſis[i].

LXXI. JOANNES WHITGIFT.

SEPTEMBRIS viceſimo tertio anni praedicti 1583 Joannes Whitgift, ſacrae Theologiae Doctor Epiſcopus Wigornienſis, in Cantuarienſis Eccleſiae Archipraeſulem confirmatus eſt[k]. 1583. ELIZ. 25. Qui Grimsbeiae in Comitatu Lincolnienſi natus, ſub tutela martyris ſanctiſſimi Joannis Bradfordi educationem habuit aliquandiù in Aula Pembrochiana Cantabrigiae, in numerum ſociorum Hoſpitii D. Petri poſtea cooptatus. Anno 1567 Theologiae Doctor[l] creatus eſt, et Aulae[m] antedictae Praeſes conſtitutus, ante ejuſdem anni exitum ad Collegii ſanctae Trinitatis praefecturam[n] vocatus eſt[o]. Interea vero temporis, Praelectoris Theologici munere duplici fuerat functus; ſalarium adeptus primum à Margareta Richmondiae Comitiſſa aſſignatum, atque inde illud à Rege[p]. Aprilis viceſimo primo 1577 conſecratus eſt in Epiſcopum Wigornienſem, et Septembri menſe, tum proxime ſequenti,

---

[i] “ EDMUNDUS GRINDALLUS Cumbrienſis, Theologiae Doctor, Eruditione, Prudentia et Gravitate clarus, Conſtantia, Juſtitia, et Pietate inſignis, Civibus et Peregrinis charus; ab Exilio (quod Evangelii cauſa ſubiit) reverſus, ad ſummum Dignitatis Faſtigium (quaſi decurſu Honorum) ſub R. ELIZABETHA evectus, Eccleſiam *Londinen.* primum, deinde *Eborac.* demum *Cantuarien.* rexit. Et cum hic nihil reſtaret, quo altius aſcenderet, è Corporis vinculis liber ac beatus ad Coelum evolavit 6° Julii, Anno Dom. MDLXXXIII. Aetat. ſuae LXIII. Hic, praeter multa Pietatis officia, quae vivus praeſtitit, moribundus maximam Bonorum ſuorum partem piis uſibus conſecravit. In Paroecia Divae *Beghae* (ubi natus eſt) Scholam Grammaticam ſplendide extrui, et opimo Cenſu ditari curavit. *Magdalenſi* Coetui *Cantabr.* (in quo puer primum Academiae ubera ſuxit) Diſcipulum adjecit. Collegio *Chriſti* (ubi adultus Literis incubuit) gratum Μνημόσυνον reliquit. Aulae *Pembrochianae* (cujus olim ſocius, poſtea Praefectus extitit) Aerarium et Bibliothecam auxit, Graecoque Praelectori, uni ſocio, ac duobus Diſcipulis, ampla ſtipendia aſſignavit. Collegium *Reginae* Oxon. (in quod *Cumbrienſes* potiſſimum cooptantur) Nummis, Libris, et magnis Proventibus locupletavit. Civitati *Cantuar.* (cui moriens praefuit) centum libras, in hoc, ut Pauperes honeſtis artificiis exercerentur, perpetuo ſervandas, atque impendendas, dedit. Reſiduum Bonorum Pietis operibus dicavit. Sic vivens, morienſque Eccleſiae, Patriae et bonis Literis praefuit.”

[k] *Regiſt. Whitg.* fol. 1.

[l] Jan. 17. *Regiſt. Acad.*

[m] Apr. 21. 1567. *Archiv. Coll.*

[n] Jul. 4. 1567. *Archiv. Coll. Trin.*

[o] Dec. 5. 1568. fit Praebendarius Elienſ. *MS. Wren.*

[p] A. D. 1571. Aug 2. Decanus Lincoln.

Walliae Pro-praeſes deſignatus, eam rexit provinciam menſibus triginta, quamdiù nimirum Sidnaeus Prorex Hiberniae praefuit. In hujus viri laudes quam libenter excurrerem, ſi inſtituti mei ratio permitteret? Sed bene habet quod vitam ejus veriſſime et diſertiſſime deſcripſit, edito ea de re libello, eques illuſtris Georgius Paulus, ad quem Anglicanae linguae non ignaros amandare licet. Audiant caeteri Cambdenum noſtrum[q], in annalibus ſuis ſic de eo loquentem. "Grindallo ſucceſſit Joannes Whitgiftus, à ſede Wigornienſi tranſlatus, vir optimus et eruditiſſimus, qui et juſtitia in Walliae pro-praefectura, et doctrina in Eccleſiaſtica Angliae politeia propugnanda, ſingularem laudem conſequutus, quam fortitudine, prudentia et patientia indies adauxit. Huic Regina (quae ut in politicis, ita et in legibus Eccleſiaſticis nihil unquam laxandum cenſuit) mandavit, ut ante omnia diſciplinam Eccleſiae Anglicanae, et uniformitatem in ſacris authoritate parliamentaria ſancitam reſtauraret, quae praeſidum conniventia, novatorum pervicacia et nobilium quorundam potentia luxata jacuit, dum quidam è Miniſtris, Regiam in Eccleſiaſticis authoritatem tecte impugnarent, ſacramentorum adminiſtrationem à verbi praedicatione ſejungerent, novos ritus pro arbitrio in privatis aedibus uſurparent, Liturgiam, ſacramentorum adminiſtrationem conſtitutam, ut ſacris literis in quibuſdam contraria, et Epiſcoporum vocationem omnino damnarent; ideoque templa adire recuſarent, et plane ſchiſma facerent, Pontificiis plaudentibus, multoſque in ſuas partes pertrahentibus, quaſi nulla eſſet in Eccleſia Anglicana unitas. Ad haec tollenda et unitatem reducendam, ille hos articulos à Miniſtris ſubſcribendos propoſuit.

Primum, *Reginam ſummam et ſupremam poteſtatem in omnes intrà ſua regna natos cujuſcunque ſint conditionis habere, nec alium quempiam Principem exterum aut Praeſulem, ullam poteſtatem Civilem aut Eccleſiaſticam in ejuſdem regnis aut dominiis habere, aut habere debere.* Secundum, *Librum precum publicarum, et alterum de Epiſcopis et ſacerdotibus ordinandis nihil verbo Dei contrarium continere, ſed poſſe legitime uſurpari; quodque illa et non alia vel precum vel ſacramentorum adminiſtrandi formula uteretur.* Tertium, *Articulos Synodi Londinenſis* 1562, *Regia authoritate publicatos, approbarent, et eoſdem verbo Dei conſonos crederent.*

"Incredibile eſt quantum hinc controverſiarum et diſputationum exortum; quantum ille odium, quantum convitiorum à Miniſtris factioſis, et quantum moleſtiarum imo et injuriarum à nobilibus, qui promovendo minus idoneos in Eccleſia rem fecerunt, aut in Eccleſiae bona ſpem extenderant, pertulerit. Conſtantia tamen, fortitudine, et patientia tandem evicit, et Eccleſiae pacem reſtituit, ut non temere pro ſymbolo uſurpaſſe videretur, VINCIT QUI PATITUR." Februarii primo[r] 1585 admiſſus eſt in ſenatum concilii Regii, et nonnihil ultra ſeptuageſſimum aetatis annum vita producta, poſtquam Jacobo Regi (cui non minus quam Elizabethae charus extitit) coronationis ſolennia impendiſſet, paralyſi correptus, dies perpaucos decumbens, debitum naturae perſolvit Lamethae viceſimo nono Februarii 1603, à ſuſcepto Archiepiſcopatu annis viginti ac menſibus quinque. Ptochotrophium interea pulcherrimum Croydonae extruxerat pauperibus 28, cui ſcholam adjunxit et ejuſdem moderatori aedes, praediis aſſignatis unde praeter pauperum alimenta paedagogo viginti librae

---

P. 346. Feb. 2. *MS Ca.*

annuatim numerarentur[s]. Humatus eſt ab auſtrali parte Eccleſiae Croydonenſis, ubi ab haeredibus memoriae ejus monumentum erectum eſt pulcherrimum, modeſtiae tamen illius congruentius quam caeteris tanti viri virtutibus, mauſoleo quantumvis ſuperbo non indignis.

LXXII. RICHARDUS BANCROFT.

RICHARDUS BANCROFT[t] ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Jeſu Cantabrigiae alumnus[u], ab Eccleſia Londinenſi ad Cantuarienſem anno 1604[x] tranſlatus, in numerum brevi poſt cooptatus illorum qui Regi erant ab arcanis conſiliis; Aprilis viceſimo ſecundo 1608 Academiae Oxonienſis Cancellarius eſt renunciatus. Cum annos ſediſſet plus minus ſex, calculi doloribus confectus, mortalitatem explevit Novembris ſecundo 1610[y]. 1604. JAC. 2.

LXXIII. GEORGIUS ABBOT.

GEORGIUS ABBOTUS ſacrae Theologiae Doctor, Wintonienſis Decanus et Collegii Univerſitatis Oxoniae Praepoſitus, (quem Magiſtrum vocant) Balliolenſis vero ſocius quandoque, in Epiſcopum Coventrenſem ac Lichfeldenſem conſecratus Decembris tertio 1609, et ſub initium Februarii ſequentis Londinum tranſlatus; poſtquam ibi vix annum integrum ſediſſet, Jacobi Regis prudentiſſimo judicio, ſucceſſor Bancrofto deſignatur, et conſiliariis ſuis paulo poſt annumeratur. Cujus eruditionem, facundiam, vigilantiam, et indefeſſum ſcribendi concionandique ſtudium, in homine tanta occupationum mole obruto, erunt olim qui me vel tacente affatim celebrabunt. 1610. JAC. 8.

* * *

Verum haec Archiepiſcopatus initia ſatis proſpera, diſpar exitus poſtmodo ſubſequebatur: quippe Regi, cujus ſingulari gratia ad ſedem altiſſimam praepropere fuerat evectus, minus minuſque indies placere coepit; diſciplinae Eccleſiaſticae vigorem languere paſſus, hominum factioſorum et in Eccleſia rebus novis ſtudentium audaciam, adeo non autoritate cenſoria coercuit, ut potius eorundem gratiam ambitioſe captare videretur. Anno 1617 cùm certis de cauſis, uti tum putabatur non inhoneſtis, Libellum quendam Rex publicari juſſerat, in quo, poſt officia omnia divina die dominico rite peracta, publica ludorum quorundam licentia populo indulgebatur, et libelli porro hujuſce promulgationem in Eccleſiis quibuſcunque fieri juſſerat, Archiepiſcopus voluntati Regiae palam adverſabatur, promulgationem hanc in Eccleſia ſua Croydonenſi, ubi tum temporis commorabatur, fieri non paſſus[z].

---

[s] Libros contulit Aulae Pembrochianae et Collegio Trinitatis; Petrenſibus quoque reditus aliquot.

[t] Natus apud Farnworth in Com. Lancaſt. Menſe Septembris 1544. filius Joannis generoſi, per uxorem ejus Mariam Curwyn filiam Joannis Curwyn fratris Hugonis Curwyn Oxon. Epiſcopi. *MS. Wood.*

[u] Collegii Chriſti primò alumnus et Art. Bac. 1566. dein Collegii Jeſu Art. Mag. 1570. *Regiſt. Acad. Cant.*

[x] Dec. 10. *Regiſt. Bancr.* fol. 1.

[y] Et ſepultus eſt in Choro vel Cancello eccleſiae parochialis de Lambeth; tumulo inſcriptum eſt quod ſequitur; *Hic jacet* RICHARDUS BANCROFT S T.P. *Epiſcopus* LONDINENSIS *primò, deinde* CANTUARIENSIS *Archiepiſcopus, et Regi* JACOBO *à ſecretioribus Conciliis. Obiit ſecundo Novembris Anno Dom.* 1610, *Aetatis ſuae* 67. *Volente Deo.*

[z] *Hiſtor. Angliae.* Tom. 2. p. 709.

Viceſimo quarto Julii 1621 cum Nobili quodam ad venationem profectus, à cervo, quem petebat, aberrans ſagitta oblique impacta venatorum quendam interfecit. Hac occaſione oblata quidam hunc homicidii reatum obtendentes Archiepiſcopum, autoritate, qua recte uti noluit, prorſus exuendum cenſuerunt: verum cùm caſum infelicem miſericordia potius quam poena ſequi debeat, diſpenſatione Regia abſolutus evaſit Decembris viceſimo quarto 1621[a].

Nihilominus poſt annos ſex, ſive quod aliquibus in cauſis Regis voluntati obſequi nollet, ſive quod prae intempeſtiva lenitate vel ſocordia omnia in pejus ruere pateretur, et impunitam factioſorum proterviam indies graſſari; Octobris nono Anno 1627 ad villam ſuam de Ford[b], tanquam in exilium, migravit, Juriſdictione Archiepiſcopali exutus; quae quidem de legatione Regia ad Epiſcopos Londinenſem, Dunelmenſem, Roffenſem, Oxonienſem et Bathonio-Wellenſem fuit tranſlata: eadem verò anno ſequenti ſibi reſtituta gaudebat. Poſthac autem tanquam in otio ſecurus deliteſcere videbatur; ita ut nec in rebus civilibus nec eccleſiaſticis memorabile quidquam ab eo fuerit tranſactum. Sentio equidem a quibuſdam laudari Archiepiſcopi hujus adminiſtrationem tanta manſuetudine et lenitate temperatam, ab iis praecipuè quibus diſplicet illa diſciplinae Eccleſiaſticae ſeveritas, quae *Whitgifto* deinde *Bancrofto* praeſidentibus vigebat, et quam poſtea ſucceſſu parum felici *Laudus* revocare ſtuduit: et profecto Chriſtianae moderationi et ἐπιεικεία erga diſſentientes ſua uſque conſtabit Laus.

Verum ut ut haec fuerint, malo certè Eccleſiae fato contigit, ut Archiepiſcopatum per viginti et duos annos ille vir adminiſtraret, qui anteceſſorum veſtigia ſedulo deſerens, varia ſectarum monſtra quae ſubinde in Eccleſiae dedecus et perniciem pullulabant, non ea, qua par erat, ſeveritate repreſſit: ita à Pontificiis abhorrens ut potius Calvini ſectatoribus faveret, qui tunc temporis Eccleſiae Anglicanae Doctrinam et Diſciplinam non occulte oppugnabant, et popularium animos ad res novas moliendas concitabant[c]; quibus rebus effectum eſt, ut cum per diuturnam impunitatem et licentiam, ipſorum audacia indies ſuccreſceret, ad *Laudum* ſucceſſorem qui omnia in integrum reſtituere et ſtabilire impenſe ſtudebat, tanta moleſtiarum et invidiae moles redundaret, quanta ipſum poſtmodo et Eccleſiam Anglicanam communi ruina obruebat. Obiit Auguſti quarto 1633, aetatis 71, et in Guildfordia comitatu Surreienſi ſepultus jacet: quo in oppido (natali ſolio) ſcholam ſupremis tabulis fundari juſſit, annuis ducentarum librarum reditibus dotatam.

* * *

LXXIV. GULIELMUS LAUD.

1633. CAR. I. 9. SUCCESSIT ille omnium expectatione jamdiu deſignatus Gulielmus Laud, vir neque dicendus neque tacendus ſine cura; ingentes fortunarum viciſſitudines expertus, in omnibus magni certe vir animi et ubique ſibi conſtans; cujus profecto virtus, ſi in Reipublicae florentis pacatiora tempora incidiſſet, praeclaram ſui apud poſteros famam ſine invidia reliquiſſet

---

[a] *Rymer. Foed.* Tom. 17. p. 337 &c. Edit. 1. Fol.

[b] *Ruſhw. Collect.* Tom. 1. p. 431.

[c] *Clarend. Hiſt. Reb.* T. 1. p. 68, 69.

Collegii Divi Joannis Baptiſtae Oxon. Scholaris, Socius, Praeſidens, eo animo ad Theologiae ſtudium acceſſit, ut quid S. Patres primaevi ſenſerint, eo animo Eccleſiae Anglicanae doctrinam et diſciplinam intuebatur, ut quid Reformatores ſtatuerunt, id ſibi aſſerendum et ſtabiliendum exiſtimaret. Quare cùm ad hanc normam omnia componi vellet, Calviniſtarum dogmatibus, quae tunc temporis in Academia magis magiſque indies dominabantur, adverſari auſus, in Arminianiſmi neſcio cujus ſuſpicionem facile adductus, multorum invidiam atque odia provocavit. Verum id effecit adverſariorum obtrectatio, ut causâ cognitâ, hominis de Eccleſia bene meriti virtus in lucem apertam et celebritatem commendatior prodiret; et poſtmodo ſane magna apud Regem, Theologorum idoneum judicem et fautorem, gratia valebat, ita ut brevi ad Decanatum Gloceſtriae, inde ad Epiſcopatum Meneveńſem proveheretur. Circa id tempus memorabilis cum Fiſhero Jeſuita diſputatio praeclaram illi ingenii, eruditionis et pietatis famam conciliavit; neque potiorem quenquam habuit Carolus primus quem ad altiorem in Eccleſia ſedem promoveret quam *Eum*, qui Anglicanae Eccleſiae tum doctrinam tum diſciplinam contra Pontificios tanta cum laude vindicaverat. Bathonio-Wellenſis Epiſcopus itaque conſtitutus, Regique pientiſſimo indies gratior, in aulam Regiam evocatur homo artium aulicarum neque gnarus neque ſtudioſus, ſimulationis juxta et diſſimulationis neſcius, ſed idem virtutibus, quae in aulicis ſaepius deſiderantur inſtructiſſimus, fide, ſimplicitate, conſtantia.

Ad honorum et autoritatis incrementa aditum patefecit Archiepiſcopi Cantuarienſis exauctoramentum ſive ſuſpenſio; et profecto in rebus Eccleſiaſticis adminiſtrandis inter collegas delegatos, Epiſcopus Wellenſis maximam vim habere exiſtimabatur, unde ad ipſum maxima ſicut gloriae ita etiam invidiae moles redundavit. Et illud certe effecit indies ſucreſcens audacia ſchiſmaticorum, ut in qua exerceri poſſet autoritas, materies illi nunquam deeſſet; et eam profecto uberrimam modo expertus eſt ad Epiſcopatum Londinenſem evectus. Vigebat tum civitas opibus et ſeditione potens, in Eccleſia rebus novis uſque ſtudens, et in effroenatam quidlibet audendi licentiam effuſa. Concionatores ad aurium lenocinia conducti popularium animos irritabant, acerbe contra Hierarchiam et Eccleſiae Anglicanae diſciplinam declamitantes; et gliſcentem indies petulantiam confirmavit diuturna impunitas. Res ita lapſas in integrum reſtituere opus erat omni tempore difficile, tum vero iſtis temporibus difficillimum; ſed Epiſcopus, qui ita erat ſemper animatus, ut quid fieri debuit, potius quam quid fieri potuit, meditaretur, huic popularium licentiae vindicem ſe intrepidum oppoſuit, autoritate cenſoria quoſdam in ordinem coegit, quoſdam ita coercuit ut odia et malignitatem impenſius accenderet; ex hac parte ſchiſmaticorum erat intolerabilis protervia, ex illa reprehenſionem non effugit Epiſcopi ſeveritas intempeſtiva. Ut ut haec ſint, magnam certe invidiae tempeſtatem contra ſe concitavit, ita ut quae bono animo moliebatur (et profecto nemo unquam animum attulit Principis, Eccleſiae, et Reipublicae commodis addictiorem) in partem ſiniſtram omnia raperentur. Verum nihil ille commovebatur, quippe rectè factorum conſcientia ita fretus, ut quid ad hominum animos irritandos vel demulcendos valebat, minus curaret.

Interea ad opus magnificum laboris atque ſumptûs ampliſſimi accingitur, ad Divi Pauli templum vetuſtate labefactum et conſumptum, denuò reſtaurandum, et decorandum; illud uſque ſedulo agens ut Religioni cum puritate decor, et ipſis adeo templis novi nitoris commendatio accederet. Anno 1630 Academiae Oxonienſis Cancellarius eſt renunciatus: quid ab illo in muneris illius honorifici decurſu fuerit praeſtitum, abunde teſtantur tum Cancellariatûs, quos ille conſcriptos reliquit, annales, tum qui ex illo ad Academiam Oxonienſem redundarunt fructus ſempiterni. Erat profectò praeclarum quiddam aedificia publica erigere et ornare, ſed regere imperio Academicos, novum ſtatutorum corpus condere, juventutis mores atque ſtudia in melius formare, literas et literatos exemplo, autoritate, munificentia commendare, tueri, fovere, hae illi erant artes, hae illi propriae conſtabunt laudes. Per Pocockium, Graevium alioſque homines idoneos hinc inde ex Aſia, Europa et Africa literaturae omnigenae monumenta conquiſita in Angliam comportari curavit. Arabicam praecipue literaturam hoſpitem adhuc et peregrinam civitate donavit, et perpetuis futuris temporibus Praelectorem linguae Arabicae ſtipendio dotavit, et bibliothecam tanta Codicum MSS Orientalium copia locupletavit, quanta fere in nulla alia uſpiam reperitur: et profecto longe melius tum Eccleſiae tum Academiae rebus, quarum adminiſtrationem ille penitus intellexit, conſultum fuiſſet, ſi rebus politicis ſeſe minus immiſcuiſſet homo, erga rempublicam optime quidem animatus, ſed artium politicarum non ſatis peritus.

Verum in rerum omnium certamen atque diſcrimen incidit Archiepiſcopus Cantuarienſis jam conſtitutus[d]. De diſciplina Eccleſiaſtica ita ſemper ſenſerat, ut licentiam popularium jam indies ſuccreſcentem autoritate publica coerceri et reprimi, et communem quandam Politiam ab omnibus obſervandam praeſcribi oportere exiſtimaret. Nihil ideò Archiepiſcopus prius potiuſve habuit, quam ut hoc opus difficillimum aggrederetur; quare 1634 Liturgiam Anglicanam Eccleſiis Gallicanis et Belgicis reformatis, in Anglia locatis, recipiendam imperavit; verùm ſeveriorem hanc diſciplinae adminiſtrationem non patiebatur temporum iniquitas[e]. Nihilominus per vicarium in ſpiritualibus viſitationem Metropoliticam celebravit, atque adeo pleraſque quae paſſim irrepſerant corruptelas reformavit[f]. Academiarum quoque viſitationem eodem jure Metropolitico incluſam ſibi arrogavit; quod quidem jus controverſum, poſt diſceptationem legitimam, Regii Concilii decreto confirmatum accepit, nunquam verò exercuit.

Id operis quod Jacobus pater animo deſtinaverat, Carolus (Archiepiſcopis et Epiſcopis hortantibus) aggreditur anno 1637, nempe ut Scotia ſua Ecceſiaſticis perinde ac politici regiminis cognatione cum Anglia eſſet conjuncta: proinde Liturgiam et Canones quibus uteretur Eccleſia Scotica adornari curavit. Verum hoc, pro temporum ratione, intempeſtivo et imprudenti conſilio fuit et decretum et adminiſtratum; et infelix ſubſequebatur exitus, tumultus, ſeditiones et belli civilis ſemina. Ita certe malo Archiepiſcopi fato contigit, ut ſiquid in adminiſtrationibus Eccleſiaſticis vel Politicis durius vel popularibus ingratum evenerat, ad illum omnis invidiae moles transferretur, quippe qui diſſimulanter nihil, ſed aperte omnia tranſigere didicerat. In foro Eccleſiaſtico praeſidebat judex adeo ſeverus et incorruptus, ut nullo perſonarum diſcrimine habito omnes omnino quoſcunque Lex reos deprehenderet, utcunque titulis opibuſque valentes, debitis cenſuris feriret; unde contra ſe concitavit miram ordinum omnium obtrectationem et adverſationem. Si quid in Camera Stellata, ubi unus e multis aſſidebat, ſiquid in poenis irrogandis acerbius eſſet ſtatutum, ad illum praecipue, ut auctorem unicum, facti crimen et odium redundavit; in illum unice ſe evomuit popularis indignatio; turbulentae paſſim jactabantur voces; audiit paſſim tyrannidis Regiae aſſecla, Arminianiſmi fautor, Papalis hierarchiae inſtaurator, et Reipublicae demum et Eccleſiae Anglicanae hoſtis. Poſtremo vim illi aperte minatur, et Lamethanas aedes obſidet, oppugnat populi tumultuantis armatus furor, et aegre repulſus vix paululum quievit[g].

---

[d] Confirmatus 19 Sept. 1633. *Regiſtr. Laud.* f. 1.

[e] *Hiſtor. Angl.* T. 3. p. 72.

[f] *Id.* p. 73.

Paulo poſt inſtituitur illa ſeditioſorum cum Scotis conjuratio, quae tum Monarchiae tum Hierarchiae excidium meditabatur. A Parliamenti domo inferiore Archiepiſcopo majeſtatis laeſae crimen attentatur[h]; in arcem Londinenſem cuſtodiendus amandatur Martii primo 1640; Privilegiis temporalibus exuuntur Epiſcopi, et ipſe demum Epiſcopatûs ordo plebiſcito extinguitur: Excandeſcit civile bellum; non amplius Legibus non Religioni ſua conſtat reverentia. Interea Archiepiſcopum, quem per biennium captivum tenuerunt Parliamentarii, publico edicto omni officio et beneficio et omnimoda juriſdictione Archiepiſcopali exutum pronunciant. Ne verò non aliqua diſciplinae Eccleſiaſticae ſpecies maneret, Theologorum conventum inſtituunt, cui etiam Laici aliquot acceſſerunt, quorum intererat omnia ad Religionem ſpectantia, de quibus Parliamenti domus nihil decreverat, ſtatuere et ordinare. Hi cum ſaepius conveniſſent, nec quidquam memorabile eſſet peractum, ſine ullius interventu et interpellatione, per ſpontaneam et continuam abſentiam quaſi in nihil redacti evanuerunt.

Jam tandem aliquando magno cum apparatu coram ſuperiori Parliamenti domo cauſam capitis dicturus citatur; de judicii illius forma, proceſſu et exitu non opus eſt ut multa a nobis memorentur, cùm illius hiſtoriam juſtam Archiepiſcopus ipſe manu ſua conſcriptam reliquerit. Per viginti dies celebratio judiciorum duravit, et per omne id tempus nihil aliud effecit ingenioſa inimicorum malignitas, quam ut illius innocentiae et magnitudini animi glorioſius illuſtrandae inſerviret. Quare cum judicum ſententiis abſolutus evaſiſſet, alia aggrediuntur via; et quarto Jan. 1644 per Billam condemnationis, legem ſpecialiter ea de cauſa latam, contra omne jus, pro re nata, ab inferiore domo Parliamenti et duodecim tantum è domo ſuperiori, majeſtatis laeſae damnant[i]; jamdiu exitio ab ipſis deſtinatum, atque adeo decimo Januarii 1644 ad extremum uſque inconcuſſam fortitudinem et conſtantiam tuens, cum bonorum omnium gemitu decollatus animam Deo reddidit.

Fato tam luctuoſo extinctus, occidit ille magni nominis Archipraeſul, pietate, eruditione, ingenii acumine inter primos celebris, animo publicis commodis promovendis unice devoto, inviolata erga Principem fide. Eccleſiae Anglicanae doctrinam et diſciplinam ille omnium optime perſpectam habuit, ornavit, vindicavit, ſcriptis, exemplo, autoritate. Verum virtutes tantas, elegantiae et urbanitatis aulicae condimento deſtitutas, in invidiam adduxit praepotens temporum illorum iniquitas. Erat in eo morum ſeveritas, erat ſimplicitas adulari et diſſimulare neſcia; erat inſuper ingenii praefervidi acris vigor, in utramque partem vehemens, tum conſilia exequi bona, tum etiam adverſari malis, et propoſiti tenax conſtantia; erga illum itaque odium conflabatur non expiabile, et omnium fere ordinum factioſi, Pontificii juxta ac Calviniſtae, in illius perniciem conjurarunt, quam aliquando tandem intulerunt, et tanta quidem cum injuriarum immanitate, quanta poſſet etiam, ſi alia deeſſent exempla, temporum illorum memoriam conſignare poſteris deteſtandam. Corpus erat in Eccleſia omnium ſanctorum Barking primo depoſitum[k], deinde anno 1663 cum funebri pompa ad ſacellum Collegii D. Joannis Baptiſtae Oxon. tranſlatum. In uſus publicos vivens morienſque ſua fere omnia erogavit.

---

[g] Maii 11. 1640.

[h] Dec. 18. 1640.

[i] Jan. 4. 1644. eodem illo die Eccleſiae Anglicanae Liturgia, eo ſublato quem vindicem habuerat, ſuperſtes non futura, Parliamenti edicto abrogatur.

LXXV. GULIELMUS JUXON.

1660. Car. 2. 12. SUBSEQUUNTUR tempora Reipublicae luctuoſiſſima, et in rerum Eccleſiaſticarum hiſtoria hiatus valde deflendus. Archiepiſcopo per nefas atrociſſimum exciſo; Hierarchia jam extincta; Eccleſiaſticorum praediis et reditibus fiſco publico addictis, Eccleſiae Anglicanae facies, totidem ſacrilegiis deformata, haud amplius agnoſci poterat. Interea Theologorum conventus celebrabatur, et magno molimine et apparatu aliquando tandem nihil confecit. Ingens, uti par erat, exarſit diſſentio inter Parliamentarios et hominum militarium factionem; illis favebant *Preſbyterani*, his *Independentes:* praevaluit tandem, CROMWELLO autore et duce, militum armata poteſtas. Quae deinceps Rempublicam oppreſſerunt mala, notiora ſunt illa quam ut ſtili noſtri deſcriptione indigeant, et atrociora quam quae pro merito quiſpiam deteſtari aut deflere valeat. Illud ſolum hic loci adnotabimus, Gulielmum Juxon Epiſcopum Londinenſem *Regi optimo* per extrema vitae ſpatia adſtitiſſe, patientiae, fortitudinis, pietatiſque Chriſtianae teſtem conſcium et adjutorem fidiſſimum; deinde poſt Monarchiae excidium ad patrimonium ſuum apud *Compton* in agro Gloceſtrenſi receſſiſſe, ibi otii non ignobilis ſtudiis florentem delituiſſe, et quod rarò quiſquam temporibus illis iniquiſſimis erat expertus, cum dignitate inoffenſam tranquillitatem conſequutum; ita, volente Deo, ut vir ille juſtus et propoſiti tenax, qui provinciam ardui laboris et invidia pleniſſimam ita adminiſtravit, ut temporibus ſervire dignaretur, fidem erga Regem omni in re incorruptam tueretur inimicorum etiam ſuffragiis tacite abſolutus evaderet, cùm nihil in Epiſcopo aut Theſaurario quod in culpam aut poenam imputare deprehendere poſſet ipſorum inſidioſa malignitas. Cum verò Monarchiam reſtauratam comes ſequeretur hierarchia, ille ad ſedem Archiepiſcopalem Cantuarienſem eſt evectus anno 1660 viceſimo Septembris[l] aetatis ſeptuageſimo octavo. Per paucos certè dies ampliſſimis hiſce potitus eſt honoribus; mortem enim obiit Lamethae Junii quarto 1663, et in capella collegii Divi Joannis Baptiſtae Oxon. ſepultus jacet, cujus fuit et Socius et Praeſes. Ab Epiſcopo ſibi amiciſſimo Gulielmo Laud, cujus veſtigiis inſiſtere videbatur, in lucem Reipublicae et Eccleſiae evocatus, primo Decanus fit Wigornenſis, deinde Epiſcopus Herefordenſis, ſed ante conſecrationem ad Eccleſiam Londinenſem tranſlatus, conſecratus eſt viceſimo ſeptimo Octobris 1633. Archiepiſcopo jam loci perinde ac amicitiae cognatione propiore conjunctus, ea erat integritatis et prudentiae fama, ut reclamantibus et invidentibus aulicis, ille prae omnibus ampliſſimo Theſaurarii munere digniſſimus exiſtimaretur, quo quidem nemo majori cum laude eſt perfunctus. Beneficentiae monumenta reliquit permulta; aulam in Palatio Lamethano extruxit, quod verò plus bonitatis quam ſplendoris habet; et prae aliis, Vicariarum, quarum decimas majores percepit, reditus auxit; ſuum Eccleſiae ſpoliatae aliqua ex parte redonans patrimonium.

---

[k] Hoc tantum elogio inſignitus, *In hac Ciſtula conduntur exuviae* GULIELMI LAUD *Archiepiſcopi* CANTUARIENSIS; *qui ſecuri percuſſus, Immortalitatem adiit Die* X JANUARII, *Aetatis ſuae* LXXII. *Archiepiſcopatûs* XII.

LXXVI. GILBERTUS SHELDON.

1663. Car. 2. 15. SUCCESSIT Gilbertus Sheldon Epiſcopus etiam Londinenſis, qui Archiepiſcopo, annis et laboribus pene fracto, continuo adminiſtrationum adjutor aſtiterat. Collegii omnium animarum Oxon. Socius fuit et Cuſtos; magni vir animi et conſtantiae, Regiae Majeſtatis et Eccleſiae Anglicanae jura fortiter uſque vindicaverat; praecipue in colloquio illo Uxbrigienſis, cui interfuit inter Theologos à Rege delegatos. Qua de cauſa Parliamentariorum jam tum dominantium odia et invidiam provocavit; inde dignus qui a viſitatoribus Parliamentariis 1648 incarceratus, et à Collegii ſui regimine amotus, patientiae et fortitudinis ſingulare ederet documentum; adeoque dignus qui a Carolo ſecundo, jam reſtaurato, ad Epiſcopatum eveheretur. Anno itaque 1660 Epiſcopus Londinenſis conſtituitur, 1663 Archiepiſcopus Cantuarienſis[m], 1667 Cancellarius Academiae Oxonienſis eſt renunciatus; Ibi famae ſuae immortale erexit monumentum, THEATRUM SHELDONIANUM. Duobus poſtea annis curarum publicarum ſatur in otium cum dignitate recedere meditabatur; Cancellariatu Academiae Oxon. ſeſe exuit, ad villam Croydonenſem ſe recepit, ibique octogenarius obiit nono Novembris 1677; ſepultus in Eccleſia parochiali juxta reliquias Archiepiſcopi Whitgift. Una cum integritatis, prudentiae et munificentiae fama magnum ſui deſiderium reliquit; vivens morienſque circiter ſexaginta et ſex millia librarum in uſus publicos et Eleemoſynarios erogabat.

---

[l] *Regiſtr. Juxon.* f. 152.

[m] 31 Aug. *Regiſtr. Juxon.* f. 327.

LXXVII. Gulielmus Sandcroft.

1677. Car. 2. 29. De ſucceſſore aliquandiu erat deliberatum, deinde praeter expectationem publicam et ſpem ſuam ad ſedem Archiepiſcopalem evocatur vir digniſſimus Gulielmus Sandcroft S. T. P. Eccleſiae Paulinae Londinenſis Decanus. Suffolcienſis erat, et Collegii Emmanuelis Cantabrigiae Socius; inde a viſitatoribus Parliamentariis propter merita ſua ejectus, Galliam, Italiam aliaſque regiones exteras egregius peragravit exul: et rebus jam ad feliciorem exitum vergentibus in Patriam reverſus, videbatur aliquando virtutis ſuae praemia conſecuturus. Anno 1662 Collegii ſui Magiſter electus, id negotii ſibi potiſſimum dari exiſtimavit, ut illam infamiae labem, quae jam in iſtius Collegii nomine prorſus inveteraverat, ſingulari virtutis exemplo deleret; et aliquando poſteri deſinerent meminiſſe totidem ex illo domicilio prodiiſſe Reipublicae peſtes et Eccleſiae dedecora, cùm ex eodem viderint aliquando aſſurgere totidem ingeniorum lumina et pietatis exempla.

Per aliquot annos, poſt ſuſceptum munus Archiepiſcopale, nihil in rebus Eccleſiaſticis inſigniter memorabile tranſactum reperio; nonnihil tamen Eccleſiae Anglicanae perienti intentare videbantur tum Schiſmaticorum tum Pontificiorum variae quae hinc inde agitabantur conſpirationes. Jacobo ſecundo tandem regnante, arrecti Pontificiorum animi, rebus novis ſtudebant, et praecipiti curſu ad Eccleſiam Anglicanam ſubvertendam properabant; hunc in finem regium publicatur edictum, cuilibet Chriſtianorum ſectae immunitatem, ſive *conſcientiae libertatem* neſcio quam indulgens; Epiſcopis et clero univerſo edictum hoc in Eccleſiis publice promulgandum imperatur. Archiepiſcopus in difficillimis hiſce temporibus officio ſuo et Eccleſiae utilitatibus deeſſe noluit, et una cum ſuffragantibus Elienſi, Aſaphenſi, Ciceſtrenſi, Bathono-Wellenſi, Petroburgenſi et Briſtolienſi autoritati Regiae, iniqua imperanti, ſe fortiter oppoſuit; ſupplice libello Regi oblato rationes facti exponunt, defendunt: Regio juſſu apprehenſi, tanquam ſeditionis rei, in Arce Londinenſi incarcerantur; poſtmodo in judicium publicum producti, plaudente populo, Pontificiis frendentibus, abſoluti dimittuntur. Paulo poſt cum ab Auriaco Principe, apparatibus bellicis intento, aliquid periculi ſibi imminere Jacobus exiſtimaret, Epiſcopos ſibi in conſilium adhibuit; ibi Archiepiſcopus, unà cum octo Epiſcopis, Conſiliorum auctor ſaluberrimorum, libellum ſupplicem exhibuit, quorum ſumma erat, Ut *in poſterum nihil contra Leges Angliae vel in rebus civilibus vel eccleſiaſticis moliretur*; Ut *novus Parliamenti conventus celebraretur*, atque adeo rebus ad ſtatum priſtinum reſtitutis, populi trepidantis et tumultuantis placarentur animi. Epiſcoporum conſilio Rex aliquantulum permotus, ad popularium animos demulcendos pauca quaedam attentavit; verùm Archiepiſcopus cum proceribus aliquot aliis iterum ſuppliciter petierunt, Ut *edicto regio libera Populi Anglicani comitia celebrarentur, et caetera conficerentur quae ad Reipublicae et Eccleſiae Anglicanae incolumitatem conſervandam pertinebant.* Et certe temporibus illis difficillimis nemo unquam majori cum fortitudinis et conſtantiae laude Pontificiorum et Aulicorum, qui Regi in tranſverſa properanti ſtimulos addiderunt, artibus adverſabatur, Reipublicae juxta ac Eccleſiae Anglicanae vindex fidiſſimus: ita ut jure quiſpiam mirari poſſit eundem in illis, jam in priſtinum reſtitutis et ſtabilitis, locum tueri non poſſe. Verum enimverò ita accidit, ut cùm, Jacobo jam vel expulſo vel abdicante, ad *Gulielmum* liberatorem et *Mariam* ſumma imperii populo plaudente deferretur, et deinde novum fidelitatis jus jurandum imperaretur, ille, una cum Bathonienſi, Elienſi, Gloceſtrenſi, Norwicenſi et Petroburgenſi Epiſcopis, imperatum praeſtare recuſaret, et proinde officio et autoritate Archiepiſcopali exutus, conſtantiae et patientiae Chriſtianae inſigne praeberet documentum, quidlibet facere paratus et pati, modo nihil conſcientiae dictamini repugnans in ſe admitteret, et judici diſpliciturum Deo. Ad patrium agrum privatus receſſit, ibi quod reliquum erat vitae placide juxta et honorifice decurrens. Obiit viceſimo quarto Novembris 1693, et in coemetorio eccleſiae parochialis de Freſingfield ſepultus jacet: ſepulchro inſcriptum extat quod ipſe ſcripſerat Epitaphium.

P. M. S. Lector; Wilhelmi *nuper Archi-Praeſulis* (*qui natus in Vicinia*) *quod morti cecidit, prope hunc murum jacet; atqui reſurget. Tu interim ſemper paratus eſto, nam qua non putas venturus hora Dominus eſt. Obiit Nov.* 24. *An. Nat. Dom.* 1693. *Aetat. ſuae* 77.

Viri hujuſce ſanctiſſimi vitam recolens, non ſine aliqua indignatione miror, ab hiſtorico ſcriptore et quidem Epiſcopo virtutes ejus adeo non celebrari, ut parſimoniae et avaritiae infamiam ipſius memoriae inurere videatur. Verum hoc temere et inique ab homine praefervidi ingenii et rationibus politicis nimium tribuente, ad maledicendum promptiſſimo, ut caetera hujuſmodi fere omnia temere jactatum ſentio. Ab ipſo ſane opprobrio nemo abhorruit magis, dum vivus circiter octodecim mille librarum in uſus Eleomoſynarios erogaſſe conſtat. Magna certe de eo ſentire fas eſt cujus in errore ipſo continetur verae laudis ſplendor: pietatis profecto et fortitudinis Chriſtianae ſingulare reliquit exemplum, quale qui non neceſſe habuit imitari, laudare tamen poterat et ſine invidia admirari.

LXXVIII. JOANNES TILLOTSON.

1691. Gul. et Mar. 3. CUM per duos fere annos eſſet de ſucceſſore deliberatum, omnium fere votis et expectatione deſignabatur Henricus Compton Epiſcopus Londinenſis; vir tum nobilitate generis, tum etiam meritis erga Eccleſiam Anglicanam et Gulielmum Regem fide clariſſimus, cui etiam eo ipſo tempore autoritatis Archiepiſcopalis adminiſtratio à Rege erat delegata. Verum re diu penſitata ad primam in Eccleſia Anglicana ſedem praeter omnium ſpem evocatur Joannes Tillotſon[n] S.T.P. Eccleſiae Paulinae Decanus, ingenii vir acutiſſimi et perelegantis; temperato et ſubacto judicio et comitate morum ſingulari omnium ordinum hominibus ſe commendavit, Oratorum Theologicorum ſui ſaeculi princeps, cum nervoſo quodam ſtilo et ſimplicitate elegantiam prorſus aulicam exhibens, et mortuus adhuc concionatur. Maii triceſimo primo 1691[o] conſecratus in eccleſia parochiali Sanctae Mariae de Arcubus apud Londinenſes. Per triennium illud et quod excurrit, nihil ab eo, quatenus Archiepiſcopo, memorabile erat tranſactum: in rebus eccleſiaſticis mira tranquillitas, quam inconcuſſam tuebatur conciliorum moderatio et prudentia. Splendide pauper obiit viceſimo ſecundo Novembris 1694, nihil fere ſuis praeter ſcriptorum famam et haereditatem relinquens; in eccleſia parochiali ſancti Laurentii in Judaiſmo Lond. quam eloquentia concionator illuſtravit, ſepultus jacet, in cancello juxta altare, ubi honorarium marmor poni curavit uxoris pietas, hoc elogium inſcriptum gerens.

---

[n] Roberti filius, natus in Parochia de Hallifax in agro Eboracenſi, Aulae Clarenſis Cantabr. Socius, Cantuariae Decanus 1672, et Eccleſiae Paulinae 1689.

P. M. Reverendiſſimi et ſanctiſſimi Praeſulis Joannis Tillotson, *Archiepiſcopi* Cantuariensis, *Concionatoris olim hac in Eccleſia per Annos* 30 *celeberrimi. Qui obiit* 10 *Kal. Dec.* 1694 *Aetat.* 64.

LXXIX. THOMAS TENISON.

1694. Gul. 3. 6. SUCCESSIT Thomas Teniſon S. T. P. Epiſcopus Lincolnienſis, ſolenni ritu tranſlatus decimo ſexto[p] Januarii 1694: Qui, Jacobo regnante, Eccleſiae S. Martini Weſtmonaſterienſis Vicarius, Pontificiis nimium ſibi arrogantibus, magna cum conſtantiae et eruditionis laude ſe oppoſuerat Eccleſiae Anglicanae ſtrenuus vindex.

Anno 1700 cum ſuperioris et inferioris Cleri conventus celebraretur, incidit memorabilis inter utramque domum diſſentio, et de utriuſque juribus et privilegiis magno cum ardore agitata concertatio. Archiepiſcopus nimirum, ut qui toti conventui eccleſiaſtico praeſidere videbatur, jus ſibi vendicabat utramque domum pro arbitrio prorogandi. Inferior contra domus propria ſibi jura arrogabat, à ſuperiore ſejuncta, proinde licere ſibi pro arbitrio ſuo convenire, ſeſſionem prorogare, et negotia quaelibet abſque domus ſuperioris interventu adminiſtrare. Hinc et inde multa cum eruditionis et acuminis laude ventilata diſputatio; et ſane imprimis illud eſſet optandum, ut dum iſtiuſmodi controverſia agitaretur, Synodorum Eccleſiaſticarum ab inſtitutione prima ad uſque praeſens ſaeculum juſta hiſtoria conficeretur. Verum interea Eccleſiae Anglicanae nonnihil incommodi attulit haec cleri ſuperioris et inferioris de propriis juribus et privilegiis altercatio, ita ut ex illo tempore nulla fere Synodus fuerit cum effectu celebrata: et indignum ſane facinus Schiſmaticorum coetus ſolennes celebrari potuiſſe, et clerum interea Anglicanum, diſſentionibus mutuis labefactatum, toties fruſtra convocari, dum nihil effecerit quod ad vel dignitatis ſuae ornamenta vel ad ſtabilitatis ſuae praeſidia conſervanda pertineret.

---

[o] *Regiſtr. Tillotſ. f. 9.*

[p] *Regiſtr. Teniſ.*

Magna tum vigebat nominis Anglicani gloria: at verò ad illius cumulum adimplendum una res deſiderabatur, quam cum nobis temporum opportunitas ultro obtuliſſe videretur, jure dolemus praetermiſſam fuiſſe et neglectam. Jam tum ſc. Fredericus Boruſſiae Rex potentiſſimus, Religionis juxta et literarum fautor inſigniſſimus, in Eccleſiis, quotquot ad ditionem ſuam pertinebant, Regimen Epiſcopale ſtabilire meditabatur. Cumque prae caeteris Eccleſiaſticam hanc Politiam noſtram ad Apoſtolicae Diſciplinae normam propius accedere exiſtimaret, inde potiſſimum ſibi exemplar ſumendum ſtatuit. Ea mente Liturgiam noſtram in linguam Germanicam, in popularium ſuorum uſus vertendum curavit: Inſuper Legatis Spanhemio et Bonetto, qui tum Londino commorabantur, in mandatis dedit, ut cum Archiepiſcopo Cantuarienſi conſilia ſua communicaret; id ſedulò obſecrans poſtulanſque, ut certi quidem homines, è Clero Boruſſiaco evocati, juxta Eccleſiae Anglicanae ritus manuum Epiſcopalium impoſitione Epiſcopi conſtituerentur. Verum cùm nimis cunctanter haec res procederet, ejuſdem Regis juſſu Urſinus inter Boruſſiae Theologos princeps, literis ad Archiepiſcopum Cantuarienſem datis A° 1706, iterum iterumque efflagitavit, ut Boruſſorum neceſſitatibus hac in parte ſuccurreret Eccleſiae Anglicanae pietas. Archiepiſcopus colloquio habito per nuncium reſpondit, "Se quidem, quae poſtulaverat, libenter "facturum, quantum in ſe erat, neque honeſtis Boruſſorum deſideriis de"futurum: Verum in re tanti momenti amplius deliberandum cenſuit; "ut Reginae ipſius, et eorum, qui apud ipſam gratia valebant maxime, "voluntate prius explorata et perſpecta, quid effici poterat intelligeret; "tum demum ſe, ubi primum commode potuerit, literis ſignificaturum. "Literas haſce diu ſane at fruſtra expectarunt Boruſſi: Quaenam verò "interceſſerint impedimenta ſcire non datur; nihil certè effectum vidi"mus."[a] Verum haec cunctatio Boruſſi animos adeo non fregit, ut etiam acrius erexerit et confirmaverit. Itaque per Legatos Archiepiſcopo Eboracenſi, A° ſc. 1711, cujus tum apud Aulicos autoritas magis valere putabatur, rei hujuſce eccleſiaſticae curam ſedulò commendavit: verum ne tum quidem quidquam profecit. Homines Aulici negotiis civilibus ita erant occupati et impediti, ut eccleſiaſtica minus curarent: atque ideo irrita prorſus interciderunt pia Regis Boruſſ: conſilia; unde tum ad Religionem Reformatam accederent ſtabilitatis ſuae praeſidia, tum ad Eccleſiae Anglicanae nova dignitatis amplificatae ornamenta.

Multum pecuniarum dum vixerit Archiepiſcopus in uſus Eleemoſynarios erogavit, tres erexit Scholas, unam in Parochia S. Martini (cui per complures annos Vicarius praefuit, ubi bibliothecam etiam libraria ſuppellectile dotavit) alteram in Lametha, tertiam apud Croydon, ut ex palatii Archiepiſcopalis vicinitate aliquid beneficii ad incolas redundaret. Supremis tabulis, datis undecimo Aprilis 1715, multa publicos in uſus legavit; unam praecipue donationem commemorare libet, ut intelligi poſſit ordinis Epiſcopalis fuiſſe illum non immemorem, ſc. mille libras in dotationem Epiſcopatuum duorum in Coloniis Americanis conferendas, laudabili plane exemplo, quale utinam aemuletur poſterorum pietas. Obiit Lamethae decimo quarto Decembris 1715, et in Cancello Eccleſiæ parochialis ibidem ſepultus jacet.

---

[a] Haec verba ex literis Rev. Viri D^{ris} Ayerſt, Archiepiſcopo Cantuar. Apr. 4. 1747. datis, tranſcripta exhibemus. Is ſcilicet Domini Raby, jam tum ad Berolinenſes Legato, à ſacris Domeſticis cum aſſiſteret, in hujuſce negotii adminiſtrandi ſocietatem admiſſus cum Archiepiſcopo Cant. colloquia habuit, et ipſius ad Berolinenſes reſponſionem reportavit. — Literae, quae ultra citraque hac de re erant ſcripta, genuina extant: nec non Liturgiae eccleſiaſticae formula à Rev. viro Jac. Jablonſky Regis ſui juſſu deſcripta, et à memorato D^{re} Ayerſt è Germanica in linguam vernaculam reddita.

LXXX.

LXXX. GULIELMUS WAKE.

1715. Geo. I. 2. IN defuncti locum ſucceſſit Gulielmus Wake Epiſcopus quoque Lincolnienſis, ad Cantuarienſem ſedem tranſlatus decimo ſexto Januarii 1715[q]. Aedis Chriſti Oxon. fuit alumnus, deinde Canonicus; Eccleſiae S. Jacobi Weſtmon. Rector; Decanus Exonienſis, et Lincolniae Epiſcopus. Nemo uſpiam Eccleſiae Romanae vel Anglicanae ſtatum penitius cognitum et exploratum habuit; et proinde in diſputandi arenam prodiit tum ad oppugnandum tum ad propugnandum inſtructiſſimus. Summa cum conſtantia et tranquillitate Eccleſiae per annos pluſquam 21 praefuit, et obiit viceſimo quarto Januarii 1736, anno aetatis 79, et ſepultus eſt apud Croydon. Aedi Chriſti Oxon. Bibliothecam ſuam ſupremis tabulis legavit.

LXXXI. JOANNES POTTER.

1736. Geo. 2. 10. SUCCESSIT Joannes Potter S.T.P. Collegii Lincolnienſis Oxon. aliquando Socius, deinde Theologiae in eadem Academia Profeſſor Regius et Aedis Chriſti Canonicus. Maii decimo quinto 1715 Epiſcopus Oxonienſis conſecratus eſt, quem per 22 fere annos ſumma cum laude tenuit. Plaudentibus demum bonis omnibus ad Archiepiſcopale ſolium evectus eſt viceſimo octavo Februarii 1736. Scripta atque exemplum, quorum fructus perceperit, praedicabit non invida poſteritas. De vivente non opus eſt plura dicere; verum quiſquis Eccleſiae Anglicanae bene cupis, Archiepiſcopo huic digniſſimo diuturnitatem vitae comprecare.

---

[q] *Regiſtr. Wake.*





De ARCHIEPISCOPIS LONDINENSIBUS.

QUO tempore Chriſtiana religio in hâc inſulâ publicitus primum recepta eſt; ſedes dicuntur conſtitutae Epiſcopales in eadem viginti et octo. Ac harum quidem tribus, Archiepiſcopos placuit praefici; Eboracenſi, Carlegionenſi et Londinenſi: Eboracenſi autem ſuberant omnes Scotiae Epiſcopi, et Angliae etiam illi qui Septentrionalem ejus partem incolerent. Carlegionenſi, omnis ea regio quam hodie Walliam nuncupamus provincia aſſignata eſt. Londinenſis denique caeteris Britanniae praeerat antiſtitibus. Ad Londinenſes quod attinet (de quibus hoc in loco agendum) fatendum eſt, eorum notitiam illam me non habere, ut catalogum omnibus ſuis numeris perfectum poſſim contexere. Nonnullorum ſane mentio in hiſtoricis noſtris occurrit quandoque, quorum nomina ſubjungam, quanquam non eâ fide tradita, ut Jovem lapidem jurare auſim, eorum quenquam Londini Archiepiſcopum ſediſſe.

I. THEANUS (ut fertur) à Cyrano adjutus, Lucii Regis pincerna, Eccleſiam conſtruxit S. Petri in Cornhill, in eaque ſedem fixit Archiepiſcopatus ſui.

II. [a]Eluanus ſucceſſor ejus deſignatur, qui in Collegio Avallonienſi educatus, ad Eleutherium Epiſcopum Romanum à Lucio Rege Legatus miſſus eſt, uti ſupra demonſtravimus. Hic bibliothecam condidiſſe perhibetur prope Eccleſiam antedictam, et Druydum complurimos ad fidem Chriſtianam convertiſſe.

III. Cadar.

IV. Obinus.

V. Conanus.

VI. Palladius.

VII. Stephanus.

VIII. Iltutus.

IX. Theodwinus, vel Dedwynus.

X. Theodredus.

XI. Hilarius.

XII. Reſtitutus[b], Britanniarum dictus Epiſcopus, homo conjugatus, decretis ſubſcripſit concilii Arelatensis ſub Conſtantio Conſtantini filio anno Chriſti 350. Cujus concilii Canones in Britanniam reverſus ſecum attulit, inter quos hunc unum numerat Balaeus, *Si diaconi in ordinatione ſua proteſtentur ſe uxores ducturos, ut liceat illis id ipſum facere, atque ſimul in miniſterio permanere.*

XIII. Guitelinus. Quando Romani crebris Scotorum et Pictorum populationibus defatigati, hanc inſulam reliquerunt, Guitelinus iſte in Britanniam minorem trajiciens, Aldroeno Regi author fuit, ut Conſtantinum fratrem cum exercitu huc amandaret, qui rem hic ſtrenue gerens exteros pepulit et regnum ſibi pacatum aſſeruit.

XIV. Fastidius[c]. Hujus mentionem facit Gennadius in Catalogo illuſtrium virorum, et Britanniarum[d] appellat Epiſcopum. Claruiſſe dicitur ſub Honorio et Theodoſio Augg. circa annum Chriſti 420, corruente apud Britannos ex quotidianis diſſidiis republica.

XV. Vodinus. Hic clandeſtina molitione Hengiſti, Saxonum inter nos Regis primi, interemptus eſt anno 436, quod Vortigernum Britanniae Regem, jam antea conjugatum, prohiberet Rowennam Hengiſti filiam uxorem ducere. Poſtquam rerum in hâc inſulâ potiti ſunt Saxones (à fide Chriſtiana gens ea tempeſtate alieniſſima) apud reliquias tamen Britannorum, verae religionis cultus ſervatus eſt; adeo ut Archiepiſcopos ſuos Londinum ſemper habuiſſe dicitur per annos trecentos, quanquam latentes et clanculum, ad ipſum nimirum tempus quo Auguſtinus huc appulit à Gregorio miſſus. Illorum duntaxat unus ab hiſtoricis memoratur.

XVI. Theonus. Glouceſtrenſis hic Epiſcopus, Londinum tranſlatus fertur anno 553. Anno vero 586, aſſumpto ſecum univerſo clero, in Walliam dicitur ad populares ſuos profugiſſe, una cum Thadioco Eboracenſi Archiepiſcopo.

---

[a] Iſtius vitam ſcribit *Jo. Pitſeus*, eumque claruiſſe dicit circa A. 180. *Pitſ. de Script.* p. 79.

[b] *Concil. Reg.* Tom. 2. p. 33.

[c] Iſtius vitam ſcribit *Jo. Pitſeus.* p. 86.

[d] Nequaquam; Britannorum Epiſcopum tantum appellat. *Wharton de Epiſc. Lcnd.* p. 7. ex fide MSS. Lameth.

DE LONDINENSIBUS EPISCOPIS.

I. MELLITUS[e].

POSTQUAM Sanctus ille Auguſtinus Anglorum dictus Apoſtolus, ſedem Metropoliticam Cantuariae collocavit, propterea quod etiam Regum Cantianorum ſedes eſſet, cujus imperio Orientalium et Auſtralium Saxonum reguli parebant: Conſultum porro viſum eſt, urbi quoque Londinenſi Epiſcopum praeficere, totius inſulae ea etiam tempeſtate emporio nobiliſſimo. Neque vero alium delegit ad hoc munus, quam Mellitum[f], Abbatem quendam Romanum, quem una cum aliis Gregorius nuper ad ipſum miſerat, ut in hac meſſe Britannica cooperarium illum haberet. Conſecratus videtur anno Chriſti 606[g], ac brevi poſtea Sebertum illius gentis Regem ab idolorum cultu ad fidem Chriſtianam amplectendam induxit; qui Eccleſiam Weſtmonaſterii primus condidiſſe perhibetur, ac Divo deinde Petro dicâſſe[h]. Ibi certe tumulus ejus in hodiernum uſque diem oſtenditur. Mellito etiam adhuc ſedente, Ethelbertus Cantiae Rex Divo Paulo templum ſtatuit Londini[i], quod ab Erkenwaldo Epiſcopo et aliis auctum, poſt quingentos annos incendio abolitum eſt; et deinde à Mauritio Londinenſi Epiſcopo novis jactis fundamentis, multorum annorum labore ac praeſulum ſubſequentium induſtria praeclara, ad id pervenit magnificentiae et ſplendoris, ut (priuſquam campanile pyramide ornatum in immanem celſitudinem conſurgens anno 1561 fulmine tactum conflagravit, tecti etiam Eccleſiae magna parte flammis conſumpta et muris eodem incendio afflatis ac deformatis) haud multis certè orbis Chriſtiani baſilicis poſtponi debere videretur. Eccum vero ſi placet dimenſionem ejus à Stoo Chronographo traditam: *605.

Longitudo Eccleſiae,		720.	Pedum.
Latitudo,		130.	
Altitudo	Campanilis,	520.	
	Turris,	260.	
	Pyramidis,	260.	
	vel ut alius,	274.	
	Murorum,	150.	

---

[e] Joannes Moven Epiſcopus London. natione Anglus, ſcripſiſſe dicitur ad ſuos Parochos Lib. 1. ſed quid aliud ſcripſerit, vel quo tempore vixerit, hactenus non invenio. Ita *Jo. Pitſeus* p. 880. iſtius Epiſcopi nulla fit mentio in hoc Catalogo.

[f] *H. Hunting*. L. 3. 186. 2.

[g] 605. *Chron. S. Crucis. Flor. Wigor*. 604. *Chron. Saxon.*

[h] *Malmeſb. de Pont*. l. 2.

[i] *Id.* ibid.

Hanc vero, ut Eccleſia eſſet Cathedralis, conſtructam, aſſignatis praediis dotavit Rex dictus Ethelbertus, inter alia Epiſcopo et ſucceſſoribus Tillingamia conceſſa. De iſto Mellito vide plura inter Cantuarienſes, ad quam Eccleſiam mortuo Auguſtino tranſlatus eſt.

II. CEADDA[k].

654. POST Melliti tranſlationem, Eccleſia Londinenſis paſtoris ſolatio manſit deſtituta, donec poſt multorum annorum curriculum, Sigebertus regnum adeptus et ex conſilio Oſwii Northumbriae Regis Chriſtianus factus[l], Ceaddam hominem doctum juxta et pium Epiſcopum conſecrari procuravit. Quod munus naviter ille quidem et ſollicite obivit. Tandem vero cum coenobium conderet apud Leſtinghen in aquilonari Angliae plaga, opere non dum perfecto, peſte, id temporis ibi graſſante, ſublatus eſt, una cum Monachis recenter ibi conſtitutis fere omnibus[m]. De hoc praeſule multa habet BEDA *Eccleſ. Hiſt.* lib. 3. cap. 22 et 23. Obiit Octobris viceſimo ſexto 664[n], et in praedicto Leſtinghenſi coenobio tumulatus eſt.

III. WINA.

666. EO circiter tempore quo è vivis exceſſit Ceadda, contigit Winam Occidentalium Saxonum Epiſcopum, inter ipſum et Regem [Kenwaldum] orta contentione, ad Wolfherum Merciae Regem profugere, à quo Epiſcopatum Londinenſem pretio dicitur emiſſe[o]. De illo vide plura apud Wintonienſes.

IV. ERKENWALDUS[p].

675. DEFUNCTO Wina, Erkenwaldus, Offae Orientalium Saxonum Regis filius, Londinenſis Epiſcopus creatus eſt, vir doctus et ſanctitate morum celebris[q]. Patrimonium ſuum omne in extruendis ac dotandis monaſteriis erogavit. Unum nempe [ſibi et] Monachis poſuit apud Charteſeyam[r], et alium monialibus Barkingae, Abbatiſſa ibi conſtituta ſorore ſua Edilburga[s]. In Eccleſiae ſuae Paulinae ſtructura magnam impendit pecuniam, ſuis facultatibus redditus ejuſdem auxit quamplurimum, et à principibus ſui temporis magna illi impetravit privilegia. Cùm annos ſediſſet plus minus undecim vitam cum morte commutavit circa annum Domini 685, et Sanctorum catalogo aſcriptus eſt. Corpus ejus in magni pretii feretro conditum, in Orientali parte Eccleſiae ſuae ſupra ſummum altare ſitum jacebat, donec annis abhinc octoginta ſublatum diſparuit.

---

[k] *Brompt. Chron. H. Hunting. Flor. Wigor.* CEDDA *Malmeſb. de Pontif.*
[l] *Hunting.* l. 3. 191.
[m] *Id.* ib.
[n] *Flor. Wig.*
[o] *Malmeſb. de Pont.* l. 2. *Hunting.* l. 3.
[p] *Brompt. Malmeſb. de Pont.* ERCENWALDUS, *H. Hunting.* ERCONWALDUS, *Flor Wig.* EARCONWALDUS, *Beda.*
[q] *Malmeſb. de Pont.* l. 2. *Flor. Wig.*
[r] *Beda* l. 4. c. 6. *Flor. Wig.*
[s] *Malmeſb.* ibid.

Poſt

Poſt ERKENWALDUM *hii ordine ſucceſſerunt.*

V. WALDHERUS, cujus mentionem facit Beda, Eccl. Hiſt. lib. 4. cap. 11[t]. [685.]

VI. INGUALDUS[u] Bedae contemporaneus. Obiit anno 744.

VII. EGWULPHUS[x]. Hunc videtur Malmesburienſis Egtulphum appellare, quem perhibet Orientalium Anglorum Epiſcopum, concilio per Cuthbertum Archiepiſcopum indicto praeſentem adfuiſſe anno 747[y].

VIII. WIGHED[z].

IX. EADBRIGHT[a].

X. EADGARUS[b].

XI. KENWALCHUS[c].

XII. EADBALDUS.

XIII. HECBERT[d], alias HEATHOBERTUS. Qui obiit anno 802. [802.]

XIV. OSMUNDUS[e], alias OSWYNUS[f]. Vixit ille anno 833[g].

XV. ETHELNOTHUS[h].

XVI. CEOLBERTUS[i]. [830.]

XVII. RENULPHUS, alias CEORULFUS[k].

XVIII. SUITHULFUS. Qui vixit anno 851[l].

XIX. EADSTAN[m]. Vixit anno 860[n].

XX. WLFSIUS[o].

XXI. ETHELWARDUS.

XXII. ELSTAN[p]. Obiit anno 898.

XXIII. THEODREDUS[q] cognomento Bonus[r] ligneo ſacello diruto, in loco ſepulturae S. Edmundi, fundamenta jecit baſilicae nobiliſſimae, quam etiam videtur perfeciſſe. Ipſe vero in excelſo quodam tumulo dicitur conditus, juxta feneſtram cryptae ſubterraneae, quae nunc Eccleſia Parochialis S. Fidis nuncupatur.

XXIV. WULSTANUS.

XXV. BRITHELMUS. Obiit 958[s]. [958.]

XXVI. DUNSTANUS[t]. Cantuariam tranſlatus 961. De quo inter Cantuarienſes plura. [961.]

XXVII. ALFSTANUS[u], vixit anno 966 et 996. [996.]

XXVIII. WULFSTANUS[x].

---

[t] Succeſſit A. 685.

[u] *Chron. de Mailr.* IGWALDUS, *Chron. S. Cru.* HIGWALDUS, *Brompt.* INGNALDUS, *Malmeſb. de Pont.* INGUAD, *Hoved.* INGOLGUS, *Mat. Weſtm.*

[x] EGULF, *Malmeſb. de Pont.* ECGWLFUS, *Flor. Wig*

[y] *Conc. Angl.* T. 1. p. 94.

[z] *Flor. Wigor.* WIGETH, *Malmeſb. de Pont.*

[a] *Flor. Wig.* EDBRIHT, *Malmeſb. de Pont.* Obiiſſe dicitur A. 802. à *M. Weſtm.* p. 152. ſed perperam.

[b] Subſcripſit Chartae Eccleſ. Roff. datae ab Offa Rege A. 789. *Text. Roff.* Fol. 133.

[c] *Malmeſb. de Pont.* CEONWALCHUS, *Flor. Wigor.*

[d] HATHUBERT. Ob. 801. *Hoved.* 233. b.

[e] *Flor. Wig.*

[f] *Malmeſb. de Pont.* Interfuit et ſubſcripſit Actis Concilii Cloveſhovienſis A. 803. *Conc. Anglic.* T. 1. p. 167.

[g] Ob. Oſmundus ante A. 816. Charta quidem Witlafii Regis A. 833 data, nomen ejus profert. Commentitiam autem eſſe, Godwini Epiſ. Roff. nomen additum, evincit. *Wharton de Epiſc. Lond.* p. 24.

[h] Interfuit Synodo Calchuthenſi A. 816. *Conc. Angl.* T. 1. p. 169. — Profeſſio ejus Wlfredo Archiepiſcopo facta extat in Regiſtro Eccleſ. Cantuar. *Wharton* ibid.

[i] CELBERTUS, *Malmeſb. de Pont.* CEOLBERHTUS, *Flor. Wig.* Conſecr. eſt ante A. 830 à Wlfredo Archiepiſc. cui profeſſio facta legitur in Archivis Eccl. Cant. *Wharton* ut ſupra.

[k] *Flor. Wigor.* CERNULPH, *Malmeſb. de Pont.* Profeſſionem fecit Ceolnotho Archiepiſc. *Wharton* p. 25.

[l] Magnopere celebratur ab Ingulfo p. 16. ob doctrinam et eloquentiam. Chartam verò cui ſubſcripſiſſe dicitur A. 851 ſpuriam eſſe non eſt ut dubitemus.

[m] HEAHSTANUS, *Flor. Wig.* ETSTAN, *Malmeſb. de Pont.* ELSTANUS, *Ingulf. Hiſt.*

[n] Obiiſſe dicitur à Cl. Whartono A. 898 ex fide diverſorum.

[o] WULFSIUS, *Flor. Wig.* WLSIUS, *Malmeſb. de Pont.* Claruit et Chartis ſubſcripſit A. 900 et 904. ut conſtat e Regiſtro Hidenſi fol. 72. *Wharton* p. 27.

[p] EALNSTANUS, *Regiſt. Cantu.* Claruit Epiſcopus adhuc Londinenſ. A. 926 *Monaſt. Angl.* T. 3. p. 302.

[q] *Flor. Wig.* et *M. Weſtm.*

[r] *Malmeſb. de Pont.* l. 2.

[s] Helmeamenſem Epiſcopum primùm fuiſſe conſtat è Regiſtr. Coenobii Burienſis. *Monaſt. Anglic.* T. 1. p. 293, 294.

[t] Wigornienſis primò Epiſcopus, adminiſtrationem (*Dicet de Praeſul.* c. 3. et *Capgravus* in illius vita) hujuſce ſedis a Rege Edgaro accepit A. 958. et proximo anno nondum finito Cantuariam tranſlatus eſt. Interea verò S. Wlſinum conſtituit Abbatem apud Weſtmonaſterium, inſtructo ad XII Monachos Coenobiolo in loco ubi quondam Mellitus Eccleſiam S. Petro fecerat. *Maria. Scotus* L. 3. p. 312.

[u] AELSTANUS, *Lib. Elienſ.* ELFSTANUS, *Malmeſb. de Pont.* AELFSTANUS, *Ingulf.* Illo ſedem hanc poſſidente, Civitas una cum Eccleſia conflagraſſe dicitur. *Chronic. Petrob.*

[x] WLSTANUS, *Malmeſb.* WULSTANUS, *Wigorn.* Floruit Annis 998 et 1002. *Text. Roff.* WULFSTANUS, *Regiſt. Cantua*

XXIX. ALHUNUS[y]. Erudivit ille liberos Etheldredi Regis, et in Normanniam eos comitatus eſt anno 1013[z].

XXX. ALWY[a].

XXXI. ELFWARDUS[b], vel ALWORDUS[c], Abbas Eveſhamenſis, una cum Epiſcopatu Abbatiam inſuper tenuit[d]. Senio ingraveſcente praeſulatum voluit abdicare, ut reliquum aetatis inter Eveſhamenſes ſuos Monachos tranſigeret. Verum ab illis cum non reciperetur, multos libros quos eo comportarat donandi conſilio, abſtulit denuo (necnon et alios nonnullos quos non attulerat) et Eccleſiae ornamenta complurima; quae omnia Ramſeyenſi contulit coenobio[e], ubi Julii viceſimo quinto 1044 mortuus ſepelitur[f].

[1044.] XXXII. ROBERTUS[g] NORMANNUS. De cujus ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem anno 1050 tranſlatione, &c. Cantuarienſium ſi placet catalogum conſulas.

XXXIII. GULIELMUS.

1050. TRANSLATO Roberto, neſcio quo pacto deſignatur ſucceſſor Spearheafocus Abindonenſis Abbas. Verum cùm refragante Rege conſecrationem non poſſet obtinere; Gulielmus quidam Epiſcopus creatus eſt[h], patriâ etiam ſicuti anteceſſor Normannus, qui cum Emma Regis matre venerat in Angliam. Annos vix duos huic ſedi praefuerat, quando in gratiam Regis recepto Godwino Comite una cum filiis; Normannorum plurimi (ſicuti in Roberti Cantuarienſis vita narravimus) Angliâ excedere conſultum putarunt, interque eos, praeter Robertum antedictum, et Ulfum Lincolnienſem Epiſcopum, iſte etiam Gulielmus; qui caeteris foelicior, propter plurimas animi virtutes, manſuetudinem in primis ac comitatem, brevi revocatus eſt, idque Londinenſium ſuorum magno bono. Nam cùm Gulielmus Normanniae Dux aliquot poſt annos Angliam ſubegiſſet: Iſte pro eâ quâ apud novum Regem valuit gratiâ et authoritate, civibus ſuis omnia illa impetravit privilegia confirmari, quae à ſuperioribus acceperant principibus. Cujus illi beneficii memores, anniverſaria commemoratione id ipſum dicuntur etiamnum celebrare ad tumulum ejus, quem, in medio navis Eccleſiae ſuae ſitum, epitaphio hujuſmodi in aes inciſo honeſtârunt.

“ Gulielmo, viro ſapientiâ et vitae ſanctitate claro, qui primum Divo Edwardo Regi et Confeſſori familiaris, nuper in Epiſcopum Londinenſem erectus, nec multo poſt apud invictiſſimum principem Gulielmum Angliae Regem ejus nominis primum ob prudentiam fidemque ſingularem in conſilium adhibitus, ampliſſima huic urbi celeberrimae privilegia impetravit; S. P. Q. Londinenſis bene merenti poſuit. Sedit Epiſcopus annos 20. Deceſſit anno à Chriſto nato 1070[i].

---

[y] *Wigorn.* ELFHUNUS, *Hoved. Sim. Dun.* et *Malmeſb.* AELFHUNUS, *Weſtm.*

[z] *Dunelm.* et *Hoved.* 248.

[a] *Wigorn.* ELFWIUS, *Malmeſb.* AELFWIUS, *Regiſt. Cant.*

[b] *Ingulf.*

[c] *Malmeſb. Hoved. Chron. Mailr.* ALFWARDUS, *Wigorn.* ALWOLDUS, *Sim. Dunelm.* ELWORDUS, *Brompt.* ALUORDUS, *Chron. Petrobur.* AELFWORDUS, *Regiſt. Cantuar.*

[d] *Lib. Ramſey.* c. 93.

[e] *Lib. Ramſey.* ibid.

[f] *Brompton. Dicet. Wigorn.*

[g] *Wigorn.* RODBERTUS, *Malmeſb. Chron. Mailr.*

[h] A. 1051. *Flor. Wig.*

[i] Malè aſſeritur eum obiiſſe A. 1070. Interfuit enim Concilio Londinenſi A. 1075. *Concil. Angl.* T. 1. p. 363. et ante paucos dies ab hac luce ſubtractus eſt.

" Haec tibi clare pater poſuerunt marmora cives.
" Praemia non meritis aequiparanda tuis.
" Namque ſibi populus te Londinenſis amicum
" Senſit et huic urbi non leve praeſidium.
" Reddita libertas duce te, donataque multis
" Te duce, res fuerat publica muneribus.
" Divitias, genus, et formam brevis opprimit hora:
" Haec tua ſed pietas et bene facta manent.

XXXIV. HUGO DE ORIVALLE[k].

GULIELMO defuncto ſufficitur à Rege Gulielmo Normanno Normannus, Hugo de Orivalle[l]. Qui non multo deinde tempore intercedente, in lepram incidit, ideoque ex medicorum conſilio exectus eſt[m]. Nec tamen ab eo malo vel eunuchus, niſi morte potuit liberari. Obiit duodecimo Januarii 1085. * 1075. GUL. 1.9.

XXXV. MAURITIUS.

MAURITIUS[n], Gulielmi Regis ſacellanus primum ac deinde Cancellarius[o], in Epiſcopum Londinenſem ſacratus eſt anno 1087. Vir moribus non uſquequaque probatiſſimis, dignus tamen cujus memoriam poſteri concelebrent, propter generoſiſſimum conatum baſilicam Paulinam, ea quam nunc cernimus amplitudine, extruendi. Civitatis Londinenſis partem multo maximam anno 1086 incendio fortuito contigit conflagrare: Cumque inter alia aedificia, Cathedralis Eccleſia D. Pauli ab Erkenwaldo (ut retulimus) poſita, penitus fuiſſet abſumpta[p]; nova [Mauritius] fecit fundamenta tam ſpatioſa, ut qui ea tempeſtate vixerunt plerique coeptum hoc ejus tanquam temerarium et audax nimium reprehenderent, nunquam futurum dicentes, ut molis tam ingentis ſtructura aliquando perficeretur. In eo loco ubi poſtea Kilwarbeius Archiepiſcopus Dominicanis ſuis coenobium condidit, arx magna ſteterat à flammis in dicto incendio nuper devorata. Hujus arcis reliquias à Rege Mauritius impetravit in ea ſtructura impendendas; quo etiam tempore donavit eum Rex Stortfordenſi arce et praediis ad illam ſpectantibus. Verum enimvero his aliiſque multis rationibus adjutus, in viginti annorum ſpatio quibus huic ſedi praefuit, opus inchoatum parum promoviſſe viſus eſt, quamvis diligentiſſimè et omnibus animi nervis in id unum incubuerit[q]. Deceſſit viceſimo ſexto Septembris 1107. * 1085. GUL. 1.20.

---

[k] ORINAL, *Malmeſb.*

[l] A. 1075. uti conſtat ex Hiſtor. Londin. apud *Wharton*. p. 42. Profeſſionem fecit Lanfranco Britanniarum Primati. *MS. Gale.*

[m] *Malmeſb.* L. 2.

[n] Nominatus eſt à Rege apud Gloverniam in Feſto Nativitatis A. 1085. *Sim. Dunelm. Hoved.*

[o] A. 1067. *Malmeſb. de Pont.* f. 134. b.

[p] *Hoved.* 264.

[q] Henricum in Regem conſecravit iſte A. D. 1100. ut teſtatur *Maria. Sco. Continuator*, etſi alii dicunt hoc factum fuiſſe à Thoma Eboracenſi.

XXXVI. RICHARDUS DE BEAUMES. I.

1108. HEN. I. 8. RICHARDUS [primus] de Beaumes nonnullis etiam Rufus cognominatus (ad diſcrimen ut opinor illius et Richardi nepotis, qui ipſi ὁμωνυμος brevi poſtea ſucceſſit) gratiâ et authoritate pollebat diu Rogeri Mongomerii Comitis Salopienſis; ejuſque operâ ad hanc ſedem provectus, Pagamiae [ab Anſelmo] conſecratus eſt anno 1108[r]. A Rege tum ſtatim limitis Wallici praefectus[s] conſtitutus eſt, et comitatus Salopienſis gubernator. Ille vero ad Eccleſiae [Paulinae] ſtructuram totus intentus, aedificia quamplurima ipſi vicina à poſſeſſoribus redemit, quibus demolitis, areas illarum in coemiterium convertit, quod muro valde excelſo cinxit undique. Vix tamen hic murus, quanquam integer adhuc ut puto comparet uſquam, à domibus [ſuperimpoſitis] hodie uſque quaque contectus. Sedit hic praeſul ſicuti anteceſſor, annos ferme viginti. Quo toto tempore, omnibus Epiſcopatûs fructibus in Eccleſiae ſuae fabrica impenſis, de ea tamen abſolvenda adeo tandem deſperavit, ut paulo ante mortem tantorum ſumptuum ac laborum pertaeſus, liberalitatis ſuae fontes alio decreverit derivare[t]. Quapropter mannerii Ladſworthenſis permutatione locum illum comparavit qui à S. Oſitha nomen habet, et ibi Canonicis regularibus coenobium condidit, quod quo tempore diſſipatum ac demolitum eſt, annuum cenſum numeravit 758 libras Anglicanas, ſolidos quinque et octo denarios, quae ſumma conficit aureorum Gallicorum 2334, [Dedit Richardo nepoti ſuo Archidiaconatum Middleſexiae, licet nondum plenae pubis exiſteret. In iſthoc coenobio] abdicato Epiſcopatu, Canonicus vivere decreverat, ſeu potius dixerim mori; nam paralyſi correptus lethali, prae foribus adeſſe mortem ſenſerat. Illud tamen ſuum propoſitum dum exequi differt de die in diem, morte tandem intercipitur decimo ſexto Januarii 1127[u].

XXXVII. GILBERTUS[x] UNIVERSALIS.

1128. HEN. I. 29. CANONICUS Lugdunenſis huic ſedi tum praeficitur[y] Gilbertus, *vir tantae doctrinae* (inquit Platina) *ut ob varietatem diſciplinarum univerſalis appellaretur*. Florentius Wigornenſis hominem dicit probum fuiſſe et grandaevum; alii egregie et avarum et divitem et doctum extitiſſe perhibent. Certè haud infimi ſubſellii antiſtitem habitum conſtabit illi, qui Epiſtolas[z] à D. Bernardo ad illum conſcriptas perlegerit. In itinere Romam proficiſcens deceſſit anno 1133[a].

---

[r] *Hoved.* 1. 270. b. *M. Par.* p. 53. Jul. 26. *Whart. de Epiſc. Lond.* p. 46. [s] Hen. 1. 9. *MS. More* in Bibl. Reg. Cant. N°. 388. [t] *Malmæſb. de Pont.* L. 2. p. 135. [u] *Hoved.* 1. 274. *Weſtm.* et *Rad. Dicet. Eadmer* L. 4. p. 105.
[x] GILBERTUS, *Rot. Cantuar.* [y] Conſecr. Cantuariae Jan. 22. 1128. ab Archiepiſc. Cantuar. cooperantibus Sigefrido Ciceſtr. et Joanne Roffen. Epiſcopis. *Flor. Wigor.* [z] Epiſt. 24. [a] *M. Weſtm. H. Hunting.* l. 7. 220. b. 1134 *M. Par.* 1134. vel 5. *Hoved.* 1. 275. 41. Aug. 10. 1134. *Wharton.* ut ſupra, ex fide annalium Wintonienſium.

XXXVIII. ROBERTUS DE SIGILLO.

* 1141. STEPH. 6.

ANSELMUS Burienſis Abbas, Divi Anſelmi nepos, mortuo Gilberto, Epiſcopus Londinenſis à Capitulo renunciatur, et electio de illo facta in Romana curia confirmatur. Veruntamen exortis derepente accuſatoribus, à criminibus neſcio quibus objectis adeo ſe non purgavit, ut neque ad Epiſcopatum conſecrationem potuerit impetrare, neque Abbatiam retinere. Electores ejus memorantur, Gulielmus D. Pauli Decanus, Radulphus Langford, et Richardus Beaumes, ille (credo) qui poſtea Epiſcopus creatus eſt. His Rex infenſus quod alium non deſignarint quem illis obtrudere nitebatur, *uxores eorum* (inquit Radulphus de Diceto) *fecit capi, ad turrim, atque illic captivas teneri, duci, donec de admiſſo crimine plene reſpondiſſent*[b]. Ad Anſelmi uſque Archiepiſcopi tempora, clericorum pleroſque uxores habuiſſe dubitandum non eſt. At poſtquam ille tanto impetu in ſacerdotum conjugia debacchatus eſt, matrimonia illi aut occulta aut non impune habuerunt. Hujuſmodi turbarum et contentionum ratione, annos plus minus ſeptem vacavit ſedes. Anno tandem 1140[c], capto per Matildim Auguſtam Stephano Rege, illius mandato [dum recepta fuit in Dominam à Londinenſibus] Robertus de Sigillo monachus Redingenſis, aut (ut nonnulli tradunt) Archidiaconus Londinenſis, electus canonice et in Epiſcopum ſacratus eſt. Poſt annum tum unum aut alterum[d] à Galfrido de Mandevilla, Duce quodam Stephani Regis (qui ſe jam in libertatem vindicarat) captus eſt in domo ſua Fulhamiae, et lytro (credo) non exiguo ſe redimere coactus. Praefuit huic Eccleſiae annos circiter decem[e]. D. Bernardus, Epiſtola 211, quam in ejus gratiam ad Innocentium ſecundum Pontificem conſcripſit, *antiquum ſuum amicum, fidelem ſervum, devotum filium* appellat.

XXXIX. RICHARDUS BEAUMES[f]. 2.

* 1152. STEPH. 17.

SUB initium Octobris 1151[g] Richardus Beaumes Archidiaconus Middleſexiae [et Angliae Theſaurarius] nepos Richardi Beaumes ſuperioris, unus ex illis conjugatis Canonicis de quibus mentio modo facta eſt, Epiſcopus Londinenſis renunciatus eſt. Obiit 1661[h].

---

[b] In hoc locum ſic diſſeruit *Cl. Whartonus* p. 55. “Haec omnia hauſit ex Baleo, qui, ut Pontificiis conviciari poſſet, nullam planè veritatis rationem habuit. Certè Codices Radulphi tam impreſſos quam manuſcriptos inſpexi; neque ejuſmodi quid de Canonicis Paulinis exſculpere potui. Refert quidem in A. 1137. (*Abbrev. Chron.* p. 506.) quod *Focariae quorundam Canonicorum, qui ſaeculares dicuntur, raptae ſublimes, ad turrim pertractae ſunt* &c. Verum de Canonicis Paulinis neque in immediatè praecedentibus nec in ſequentibus agit. Neque ſic ineptivit Radulphus, ut Canonicis Eccleſiae ſuae hanc notam [*qui ſaeculares dicuntur*] apponeret, &c. Alium errorem longè graviſſimum iniit Godwinus, à Baleo pariter deceptus. Scribit enim Anſelmi Electores fuiſſe Willelmum Decanum, Radulphum Langford et Ricardum de Beaumes; quos electionem conſtanter impugnaſſe ex Dicetenſi conſtat.”

[c] 1141. *Flor. Wig.*

[d] A. 1143. 9 Kal. Jul. *Floril.*

[e] Inter reficiendum guſtans uvas veneno illitas obiit 1151. *Joan. Haguſtal.* et *Sime. Dunelm.*

[f] De MELMEIS *Dicet. Imagi. Hiſt.* de BEAUVOIS, *M. Weſtm.*

[g] Conſecra. eſt Cantuariae à Theobaldo Archiepiſcopo, omnibus ferè Epiſcopis Angliae praeſentibus. *Dicet. Imag.* Initio Octobris 1152. *Weſtm.* Sept. 28. 1151. *Gervaſ.* Vit. Archiepiſc. Cant. Sept. 28. 1152. *Wharton* ex Archiv. Cantuar. Rot. 2.

[h] Ob. Maii 4. 1162. *Diceti Imagi.* Dialogum hic ſcripſit de negotiis Scaccarii qui hodie CODEX NIGER appellatur. *MS. Gale.*

XL. GILBERTUS FOLIOT.

*1163. Hen. 2. 10. GILBERTUS FOLIOT Abbas (ut habet Weſtmonaſterienſis) Gloceſtriae, ut Balaeus Leiceſtriae, in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus eſt anno 1149. Praefuit illi ſedi annos circiter duodecim, et Rege impenſiùs flagitante, Londinum tranſlatus eſt 1161[i]. In omnibus illis turbis et contentionibus quae inter Bekettum et Regem excitatae ſunt, conſtantiſſimè ſemper fideliſſimèque Regi adhaeſit, et omnium ejus conſiliorum particeps fuit, ideoque Pontificem non leviter habuit infenſum, à quo nimirum excommunicationis fulmine bis tactus eſt. Clericos quoſdam Beketti neceſſarios cùm Rex in exilium pepuliſſet; Gilberto huic noſtro mandavit, ſacerdotiorum ab illis poſſeſſorum fructus colligeret et fiſco inferendos curaret. Quod principis legitimo mandato [cum] paruiſſet, à Papa illico excommunicatur; ſed Regi Beketto reconciliato, abſolvitur[k]. Illo vero interempto, ſuſpicari placuit, hunc Epiſcopum, omnium regiorum conſiliorum (uti diximus) participem, Regi fuiſſe authorem ut eum curaret perimendum; et hanc ſolam ob ſuſpicionem, ſacrum illud telum iterum in eum ſtringitur; neque abſolutione vulnus illatum ſanari [potuit] priuſquam juramento fidem feciſſet ſuo nec conſilio nec conſenſu caedem patratam. Proterviam Archiepiſcopalem ſolitus inſectari, ad humilitatem nonnunquam his in verbis hominem dicitur hortatus, *Ad Zacchaeum non divertiſſet Dominus niſi prius de ſycomoro deſcendiſſet.* Hanc ſane ob cauſam hiſtoricos noſtros parum aequos habet, qui inter multa ab illis perperam tradita, quibus ſapientiſſimi viri et principis ſui conſiliarii fideliſſimi famae labem conantur inurere, hujuſmodi quippiam comminiſcuntur; reverſum quandoque à Rege, quocum de Beketti rebus longum ſermonem in multam noctem protraxerat, in cubile ſuum ſe recepiſſe; ibique in ſtrato decumbentis, atque colloquium inter ipſum et Regem animo revolventis, auribus ignotam vocem inſonuiſſe in haec verba, *O Gilberte Foliot*, *dum revolvis tot et tot*, *Deus tuus eſt Aſcarot.* Adjiciunt tamen, intrepide illum reſpondiſſe, *Mentiris daemon*, *Deus meus eſt Deus Sabaoth.* Exceſſit è vivis decimo octavo Februarii 1187[l]. Vir non modo prudentiſſimus, ſed (ut illa ferebant tempora) egregie doctus, quod poſteritati teſtatum reliquit, ſcriptis editis quae à Balaeo recitantur. Jam vero non pigebit adjicere, quod de illo à Joanne Sariſburienſi in Polycratico lib. 7. cap. 24. memoratum repperi. “Venerabilis Pater (inquit ille) G. Herefordenſis Epiſcopus mihi referre conſuevit clauſtralium morem quem in ſeipſo ſe fatebatur expertum. Cùm enim monaſterium ingreſſus eſſet, fervens adhuc igne quem de novo conceperat, magiſtratuum ſuorum ignaviam arguebat. Nec mora, promptus in modico, miſeratione complicium motus eſt, nondum tamen pepercit majoribus. Paulo poſt ad Priores aſcendit: Prioribus compatiens, carpere non ceſſavit Abbates. Factus eſt et ipſe Abbas; et propitiùs in coabbates, Epiſcoporum coepit vitia intueri. Tandem et ipſe Epiſcopus, Epiſcopis

---

[i] Menſe Januar. 1162. *Gervaſ. Vit. Archiepiſc.* & Inthroniz. eſt 28 Apr. 1163. *Dicet Imagi.* p. 535. A. 1163. *N. Trivet.*

[k] Abſolutus eſt primò apud Rothomagum die Paſchæ 1170; iterumque eodem Anno excommunicatus eſt, quod coronationi Henrici Regis Junioris adfuiſſet; à quâ ſententiâ apud Giſortium à Papâ abſolutus eſt.

[l] Obiit in civitate Londinenſi, cùm ſediſſet annis 23, menſibus 10, diebus 17. *Dicet.* p. 634.

« parcit. Nec tamen invidiae vitio ipſum arbitror laboraſſe; Sed vir pru-
« dens, quod hominibus quodammodo ingenitum eſt, eleganter expreſſit.
« Et forte hoc ſibi praefatus pater impoſuit, ut ſic laborantium turbae
« ſponte conſertus, benignius audiretur.

XLI. RICHARDUS NIGELLUS.

1189. Ric. 1. 1. NIGELLUS Elienſis Epiſcopus (qui nepos erat Rogeri Sarisburienſis Epiſcopi) filium habuit Richardum[m], cui à Rege Henrico ſecundo pretio comparavit (numeratis marcis 400) Theſaurarii ſummi[n] munus, quod toto fere tempore Regis praedicti obivit, idque ea et fide et ſolertia, ut moriens Rex centum millia marcarum in aerario reliquerit, quod continuis bellis (à quibus ille vix unquam immunis) exhauſtum omnes exiſtimabant. Obſequii præmium tulit Epiſcopatum Londinenſem, ad quem Rex (non diu poſtea ſuperſtes futurus) eligendum eum curavit. Conſecratus eſt [Lamethae] Decembris triceſimo primo 1189[o]. In Eccleſiae ſuae et aedificiorum ad ſedem ſuam ſpectantium ſtructurâ magnam impendit pecuniam[p]. Sedit annos plus minus novem, et decimo Septembris 1198[q] migravit ab hac luce.

XLII. GULIELMUS DE SANCTA MARIA.

1199. Joan. 1. CANONICUS D. Pauli ſucceſſit Gulielmus de S. Maria[r], Regis Richardi primi quandoque Secretarius, qui conſecratus eſt viceſimo ſecundo Junii 1199[s]. Hic unus fuit ex illis qui univerſum regnum Pontificis nomine ſacris interdixerunt, et excommunicatum pronunciârunt Joannem Regem, qui praeterea quod eam ob cauſam quinquennali exilio mulctavit eum, (ſicuti ſupra fuſius enarravimus*) arcem ejus Stortfordenſem, quam Sedi Londinenſi contulerat Gulielmus Primus, demolivit anno 1211 et penitus deſtruxit. Epiſcopatum hic ſponte abdicavit viceſimo ſexto Januarii 1221[t].

XLIII. EUSTACHIUS DE FAUCONBRIDGE[u].

* 1221. Hen. 3. 5. FEBRUARII viceſimo quinto ſequentis Euſtachius de Fauconbridge electione Canonicorum Epiſcopus renunciatur, quâ de re ſic luſit neſcio quis,

« Omnes hic digni, tu dignior omnibus, omnes
« Hic plene ſapiunt, plenius ipſe ſapis.

---

[m] Richardus Elienſis, Canonicus Londonienſis, Archidiaconus Elienſis nominatus eſt in generali conventu apud Pipewell. Sept. 15. 1189. *Diceto* p. 648. Conſecr. apud Lametham Dec. 31. à Baldwino Archiepiſcopo. Juſticiarius Regis renunciatus eſt Annis 1179 et 1196.

[n] Theſaurarius conſtitutus A. 25 H. 2. et 30. Decanus fuit etiam Lincolnienſis.

[o] *Diceto* et *Weſtm.*

[p] Ille ſolus cum omnes Epiſcopi jurarent fidelitatem Regi Richardo addidit Juramento, *ſalvo ordine et juſtitia eccleſiaſtica.* MS. Gale. Unus fuit è Juſticiariis itinerantibus A. 25 Hen. 2. conſtitutis apud Windſor, hic pro Comitatibus Somerſetenſi, Devon. Cornub. Bercher. et Oxfordienſi. *Id.*

[q] *Diceto* et *Gervaſ.*

[r] Genere Normannus. *Wigorn.*

[s] Maii 23. 1199. per Hubertum Archiepiſc. Cantuar. apud Weſtmonaſterium praeſentibus 13 Epiſcopis. *Diceto* p. 705. *Weſtm.*

* p. 87.

[t] A. ſc. ineunte. *M. Weſt. M. Pariſ.* Ob. apud S. Oſitham Mar. 27. 1224. *Vitell.* D. 18. et Nic. *Trivet.*

[u] FAUKISBERI, *Archiv. Eccleſ. Cantuar.*

Conſecratus eſt Weſtmonaſterii viceſimo quinto Aprilis 1222[x]. Anno deinde inſequenti lis diu agitata inter Canonicos ſuos et monachos Weſtmonaſterienſes, compoſita eſt per certos viros ad quos per compromiſſum cauſae cognitio delata eſt, nempe Archiepiſcopum Cantuarienſem, Wintonienſem et Sarisburienſem Epiſcopos, Thomam Mertonenſem ac Richardum Duneſtabliae Priores; qui conſtituerunt[y], Weſtmonaſterienſes à juriſdictione Epiſcopi Londinenſis in poſterum immunes eſſe debere: Deinde Eccleſiam Stanenſem iiſdem adjudicârunt; manerium vero una cum Eccleſia Sunburienſi Canonicis Paulinis. Ad Euſtachium vero quod attinet, fuerat ille ante ordinationem unus ex judicibus regni quos Juſtitiarios appellamus, deinde Fiſci primum Cancellarius, ac poſtea Angliae Theſaurarius[z], et regius ad Gallorum Regem bis Legatus. Quare, cum Eccleſiae Londinenſis gubernaculis primum admoveretur, hujuſmodi diſticho ad nomen ejus quidam alluſit;

“ Euſtachi nuper bene ſtabas, nunc bene ſtabis:
“ Ille ſtatus valuit, praevalet iſte tamen.

Eccleſiae ſuae magnus extitit benefactor, in eaque jacet humatus, ubi tumulum videmus marmoreum in auſtrali muro [ſupra Chorum.] Obiit triceſimo primo Octobris 1228[a].

XLIV. ROGERUS NIGER.

1229. Hen. 3. 13.

ROGERUS, ab hiſtoricis noſtris Niger cognominatus, Archidiaconus Colceſtrenſis, mox poſt Euſtachii mortem in Epiſcopum Londinenſem electus eſt, et conſecratus per [b] Jocelinum Bathonenſem Epiſcopum decimo Junii[c], videlicet in ipſo ſacroſanctae Trinitatis die feſto 1229, una cum Richardo Cantuarienſi & Hugone Elienſi praeſulibus. Hunc Rogerum perhibet Pariſienſis[d], fuiſſe virum uſque quaque venerabilem, et ob pietatem, doctrinam, concionandi aſſiduitatem, eloquentiam, hoſpitalitatem, benignitatem, morumque comitatem celeberrimum; quibus virtutibus licuit etiam adjeciſſe conſtantiam animique magnitudinem. Nam cùm Ruſtandus Nuntius quidam Pontificius ut pecuniam domino ſuo corraderet, in Synodo Londini coacta neſcio quid importunius flagitaret; caeteris omnibus Epiſcopis metu defixis, et ne mutire quidem auſis; ſolus Londinenſis, Eccleſiae Anglicanae expilationi hujuſmodi ſe oppoſuit, et in cauſa fuit ut inanis Legatus dimitteretur. Caeterum non tulit impune; nam accuſatores ſtatim ſubornati, qui bono viro, neſcio quae, partim frivola, partim falſiſſima objicerent, et Romam pertraherent; quo profectus, poſt moram diuturnam et magnam pecuniam abſumptam, inde vix tandem ſemet expedivit[e]. Deinde cum anno 1233 Walterus Maloclericus Carleolenſis Epiſcopus mare trajecturus, à Miniſtris quibuſdam Regis impeditus eſſet, quod à Rege commeatum non impetraſſet; Miniſtros illos hic Rogerus noſter auſus eſt eam ob cauſam excommunicare; ac deinde ad Regem profectus, quid fecerit indicavit, et excommunicationis ſententiam in ipſâ Regis curiâ promulgavit[f]. Eâdem porro tempeſtate, contigit Hubertum de Burgo Cantiae Comitem (qui apud hunc et ſuperiores Reges in magna potentia diù floruerat) in offenſam Regis incidere, ita ut de capiendo illo et in carcerem conjiciendo mandatum dederit. Quâ de re cum ille nocte intempeſta neſcio quid inaudiviſſet; ad Eccleſiam quandam in Comitatu Eſſexienſi (qui pars cenſetur dioeceſis Londinenſis) quanta poteſt celeritate confugit. Ubi à Miniſtris Regiis repertus coram altari in genua procumbens, in altera manu crucem geſtans, in altera vero panem Euchariſticum; rapitur tamen nihilominus ad turrim Londinenſem et in vincula conjicitur. Hinc magnam Eccleſiae factam injuriam Epiſcopus exiſtimans, Regem (Principem ſane religioſum) precibus obtundere non deſtitit, antequam Comitem, ad eundem locum unde fuerat abreptus, reducendum curâſſet. Hoc pacto, Comiti, viro ſummo et de Rep. optime merito, per invidorum calumnias de capite periclitanti, incolumitas parta et vita putatur ſervata. Nam quanquam ratio protinus inita fuerit, ne vel elabi uſquam aut evadere poſſet, aut alimenta quiſquam ad ipſum deferre, ſic ut deditionem facere eum brevi poſtea oportuerit: Regiae tamen iracundiae deferveſcendi tempus hinc datum, et ipſi criminum objectorum diluendi: quod cùm factum eſſet, in gratiam paulo poſtea receptus eſt et omnibus honoribus reſtitutus. Exceſſit è vivis hic praeſul apud Biſhops-hall in parochia de Stupenheath[g] viceſimo nono Septembris[h] 1241, ut nonnulli habent, ut alii vero (perperam opinor) tertio Octobris[i] 1243. Epitaphium vero tumulo infixum videtur annum deſignare 1240. Situm id eſt in pariete ſeptentrionali presbyterii paulò ſupra chorum, ubi haec leguntur carmina.

---

[x] Electus eſt exeunte Anno 1220. *Pat.* 5. *H.* 3. m. 5. et Apr. 25. 1221. à Benedicto Roffenſi Epiſcopo conſecratus. *Weſtm.*

[y] Vide exemptionis inſtrumentum in Append. ad Hiſt. *Whart. de Epiſc. Lond.*

[z] Theſaurarius conſtitutus 4 Dec. 1217. *Clauſ.* 2 *H.* 3. m. 16.

[a] *Weſtm. Pariſ.*

[b] Per Henricum Roffenſem Epiſcopum. Vid. inter Archiepiſc. Cantuar. p. 89. Not. n.

[c] *Weſtm.* A. 1229.

[d] p. 353, &c.

[e] *Weſtm.* A. 1232.

" Eccleſiae quondam praeſul praeſentis, in anno
" M. bis C. quater X. jacet hic Rogerus humatus.
" Hujus erat manibus Domino locus iſte dicatus.
" Chriſte ſuis precibus veniam des, tolle reatus.

XLV. FULCO BASSET[k].

1244. Hen. 3. 28. SUB finem menſis Decembris inſequentis, Fulco Baſſet Eboracenſis Decanus in Epiſcopum eligitur, qui tamen conſecratus[l] non eſt ante nonum Octobris 1244, adverſante nimirum Rege qui multum cupiebat [m] Petrum Herefordenſem Epiſcopum huc traducere. Familiâ ortus eſt Fulco nobiliſſimâ, utpote fratrem habens Baronem Gilbertum, qui, equo quo vehebatur in venatione ad ſtipitem offendente corruit, et eliſo corpore poſt paucos dies expiravit, unico relicto filiolo, quo etiam deinde paulo poſtea extincto, ad hunc Epiſcopum, Decanum tunc Eboracenſem haereditas devoluta eſt anno 1241. Huic ab hiſtoricis noſtris vitio vertitur, quod ſeditioſorum Baronum cauſae non faveret, hoc eſt, quod Principi ſuo fidelis extiterit. Virum caeteroqui bonum fatentur, prudentem, pium, et vigilantiſſimum paſtorem. Quod ſeditioſorum conſiliis ſe non immiſcuerit, puſillanimitati haud tribuendum caeterae ejus actiones demonſtrant, quibus animi magnitudinem conſtantiamque abunde declaravit.

---

[f] *Id.* ibid. *Pariſ.* p. 387.
[g] Stebenhyth, vulgo Stepney prope Londinum.
[h] *M. Pariſ.* die 28 Sept. *M. Weſtm.*
[i] *Annal. Waverleien.*
[k] Fuit et alius Fulco Baſſet (ſc. de Stamford) qui poſtea fuit Archiepiſcopus Dublin. 1257. *Annal. Teuxb.*
[l] In Eccleſ. S. Trinit. London. *Archiv. Eccleſ. Cantuar.*
[m] *Pariſ.* p. 576.

ravit. Ruſtandus Legatus ille Pontificius de quo ſupra,[n] anno 1255 Synodum Londini coegit, in quâ cùm neſcio quid machinaretur ut Clerum Anglicanum ingenti pecunia emungeret, (connivente Rege, cui partem praedae Ruſtandus libenter ceſſerat) exurgens Fulco, et Rogeri anteceſſoris ſui conſtantiam magis aemulatus, quam moleſtiis illi exhibitis territus; Pontificum Romanorum avaritiam immanem magna loquendi libertate aperte inſectatus, cervicem prius ſecuri feriendam ſe exhibiturum profeſſus eſt, potius quam patriae ſuae humeris onus tam intolerandum ſe annuente patiatur imponi. Cùmque Rex eam ob cauſam vehementer iratus à minis et verborum contumelia non temperaret, proditorem appellans, et proditoria familia ortum dicens: Oratione uſus quae animum proderet magnum potius quam bonum; Epiſcopatum (inquit) mitram et pedum, per vim et injuriam eripere mihi poſſunt Rex et Papa, galeam vero et enſem (niſi fallor) haudquaquam. Peſte ſublatus hic tam animoſus praeſul interiit anno[o] 1258, et in ſua Eccleſia dicitur ſepultus Maii viceſimo quinto[p].

XLVI. HENRICUS DE WINGHAM.

1259. Hen. 3.44. HENRICUS de Wingham Angliae Cancellarius, Vaſconiae [Camerarius] et tam apud Tottenhall[q] quam ſancti Martini Decanus, poſtquam in Galliâ Legati officio bis functus fuiſſet, Epiſcopatum Wintonienſem cur electus abnuerit anno 1258[r] vide apud Wintonienſem Ethelmarum. Anno dein ſequenti Londinenſem oblatum haud aſpernatus, ſub exitum Junii[s] menſis conſecratur. Exiguo praefuit tempore, morte ſublatus decimo tertio Julii 1261[t]. Sepultus jacet ad murum auſtralem ſupra praesbyterium, ubi tumulum ejus videmus Fauconbrigiano conjunctum.

XLVII. RICHARDUS TALBOT[u].

*1262. Hen. 3.46. WINGHAMO defuncto, in ſucceſſorem eligitur Richardus Talbot Eccleſiae Paulinae Decanus, cujus porro electio confirmata eſt. Conſecratum vero negat T. Wike Chronici Oſneyenſis author[x]. Conſecratus necne, fatum certe ſuum ille explevit dies pauculos ante feſtum S. Michaelis anni proxime inſequentis, videlicet 1262.

---

[n] Menſe Octobris *Par*. p. 915. [o] 1259. *Par*. p. 987. *Weſtm*. et *Anna. Burton*. Maii 12. 1259. *Joh. Textor*. [p] Apud Fulham. *Annal. Lond.* Hic noſter Epiſcopus, una cum Waltero Winton. Epiſcopo et nonnullis aliis primò conſtituuntur Regi à Secretioribus Conciliis. *Annal. Burton*. p. 378. [q] Rex contulit ei Decanatum de Tetenhall 13 Jan. *Pat*. 39. *H*. 3. *m*. 14.

[r] Menſe Januar. [s] Presbyter ordinatus eſt hebdomeda praecedenti Nativitatem Domini A. 1259. et conſecratus craſtino S. Valentini Martyris (15 Feb.) apud Southwark ab Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Weſtm*. p. 371, 372. [t] *Annal. Burtonenſes*. 1262 *Weſtm*. et *Obituar. Paul.* Conceditur H. de Wengham Epiſc. Lond. quod poſſit retinere, omnes ſuas dignitates, viz. duos Decanatus et decem opimas Praebendas et Rectorias. *Pat*. 43. *H*. 3. *m*. 18. [u] Filius Richardi Talbot, à quo Comites Salopiae originem traxerunt. *MS. Wood*. [x] Electus eſt Aug. 18. 1262. et obiit tertio vel quarto die ante Feſtum S^{ti} Michaelis non confirmatus. *Chron. Tho. Wikes* p. 55. Statim poſt conſecrationem ſuam. *Howſon*. MS. Gale. Clariſſime verò conſtat eum nondum conſecratum obiiſſe.

XLVIII. HENRICUS DE SANDWICH.

1263. HEN. 3. 47. MAII viceſimo ſeptimo 1263 Henricus de Sandwich Archidiaconus Oxonienſis in Epiſcopum Londinenſem Cantuariae ſacratus eſt[y], una cum Sariſburienſi. Excommunicatus hic fertur (nec immerito) ab Ottobono Pontificio Legato, quod à partibus ſtaret ſeditioſorum Baronum contra legitimum Principem[z]. Ut abſolutionem impetraret Romam profectus, ibi haeſit fere per ſeptennium antequam ſe caſſibus Pontificiis poſſet expedire[a]. Deceſſit[b] Septembris decimo ſexto 1273, et in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

XLIX. JOANNES DE CHISHUL.

1274. EDW. 1. 2. JOANNES de Chiſhul Eccleſiae D. Pauli Decanus, et Londinenſis quandoque Archidiaconus, poſtquam magni ſigilli Cuſtos[c] fuiſſet ac deinde Angliae Theſaurarius[d], in Epiſcopum Londinenſem conſecratus eſt viceſimo nono Aprilis 1274[e]. Deceſſit decimo Februarii 1279[f].

L. RICHARDUS DE GRAVESEND.

1280. EDW. 1. 8. FULCO Lovel, tum legitime electus, electioni de ſe factae ſponte renunciavit. Richardus de Graveſend Archidiaconus Northamptonienſis[g], poſt illius recuſationem conſecratus eſt Coventriae duodecimo Auguſti 1280. Coenobii Carmelitanorum quod fuit Maldoniae hic primus extitit fundator. Obiit Fulhamiae nono Decembris 1303[h], et in Eccleſia ſua ſepultus eſt[i].

LI. RODULPHUS DE BALDOCK.

*1304. EDW. 1. 34. TOTIUS capituli conſenſu, Radulphus Baldock[k] Eccleſiae Cathedralis Decanus, in feſto S. Matthiae ſequenti electus eſt: Conſecratio vero aliquandiu dilata propterea quod tres Canonici ab Archiepiſcopo Cantuarienſi exauthorati, ad ſuffragia ferenda non admiſſi, contra electionem hujuſmodi proteſtati, ad Papam provocaſſent. Mandato[l] Pontifi-

[y] Electus eſt Nov. 13. 1262. *Wikes* ut ſupra. Tempora reſtitut. 15 Jan. 3 *Pat.* 47. *H.* 3. *m.* 19. et conſecratus Maii 27.

[z] *M. Weſtm.* ad A. 1265. et *Wikes* p. 74.

[a] Suſpenſione ſublatâ redit in Angliam menſe Januarii. *Wikes.* p. 99.

[b] Ob. Menſe Auguſti. *Anna. Waverl.* p. 228. circa Feſtum S. Mich. *Wikes.* ib. *Weſtm.* p. 403.

[c] Oct. 30. 1268. *Pat.* 53. *H.* 3. *m.* 29.

[d] Feb. 6. 1270. *Pat.* 54. *H.* 3. *m.* 23.

[e] Conſecrat. in majori Capella apud Lambeth die Dominica proxime poſt Feſtum D. Marci, 1274. *Archiv. Eccleſ. Cantuar.* Tempora reſtit. 15 Mar. *Pat.* 2. *E.* 1. *m.* 20. Ratione infirmitatis Coadjutores habuit primò Decan. et Theſaur. Paul. dein Archidiaconum Colceſtriae 1279. *Regiſt. Peckh.*

[f] Ob. Feb. 7. 1279. *Wikes* p. 109. Licentia eligendi 18 Feb. *Pat.* 8. *Ed.* 1. *m.* 23.

[g] Canonicus S. Pauli, habet Regis Aſſenſum 9 Maii et temporalia reſtituta ſunt 17 Maii. *Pat.* 8. *E.* 1. *m.* 23.

[h] *Annal. Londin. Weſtmonaſt.*

[i] Memoratur inter Benefactores Acad. Cantabr.

[k] Richardo defuncto Licentia eligendi 13 Jan. et Mag. Rad. de Baudak: habet reſtitu. Tempora. 1 Jun. *Pat.* 32. *E.* 1. *m.* 23. Confirmatus 6 Id. Maii 1304. *Regiſt. Cantuar.*

[l] *Rym. Foed.* T. 2. p. 981.

cis (Clementis quinti) Lugduni tandem eſt ſacratus, Petri Hiſpani Cardinalis miniſterio, triceſimo Januarii[m] 1305. Homo fuit non indoctus, et inter alia ejus opera per Balaeum recenſita, Anglicarum rerum Annales Latine perſcripſit. Ad ſtructuram orientalis partis Eccleſiae ſuae, dedit ſuperſtes adhuc ducentas[n] marcas, et moriens magnam [legavit] pecuniam. Verum abs re fortaſſis non fuerit memoraſſe, dum ponerentur fundamenta, magnam vim à foſſoribus inventam bubulinorum capitum; unde probabiliter conjicit doctiſſimus noſter Camdenus, Dianae templum ibi loci olim extitiſſe. Sane quod adfert de ritibus nonnullis nobis adhuc pueris Dianae cultum redolentibus uſurpatis, congruit vehementer cum monitis Gregorii ad Auguſtinum datis (Epiſt. 71. et Joan. Diac. in vita S. Greg. lib. 2. cap. 37.) ubi conſulit, ut ritibus Paganorum quantum ſalvâ religione liceret ſe accommodent, *ac ubi boves illi multos immolare conſueſcerent, religioſis conviviis debitas ſolennitates celebrarent.* Educatus eſt hic praeſul Oxoniae in Mertonenſi Collegio[o], defunctus apud Stell[p] Julii viceſimo quarto 1313, et marmoreo lapide contectus jacet in capella beatae Mariae.

LII. GILBERTUS SEGRAVIUS.

1313. EDW. 2. 7. GILBERTUS Segravius[q], è Comitatu Leceſtrenſi oriundus[r], Oxoniae vero educatus, vir doctus fuit et eruditionis ſuae monumenta non pauca poſteris reliquit. Conſecratus eſt in Londinenſem Epiſcopum viceſimo quinto Novembris 1313[s], et annos praefuit circiter tres[t]. De illo vide plura apud Corbrigium Eboracenſem.

LIII. RICHARDUS NEWPORT.

1317. EDW. 2. 10. RICHARDUS Newport Archidiaconus Midelſexiae conſecratus eſt viceſimo ſexto Martii[u] 1317: mortuus vero Auguſti viceſimo quarto 1318.

LIV. STEPHANUS GRAVESEND.

1318. EDW. 2. 12. STEPHANUS Graveſend Januarii decimo quarto ſequenti conſecratus eſt, et annos ſedit plus minus viginti[x].

---

[m] Ante Kal. Januar. *Rymer* ib. Conſtitutus Cancellarius Angliae 1306. *Rot. Fin.* 35. *E.* 1. *m.* 1.

[n] Vel 2000. *MS. Ex.*

[o] Non conſtat.

[p] Apud Stebenheth. *Annal. Lond.*

[q] Decretorum Doctor, et Eccl. Paulinae Praecentor, electus eſt Aug. 17. 1313. Tempora. reſtitu. 28 Sep. 1 *Pat.* 7. *E.* 2.

[r] *Burton in Chorograph.* p. 244.

[s] Ab Henr. Winton. Epiſc. *Archiv. Eccleſ. Cantuar.*

[t] Ob. Dec. 18. 1316. *Annal. Lond.*

[u] Licen. eligendi 30 Dec. Ric. de Newport habet Regis aſſenſum 11 Feb. et Tempora. reſt. 31 Mar. 2 *Pat.* 10. *E.* 2. Conſecra. apud Cantuar. 15 Maii. *Regiſtr. Cranborn.*

[x] A° 1329. 3 E. 3. accuſatus eſt de conſpiratione contra Regem, unà cum Archiepiſc. Ebora. et aliis; convicti ſunt omnes, ſed Epiſcopi à capitali ſupplicio liberantur. *Walſing. Hiſt. Angl.* p. 110. Obiit tandem 8 Apr. 1338. et in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

LV. RICHARUS BINTWORTH[y].

DE Richardo Bintworth Canonico Paulino electio facta confirmata eſt viceſimo tertio Maii 1338, ac poſtea (de tempore parum conſtat) Epiſcopi Ciceſtrenſis Miniſterio conſecratus eſt Lamethae[z]. Obiit octavo Decembris 1339[a]. 1338. Edw. 2. 12.

LVI. RADULPHUS STRATFORD.

CANONICUS etiam Paulinus Radulphus Stratford, Cantuariae conſecratus eſt Martii duodecimo (ſtylo Anglicano) 1339. Aream quandam prope Smithfeldiam Londini pretio comparavit, Neminis-terram nuncupatam, et cadaverum ſepulturae dicavit[b]. Natus dicitur Stratfordiae ſuper Avonam ubi capellam in honorem D. Thomae aedificavit[c]. Mortuus eſt apud Stupenheath[d] cùm annos ſediſſet circiter quatuordecim. 1339. Edw. 3. 14.

LVII. MICHAEL NORTHBROOK.

JULII ſeptimo[e] 1355 confirmata eſt electio de Michaele Northbrook facta legum Doctore: Qui poſtea conſecratus, coenobium Carthuſianis Londini ponere aggreſſus eſt, quod (ipſo immatura morte ſublato) perfecit Walterus[f] Mayny Eques auratus anno 1370. Epiſcopus vero peſte correptus interiit Copfordiae nono Septembris 1361[g]. * 1354. Edw. 3. 28.

LVIII. SIMON SUDBURIUS.

SIMON SUDBURIUS aliàs dictus Tibaldus legum Doctor ſucceſſit[h]. Cum annos quindecim ſediſſet, ad Cantuarienſem Metropolitanam tranſlatus eſt[i]. 1361. Edw. 3. 36.

[y] WENTWORTH. *Regiſtr. Cant.*

[z] Jul. 12. 1338. Aſſiſtentibus Roffenſi, Coventr. et Sarisb. Epiſcopis, et Archiepiſcopo Dublinenſi. *Gul. Dene.* p. 374. *Regiſtr. Cranb.* Electus adhuc, conſtitutus eſt Cancellarius et M. Sigilli Cuſtos 6 Jul. *Clauſ.* 12 *E.* 3. *p.* 2. *m.* 23. *in dorſo.* Quo tandem mortuo liberatum eſt Cuſtodi Rotul. Cancella. et aliis Commiſſionariis cuſtodiendum 8 Dec. 1339. *Clauſ.* 13. *E.* 3. *p.* 3. *m.* 11. *in dorſo.*

[a] *Adam. Murimuth.*

[b] *Stoi. Hiſt. Lond.* Lib. 2. p. 13

[c] Jo. de Stratford Archiepiſc. Cantuar. aedificavit iſtam Capellam. v. *Dugd. Antiq. Warw.* p. 521. a. ſed de benefactione Epiſc. Radulphi v. *ib.* p. 521. b.

[d] Apr. 7. 1354. *Regiſtr. Iſlip.*

[e] Ita *Weaver* p. 364. ſed quâ fide neſcio. Tempora. reſtitut. 23 Jun. 2 *Pat.* 28. *E.* 3. *m.* 22.

[f] Hâc de re, adi *Regiſtr. Norvic.* 6. f. 341.

[g] *Regiſtr. Iſlip.* p. 237. In ſupremo teſtamento haec habet; Lego mille Marcas de quibus poſſit quilibet Pauper et Plebeius ſub bono pignore mutuo recipere decem libras. 1 *Pat.* 49. *E.* 3. *m.* 30.

[h] Per Papam proviſus (dat. Avinion. 4 Kal. Nov. 1361.) habet reſtitutionem Temporal. 15 Maii 1 *Pat.* 36. *E.* 3. *m.* 9. conſecratus verò Martii 20 praecedentis

[i] Maii 4. 1375. per Bullas papales. *Regiſtr. Sudbury.* f. 1.

LIX. GULIELMUS COURTNEIUS.

1375. Edw. 3. 49. ANNO 1375, quando [k] Cantuariam tranſlatus eſt Sudburius, Gulielmus Courtneius Herefordenſis Epiſcopus Londinenſi ſedi praeficitur, et eidem poſtea tam Cantuariae quam Londini ſucceſſit, anno videlicet 1381. Interea verò anno 1377 ſimultas orta videtur inter ipſum et Joannem Gandavenſem Lancaſtriae Ducem Regiſque [filium natu ſecundum.] Siquidem à Walſinghamo[l] aliiſque traditur convitio laeſum Epiſcopum à Duce, idque tam graviter tuliſſe Londinenſes cives, ut ad arma magno numero proruentes, domum ejus viderentur expugnaturi ut ipſum trucidarent. Cùmque fugâ ſibi conſuluiſſe intellexiſſent, palatium ejus ſubjecto igne incendere parabant, donec Epiſcopus ſemet interponens, hoc ne fieret, multis precibus aegre impetravit. Anno 1378 Cardinalis videtur creatus. Ita nimirum aſſerit Walſinghamus*, illorum ferme temporum ſcriptor. Et Ciaconius una cum Onuphrio Epiſcopum Londinenſem Cardinalem tum factum perhibent; ſed Adamum nuncupatum, contendunt. Neque vero dubium eſt, Adamo cuidam Anglo his temporibus purpurei galeri honorem datum, quem Eaſtonum appellatum author eſt Balaeus. Theodoricus à Nyem in hiſtoriâ de ſchiſmate &c. multam habet ejus mentionem. Mihi proinde placet, tam Courtneio quam Eaſtono honorem Cardinalitium collatum, ſed Adamo per Gregorium undecimum, cujus rei authores habeo nonnullos. Caeterum de Courtneio jam antea pluribus inter Cantuarienſes.

LX. ROBERTUS BRAYBROOK.

1381. Ric. 2. 5. ROBERTUS BRAYBROOK[m] conſecratus eſt quinto Januarii[n] 1381. Septembri deinde menſe Angliae conſtituitur Cancellarius[o], verum ſemeſtri vix ſpatio id muneris eſt functus. Obiit viceſimo ſeptimo Auguſti 1404. Sepultus jacet in medio capellae beatae Mariae, lapide tectus marmoreo.

LXI. ROGERUS WALDEN.

1404. Hen. 4. 5. THOMAS quidam Langleius à Canonicis Octobris 20 inſequenti in Epiſcopum eſt electus[p]. Papa vero, ab Arundello Archiepiſcopo rogatus, decimo Decembris 1404 oraculo ſuo Epiſcopum pronunciavit

---

[k] Bullâ datâ eodem die, viz. 4 Non. Maii 1375; Temporalia verò non reſtituta ſunt uſque ad 2 Dec. 2 *Pat.* 49. *E.* 3. *m.* 7. Cancellarius conſtitutus die Sabbati in Feſto S. Laurentii. *Clauſ.* 5. *R.* 2. *m.* 35. *in dorſo.*

[l] p. 188.

* p. 219.

[m] Rob. Braybrook Canonicus Lichf. in Legibus Licentiatus à Papâ proviſus habet reſtitutio. Tempora. 27 Dec. 1381. 1 *Pat.* 5 *R.* 2. *m.* 4. Filius fuit Gerardi Braybroke Militis. *MS. Anſtis.* E familia praenob. de Braybroke Caſtle in agro Northampton.

[n] *Regiſtr. Courtney.*

[o] Factus Cancellarius, et M. Sigillum ei liberatum eſt die Vigil. S. Matthaei Apoſtol. *Clauſ.* 6 *R.* 2. *p.* 1. *m.* 24. *in dorſo.* Sed amotus eſt ob gravem inimicitiam Joan. Gandav. *Walſing.* p. 290.

[p] Rob. defuncto Licen. eligen. 10 Sept. 2 *Pat.* 5 *H.* 4. *m.* 1.

Rogerum Waldenum[q], quem nuper in Arundelli gratiam à Cantuarienſis Archiepiſcopatus throno deturbarat. Vix quenquam reperias qui variantis fortunae viciſſitudines magis ſit expertus. Nam ex ſumma pauperie tenuiſſimaque fortuna, parvo temporis ſpatio Decanus evaſit Eboracenſis, et urbis Caletenſis Theſaurarius, tum Secretarius regius ac inde ſummus Angliae Theſaurarius[r]; poſtremo ad Archiepiſcopale culmen provectus pulſo et exauthorato Arundello; Richardo Rege (cujus gratiâ floruerat) poſt biennium in ordinem redacto, omnibus fortunis derepente ejectus[s], Epiſcopus vixit ſine Epiſcopatu (nam, quod alias diximus, Epiſcopatus quatenus ordo, eſt character indelebilis) et in omnium rerum ſumma inopia vitam terminâſſet, niſi miſertus ejus Arundellus, benignitate nunquam ſatis laudandâ, in ſede Londinenſi ipſum collocandum curâſſet. Sed eo beneficio diu gaudere non licuit. Nam anno vix adhuc deinde circumacto, mortuus eſt[t]. Sepultus jacet in Prioratu S. Bartholomaei juxta Smithfeldiam. De illo in Arundello Cantuarienſi plura.

LXII. NICOLAUS BUBWITH.

1406. Hen. 4. 7. SEPTEMBRIS viceſimo ſexto[u] 1406, Nicholaus Bubwith in Epiſcopum Londinenſem Mortlaci conſecratus eſt[x]. Qui ſub unius deinceps anni curriculum bis tranſlatus eſt, Sariſburiam primum Auguſti triceſimo primo 1407[y], ac deinde Bathoniam Octobris quinto[z]. De illo inter Bathonienſes vide plura.

LXIII. RICHARDUS CLIFFORD.

1407. Hen. 4. 9. PAPA per proviſionem Epiſcopatum Bathonenſem et Wellenſem anno 1401 Richardo Clifford[a] contulerat. Verum adverſante Rege, qui regno tum nuperrime potitus erat, Pontificatu ſperato excidit, et paulo poſtea Wigornienſis Eccleſiae gubernaculo admotus eſt: ubi poſtquam annos circiter ſex ſediſſet, Londinum decimo tertio Octobris[b] 1407 tranſlatus eſt. Anno deinde 1414 ad concilium Conſtantienſe miſſus, coram Imperatore et Cardinalibus ibi congregatis concionem habuit Latine. In eo concilio, ſchiſma illud diuturnum finem accepit, et omnium gentium conſenſu Martinus quintus unicus et verus Pontifex declaratus. In ejus electione, authoritate concilii conſtitutum eſt, ut electores triginta Cardinalibus adjicerentur, quorum unus Londinenſis noſter deſignatus[c]. Nec vero defuerunt inter illos, qui ipſum Papam creandum cenſerent. Ipſe certe omnium primus Cardinalem Columnam nominavit[d], qui caeterorum accedente conſenſu, Pontifex declaratus, Martini nomen aſſumpſit. Moritur hic praeſul viceſimo Auguſti[e] 1421, et ſub lapide marmoreo jacet ſepultus, inter locum ubi ſtetit olim S. Erkenwaldi feretrum, et tumulum Chriſtopheri Hatton Angliae non ita pridem Cancellarii.

---

[q] Rex reſtituit Tempora. 28 Jul. 2 *Pat.* 6 *H.* 4. *m.* 15. Aſſenſus Regis priùs obtent. 24 Jun. *ib.* Bullâ proviſionis datâ 7 Id. Jul. Pontifica. Innocentii Papae primo. *Regiſtr. Arundel.* f. 23.

[r] 1 *Pat.* 19 *R.* 2. *m.* 18.

[s] *Walſing.* Hiſt. Angl. p. 418.

[t] Ob. 6 Jan. 1405. *Regiſtr. Arundel.* f. 228. Theſaurarius eſt Angliae. 8 *Pat.* 1 *H.* 4. *m.* 17.

[u] *Regiſtr. Arundel.* f. 33.

[x] Proviſione Papali; Temporal. reſtitu. 27 Sept. 2 *Pat.* 7 *H.* 4. *m.* 3. Theſaurarius Angliae 15 Apr. 2 *Pat.* 8 *H.* 4 *m.* 24.

[y] Bulla data 22 Jun. 1407. *Regiſtr. Arund.* f. 37.

[z] 7°. *Regiſtr. Arund.* f. 40.

[a] Filius Ludovici Clifford militis. *MS. Arſtis.*

[b] Papali Proviſione, Bullâ datâ 10 Kal. Jul. Pontif. Gregorii XII. 1°. *Regiſtr. Arundel.* f. 39. et Rex reſtituit Temporalia 20 Oct. 1 *Pat.* 9 *H.* 4. *m.* 30.

[c] *L'Enfant Hiſt. du Conc. de Conſtance.* Liv. 5. p. 534.

[d] *Walſing.* p. 444.

LXIV. JOANNES KEMP.

*1422. HEN. 5. 10. SUCCESSIT illi Joannes Kemp, Roffenſis primum, deinde Ciceſtrenſis Eccleſiae Epiſcopus, unde viceſimo ſeptimo Februarii[f] 1421 huc tranſlatus; Eboracum denique migravit 1425. Ubi cùm annos viginta et octo ſediſſet (Cardinalis interea renunciatus) Cantuarienſem tandem thronum conſcendit ſicut alibi fuſiùs declaravimus.

LXV. GULIELMUS GRAIUS.

1426. HEN. 6. 4. GULIELMUS GRAIUS legum Doctor et Eboracenſis Decanus[g], conſecratus eſt Maii viceſimo ſexto 1426; et hinc Lincolniam tranſlatus anno 1431. De illo apud Lincolnienſes plura.

LXVI. ROBERTUS FITZ-HUGH.

1431. HEN. 6. 10. ROBERTUS FITZ-HUGH legum Doctor[h] et Archidiaconus Northamptonienſis, qui Legati munus in Germania bis, et ad Pontificem ſemel obierat, 16 Septembris 1431 conſecratus eſt[i]. Anno 1435 ad Elienſem Epiſcopatum poſtulatum, antequam electio confirmari poſſet, mors intempeſtiva ſuſtulit viceſimo ſecundo Septembris[k]. Sepultus jacet ſub lapide marmoreo aeneis laminis ornato, in praesbyterio paulo ſupra thronum Epiſcopalem[l].

LXVII. ROBERTUS GILBERTUS.

*1436. HEN. 6. 15. ROBERTUS GILBERTUS[m] ſacrae Theologiae Doctor et Decanus Eboracenſis, Gardianus quandoque Collegii Mertonenſis Oxoniae, conſecratus eſt anno 1435, et ſub initium Julii 1448 deceſſit[n].

---

[e] Decani et Capit. certif. de morte ejus dat. Aug. 21. 1421. *Regiſtr. Chichl.* f. 31.

[f] Huc tranſlatus eſt Bullâ Papali dat. 15 Kal. Dec. 1421 *Regiſtr. Chich.* f. 32. et Temporalia reſtitu. 20 Jun. *Pat.* 10 *H.* 5. *m.* 9.

[g] Electus eſt à Canonicis Paulinis, confirmatus et conſecratus ab Archiepiſc. Rex reſtituit Temporalia 6 Maii 2 *Pat.* 4 *H.* 6. *m.* 16. et denique, ex poſt facto, Papa ipſe Bullas conceſſit dat. Jul. 20 1426. *Regiſtr. Chich.* f. 40.

[h] Filius nobilis viri Hen. le Fitz-Hugh. *MS. Wren.* Aulae Regiae apud Cantabr. Cuſtos, Hen. ſexti anno ſecundo, *Archiv. Coll. Trin.* et Academiae Cancellarius 1423. eoque nomine in miſsâ Benefactorum memoratur.

[i] Eo abſente in Curia Romana, Temporal. reſtit. ſunt 4 Aug. 2 *Pat.* 9 *H.* 6. Conſecr. in Civitate Fulgenſi, Sept. 16. 1431. ut *ex Regiſt.* apparet.

[k] Ita *Weaver* p. 360. *Dugdale* verò in *Hiſtor. Paulina* rectiùs dicit Jan. 15. Teſtam. enim probat. 13 Feb. 1435. *Regiſtr. Chichl.* Et ſedes Elienſis non vacavit ante 19 Nov. teſte ipſo Godwino. Moriens legavit teſtamento decem Libras ad Scholas Cantabrigiae extruendas. *MS. Ca.* p. 101.

[l] Ab auſtrali parte Chori.

[m] Electus à Capitulo, Regium habet aſſenſum 9 Mart. 1 *Pat.* 14 *H.* 6. *m.* 8. Proviſus tamen ab Eugenio 12 Kal. Jun. 1436. Conſecr. ab Henrico Archiepiſc. 28 Oct. *Regiſtr. Chichl.* f. 53. Temporalia prius reſtituta 15 Sept. *Pat.* 15 *H.* 6. *m.* 50.

[n] Ob. Jun. 22. 1448. Certificatio tamen Capituli de ipſius Morte data eſt Jul. 27. 1448. *Whart. de Epiſc. Lond.* p. 165.

LXVIII.

LXVIII. THOMAS KEMP.

NICOLAS quintus Papa per proviſionem Epiſcopatum Londinenſem tunc contulit [o] Thomae Kemp, qui in Academiâ Oxonienſi anno 1437 unus fuerat Procuratorum. Conſecratus eſt in palatio Eboracenſi Weſtmonaſterii [p], ubi nunc Regia eſt, octavo Februarii 1449 miniſterio Joannis Kemp Eboracenſis Archiepiſcopi patrui ſui. Sedit annos circiter quadraginta, et è vivis exceſſit [q] Martii viceſimo octavo 1489. Sepultus eſt inter duas columnas in navi Eccleſiae ſuae verſus ſeptentrionem, ubi ſuper tumulum ejus magno ſumptu capella [r] extructa eſt, et Cantaria ni fallor inſtituta. Crucem Paulinam quâ nunc [s] formâ cernitur conſtruxit; [Oxoniae] in ſtructura ſcholae Theologicae (quae vulgo, ſed perperam ab Humfredo Gloceſtriae Duce condita perhibetur) magnam impendit pecuniam [t]. Nam parietibus ante 60 annis ab aliis excitatis ad tectum uſque (ut videtur) laquear indidit fornicatum exquiſiti operis, tecto plumbato operuit, turriculis adjectis et valvis, et Doctoris cathedram artificioſe depictam ad naturalis coeli imaginem ſtatuiſſe dicitur.

1449.
Hen. 6. 28.

LXIX. RICHADUS HILL.

A CANONICIS tunc eligitur Richardus Hill [u] Auguſti undeviceſimo 1489, qui Novembris 15 ſequenti conſecratus [x]; ſedit annos circiter ſex. Marmoreo lapide jacet contectus in medio ferme navis Eccleſiae ſuae verſus Septentrionem, ubi fugientibus tum literis inſculptum Epitaphium olim me legiſſe memini. Joannem quendam Marſhall his temporibus Londinenſem fuiſſe Epiſcopum traditum reperi. Sed librarii vitio Londinenſem mendoſe perſcriptum pro Landavenſi.

1489.
Hen. 7. 5.

LXX. THOMAS SAVAGIUS.

THOMAS SAVAGIUS [y] Cantabrigienſis Academiae alumnus [z], à Roffenſi Eccleſia huc tranſlatus anno 1496 [a], hinc deinde migravit Eboracum anno 1501.

*1496.
Hen. 7. 12.

---

[o] Supplicatione verò Hen. Regis, cui fuit à ſacris, Bullâ dat. Aug. 21. 1448. *Regiſtr. Staff.* f. 33. Profeſſionem fecit Lamethae 7 Feb. 1449. *Id. ibid.* Tempora reſtitu. 6 Feb. 1 *Pat.* 28 *H.* 6. *m.* 9.

[p] In Capella infra Hoſpitium Archiepiſc. juxta Charing-Croſs, Anglicè dict. *York Place.*

[q] *Weaver.* p. 361.

[r] Trinitati ſacra.

[s] A. 1616.

[t] Mille ſc. Marcarum.

[u] Decretorum Bacca. et Capellae Regiae Decanus.

[x] *Regiſtr.* ſuum.

[y] Legum Doctor et Decanus Capellae Regiae apud Weſtmonaſt.

[z] Ad Epiſcopatum Roffenſem conſecratus eſt menſe Apr. 1493.

[a] Bulla Proviſionis dat. Aug. 3. 1496. *Whart.* p. 174.

LXXI. GULIELMUS WARHAM.

* 1502. HEN. 7. 18. GULIELMUS WARHAM legum Doctor Londinenſis Epiſcopus creatus[b] eſt ſub initium anni 1503, et ſub exitum anni[c] 1504 Cantuariam tranſlatus. De quo ſupra pluribus.

LXXII. GULIELMUS BARNES.

* 1504. HEN. 7. 20. EXIGUO ſane tempore Gulielmus Barnes ſive Barons (Rotulorum Cuſtos, quique Oxoniae fuerat educatus) Eccleſiae Londinenſi tum praefuit[d]. Nam ſub initium anni 1505 conſecratus[e], ante exitum ejuſdem diem clauſit extremum[f].

LXXIII. RICHARDUS FITZ-JAMES.

1506. HEN. 7. 21. RICHARDUS FITZ-JAMES legum Doctor[g], in Epiſcopum Roffenſem conſecratus 1496, inde Ciceſtriam tranſlatus anno[h] 1504, huc denique migravit 1506, confirmatus Auguſti ſecundo[i]. Nobili hic ortus proſapiâ, Oxoniae in Collegio Mertonenſi educationem ſortitus eſt, factus tandem Gardianus ejuſdem, ſibi ac ſucceſſoribus aedes conſtruxit elegantes ibidem. In reparatione Eccleſiae S. Mariae Oxoniae magna ab illo pecunia erogata eſt, magnaque itidem in Eccleſiae ſuae Paulinae ornatu. Mortem obiit anno 1521[k], et ſepultus jacet ſub lapide marmoreo prope campanile, ad ſeptentrionem, inter duas columnas; ubi loci tumulum neſcio dicam an ſacellum ex materie conſtructum, campanilis incendium anno 1561 abſumpſit.

LXXIV. CUTHBERTUS TONSTALLUS.

1522. HEN. 8. 14. CUTHBERTUS TONSTALLUS legum Doctor, Cantabrigiae educatus, Rotulorum Cuſtos[l] ſimul et privati[m] ſigilli, [in noſtra Theologia (inquit Polydorus) probatiſſimus frugaliſſimuſque] conſecratus fuit undeviceſimo Octobris[n] 1522, et Dunelmum tranſlatus viceſimo quinto Martii 1530. Vir ſane clariſſimus, de quo inter Dunelmenſes fuſius.

---

[b] Proviſus à Papa Oct. 20. 1501. conſecratus verò circa init. Octob. 1502. vel finem Sept. die verò adhuc inſertâ. Temporalia reſtit. Oct. 1. ejuſdem Anni. *Pat.* 18 *H.* 7.

[c] 1503, Bullâ datâ Nov. 29.

[d] Papali proviſione Aug. 2. 1504, etſi à Canonicis Paulinis priùs electus.

[e] Conſecr. 26 Nov. 1504. Literis à conventu Cantuarienſi prius obtentis Nov. 22.

[f] Ob. Oct. 9 vel 10 anni ſuccedentis.

[g] Natus apud Redlinck in agro Somerſ. *Fuller* in *Herow.* p. 23.

[h] Feb. 1503.

[i] Temporal. reſtitu. Aug. 1. 1506. *Rymer* T. 13. p. 157.

[k] Ob. Jan. 15. 1521.

[l] Maii 12. 1516.

[m] 1523.

[n] *Regiſtr. Warham.* f. 24. Licentiâ conſecrationis prius datâ Oct. 13.

LXXV. JOANNES STOKESLEIUS.

1530. HEN. 8. 22. JOANNES STOKESLEIUS in Magdalenſi Collegio Oxoniae educatus[o], inthronizatus traditur Julii decimo nono 1530, obiiſſe vero Septembris octavo 1539. In capella beatae Mariae jacet humatus ſub lapide marmoreo aeneis laminis ornato.

LXXVI. EDMUNDUS BONERUS.

1540. HEN. 8. 31. EDMUNDUS BONERUS martyromaſtix ille truculentus, qui Mariâ regnante utriuſque ſexus tot pios ſanctoſque homines flammis adjudicavit, à Savagio quodam ſacerdote adulterino concubitu genitus eſt ut ferunt[p]. Oxoniae hic in aulâ Lateportenſi juris civilis ſtudio incumbens, Doctoris gradu honeſtatus eſt. Et cum à reformationis ſtudioſis, haud alienus putaretur à religione puriori; illorum prono favore ſublevatus, ac praeſertim Cromwelli, varias conſcendit dignitates. Nam legationibus aliquot perfunctus; ac Archidiacono Leiceſtrenſi, et Archiepiſcopi Cranmeri ad Facultates Commiſſario ſive Delegato, Epiſcopus Herefordenſis in Legatione abſens declaratur[q]. Mox ut rediit, ad Eccleſiam antedictam nondum conſecratus, in Londinenſi Cathedrâ per inſtallationem collocatur Aprilis tertio 1540, Octobris[r] primo praecedente electus. Cum Gardinerus in oratione de verâ obedientiâ (quam typis editam vidi) ut apud Regem iniret gratiam, Pontificis primatum damnâſſet, et Catharinae Reginae repudium probâſſet, monachorum etiam vota ſuperſtitioſa pronunciâſſet; ſolenni praefatione, tam opere quam authore laudato, omnia Bonerus probavit ac confirmavit. Paulo vero poſtea defuncto Henrico Rege, Papiſmo ejecto, dum reformationi imperatae ſegniter incumbit, atque ea de re monitus ſaepe à regiis conſiliariis, eam non tantum perfunctorie ſed ſimulate atque negligenter promovere videretur; ad crucem Paulinam concionem habere jubetur ſecundum normam ſibi praeſcriptam: id quod ille fecit tam frigidè, omiſſis earum rerum permultis, de quibus uti diſſereret fuerat imperatum, ut in carcerem conjectus, Epiſcopatu fuerit amotus primò Octobris 1549. Per quadriennium deinde vincula perpeſſus, à rerum potitâ Mariâ, tam praeſulatui quam libertati reſtitutus, lanienae praeficitur, in qua tam ſtrenue res ab illo geſta eſt, ut unus ille rogo plures commiſerit, quam reliqui omnes totius Angliae Epiſcopi. Qui illum reum fecerat coram Conſiliariis Regiis, Hooperus, vivicomburio inter primos ſublatus eſt. Carnifex iſte ſanguinarius, niſi quod Epiſcopatu cum caeteris ſui ordinis mulctatus eſt[s], nil mali ab Elizabetha Principe nimium clemente paſſus eſt. Nam quod in carcere conderetur, fuit ipſi ſalubre, qui crudelitate ſua tantum populi odium in ſe concitârat, ut ſi in publicum prodiret periculum eſſet ne lapidibus obrueretur. In carcere igitur conſenuit; ſed ubi, ſi vidiſſes, inedia confectum non diceres: Vivebat opipare; horti erant et pomaria, ſi volebat ſpatiari; denique niſi quod certo ſpatio circumſcriptus, haud quicquam inſtar carceris[t]. Hoc tandem pulchre, quod Septembris quinto 1569 extinctus, ſicario quovis crudelior, in loco humatus eſt latronum et ſicariorum ſepulturae deſtinato, coemiterio videlicet Barkingenſi[u].

---

[o] Capellanus erat Ric. Fox Epiſc. Winton. S. T. P. et Archidiac. Sureienſis. *MS. Wood.* Licentia Conſecra. conceſſa eſt Nov. 26. *Regiſtr. Cant.*

[p] Natus eſt apud Hanley in Comitatu Wigornienſi.

[q] Confirm. Epiſc Heref. Dec. 17. 1538. *Regiſtr. Cranm.* f. 217.

[r] Elect. Oct. 20. Conſ. Nov. 11. 1539. *Regiſt. Cranm.* f. 241. Conſecr. in Eccl. D. Pauli â Winton. Aſſav. et Heref. Epiſcopis, Apr. 4. 1540. *Id.* f. 259.

[s] Commiſſiones ad inquirendum dat. 8 et 17 Sept. 1549. *Rymer.* T. 15. p. 192. Sententia definitiva ab Archiepiſc. pronunciata fuit Oct. 1.

* * *

LXXVII. NICOLAUS RIDLEY.

*1550. Edw. 6. 4. EXAUTHORATO Bonero, ſucceſſor deſignatus eſt[x] Nicolaus Ridlaeus, cujus viri ſummas virtutes meae non eſt infantiae pro dignitate explicare. Ex familia nobili et antiquâ natus eſt in Comitatu Northumbriae[y], et primis literarum elementis imbutus in oppido Novi caſtri vulgo New-caſtle, unde ad Academiam miſſus Cantabrigienſem, in bonarum literarum ſtudio ſtrenuam navavit operam, donec Theologiae Doctor creatus, et Aulae Pembrochianae Praeſes declaratus, ad Epiſcopatum Roffenſem brevi poſtea poſtulatus eſt, et conſecratus quinto Septembris 1547 Edwardi ſexti primo. Ne tamen Academiam noſtram Oxonienſem tanti alumni gloria patiar fraudari, ſilentio praetereundum non eſt, Collegii Univerſitatis ibidem ſocium eum quandoque fuiſſe mihi compertum[z], Paulo plus quam biennio Roffae cum ſediſſet; iis qui rerum tunc potiti conſultum viſum, Bonero in ordinem redacto eum ſubſtituere: verum omine parum fauſto. Annos non dum quatuor hic loci conſederat quando ad regnum evectâ Mariâ, nemini prius manus injicit. Praeterea quod Boneri pulſi thronum occupârat; Mariae cauſam apud Londinenſes ſuos pro concione acerrime oppugnârat, non coactus (ut Cantabrigiae Sandius) ſed ſponte, et magno animi fervore. Quare de ſupplicio de eo ſumendo ſtatim decretum, quod Oxoniae conſtantiſſime pertulit decimo ſexto Octobris 1555; poſtquam veritatem doctrinae in publica diſputatione ibidem ſtrenuiſſime magnaque cum eruditionis laude defenſitâſſet, prout in Cranmero Cantuarienſi fuſius explicavimus.

* * *

LXXVIII. EDMUNDUS GRINDALL.

1559. Eliz. 2. ITERUM deprivato Bonero, ſubſtitutus eſt ab Elizabetha Regina Edmundus Grindallus S. Theologiae Doctor[a], qui Decembris viceſimo primo 1559 conſecratus, Eboracum tranſlatus eſt viceſimo Maii[b] 1570; et poſtea Cantuariam[c].

---

[t] Combuſto tandem Ridleio, et ſucceſſore et anteceſſore, Epiſcop. Thronum iterum aſcendit, Sept. 5. 1553. iterumque dejectus eſt authoritate Parliamenti Maii 30. 1559.

[u] In coemeterio Parochiali S. Georgii Martyris apud Southwark.

[x] Tranſlatus huc menſe Apr. 1550. *Regiſtr. Cranm.* f. 331. Vi et vigore Literarum patentium Edw. ſexti. dat. primo Aprilis 1550. Reſtitutis et annexis iis, quae ad Epiſcopatum Weſtmonaſt. pertinebant, ſedi Londinenſi. *Rym. Foed.* T. 15 p. 222, &c. Pro qua conceſſione ex parte Regis, ipſe Epiſcopus conceſſit Regi maneria de Bkanketree et Southmynster in Com. *Eſſexiae:* et maneria de Stebunheth et Hackney, nec non mariſcum de Stebunheth in Com. *Middleſexiae.* Carta data 12 Aprilis ejuſdem anni. *Ib.* p. 226.

[y] Ridleiorum de Willemotſwick. *MS. Ca.* Natum ſe in oppido dicto Tyndal ipſe aſſerit in collationibus cum Latimero in carcere. *MS. Wren.*

[z] Hoc fieri non poſſe e ſequentibus apparebit. Electus eſt Socius Aulae Pembrochianae 1524. tum A. B. Anno 1526. A. M. ejuſdem Collegii. Anno 1534. S. T. B. et Anno 1540. S. T. P. Interea verò, anno nimirum 1533, Academiae Cantabr. fuit Procurator Senior: et anno 1547 Rector fit Eccleſiae de Soham ex praeſentatione Collegii.

[a] Licentia eligendi data eſt 22 Junii 1559. *Rym. Foed.* T. 15. p. 532. Temporalia reſtituta 21 Martii 1559. *Ib.* p. 574. Non fuit Theologiae Doctor ante annum 1564, admiſſus Apr. 15. *Regiſtr. Acad.*

[b] Maii 22. 1570.

[c] Febr. 15. 1575.

LXXIX. EDWINUS SANDS.

1570. ELIZ. 12. EDWINUS SANDS Wigornienſis Epiſcopus, ad hanc Eccleſiam tranſlatus[d] Julii decimo tertio 1570. Poſtquam annos ſediſſet plus minus ſex Eboracum migravit.

LXXX. JOANNES ELMER.

1576. ELIZ. 19. JOANNES ELMERUS[e] ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, Lincolnienſis Archidiaconus[f], Martii viceſimo quarto conſecratur[g] 1576: homo doctus et cordatus, ſed Puritanorum factioni plurimum inviſus. Fulhamiae deceſſit tertio Junii[h] 1594, et ſepultus eſt in Orientali parte Eccleſiae ſuae verſus aquilonem[i].

LXXXI. RICHARDUS FLETCHER.

1594. ELIZ. 37. POSTQUAM multos per annos paſtore deſtituta vacaſſet Eccleſia Briſtolienſis, praeſul ibidem deſignatus eſt Richardus Fletcher * ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae quondam ſocius, tum vero Petroburgenſis Decanus et ſacellanus Regius, qui conſecratus Decembris decimo quarto 1589, et Wigorniam inde tranſlatus menſe Februario 1593[k], in hac tandem Eccleſia conſedit ſub exitum anni 1594[l]. Morte obiit repentinâ in Londinenſi ſuo palatio, quando ante quartam horae partem rectiſſime ſanus, ne leviſſima quidem aegritudine tentatus fuiſſet, Junii decimo quinto[m] 1596, et in Eccleſia ſua ſepultus eſt [prope Elmerum.]

LXXXII. RICHARDUS BANCROFT.

1597. ELIZ. 39. RICHARDUS BANCROFT ſacrae Theologiae Doctor[n] Maii octavo conſecratus eſt 1597, et Cantuariam tranſlatus menſe[o] Decembri 1604.

---

[d] Licent. eligendi 1 Junii 1570. *Rym. Foed.* T. 15. p. 681. Regium habet aſſenſum 1 Julii. *Ib.* p. 683. Temporalia reſtituta ſunt 13 ejuſdem menſis. *Ib.* p. 684. [e] Natus apud Tilney in agro Norfolcienſi. [f] Archidiaconus Stow 1553; quo relicto Archidiaconus fit Lincolnienſis A. 1562. [g] Confirmatus Martii viceſimo ſecundo, et conſecratus viceſimo quarto. *Regiſtr. Grindal.* Licentia eligendi conceſſa eſt 10 Martii 1576. *Rymer. Foeder.* T. 15. p. 769. Regium habet aſſenſum 18 Apr. 1577. *Ib.* p. 771. Temporalia reſtituta 29 Apr. *Ib.* p. 776. [h] Jun. 13. 1594. *MS. Lufkin.* Jun. 3 vero in vita à *Joanne Strype* ſcripta. p. 171. Jun. 5. *Newcourt.* [i] Et in Capella S. Georgio dicata ſepultus jacet; Monumentum, à ſacrilegis demolitum, hoc tantum habuit inſcriptum. "Hic jacet certiſſimam expectans Reſur-
"rectionem ſuae Carnis D. JOHANNES AYLMER D. Epiſcopus *Londini*. Qui obiit diem ſuum An. Dom. 1594. Aetat.
"ſuae 73. "Ter ſenos annos Praeſul; ſemel exul, et idem
"Bis Pugil in Cauſa Religionis erat."

* Cantianus. [k] Feb. 10. 1592. *Regiſtr. Whitg.* [l] Joanne defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 25 Dec. 1594. *Rym. Foed.* T. 16. p. 267. Regium habet aſſenſum 4 Januarii. *Id.* ib. Confirmatus eſt Jan. 10. *Regiſtr. Whitg.* p. 2. f. 20. [m] Teſtamentum ejus probat. 2 Jun. 1596. *MS. Wood.* [n] Natus apud Farnworth in agro Lacaſtrenſi; è Collegiis Chriſti et Jeſu Cantabrigiae. Canonicus Weſtmonaſterienſis, &c. Licentia eligendi conceſſa eſt octavo Novembris 1596 *Rym. Foed.* T. 16. p. 304. Electus eſt 21 Apr. 1597. *Regiſtr. Grindal. Lond.* f. 285. Regium habet aſſenſum triceſimo Aprilis *Rym.* ib. p. 313. Conſecratus 8 Maii. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 82. Temporalia reſtituta 17 Maii. *Rymer.* ib p. 314. [o] Decembris decimo *Regiſtr. Bancr.* f. 1.

LXXXIII. RICHARDUS VAUGHAN.

1604. JAC. 2. RICHARDUS VAHANUS ſacrae Theologiae Doctor [p], Epiſcopus primum Bangorenſis, deinde Ceſtrenſis, Londinum tranſlatus menſe Januarii [q] 1604. Ex hac vita migravit Martii trigeſimo 1607 [r], magno ſui deſiderio apud omnes bonos relicto, et in capella ſepultus eſt à Thoma Kemp anteceſſore in navi Eccleſiae ſuae extructa.

LXXXIV. THOMAS RAVIS.

1607. JAC. 4. THOMAS RAVIS ſacrae [s] Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxoniae Decanus, in Epiſcopum Gloceſtrenſem conſecratus [t] 17 Martii 1604, huc tranſlatus eſt undeviceſimo Maii [u] 1607. Deceſſit Dec. [x] 14. 1609, et in Septentrionali parte navis Eccleſiae ſuae tumulo jacet conditus ſatis ſpecioſo, è regione capellae Kempianae.

LXXXV. GEORGIUS ABBOT.

1609. JAC. 6. GEORGIUS ABBOT ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Wintonienſis, ad Epiſcopatum Coventrenſem et Lichfeldenſem conſecratus [y], cùm eum unicum duntaxat menſem tenuiſſet, ad hujus Eccleſiae regimen vocatus ſub exitum Januarii 1609 [z]. Neque hic quidem pedem figens, Cantuariam tranſlatus eſt paulo poſt annum unum in hac ſede exactum [a].

LXXXVI. JOANNES KING.

1611. JAC. 9. JOANNES KING [b] ſacrae Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxoniae alumnus primum ac deinde Decanus, nec non et Nottingamenſis Archidiaconus, cujus avus paternus frater extitit Roberti King Oxonienſis Epiſcopi primi, in antiſtitem hujus Eccleſiae conſecratus eſt octavo Septembris [c] 1611. Gratulor vobis Londinenſes, quod in Epiſcopos veſtros (ne dicam et Archiepiſcopos) à multis jam annis paulo iniquiores, (ceu vaneſcente errore factionis matre, ceu clariſſimis virtutibus nulla vel leviſſima labe aſperſis, omnem invidiae malignitatem ſuperantibus) praeſules jam tandem nacti eſtis quos merito ſuo, et ametis ſimul et admiremini.

---

[p] Natus in Comitatu Carnarvonenſi; Collegii Joannenſis apud Cantabrigienſes Socius.

[q] Confirmatus viceſimo Decembris 1604. *Regiſtr. Bancroft.* f. 9.

[r] Lethargicus vel Apoplecticus.

[s] Natus apud Maulden in Comitatu Surriae; et Archiepiſcopo Bancroft fuit Capellanus.

[t] 27. *Regiſtr. Bancroft.* f. 28.

[u] Maii viceſimo octavo 1607. *Regiſtr. Bancr.* f. 51.

[x] Ex Epitaphio.

[y] Dec. 3. 1609. *Regiſtr. Bancr.* f. 96.

[z] Jan. 20. 1609. *Id.* f. 103.

[a] Apr. 9. 1611. *Regiſtr. Abbot.* f. 1.

[b] Natus apud Warnhall prope Thame in Comitatu Oxon.

[c] *Regiſtr. Abbot.* f. 28.

Martii triceſimo 1621 diem clauſit extremum ſexagenario major, poſtquam ex calculo in veſica concepto, cruciatus ingentes magna animi conſtantia diu toleraſſet. De hoc Antiſtite paulo poſt obitum rumuſculi clam dolo malo ſparſi ſunt; deſerta religione, quam per omne vitae curriculum propugnaſſet, ad Pontificios deſciviſſe, atque per ſacrificulum quendam Romano-catholicum (T. Preſtonum) Eccleſiae Romanae reconciliatum, in Pontificiae religionis profeſſione mortuum. Hujuſce figmenti author, cum diu fruſtra quaereretur, ex qua officina prodierit, res ipſa indicavit. Ex mendaciorum ſeminario Duaci emiſſus eſt [d] libellus Septembri menſe, et à Kelliſono approbatus, hoc obiter narrans et exprobrans, ubi tamen reconciliantis nomen viſum reticere.

Preſtonus igitur hac de re examinatus, in verbo ſacerdotis profeſſus eſt coram Archiepiſcopo Cantuarienſi, iterumque D. D. Thoma Edmondo et Georgio Calvert Conciliariis Regiis, ſe dictum Epiſcopum ad eum uſque diem nunquam vel conveniſſe vel vidiſſe, vel aut verbo aut ſcripto cum illo aliquid rei uſquam habuiſſe. Ad laborantem viſitandum et conſolandum, commearunt frequentes Epiſcopi venerabiles, Coventrenſis ac Lichfeldenſis, Bathonenſis et Wellenſis, Elienſis, ac denique biduo antequam decederet, reverendiſſimus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Neque his, neque familiarium aut amicorum cuiquam de hac re aliquid ſuboluit. Voces, gemitus, actiones omnes, priſtinam pietatem, religionem, zelum, conſtantiam ſpirabant. Caeterum hujus commenti vanitatem nihil manifeſtius redarguit, quam id quod omnium rerum geſſit poſtremum; adeo ſaltem poſtremum, et alimenti quippiam poſtea non deguſtarit. Per aliquot antea dies nauſeabundus, eſculenta et poculenta omnia fuerat averſatus: viatico tamen corporis ac ſanguinis Dominici ſe cupidus muniendi, vim ſibi hac in parte voluit adferre. Qui miniſtri munere fungeretur, accerſitur D. Cluet Archidiaconus Middleſexiae, Capellanus ejus domeſticus: Univerſa familia congregatur, amici adſunt complurimi, inter eos D. Henricus Martin Eques auratus, legum Doctor atque Cancellarius ejus. His coram ſacrae ſynaxeos fit particeps, adminiſtratae ritu per Canones et ordinationes Eccleſiae noſtrae praeſcripto.

Siquis de hac re plura avet cognoſcere, concionem legat typis editam, ad crucem Paulinam habitam per Henricum King hujus Epiſcopi primogenitum (filium tanto dignum parente) in qua haec omnia eleganter, prolixe, ac ſigillatim explicantur quae à me ſunt tradita, atque mihi per teſtium plurimorum fide dignorum aſſeverationem compertiſſima. Ecquis jam ſanae mentis tam hebes eſt ut iſtius commenti vanitatem ſi oculis non perſpiciat, at manibus non poſſit palpare? Haud credo. Iſti tamen tenebriones tam clare convicti, ut manus dent adeo procul eſt, uti ſub ipſum tempus quando haec à me ſcribuntur, alium adhuc de hac re libellum [e] emiſerint (ſtolidum ſane, bombis refertum et ſeſquipedalibus verbis) ceu potius partum ediderint tam portentoſum, ut illius ſimilem mortalium nemo unquam conſpexerit; à patre nimirum genitum, quem certum eſt prius vita defunctum, quàm is, tanquam neſcio quae Minerva in cerebro conciperetur, non Jovis, ſed Jeſuitae. Conſcriptum eum placet fingere, ab Epiſcopo hoc noſtro adhuc ſuperſtite; in quo ſi Diis placet, fratres in primis omnes Coepiſcopos Anglicanos hortatur enixe, ut deſerta et ejurata religione quam profitemur, ad Romaniſtarum caſtra transfugiamus. Hanc lucubrationem amico cuidam ab illo traditam paulo ante mortem comminiſcuntur, cum mandato, ut ipſo ab hac luce ſubtracto, tum demum ederetur in publicum. Amicum iſtum nominare, illis (credo) haud fuerit in promptu. Sed autographum cur non oſtendunt, ut ex manu et ſcriptura agnoſcatur? Non facient certe. Quare, ſi cui cordi ſit, iſtius tam praeclari opuſculi verum authorem, ſpurii tam portentoſi (ſed revera ſubdititii) parentes inveſtigare; conſulat hortor Fiſherum Jeſuitam in novo carcere Londini concluſum, cui unde id provenerit haud eſt obſcurum.

---

[d] The Proteſtants plea for Prieſts and Papiſts.

[e] The Biſhop of London's legacy.

Si quem nunc ſubeat admiratio, iſtis quid veniat in mentem quod calumnias tam putidas et ab omni tam probabilitate quam veritate alienas, fronte perfricta, mundo non vereantur iterum atque iterum obtrudere; legat, obſecro, libellum cujus primo in loco feci mentionem, ubi (ut alia mittamus) me decies ad minimum citavit teſtem, locum ubique deſignans, hujuſce noſtri Epiſcoporum Anglicanorum Catalogi, cum vel nihil iis de rebus à me traditum ibi loci reperiatur, vel etiam quod allegantis propoſito plane adverſetur. Ut Pontificiae religionis ſcitum videatur et dogma jam Catholicum calumniandum fortiter, quo aliquid ſaltem adhaereat. Percontandum certe pari ratione, fide, ac fronte, cur nos etiam, Gregorium decimum quartum Papam ad Judaiſmum, Bellarminum ad Mahometiſmum paulo ante mortem non mentiamur apoſtataſſe, ut pro calumniis calumnias regeramus. Nos autem praeſidia talia vanitatis cultoribus relinquimus; veritatis aſſeclas ſinceritati decet ſtudere. Virum pietate, eruditione, admirabili facundia et docendi aſſiduitate inſignem, optare iſtos ſuis adnumerandum, non miror. Caeterum ille ſuperſtitiones Papiſticas ab ineunte aetate ad extremum uſque halitum ſemper averſatus, totus haud dubie noſter, ipſo die quem Dominicae paſſionis memoriae noſtra conſecrat Eccleſia, videlicet trigeſimo Martii 1621; quemadmodum vixit, tam piè in Chriſto obdormivit, ut mihi ſubeat optare,

Sic mihi contingat vivere ſicque mori.

In Eccleſia ſua Paulina tumulatus eſt, ubi ſepulchro, hoc unicum vocabulum praecepit inſcribi, RESURGAM.

* * *

LXXXVII. GEORGIUS MOUNTAIGNE.

1621.
JAC. I. 19.

HUIC demortuo ſuffectus eſt Georgius Mountaigne ab Eccleſia Lincolnienſi per legitimam confirmationem huc tranſlatus viceſimo Julii[f] 1621. Inde ad Dunelmum 1627, atque inde porro anno proximo ad Archiepiſcopatum Eboracenſem. Cum in hiſtoriae decurſu ibi fuerit deventum quae de illo dicenda expectas plenius abſolvemus.

---

[f] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f. 50.

LXXXVIII. GULIELMUS LAUD.

NEMINEM potiorem habuit Rex vere Chriſtianus quem ad Cleri 1628.
Londinenſis gubernationem et Eccleſiae Anglicanae periclitantis Car. 1. 4.
tutelam evocaret quam Gulielmum Laud Epiſcopum Batho-Wellenſem. Londinenſis itaque Antiſtes conſtitutus eſt decimo quinto Julii 1628[g]. Unde Septembris decimo nono 1633 ad Archiepiſcopatum Cantuar. tranſlatus migravit. Eo ſub nomine viri de Eccleſia optime meriti hiſtoriam ſuperius deſcriptam habes.

LXXXIX. GULIELMUS JUXON.

EA apud Regem gratia valebat Archiepiſcopus recens nominatus ut 1633.
etiam virum ſibi amicitia conjunctiſſimum, fortunarum et laudis Car. 1. 9.
ſuae comitem et participem una in altiorem ſedem attraheret Gulielmum Juxon, aliquando Collegii Divi Johannis Baptiſtae Oxon. Socium, Praeſidem, jam Epiſcopum Herefordiae electum, ſed ad Dioceſin Londinenſem Archiepiſcopi praeeuntis ſucceſſor tranſiit viceſimo ſeptimo Octobris 1633[h]. Praeter omnium ſpem Magnus Angliae Theſaurarius conſtitutus ſexto Martii 1635. Munus ampliſſimum ſine ambitione, at non ſine magno aemulantium odio conſecutus, magna cum gloria adminiſtravit; et profecto Eccleſiaſtici hominis prudentiam et integritatem invita fatebitur uſque invidia. Cum Carolo et Monarchia Hierarchiam unà reſtauratam vidit 1660, tranſlatus ad Eccleſiae Cantuarienſis Thronum viceſimo Septembris.

XC. GILBERTUS SHELDON.

GULIELMO JUXON ad Archiepiſcopatum Cantuar. evecto, ſuc- 1660.
ceſſit Gilbertus Sheldon, conſecratus viceſimo octavo Octobris[i] Car. 2. 12.
1660. Deinde in ejuſdem defuncti locum ſucceſſit Archiepiſcopus 1663.

XCI. HUMFREDUS HENCHMAN.

SUCCESSIT Humfredus Henchman ab Epiſcopatu Sariſburienſi in 1663.
Londinenſem tranſlatus. Regiarum partium in turbulentiſſimis tem- Car. 2. 15.

---

[g] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 130. [h] *Regiſtr. Laud.* f. 18. [i] *Regiſtr. Juxon.* f. 208.

poribus ſtrenuus fautor et vindex: Carolo ſecundo praecipuè, cum infauſto illo prope Vigorniam praelio victus profligatuſque per regna ſua profugus erraret, utilem navavit operam, et conſilio ſolerti opibuſque ita adjuvit, ut periculis undiquaque imminentibus liberatus aliquando tandem incolumis evadere potuerit. Hujus beneficii memor Carolus virum de ſe bene meritum Epiſcopum Sarisburienſem (in qua eccleſia olim Praebendarius et Praecentor floruerat) nominavit; conſecratus Octobris viceſimo octavo 1660; ab ea ſede, quam vix triennium tenuiſſet, ad Londinenſem evocatur 15 Septembris 1663[k]. In Palatio Epiſcopali in vico vocato Alderſgate prope Londinum ſacellum nitidum ſatis et decorum exaedificavit. Obiit ſeptimo Octobris 1675, et in eccleſia parochiali de Fulham ſepultus jacet.

XCII. HENRICUS COMPTON.

1675. Car. 2. 27. HENRICUS COMPTON, filius natu minimus Spenceri illius Comitis de Northampton viri optimi et fortiſſimi, qui A. 1642 pro Rege contra perduelles apud *Hopton-Heath* prope Staffordiam ſtrenue dimicans occubuit; aliquando in Collegio Reginenſi Oxon. commoratus, per tempora illa calamitoſa peregrinari maluit; et cum annos aliquot in provinciis exteris tranſegiſſet, aliquando tandem in patriam redux caſtris militaribus ſe adjunxit in Equitum ala ſignifer conſtitutus. Verum à militia ad officia togata tranſire cupiens in Academia Cantabrigienſi Artium Magiſter creatus eſt; deinde ſacris ordinibus initiatus ad Praefecturam hoſpitii S. Crucis prope Wintoniam, et poſtmodo ad Canonicatum Aedis Chriſti Oxon. et deinceps ſexto Decembris 1674 ad Epiſcopatum Oxonienſem, et anno ſequenti 18 Decembris[l] ad Londinenſem provehitur.

Cum Eccleſia D. Pauli fatali illo incendio correpta funditus pene interiit, ab hoc Epiſcopo Eccleſiae novae et magnificentiſſimae jacta ſunt fundamenta. Et eſt iſthoc plane memoratu dignum, opus hoc ampliſſimum, per totidem annos productum, ab eodem *Architecto*[m] deſignatum fuiſſe et perfectum, ab eodem *Opifice primario* inchoatum et abſolutum, et ſub eodem *Epiſcopo* poſitum et primum lapidem et coronida.*

Cum Jacobus ſecundus novam ſibi praerogativam arrogaret Leges-latas pro arbitrio interpretandi et reſcindendi eo ſcilicet animo ut Papiſmo, quem invehere vehementer ſtudebat, aditum faciliorem aperiret; Epiſcopus Londinenſis, utcunque nota erga Regem fide, Eccleſiae Anglicanae propugnatorem intrepidum ſe objecit, et mandato Regio adverſari

---

[k] *Regiſtr. Juxon.* f. 339.

[l] *Regiſtr. Sheld.* f. 162.

[m] D. Chriſtophoro Wren.

* Eccleſiae novae dimenſiones.

Longitudo - -	Eccleſiae cum veſtibulo. - - - - - - - - - -	500	Pedum.
	Crucis. - - - - - - - - - - - - - -	250	
	Porticus interioris. - - - - - - - - - -	50	
	Plateae occidentem verſus. - - - - - - - -	100	
Latitudo Eccleſiae cum Capellis. - - - - - - - - - - - -		180	
Altitudo - -	Eccleſiae à pavimento uſque ad extremum Crucis - -	340	
	Turris. - - - - - - - - - - - - - - -	208	
	Navis Eccleſiae. - - - - - - - - - - - - -	129	

Maitland. in Hiſt. Londin. p. 486.

auſus, ſuſpenſionis, quam Joanni Sharpe jam tum Eccleſiae S. Aegidii in campis Rectori (poſtea verò Ebor. Archiepiſcopo) pontificiorum errores oppugnanti infligere recuſavit, poenam ad ſe tranſlatam fortiter ſubiit. Annam Principiſſam, religionis cauſa Jacobi patris partes deſerentem, et è belli tumultibus ad Northampton ſecedentem, ille ſequebatur una tum fugae comes, tum morum et vitae ſatelles, ipſe copiarum, quae pro re nata in Principiſſae tutelam conſcriptae aderant, praefectus. Menſe Septembri 1689 cùm Gulielmus Sandcroft Archiepiſcopus juramentum fidelitatis à Rege imperatum recuſaret, eaque de cauſa ab officio Archiepiſcopali ſuſpenſus diſcederet, illi unicè prae caeteris à Rege commiſſa erat autoritatis Archiepiſcopalis adminiſtratio; unde illi unicè prae caeteris Archiepiſcopatum communis hominum expectatio deſtinavit. Sed cum Dioeceſin Londinenſem per 38 fere annos cum laude adminiſtraſſet, obiit in palatio de Fulham prope Londinum ſeptimo Julii 1713, anno aetatis 81. In ejuſdem parochiae coemiterio ſepultus jacet; ſepulchro hoc ſimplex inſcribitur Epitaphion

Εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ.

XCIII. JOANNES ROBINSON.

1713.
ANNAE 13.

SUCCESSIT Joannes Robinſon Epiſcopus Briſtolienſis, vir multiplici rerum difficillium uſu exercitatus, ſolerti negotiorum politicorum adminiſtratione viam ſibi ad famam et honores tum in Republica tum in Eccleſia ampliſſimos patefecit. Prope Richmondiam in agro Eboracenſi humili natus loco, in Collegio Orielenſi Oxon. aliquot annos commoratus, prodiit in celebritatem hominum. Legatum ad Regem Sueciae, cui à ſacris domeſticis adfuit, comitatus, acri judicio et rerum peritia ita ſe ſuis commendavit, ut cùm Legatus in Angliam rediiſſet, rerum publicarum adminiſtratio illi unicè eſſet delegata, titulum gerenti Reſidentis primarii, deinde Legati extraordinarii. In patriam reverſus aliquam retulit meritorum mercedem, Eccleſiae Cantuarienſis Praebendarius, Eccleſiae Wideſoriae Decanus conſtitutus, et Novembris decimo nono 1710 Epiſcopus Briſtolienſis eſt conſecratus. Anno 1711 privati ſigilli cuſtos et Legatus (plenaria poteſtate fretus) ad Ultrajectum de pacis inter Gallos Angloſque poſt bellum diuturnum foedere ſanciendo migravit. Martii decimo tertio 1713 ad Dioceſin Londinenſem tranſlatus eſt. Obiit apud Fulham undecimo Aprilis 1723, et juxta anteceſſoris Henrici Compton reliquias humatus jacet. Collegio Orielenſi, in quo adoleſcens ſtudiis ſeverioribus operam dederat, facultatum partem amplam[n] teſtamento legavit: annua ſtipendia triginta librarum annuatim tribus Artium Baccalaureis per trium ſequentium annorum ſpatium ſingulis annumeranda; et in eorum uſum nitidum erexit aedificium.

---

[n] Viz. 2500 libras.

XCIV. EDMUNDUS GIBSON.

1723. Geo. I. 9. MAII quarto 1723 ſucceſſit Edmundus Gibſon ab Epiſcopatu Lincolnienſi tranſlatus; Clero Londinenſi, cui per annos octodecim multa cum laude praefuit, autoritate et exemplo diu profuturus. Illius virtutem multiplicem poſteris felicius laudandam et imitandam relinquimus.



De EPISCOPIS

WINTONIENSIBUS[a].

ECCLESIA Cathedralis Wintonienſis (ſicut in manuſcripto quodam vetuſto traditum reperi) per Lucium Regem primum eſt conſtructa, qui idolorum cultu profligato, Chriſtianam religionem dicitur amplexus circa annum domini centeſimum octogeſimum, ibidemque monachos collocaſſe, aſſignatis illis, quibus alerentur, praediis ampliſſimis, quae Flamines aliique ethnicorum ſacerdotes antiquitus poſſederant. Haec Eccleſia (ſicut eidem placet authori) in Chriſti ſalvatoris honorem dedicata eſt Octobris viceſimo nono anno Domini 189[b] per Faganum et Damianum Epiſcopos. Annos deinde plus minus centum pacem habuit Eccleſia Dei in hac inſula, videlicet, ad imperium uſque Diocletiani, qui omnibus ingenii nervis in id unice incumbens, ut Chriſtianam religionem aboleret funditus ac radicitus extirparet; non ſolum profeſſores ejuſdem ubicunque repertos trucidavit, ſed templa etiam ad verum Dei cultum extructa demolitus eſt ubique et ſolo aequavit. Inter caetera tyranni immaniſſimi mandato diruta, hoc noſtrum Wintonienſe in primis memoratur, cujus incolae et miniſtri univerſi qui fuga ſibi non conſuluiſſent, crudeliſſime feruntur interempti. Haec (ut habet ſcriptor praedictus) anno Diocletiani ſecundo, hoc eſt Chriſti 289. Anno tum vix tranſacto viceſimo, reſtitui coeptum id templum, tanta provincialium promptitudine et alacritate animi, ut tredecim menſium ſpatio, et templum ipſum, et aedificia cuncta, monachorum caeterorumque miniſtrorum habitationi deſtinata, omnibus ſuis numeris abſoluta et perfecta redderentur, atque Martii decimo quinto anno 310[c], ad petitionem Deodati novi iſtius coenobii Abbatis primi, per Conſtantem Wintonienſem Epiſcopum, Eccleſia conſecrata fuerit, et memoriae dicata S. Amphiboli, qui nuper ſub Diocletiano martyrii coronam reportarat. Ducentos dein et amplius annos in eodem ſtatu permanſit, ad annum videlicet 519, quando Cerdicus Occidentalium Saxonum Rex primus idolorum deditus cultui, Eccleſiam (inquit author praedictus) convertit in templum Dagon, et monachos ibi incolentes partim fugavit, partim occidit. Atque haec ſunt quae de prima Eccleſiae Wintonienſis fundatione reperi perſcripta, ſed quam vere non pronuncio. Quae jam deinceps de Epiſcopis ejuſdem Eccleſiae ſunt commemoranda, fiducia aliquanto majore ſum traditurus.

---

[a] In Libro vocato ſpeculum S. Edwardi Regis et Confeſſoris ad Sacerdotes in Catal. Lib. MS. in Bibl. Publ. Oxon. longa extat narratio de quodam Odone Epiſcopo Wynceſtriae ejuſque Archidiacono &c. cujus nomen non occurrit in hoc Catalogo. Ita in *MSS. Wood* et *Barlow*.

[b] Anno 169, Converſionis Regiae anno quinto. *Rudborne* in Angl. Sacr. V. 1. p. 182.

I. BIRINUS.

635. PROVINCIA ſive regnum Occidentalium Saxonum (qui et Gewiſſi appellantur) regio ampliſſima (utpote quae omnem fere auſtralem inſulae noſtrae oram complectebatur) longo tamen tempore unum duntaxat habuit Epiſcopum, quae hodie in octo dioeceſes diſtributa eſt. Nam, praeterquam quod de Wigornienſi, Herefordenſi, Gloceſtrenſi et Briſtolienſi aliqua ſubeſt dubitatio; certe Wintonienſis, Sariſburienſis, Lincolnienſis, Petroburgenſis, Bathonenſis, Oxonienſis, Elienſis et Exonienſis, hunc unum tunc temporis habuerunt Antiſtitem. Poſtquam Saxones hanc regionem occuparunt, fidem primum Chriſtianam recepit ſub Kinigilſo Rege, idque praedicatione Birini[d], primi ibidem Epiſcopi; qui homo pius, animarum Chriſto lucrandarum zelo ſuccenſus, ab Honorio Epiſcopo Romano licentiam impetravit Evangelicam doctrinam in regionibus quae ab ethnicis incolerentur diſſeminandi; propoſito quidem, ad extrema inſulae penetrandi, et gentibus quae barbarie feritateque morum maxime eſſent formidabiles, [Chriſtum] praedicandi. Quod cum in ſeſe oneris ſuſcepiſſet, Epiſcopus conſecratus eſt per Aſterium Genuenſem Antiſtitem[e]. At enim cum in inſulam trajeciſſet, et hanc Gewiſſorum provinciam ab ethnicis infeſſam comperiſſet; ulteriori labore fruſtra quaerendum ratus, quod hic inveniſſet; haud amplius progreſſus, ibidem conſedit. Conatibus ejus eouſque Deus benedixit, ut brevi temporis ſpacio, non ſolum è plebe et nobilitate magnum numerum, ſed Regem etiam ipſum, ad fidem Chriſti amplectendum induxerit et ſymbolum ejus per regenerationis lavacrum ſuſcipiendum[f]. Oſwaldus Northumbriae Rex

---

[c] Anno 293. *Rudb.* p. 186.
[d] Benedictinum eſſe, et habitum in monaſterio S. Andreae Romae ſuſcepiſſe ait *Rudb.* p. 190.
[e] *Hunting.* l. 3. p. 190.
[f] *Id. ibid.*

tunc praeſens, Kinigilſum è ſacro fonte levavit quando per baptiſmum Chriſto initiatus eſt, et ſic pater ejus factus cujus mox filius erat futurus aut ſaltem gener, ducta in matrimonium ejus filia. Horum Regum conſilio, Birino ſedes cathedralis in civitate Dorceſtrenſi, [quam illo tempore habebant Reges Weſtſax. ſed ſequenti tempore Pontifices Merciorum,] deſignata eſt, ubi cum annos circiter quindecim [h] praedicationi diligenter incubuiſſet, aliaque vigilantiſſimi paſtoris munera ingenti cum profectu obiviſſet, laborum mercedem ampliſſimam à Chriſto relaturus, ad vitam migravit meliorem [i], et in Eccleſia ſua tumulatus eſt.

* * *

II. AGILBERTUS[k].

650.

ACCIDERAT jam interea, moriente Kinigilſo, Kenwalchum filium ejus vice regnare [l]; qui luxu perditus, et Chriſtianae religionis ſeveritatem non ferens, dum regnum coeleſte oblatum ſpernit, etiam terreno excidit. Uxorem duxerat filiam Pendae Merciorum Regis, faſtiditam repudiarat [m], et pellicem ejus loco ſibi ſociarat. Ob hanc tantam filiae injuriam, ſibique contumeliam illatam commotus Penda, in Kenwalchi ditionem impetu facto, regno hominem expulit. Extorris ille et regni expers, ad Annam confugit [n] Eſſexiae Regem, hominem pium, Chriſtianaeque religionis ſtudioſiſſimum; et in illius regia moram faciens triennalem, Chriſto tandem initiatus, ejuſdemque Regis opera regno quoque reſtitutus eſt. Pater ejus, demolito Wintoniae templo, idolorum ſuperſtitionibus polluto, novi ſtructuram inchoaverat, (quam morte interceptus abſolvere nequivit) et omnem circumcirca agrum citra ſeptimum ab urbe lapidem, ad miniſtrorum ejuſdem alimoniam addixerat. Hanc ſtructuram perfecit Kenwalchus, et non ſolum ratam habuit donationem paternam, ſed eidem porro adjecit manneria de Downton, Alresford et Wordiam. Paulo poſt converſionem Kenwalchi, Agilbertus quidam patria Gallus [o], qui Evangelium in Hibernia longo tempore praedicaverat, anno 650 in ea regione appulit, et ſua ſponte veritatis ſemina ubique ſpargens, rogatur tandem à Rege (cui jam perſpecta erat hominis pietas, eruditio et ſolertia) ut illius provinciae munus paſtorale ſuſciperet; id quod ille non gravate fecit, in eoque annos quamplurimos tranſegit.

* * *

III. WINA.

[663.]

REX tandem ſermonis ejus barbariem pertaeſus (nam vernaculum Anglicanum non ſatis callebat) alium curavit Epiſcopum ordinari, nomine Winam, qui quanquam Gallus [p], ſicuti Agilbertus, linguae tamen Anglicanae ſatis fuit peritus [q]; Et in duas partes [paroeciâ] diviſâ, alteram Agilberto reliquit, alteri novum hunc praeſulem Winam praefecit, et ſedem ei aſſignavit Wintoniam *. Verum Agilbertus hanc partitionem aegerrime ferens, utpote ſe inconſulto factam; iratus diſceſſit in patriam ſuam, ibique Pariſienſis factus eſt Epiſcopus. Wina ſic Wintonienſis primus extitit Antiſtes [r], neque tamen civitati nomen dedit, quod ſtolide ſatis nonnulli augurantur. Ab antiquis Britannis Caer-guent jam olim appellata, quaſi civitas Guenta; à Saxonibus (quod idem ſonat) Wentcheſter, Wentanceſter et Wintonceſter nuncupata eſt, unde noſtra Wintonia [s].

---

[h] Quatuordecim. *Rudb. ib.* [i] 3 Non. Decembr. [k] AILBERTUS, *Brompt. Hunting.* ALGILBERTUS, *Lib. Tax. Wint.* ANGILBERTUS, *Malmeſbur.* AEGELBERTUS, *Flor. Wigor.* [l] *Hunting.* l. 3. p. 190. A. 643. *Chron. Saxon.* [m] *Brompt.* et *Hunting.* ib. *Beda* Lib. 3. cap. 7. [n] Orientalium-Anglorum potius. *Beda* ib. [o] *Beda* ib. [p] Anglus et Monachus hujus Eccleſiae, *Rudb. Hiſt. Wint.* ſed apud Gallos ordinatus. *Malmeſb.* p. 241. [q] *Beda* ib. * *Flor. Wigorn.*

Sed ad Winam redeamus, inter quem et Kenwalchum Regem ſimultas neſcio quo pacto, ſtatim ut diſceſſit Agilbertus, exorta eſt. Cumque reconciliari non poſſent, pulſus [t] tandem Wina, ad Wulfherum Merciae Regem profugit, à quo (uti dicitur) Epiſcopatum [pretio emit] Londinenſem. Primus cui hiſtorici noſtri ſymoniae labem inurunt. Hic ubi, aut quando mortuus fuerit non repperi [u]. Wintoniae humatum conſtat. Supra faſtigium parietis Presbyterii, aliquot principum et praeſulum oſſa collocantur, quorum tumuli cum templum temere occuparent, huc à Foxo (ni fallor) Epiſcopo tranſlata ſunt, et plumbeis capſulis decenter condita. Inter eas reperitur una ſic inſcripta, *Hic jacent oſſa Wini Epiſcopi* [x].

IV. ELEUTHERIUS [y].

[670.] OCCIDENTALIUM Saxonum provincia, aliquot [z] tum per annos paſtoris ſolatio manſit deſtituta. Kenwalchus tandem Rex, adverſis caſibus quamplurimis afflictus, nec quicquam ſibi recte ſuccedere animadvertens (quod annales noſtros evolventi facile patebit) et memoria recolens, quomodo Chriſtianam fidem aſpernanti regnum ereptum, amplectenti poſtea reſtitutum eſt: ſibi jam coepit perſuadere, juſto Dei judicio has clades immiſſas, quod de cultu divino parum ſollicitus, ditioni ſuae de praeſule non proſpexiſſet. Quapropter, Legatum miſit in Galliam, qui Agilberto factam injuriam excuſaret, ac tentaret ſi forte homini poſſet perſuadere, ut relictum munus denuo repeteret [a]. Quod ſane ille, ſibi nunc integrum non [eſſe] reſpondit. Attamen ut deſiderio Regis aliquatenus ſatisfaceret, miſit ad eum presbyterum quendam nepotem ſuum, nomine Eleutherium, quem paſtorali munere ſuo judicio non indignum teſtabatur. Hunc ſuſceptum honorifice, à Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo illico conſecrandum Rex curavit [b]. Sedit ille Wintoniae annos plus minus ſeptem [c].

---

[r] Ambas paroecias pontificali jure rexit.

[s] A Romanis VENTA.

[t] A. 666. *Flor. Wig.*

[u] "Triennio ante "mortem poenitentia ductus pro Simonia, Epiſcopatum deſerens, reliquam partem vitae ſuae in Wyntonienſi Eccleſia, "ubi et primò infulatus eſt, ſub monaſtica converſatione peregit, in qua corpus ejus decentiſſimè traditur ſepulturae: "ſemper apud ſemetipſum haec verba ruminabat, *Erravimus Juvenes, emendemus Senes.*" *Rudb. Hiſt. Wint.* p. 195.

[x] Conſecravit Ceddam Archiepiſcopum Eborac. de quo ſic ſcribit *Capgravus* in vita ejus. "Erat autem Sacerdos vocabulo Cedda, frater reverendiſſimi Cedd Antiſtitis et Abbas monaſterii quod vocatur Leſtingeia, qui Cantiam veniens, "cùm Archiepiſcopum *Deus-dedit* de ſeculo migraſſe cognoviſſet, à Wina Occidentalium Saxonum Epiſcopo, qui ſolus "in tota Britannia canonice ordinatus fuerat, conſecratur &c."

[y] LEUTHERIUS, *Brompt. Hunt. Wigorn. Gervaſ. Chron.* et *Lib. Tax. Wint.* Nepos fuit Agilberti Epiſcopi, et una cum S. Aldelmo Monaſterii Meldunenſis fundator extitit. *Rudb.* nec non *Malmeſb.*

[z] Quatuor. *Rudb.* p. 192.

[a] *Hunting.* l. 3. p. 190.

[b] Anno 670. *Chron. Saxon.*

[c] *Flor. Wigorn.* Annos ſcil. cavos; obiit enim anno 676. *Ib.* et *Chron. Saxon.* Et in Dorkceſtenſi Eccleſia ſepultus eſt. *Rudb.* p. 192.

V. HEADDA[d].

ELEUTHERIO ſucceſſit Headda[e], [et ut priores ſedit Dorceſtriae: Tunc temporis Merciorum provincia in quinque parochias diviſa fuit: in Wigornienſem, Licetfeldenſem, Legorenſem, Lindenſem, et Doreceſtrenſem.] Vir pius et gravis, ſed qui populo ſibi commiſſo morum potius et vitae ſanctitate quam praedicatione profuit; nam eruditione haud nimium clarus habebatur. Deus tamen (ſi Bedae[f] fidem adhibemus) praeſulatum ejus miraculis non paucis illuſtravit. Deceſſit anno, ut nonnulli 704, ut alii[g] 705, [h] idque (ut Martyrologium perhibet, ubi inter Sanctos numeratur) Julii die ſeptimo. * 676.

VI. DANIEL.

HEADDA, poſtquam annos triginta praefuiſſet, defuncto; Inae Occidentalium Saxonum Regi conſultum viſum, ditionem tam ſpacioſam in duas dioeceſes partiri[i]. In earum altera propinquum quendam ſuum collocavit nomine Aldelmum, quem Sherbornae voluit ſedere: alteri vero praefecit Danielem, qui cathedram jam poſthac non movendam Wintoniae ſtabilivit[k]. Hic vir egregie doctus multa conſcripſit volumina, ac inter alia haec quae recenſebo: De rebus provinciae, Auſtralium Saxonum geſta, de vita Ceddae Epiſcopi, de rebus Vectae Inſulae. Senio tandem gravatus anno Chriſti 744 Epiſcopatu ſe abdicavit, paſtorali munere functus annos quadraginta et monachus factus Meldunae ſive Malmesburiae[l], anno deinde ſequenti diem clauſit extremum[m]. * 703.

VII. HUMFRIDUS[n].

SUCCESSIT illi Humfridus, qui praefuit huic ſedi annos novem vel decem. Obiit anno 754[o]. Adfuit in ſynodo[p] per Cuthbertum Archiepiſcopum celebrata anno domini 747. * 744.

VIII. KINCHARDUS[q].

DE Kinchardo qui Humfrido ſucceſſit nihil traditum repperi[r]. * 754.

---

[d] HEADDUS, *Flor. Wigorn.* HEDDA, *Brompt. Malmeſb. Lib. Tax. Wint.*

[e] Qui prius fuerat Monachus et Abbas. *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. 137. b. in monaſterio, quod nunc Whitby nuncupatur. *Rudb.* ib. Epiſcopatu ſucceſſit A. 676. *Chron. Saxon.* et conſecratus eſt Londoniae à Theodoro Archiepiſcopo. *Florent. Wigorn.* et *Beda* L. 4. c. 12.

[f] *Hiſt. Eccleſ.* L. 5. c. 18.

[g] *Florent. Wigor.*

[h] Sedit Annos 27 et obiit Wintoniae A. 703. *Chron. Saxon.*

[i] *Chron. Saxon.*

[k] Anno 703. et de eo haec ſcribit *Chron. praed.* Romam ivit A. 721. Tatwinum Archiepiſcopum, aliis aſſiſtentibus, conſecravit A. 731. Aetate confectus Praeſulatum dimiſit A. 744. et obiit anno ſequenti, pontificatus verò 43. Cui de tempore mortis convenit *H. Hunt.* L. 4. fol. 195. b. nec non *Florentius. Mailroſenſis* verò et *Weſtmonaſt.* uſque ad 746 eum vixiſſe credunt.

[l] *Malmeſb.* L. 2.

[m] Ibidemque ſepultus. Vide J. Voſſium de Hiſtor. Latin. L. 2. c. 28.

[n] *Weſtmon.* HUNFERTHUS, *Chron. Saxon.* HUNFRIDUS et HUNFRITHUS, *Floren. Wig.* HUMFREDUS, *Lib. Tax. Wint.*

[o] *Chron. Saxon.* et *Florent.* ad annum. Weſtmonaſterienſis verò ad annum 756 reponit.

[p] Cloveſhovienſi A. 747 celebrata. *Malmeſb. de Pontif.* et *Concil Anglic.* T. 1. p. 94.

[q] KINEHARDUS, *Weſtmonaſt.* et *Florent.* KINEBARDUS, *Malmeſb.* CYNEHEARDUS, *Chron. Saxon.* KYNEARDUS, *Rudb.*

[r] Succeſſit anno 754. *Chron. Saxon.*

IX. ATHELARDUS.

[780.] ATHELARDUS, ex Abbate Meldunenſi Epiſcopus Wintonienſis creatus[s], ad Metropoliticam [ſedem Cantuariae] tranſlatus eſt anno 794[t]. De quo ſupra inter Cantuarienſes.

Poſt illum, hii ordine ſederunt;

[790.] X. EGBALDUS[u].
XI. DUDDA[x].
XII. KINEBERTHUS[y]. Hic Romam profectus eſt cum Archiepiſcopo Cantuarienſi Athelardo anno 799[z].
[803.] XIII. ALHMUNDUS[a].
XIV. WIGTHENIUS[b].
[829.] XV. HEREFRIDUS[c], â Danis in praelio[d] interemptus anno 834.
XVI. EDMUNDUS[e].

XVII. HELMSTANUS[f].

OBIIT Helmſtanus anno 837 et tumulatus jacet ſuper parietem ſeptentrionalem presbyterii una cum Kenulfo, qui illi ducentos fere poſt annos ſucceſſit, ſicuti haec carmina teſtantur ibi loci inſcripta.

“ Pontifices haec capſa duos tenet incineratos,
“ Primus Helſtanus, huic ſucceſſorque Kenulphus.

Hac circiter tempeſtate, Athulfum ceu Athelulfum, qui poſtea Rex fuit, Epiſcopum Wintonienſem creatum contendunt hiſtoricorum noſtrorum non pauci (Sim. Dunelmenſis, Henr. Huntindonius, Rogerus Hoveden, aliique) et huic ſedi annos ſeptem praefuiſſe. Id quod mihi nullo modo probatur. Subdiaconum in hac Eccleſia ordinatum conſtat: et tum in Epiſcopum fortaſſis electus, (quod aſſerit ſane Bramptonus Abbas Gervauxienſis) diſpenſante Pontifice, ex hoc coenobio ad regnum aſſumptus eſt; neque de hac re quicquam habeo amplius fide dignum quod tradam.

---

[s] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2.

[t] Anno 790. *Chron. Saxon.*

[u] Omittitur a Malmeſburienſi. Vixit adhuc Epiſcopus Winton. ſi fidendum eſt Chartae Regis Offae Coenobio Croylandenſi conceſſae anno 793, extat apud *Ingulphum in Hiſtor.* p. 6.

[x] *Malmeſb.* et *Florent.* CUD, *Lib. Tax. Wint.* UND, *Rudborn.*

[y] Et KENEBERTUS, *Florent.* KYNEBERTUS, *Ingulph.* CINEBERD, *Malmeſb.* KENEBRITHUS, *Lib. Tax. Wint.* CYNEBRYHTUS, *Chron. Sax.*

[z] *Florent.* et *Chron. Saxon.* Anno 806 ſubſcripſit Chartae Kenulphi Regis Croylandenſibus datae; ita *Ingulph.* ibid. mala verò fide; anno enim 803 Alhmundus praefuit, ut ex ſequentibus apparet: uſque ad annum verò 803 Kinebertum vixiſſe colligi poteſt, e ſubſcriptione in *Libro Abendon.* Chartae Brithrici Regis de terris illi monaſterio conceſſis; *Ego Cynebeorth Epiſcopus conſenſi et ſubſcripſi.*

[a] AELMUNDUS, *Lib. Tax. Wint.* Anno 803 eum ſucceſſiſſe apparet ex eo quod hoc anno interfuit Concilio Cloveſhovienſi; *Concil. Anglic.* T. 1. p. 167.

[b] *Floren. Wigor.* WIGHTEN, *Malmeſb.* WYDERGINUS, *Rudborn.* WIGOEN, *Lib. Tax. Wint.* Monachus fuit Glaſtonienſis. Romam proficiſcitur una cum Wulfredo Archiep. A. 812. *Chron. Saxon.* Anno 824 interfuit Concilio Cloveſhov. celebrato 3 Kal. Novembris. *Concil. Angl.* T. 1. p. 175.

[c] *Rudb.* HEREFERT, *H. Hunting.* HEREFRITH, *Malmeſb.* Extat ſubjectionis profeſſio ad Archiepiſcopum Wilfridum, qui obiit anno 829. *Regiſtr. Eccleſ. Cantuar.*

[d] Carrenſi, *Hunting.* L. 4. f. 198. Anno 833 *Chron. Saxon.* una cum Sigelmo Schireburnenſi Epiſcopo. *Rudb.*

[e] Horum tres primi jacent humati in cripta ſub D. Genetricis altari; reliqui verò quatuor in navi Eccleſiae; Edmundus prope oſtium chori: ut ſcribit vigilantius. *MS. Barlow.*

[f] Epiſcopus fuit Wintonienſis anno 833 ſi ſubſcriptioni Chartae Witlaſii Regis monaſterio Croilandenſi datae fides ſit adhibenda. *Ingulph. Hiſtor.* p. 10. Huic Egbertus Anglorum Monarcha filium ſuum Athulpum nutriendum commiſit. *Rudb.* p. 199. *Malmeſb.* L. 2. f. 137. b. Obiit Helmſtanus anno 852. *Rudb.* et ſepultus eſt in Eccleſia ſua coram ſummo altari, ſed modo in locello plumbeo poſitus, ex boreali plaga altaris ſupra tumulum Ric. Toclivii Epiſcopi. *MS. Barl.*

XVIII. SUITHUNUS.

HELMSTANO ſucceſſit (ut videtur) Suithinus[g], cujus fama pietatis Sancti illi honorem apud poſteros comparavit. Miracula quae ab illo edita feruntur, legat qui volet apud Weſtmonaſterienſem in anno 862; quo tempore Julii ſecundo mortuus perhibetur. Utcunque ſanctitate, doctrina certe ac eruditione praeditus fuit non vulgari: ideoque Ethelwolfo Egberti Regis filio minori, quem ex Subdiacono Regem factum retulimus, ſtudiorum rector datus eſt. Non deſunt qui aſſerant (ſatis hercle ridicule) Angliae hunc Cancellarium extitiſſe. Hujuſmodi vero muneris ne nomen quidem hic loci adhuc unquam fuerat auditum. Sepultus eſt, ſecundum quod ipſe vivus mandaverat, in coemiterio. [852.]

XIX. ADFERTHUS[h].

ADFERTHUS illi ſucceſſit, *vir* (inquit Florilegus) *in rebus Eccleſiaſticis ſufficienter eruditus, qui vices anteceſſoris aliquanto tempore prudenter exegit*. Hunc ego crediderim Cantuariam tranſlatum[i], et in illius Eccleſiae monumentis Athelredi nomine appellatum. 863.

XX. DUMBERTUS[k].

DUMBERTUS Adferthi ſucceſſor obiiſſe perbibetur anno 879[l]. 871.

XXI. DENEWULFUS[m].

PROVECTAE jam aetatis vir et conjugatus Denewulfus, porcos olim paſcendo[n] (ut fama ſaltem fertur) vitam ibi loci ſuſtentabat ubi Coenobii Athelneyenſis parietinae hodie cernuntur, in Comitatu videlicet Somerſetenſi. Contigit ea tempeſtate Alfredum Occidentalium Saxo- 879.

---

[g] Ex praepoſito Wintonienſi fit Epiſcopus anno 852. *Rudb.* et obiit anno 862. *Weſtmon.* Jul. 2. 862. *Flor. Wigorn.* A. 861. *Chron. Saxon.* A. 863. *Malmeſb. de Pont.* L. 2. fol. 138. *Sim. Dunelm.* col. 141. et *Hoved.* f. 238. b. Hoc modo rem narratur ab alio; Natus eſt A. Regni Egberti 26. D^{ni} 826: vixit annos 46, pontificavit undecim, obiitque A. D. 862, anno Ethelberti Regis tertio; et ſepultus jacet extra portam navis Eccleſiae borealem, qui locus tunc rudis erat, modo verò ibidem pulchra capella in ejus honorem conſtructa eſt. Reliquiae ejus poſt 110 annos ſublatae ſunt de monumento, et in baſilica B. B. Petri et Pauli ſunt reconditae: *Sime. Dunelm.* Col. 159. ad annum 970. Pontem ad orientem Wintoniae conſtruxiſſe dicit *Capgravus* in illius vita. Vid. *Acta Benedict.* ſaec. 4. par. 2. p. 69. et ſaec. 5. p. 628 &c.

[h] ALFRIDUS, *Lib. Tax. Wint* ALFRITHUS, *Malmeſb.* ALHFRITHUS, *Florent.* AELFERTHUS, *Weſtmon.*

[i] Vid. inter Archiepiſcopos Cantuar. in Athelredo. p. 48. Not. m.

[k] DUNBERTUS, *Florent.* et *Weſtmon.* TUNBERTUS, *Brompt.* DOMBERTUS, *Lib. Tax. Wint.* DUUBERTUS, *Malmeſb.*

[l] Manerium de Stuſhelyng contulit ad fabricam Eccleſiae, *Rudb.* et obiit A. 879. *Floren. Wigorn.*

[m] DENEULFUS, *Florent. Weſtm.* et *Rudb.* DENENULFUS, *Malmeſb.* DUNEWOLFUS, *Brompt.* DONEWLFUS, *Lib. Tax. Wint.*

[n] De hac fabula ita diſſerit *Cl. Whartonus* in Anglia Sacra V. 1. p. 208. "Denewlphum Subulcum Alfredo Regi apud Athelingiam latitanti familiarem factum, demum Regis opera literis inſtitutum, ad Epiſcopatum Wintonienſem evectum eſſe vulgata eſt apud Hiſtoricos noſtros fabula. Fabulam enim eſſe et res ſuadet, et Chronologia ſubindicat. Alfredus namque Aethelingiam inſulam non ſeceſſit ante annum 878. *Florent. Wigorn* et anno ſequenti Denewlphus Epiſcopatum ſortitus eſt. Theologiae autem Doctorem apud Oxoniam eundem creatum eſſe inane eſt Rudburni commentum."

num inclytum illum Regem, à perſequentibus Danis (qui regno eum exuerant) ita circumſeſſum, ut cum aliam effugii viam non reperiret; huic Denewulfo noſtro, porcos ſuos curanti, in famulitium ſe dederet; locum nimirum incolenti, paludibus et ſtagnis ita tum temporis circundatum (quae jam olim alio derivatis aquis in paſcua laeta aruerunt) ut vix aliquis ad illum pateret acceſſus. Hic, paucis eò commeantibus, tutum Rex latibulum ſibi nactus cum videretur, moram traxit tam diu, ut tam herum, quam uxorem ejus taederet tandem ſervi, in muneribus quae ad hoc illorum artificium pertinerent parum prompti. Ac de muliere quidem traditur, dediſſe illam Regi placentas quaſdam ruſticanas igni torrendas, quas cum ille pro more convertere neglexiſſet, increpatus dicitur ab hera his verbis.

"Urere quos cernis panes girare moraris,
"Qui nimium gaudes hos manducare calentes.

Evenit tandem, ut amicis Rex conjunctus, qui copias mediocres coegerant, inſignem de hoſtibus victoriam reportarit, et non tantum Danos ſibi ſubjugarit, ſed univerſam etiam Angliam in unum Monarchiae corpus redegerit. Memor tunc hoſpitis (herum potius appellaverim) quocum tam diu delituiſſet, quemque ingenio comperiſſet acerrimo praeditum; magiſtris eum tradidit in Academia Oxonienſi inſtituendum, ac tum poſtea cum mediocriter in literis profeciſſe viſus eſſet, uxore etiam fortaſſis defuncta, Epiſcopum eum Wintonienſem creandum curavit. Ita caſu mirabili, et non credendo, niſi omnium hiſtoricorum conſenſu id eſſet teſtatiſſimum, ſubulcus[o] Epiſcopus Wintonienſis, et ſubulci [famulus] totius Angliae Rex evaſit. Alfredus vero ut non minus Deo quam hominibus ſe gratum praeſtaret, in loco ubi latebras tam [fidas] nactus erat, Coenobium condidit, patrum noſtrorum memoria everſum, quod Coenobium appellavit de Athelney, quaſi dicas inſulae nobilium. Ab Henrico Octavo id ſuppreſſum numerabat in cenſu annuo libras 209 et tres ſolidos[p].

XXII. ATHELMUS.

De Athelmo qui tum proxime ſucceſſit, hoc tantum memoratur, quod Alfredi Regis pecuniam magnam pauperibus diſtribuendam Romam mandato ejuſdem Regis detulerit anno 888. De illo praeterquam apud Weſtmonaſterienſem nullibi fit mentio.

BERTULFUS.

Ab eodem etiam perhibetur, Bertulſum Wintonienſem Epiſcopum (cujus nomen opinor alibi non extat) ab eodem Alfredo gardianum ſive praeſidem regni conſtitutum anno 897, ut illud contra Danorum vim tueretur.

[o] *Malmeſb.* L. 2. f. 138.

[p] Anno 897 ab Alfredo Rege conſtitutus eſt Praetor provinciae Wintonienſis adverſus Danorum invaſiones. *M. Weſtmon.* ad ann.——A. 900 ſubſcripſit chartis Alfredi Regis, et A. 904 Edwardi Regis Monaſterio Wintonienſi datis. Neutiquam igitur Epiſcopatum deſeruit ante obitum, qui contigit anno 909. Athelmus igitur et Bertulfus penitus excluduntur: nec a Malmeſburienſi, Florentio, Ingulpho, aut Libello illo Taxationum nominati.

XXIII. FRITHSTANUS[q].

*909. CONSTAT certe Frithſtanum anno 905 una cum ſex aliis Epiſcopis in Wintonienſem antiſtitem conſecratum per Plegmundum Cantuarienſem, idque mandato Edwardi ſenioris Regis [r]. Cujus rei occaſionem ſupra fuſius expoſuimus [s]. Hic vir, tam doctrina quam vitae ſanctitate clarus, multos praefuit annos, ac tandem praeſulatum ſponte renunciavit, deſignato pro ſucceſſore Brinſtano, anno 931. Proximo deinde anno migravit ex hac vita, anno videlicet 932 [t].

XXIV. BRINSTANUS[u].

*932. BRINSTANUS Epiſcopus (ut retulimus) creatus anno 931 [x], cùm annos duntaxat tres ſediſſet, anno 934 deceſſit. “Hic (inquit Malmeſburienſis *) Dominici exempli ardentiſſimus executor, pedes egenis omni die, ſemotis arbitris lavabat, menſam et cibos apponens, nec minus pro diſciplina famulantium reliquias abſtergens. Obſequio conſummato pauperibuſque dimiſſis, ad multas ibi remanebat horas, orationibus (ut creditur) vacans. Quadam ergo die pro conſuetudine ingreſſus, nulla antea interpellatus moleſtia aegritudinis, ſubito clam omnibus ſpiritu vitali caruit.

XXV. ELPHEGUS CALVUS[y].

*935. ELPHEGUS cognomento Calvus qui ſucceſſit [z], mortem obiit (ut plurimi) anno 946 [a]; at ſecundum Flor. Wigorn. 951 [b]. De his tribus poſtremis Epiſcopis Monachi noſtri multa narrant miracula [c].

---

[q] FRIDESTANUS, *Mailr.* FRITHESTAN, *Diceto.* FRITHESTAMUS, *Malmeſb.* FRITHESTANUS, *Hoved. Florent.* FRIDESTANUS, *Lib. Tax. Wint.* FRITHETHSTANUS, *Bromt.*

[r] Juſſu Formoſi Papae a nonnullis traditur, cum Formoſus ipſe ante novennium fato conceſſiſſe luculenter tradit *Ciacconius* Tom. 1. Col. 675, &c. Et etiam de ſeptem Epiſcoporum conſecratione dubitandum eſt, praeſertim ſi in annum 905 collocatur; Denewlfus enim in vivis fuiſſe uſque ad annum 909 ex ſuperioribus patet: ideoque Frithſtanus ante Annum 909 nondum fuit ſacratus; in annum 910 reponunt *Chron. Saxon.* et *Florentius.* De his Epiſcopis, in authore MS. incerto de Epiſc. Winton. ſic ſcriptum legimus; “Inter S. Swythunum et Frithſtanum lapſum 49 annorum tres fuerunt Epiſcopi; viz. *Alfrithus* cujus tempore Canonici venerunt in vetus Monaſterium Wynton. *Trumbertus* qui manerium de Meſtelyng huic contulit Eccleſiae: *Denewlphus*, deinde S. *Frithſtanus*, qui ſedit 21 annis. Cui ſucceſſit *Brinſtanus* qui ſedit quatuor annis: et iſti duo ſepulti fuerunt honorificè in Aquilonali Ala Eccleſiae Wynton.”

[s] Inter Archiep. Cantuar. p. 48.

[t] Decimo Septembris. *Calend. Eccleſ. Winton.*

[u] *Dunelm. Diceto. Hoved.* BIRSTANUS, *Brompt. M. Weſtm.* BIRNSTANUS, *Malmeſb.* et *Florent.*

[x] 932 *Rudb. in Hiſtor. minori.* et obiit ad Feſtum omnium Sanctorum 934. *Chron. Saxon.* aliique.

[*] *De Pontif* L. 2. fol. 138. a.

[y] ELFEGUS CALVUS, *Dunelm. Hoved.* ALFEAGUS CALVUS, *Floren.* AELFAGUS et AELFEGUS, *Weſtmon.* ELPHEGUS, *Bromt. Rudb. Malmeſb.* et *Mailr.*

[z] A. 935. *Chron. Saxon. Hoved.* f. 242. b. *Wigorn. Mailr.* et *Dunelm.* Monachus Glaſtonienſis, et Sancti Dunſtani propinquus. *Mailr.*

[a] *Weſtmonaſt.*

[b] *Sim. Dunelm. Chron. Saxon. Hoved.* f. 243. et *Mailr.* et in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

[c] Vide *Malmeſb. de Pont.* L. 2. f. 138. b. Alius fuit hic noſter ab Elphego Cantuarien. Archiepiſcopo. Vid. *Acta Benedict.* Saec. 5. p. 233, &c.

XXVI. ELFSINUS[d] alias ALFSIUS[e].

*951. POST illum ſediſſe perhibetur Elſſinus alias dictus Alſſius[f], ad annum uſque 958, quo tempore muneribus et largitione ſe curavit ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem transferendum, quo exiguo admodum tempore gaviſus eſt[g].

XXVII. BRITHELMUS[h].

958. ELFSINO tranſlato, Brithelmus quidam ſucceſſit, qui anno 963, cùm quinque annos ſediſſet, defunctus eſt.

XXVIII. ETHELWALDUS[i].

963. ETHELWALDUS Abendonenſis Abbas, conſecratus eſt anno 963[k] ſedit annos novendecim, et Auguſti primo 984 deceſſit. "Neſcires "(inquit Malmesburienſis[l]) in eo viro quid magis laudares, ſanctitatis "ſtudium an doctrinarum exercitium, in praedicatione inſtantiam, in "aedificiis induſtriam." Quomodo Brinſtanus anteceſſor, illi jam mortuus apparuerit, Sancti honorem poſtulans, et alia hujus generis, talium avidus, petat apud Weſtmonaſterienſem anno 965. Monachiſmi magnus fuit patronus[m], et Clericorum conjugatorum acerrimus perſecutor. Quo primum tempore Epiſcopus creatus eſt[n], Seculares Praesbyteros à veteri Monaſterio Wintoniae expulit et Monachos introduxit[o]. Cumque inſulam Elienſem ceu prece ceu pretio à Rege comparaſſet, ex Coenobio Elienſi (quod Cathedram Epiſcopalem nondum habebat) Clericos octo una cum conjugibus vi ejecit, ut Monachos ibi collocaret[p]. Tum apud Thorneiam et Petroburgum, Monaſteria per Danos ſolo aequata reſtauravit, et magnifice extructa liberaliterque dotata eodem genere hominum (Monachis dico) replevit. Qui de illo velit plura, vitam ejus copioſe deſcriptam legat apud Malmesburienſem in libro de Pontificibus. Hoc interim non pigebit aſcribere praetermiſſum ab illo, quod in magna annonae caritate, Eccleſiae ſuae omne argentum caelatum et ornamenta paulo pretioſiora vendidit; et pecuniam ita coactam pauperibus diſtribuit; dicens, Eccle-

---

[d] *Sim. Dunelm.* [e] *Florentius.* ELFINUS, ELFSIUS et ELFFIUS, *Malmeſb.* ELSINUS, *Hoved.* AELFSINUS, *Weſtmon.* ALSINUS, *Rudb.* [f] Succeſſit A. 951. *Vir regalis proſapiae et egregiae literaturae; ſi non ſimoniaca labe pollueretur*, ait *Rudbornus* in Hiſtor. majori. [g] Vide plura inter Archiepiſcopos Cantuarienſes. [h] *Dunelm. Malmeſb.* et *Florileg.* BRIHTELMUS et BRICHTELMUS, *Hoved.* Succeſſiſſe dicitur à Mailroſenſi A. 958. Obiiſſe verò 963 à Dunelmenſi et Weſtmonaſt. [i] *Dunelm. Hoved.* ADELWALDUS, *Hunting.* AETHELWALDUS, *Ingulph. Florent. Weſtmonaſt.* ETHELWOLDUS, *Bromt. Malmeſb. Mailr.* EDELWALDUS, *Hunt. Mailr.* AEDHETWOLDUS, *Lib. Elienſ.* et *Winton.* [k] In vigilia Sancti Andreae. *Chron. Saxon.* Wintoniae natus, ſub Dunſtano Glaſtoniae educatus eſt, et cucullatus. *Bromt.* p. 877. [l] *De Pontif.* L. 2. f. 139. [m] *M. Pariſ.* [n] *Hunting.* L. 5. f. 204. [o] *Hoved.* f. 244. faventibus Rege Edgaro et Dunſtano Archiepiſcopo. Factum eſt hoc tempore Quadrageſſimali, et Monachos induxit in Sabbato *Ramis Palmarum.* In tantum dilexit urbem Wentanam quod aquam currentem ſuo ſtudio et labore ſumptibuſque largifluis benigniſſimè introduxit. *MS. id.* Eccleſiam hanc de novo renovavit, et in honorem Apoſtolorum Petri et Pauli dedicavit A. primo Ethelredi Regis, ipſo Rege et praeſulibus et proceribus praeſentibus, Anno Gratiae 980 ſub die viceſimo quarto Octobris; S. Dunſtano Eccleſiam dedicante. *MS. Wood.* [p] *Bromt.* p. 868.

ſiae de ornamentis ut proſpiciatur quandoque fieri poſſe; fame vero qui perierit, nullo pacto ad vitam revocandum[q].

* * *

XXIX. ELPHEGUS.

ELPHEGUS Bathoniae Abbas ſucceſſit[r] illi, vir pius et doctus. Anno 1006[s] ad Cantuarienſem ſedem tranſlatus eſt. De illo ſupra vide plura. 984.

* * *

XXX. KENULFUS[t] alias ELSIUS.

KENULFUS (quem nonnulli Elſium appellant) muneribus et largitione viam dicitur ad Epiſcopatum hunc ſibi muniiſſe. Abbas erat Petroburgenſis, et honore coempto vix ſeſquiannum potitus, propter Symoniam infamis anno interiit 1008[u]. Sepultus eſt (quod antea memoramus) ſupra Septentrionalem parietem praesbyterii in Eccleſia ſua. 1006.

* * *

XXXI. BRITHWOLDUS[x].

DE Brithwoldo[y] (quem Weſtmonaſterienſis et Wigornienſis Ethelwoldum videntur appellare) hoc traditur. Orationi nocte intempeſta vacantem, in cogitationem incidiſſe de Regio Anglorum ſanguine, jam fere ad nihilum redacto, eaque de re multa ſecum animo volventem ſomno correptum. Viſus illi tum D. Petrus, Edwardum illum Confeſſorem (tenerum adhuc adoleſcentulum et in exilio degentem) coronare, ac futurum praedicere, ut per annos 24 Anglorum genti imperaret, et ſine prole tandem decederet: ſe vero amplius progreſſum, percunctatum fuiſſe, quis tum poſt eum eſſet regnaturus, et reſponſum accepiſſe hujuſmodi; regnum Anglorum regnum Dei eſt, cui ille de Rege providebit. Nonnulla Malmesburienſis exemplaria, haec tradunt de Brithwoldo, non Wintoniae, ſed Wiltoniae Epiſcopo qui vixit ad annum 1044. Et ſane, qui temporum rationem ſpectaverit, de illo probabilius haec dici exiſtimabit quam de hoc noſtro qui anno 1015 diem clauſit extremum. Scribit Hovedenus[z], Alfigum quendam Epiſcopum Wintonienſem anno 1032 obiiſſe, et ſucceſſorem habuiſſe Elſwinum. Qua in re (quod eorum alibi non reperi mentionem) erratum ab illo non dubito. *1006.

---

[q] Ob. anno 984. *Ingulph.* p. 53. *Chron. Saxon.* Kalendis Auguſti, *M. Par. Mailr. Florent.* et *Chron. Petrob.* Prid. Kalend. ſolus *Hovedenus* aſſerit, p. 245. Praefuit annis 21, et ſepultus eſt in cripta ex auſtrali plaga ſummi altaris infra propriam Eccleſiam. *MS. Id.*

[r] Godwinus dictus in *Chronol. Saxon.* conſecratus eſt 14 Kal. Nov. 984, et inthronizatus in feſto Apoſtolorum Simonis et Judae.

[s] Anno 1005, *Chron. Saxon.* Vid. plura inter Archiep. Cantuar. p. 54. not. u. Iſte Elphegus Organa in Eccleſiam Ventanam invexit. *MS. Baker.* Vid. *Acta Benedict.* Saec. 3. Praef. p. 83 et Saec. 5. p. 233.

[t] *Dunelm. Hoved. Mailr. Wigorn.* AELFSIUS, *Weſtmon.*

[u] Eodem quo conſecratus eſt anno, viz. 1006, deceſſit, ſi *Florentii* valet authoritas ad annum 1006. Hoc etiam innuit *Chronicon Saxon.* Succeſſionem Brithwaldi in hunc annum aſſignando.

[x] *Bromt. Chron. Saxon.* ATHELWOLDUS, *Wigorn.* EDNOLDUS, *Lib. Tax. Wint.*

[y] Succeſſit anno 1006. *Chron. Saxon.* Fatis ceſſit A. 1015; et in Eccleſia Winton. ſepultus eſt.

[z] Lib. 1. f. 251. nec non *Sim. Dunelmenſis* et *Mailroſenſis.*

XXXII.

XXXII. Elsinus[a] vel Eadsinus.

1015. ELSINUS, aliis Eadſinus, capellanus erat Haraldi Regis, qui Eccleſiae Wintonienſi praefecit eum, unde anno 1038 Cantuariam tranſlatus eſt[b].

XXXIII. Alwinus[c].

*1032. QUI ſucceſſit[d] Alwinus, gratia multum valuit apud Emmam Confeſſoris matrem, adeo ut ſtupri conſuetudinem cum illa habuiſſe fama tunc temporis invaluerit. Hoc quatenus fidem mereatur, et quomodo illa per novem ignitos vomeres nudis pedibus incedendo hanc labem abſterſerit, diximus antea in Roberto Cantuarienſi[e]. Sepultus[f] jacet ſupra parietem ſaepe-dictam presbyterii, ubi tumulo ejus Epitaphium vidimus adſcriptum hujuſmodi,

"Hic jacet Alwini corpus, qui munera nobis
"Contulit egregia, parcito Chriſte rogamus.
Obiit anno 1047.

XXXIV. Stigandus.

1047. STIGANDUS, Edwardo Regi Confeſſori à ſacris, ab illo donatus eſt Epiſcopatu Elmhamenſi (cujus ſedes Norwicum poſtea tranſlata eſt) anno[g] 1043. Ibi multum moleſtiae exhibitum illi à Grinketello quodam, qui muneribus et largitione corruptis judicibus, neſcio etiam an teſtibus, Stigandum curavit ejiciendum, ſeque loco ejus ingeſſit, unde brevi poſtea cognita veritate deturbatus eſt Stigando reſtituto, qui deinde ibi ſedit ad annum uſque 1047, quando Wintoniam tranſlatus eſt. Poſt quinquennium[h] deinde, Cantuarienſis Eccleſiae gubernaculo admovetur, Roberto in exilium pulſo. Sed, ſive quod ſuperſtite adhuc Roberto, Wintonienſem dimittere non auderet, ne ita praeſulatum utrunque amitteret; ſive quod pecuniae ſiti victus inexplebili, Cantuarienſis ſedis redditibus ampliſſimis non contentus, homo ſupra modum avarus, cupiditati ſuae hoc velum obtenderit; certe praeter Cantuarienſem, Wintonienſem porro,

---

[a] ELSIUS, *Malmeſb.* et *Lib. Tax. Wint.* ALFSIUS, *Florent.* AELFSIGUS, *Chron. Saxon.*

[b] Hunc alium fuiſſe, et non Archiepiſcopum Cantuariae nullus dubito. Certè ab Haraldo Rege, cui Capellanus eſſe dicitur, ad ſedem Wintonienſem praefici non potuit; Haraldus enim non ante annum 1036 Imperium adeptus eſt. Ideoque fidendum eſt potius *Hovedeno* aliiſque aſſerentibus EADSINUM ad Solium Archiepiſcopale evectum, cùm ſolummodo Presbyter fuit et Regis Haraldi Capellanus. A. 1032 diem clauſit extremum Elſinus Epiſcopus Wintonienſis: *Annal. Petrob. et Saxon.*

[c] *Dunelm.* et *Mailroſ.* ALDWINUS, *Hoved.* ELWINUS, *Malmeſb.* ALFWINUS, *Florent.* EALFWINUS, *Weſtmon.* AILWINUS, *Bromt.* AELFWINUS, *Chron. Saxon.*

[d] Anno 1032. *Chron. Saxon.* cui potius aſſentio quàm *Rudborno*, qui in proximum trajecit.

[e] p. 56.

[f] Obiit anno 1047. *Wigorn. Weſtmonaſt.* et *Hoved.* L. 1. f. 252. *Annal. Winton.* 4 Kal. Sept. *Obituar. Cantuar.* Iſte novem Maneria de proprio patrimonio Eccleſiae ſuae contulit, quae ſunt, *Stonibam*, et duo *Meones, Heveme, Wytney, Helyng, Melbroke, Polhampton*, et *Hedyngrove*. Sepultus fuit primitus in Crypta ex parte auſtrali ſummi Altaris, nunc verò ponitur in Sacrifago plumbeo ſuper oſtium illius Cryptae. Sedit annos 15. *MS. Id.* ita in *MS. Barlow.*

[g] Anno 1038 potius, vid. infra inter Epiſcopos Norwicenſes.

[h] Anno 1052. *Regis abutens ſimplicitate, et Godwini filiorumque ſuorum fultus poteſtate, pecunia Archiepiſcopatum invadit et occupat*; ita *Chronici Petroburgenſis* author. Cui aſſentit *Rudborn* in Hiſtoria majori. f. 239.

Roberto etiam mortuo retinuit[i], quod ipſi poſtremo exitio fuit. Qua de re inter Cantuarienſes ſupra prolixius[k]. Wintoniae deceſſit in carcere anno 1069[l] paulo poſtquam exauthoratus eſt, et tumulatus jacet, ſupra parietem praesbyterii ibidem, in eadem theca conditus in qua Wina primus illius Eccleſiae Epiſcopus, uti haec brevis teſtatur inſcriptio,

Hic jacet Stigandus Archiepiſcopus[m].

* * *

XXXV. WALKELINUS[n].

EXAUTHORATO Stigando, à Gulielmo Rege ſufficitur Walkelinus, nonnullis Walkelmus, "cujus bona opera (inquit Malmesburienſis[o]) "famam vincentia, ſenium à ſe vetuſtatis repellent quamdiu inibi ſedes "Epiſcopalis durabit." Et deinde poſt pauca, "primo quidem advena "novus, Monachos exoſus fuerat; ſed facile correctus, umbraticum illud odium ſaepe deploravit, deinceps fovens eos ut filios, diligens ut "fratres, honorans ut Dominos." Subjungit tamen, quaſi oblitus illorum quae antea ſcripſerat. "Una in re multum illum peccaſſe, nimirum quod "ad centum libratas terras (ſic loquitur) Monachis auferens, ſuis et ſucceſſorum uſibus applicuit." Idonei certe ſunt authores, Monachos illum ubicunque data eſſet facultas[p], Coenobiis expuliſſe, et ſeculares Preſbyteros introduxiſſe. Conſecratus eſt ab Arminfrido Epiſcopo Sedunenſi Legato Pontificio, in feſto S. Trinitatis 1070[q], et praefuit annos 27. Illo ſedente, anno nimirum 1079, Eccleſiae Cathedralis fabrica quam nunc cernimus, primum erigi caepta. Obiit tertio Januarii 1097[r]. 1070. GUL. 1. 5.

* * *

XXXVI. GULIELMUS GIFFARD.

UBIQUE gentium principes hac tempeſtate (et quam diu ante haud temere quis deſignarit) praeſulatus pro libitu donabant, inveſtituram dantes per annulum et baculum. Gregorius ſeptimus Papa Henrico Imperatori, poſt longum certamen, hoc tam diu uſurpatum jus extorſit. Henricus primus Rex noſter, majorum veſtigiis inſiſtens, Epiſcopatus et Abbatias vacantes, ſimili ratione ſuis conferebat, et ſine capitulari aliqua electione Archiepiſcopo mandabat conſecrationis ritus impendere. Inter alios, Gulielmum Giffard[s] renunciavit Epiſcopum, nimirum Wintonienſem, quem Anſelmus Cantuarienſis juſſus conſecrare renuit. Cujus rei rationem ſupra petat lector in Anſelmo[t]. Hoc officium cùm poſtea Rex à Girardo Eboracenſi poſtularet, ille certe non recuſavit. Giffardus vero (inquit Weſtmonaſterienſis[u]) *rigorem timens Sancti Anſelmi, ſprevit conſecrationem ejus.* Rex igitur Anſelmo tantum hucuſque infenſus, in Gif- 1107. HEN. 1. 8.

---

[i] Dimiſit tandem, vix aegreque exoratus eſt ut Suth-Saxonibus proprius ordinaretur Epiſcopus. *MS. Id.*

[k] P. 58.

[l] Amotus eſt in Synodo Wintonienſi A. 1070, in Octavis Paſchae habita. *Sim. Dun.*

[m] Nunc verò hoc modo inſcribitur, *In hac Ciſta A. D.* 1661. *promiſcuè recondita ſunt Oſſa Principum et Praelatorum, Sacrilega barbarie diſperſa, A. D.* 1642.

[n] *Bromt.* WALKELMUS, *Malmeſb.* WALCHELMUS, *Hunting.* WALCELINUS, *Dunelm. Wigorn.* VALCELINUS, *Hoved.*

[o] *De Pontif.* L. 2. f. 140.

[p] Vid. *Eadmer.* L. 1. p. 10.

[q] *Florent. Hoved.* L. 1. f. 260. nec non *Concil. Anglic.* T. 1. p. 323. Dorobernenſis Archiepiſcopus depoſitus, et Eboracenſis defunctus, juſſu igitur Regis ab Armenfrido conſecratus eſt.

[r] Ex omnium Hiſtor. concordi ſententia: Anno ſcil. exeunte. Regis Gulielmi fuit et conſanguineus et Capellanus, et Theologiae Doctor Pariſienſis. *Rudb.*

[s] Cancellarius fuit Angliae tempore Willelmi Conqueſtoris, ut patet per *Inſpeximus*, Chart. 51. Hen. 3. m. 1. iterumque tempore Henrici primi, et teſtis Chartae ejuſdem Regis conceſſae Eccleſiae de Rovaceſter. *Reg. Roffen.* cap. 6. *Dugd. Collect.*

[t] P. 65.

[u] Ad annum 1102.

fardum ita jam commotus eſt, ut regno eum ejecerit[x]. Poſt multam altercationem, ita res compoſita eſt, Papa annuente, ut Epiſcopos per Regem jam antea deſignatos Anſelmum oportuerit conſecrare, promittente Rege, ſe impedimento jam poſthac non fore, quo minus per Canonicas electiones Epiſcopi futuri conſtituantur. Giffardus ita, poſtquam totum fere decennium ſedes vacaſſet, una cum aliis ſex conſecrationem obtinuit anno 1107[y]. Ciſtercienſibus Monachis coenobium is condidit apud Waverley, et Monialibus aliud Tauntoniae; quorum hoc quando everſum eſt redditus habuit annuos ad 174 libras, octo ſolidos, et denarios tres praeter unum obolum: Illud vero 438 libras, novem ſolidos et denarios decem. Aedes deinde ampliſſimas conſtruxit prope pontem Londinenſem[z], in ſuburbio Suthwercano, in quas Epiſcopi Wintonienſes quoties Londinum venirent ſe reciperent. Et ad fundationem Monaſterii S. Mariae, juxta eandem domum ea tempeſtate Regularibus Canonicis extructi, magnam contulit pecuniam[a]. Sedit annos 21, et Januarii 25[b] 1128 decedens, Wintoniae humatus eſt in Eccleſia ſua.

◆

XXXVII. HENRICUS BLESENSIS.

1129. Hen. 1. 30. DEFUNCTO Giffardo ſufficitur, operâ Regis, Henricus Bleſenſis, ſuus ex Adela ſorore nepos, Bleſenſis Comitis filius, et Abbas tum Glaſtonienſis[c]. Vir certe propter multiplices animi virtutes eo munere non indignus judicandus. Nam prudentiam habuit cum aequitate conjunctam (quanquam propter manſuetudinem et morum facilitatem, parum conſtans haberetur) et eruditione praeditum non vulgari, ſcripta ab illo edita oſtendunt, quae à Balaeo ſigillatim recenſentur. Inter alia, extat etiamnum hodie opuſculum[d] ab illo exaratum, de famigeratiſſimi Arthuri ſepulchro, ſe Abbate Glaſtoniae invento.

Quo tempore Henricus Rex avunculus ejus deceſſit, quanquam Matildi Imperatrici Regis filiae, et ipſe et reliqui omnes regni Proceres Sacramentum dixerant[e]: Cùm tamen illa in Normannia id temporis haereret, et populorum pleroſque animo ab illa alieniori exiſtere animadverteret, propter conjugium cum Comite Andegavenſi non ita pridem initum: Metuens Epiſcopus ne Procerum quiſpiam, diadema regium tanquam in medio poſitum arriperet, et à ſuo ſanguine alioſſum transferret: Pontifici cum eſſet Legatus à latere, ſynodum convocavit, et pertracto in ſuas partes Rogero Sariſburienſi Epiſcopo illo potentiſſimo; reliquis è clero (qui omnia ſoli tunc poterant) perſuaſit, ut fratrem ſuum Stephanum, Comitem Bolonienſem, Regem conſtituerent[f]. Id quod illi non gravate praeſtiterunt; eoque libentius, quia juramento neſcio quo inſolito fidem facere promiſit, Eccleſiae jura omnia et libertates illaeſas ſemper ſeſe ſervaturum[g]. Et juramentum[h] quidem Rex factus non abnuit; at de juramenti fide exolvenda adeo [non] erat ſollicitus, ut beneficiorum à clero praeſtitorum parum memor, in arces aliquot involaret Epiſcoporum, Sarisburienſis nimirum, Lincolnienſis et Elienſis, quas occupatas derepente diripuit[i], ſicut in vita Rogeri praedicti fuſius Deo volente demonſtrabimus. Quapropter Legatus, Concilium Wintoniae indixit[k], quo Rex etiam vocatus eſt. Ibi quomodo haec res agitata eſt inter Legatum et oratores Regios, lectorem quaeſo noſcendi cupidum amandare liceat ad Malmesburienſem[l], illius aevi hominem, rerumque tum geſtarum teſtem ſaepenumero oculatum, qui prolixe haec omnia diligenterque perſequitur. Effectum eſt ſane nihil. Neque enim Rex aliquid voluit concedere; nec Legatus Regem (id quod fuerat minitatus) excommunicare auſus eſt inconſulto Pontifice. At ne quid intentatum relinqueret quod fratrem ad bonam frugem reduceret; aſſumptis ſecum Archiepiſcopo et Epiſcopis nonnullis, acceſſit ad eum, ac in genua procumbens obteſtatus eſt, juramenti ſuſcepti memor, Eccleſiae vellet miſereri, et ſic animae ſaluti ſimul et honori ſuo conſulere, neve periculoſa contentione regnum et ſacerdotium collidi inter ſeſe pateretur[m]. Reſponſione ſatis blanda dimiſſi ſunt, ſpe datâ futurum ut poſtulatis eorum Rex annueret. Quid vero fuiſſet praeſtiturus, ambiguum reddidit Sarisburienſis mors, qui moerore (uti creditur) confectus, brevi poſtea expiravit.

---

[x] *Malmeſb. de Pont*. L. 1. et *Hoved*. L. 1. f. 269. b. [y] Aug. 11. 1107. *Dunelm. Pariſ. Hoved*. L. 1. f. 270. Solus *Malmeſburienſis* Aug. 10. ponit. L. 1. f. 129. b. Dies verò undecima fuit Dominica. [z] Vid. *Stoum*. Edit. 1633. p. 450. [a] Solus fuit fundator Monaſterii S. Mariae de Overis in Suthwerke extra Lundon, et Canonicos ſeculares ibi inſtituit. *MS. Id.* [b] Ob. Jan. 25. 1128. *Flor. Wigorn*. et Hiſtorici plerique omnes. Sepultus Jan. 25. *Chron. Saxon*. [c] Monachus fuit apud Cluniacum, Epiſcopus Gurtonenſis, et Abbatiam habuit Glaſtonienſem in commendam; ita *Rudborn*, p. 282. Epiſcopatum verò non Epiſcopali ſed commendatorio jure Henricum tenuiſſe, ex eo conſtat, quod 17 Nov. 1129 ad Sedem Wintonienſem conſecratus erat. *Chron. Saxon. Dunelm*. et *Florent. Continuator*. una cum Rogero Epiſcopo Coventrenſi. *Chron. Petrob*. et *Dunelm*. [d] Immo, non ab iſto Henrico, ſed ab alio Henrico Abbate Glaſton. et poſtea Epiſcopo Wigorniae corpus Arthuri Regis in Sepulchro inventum eſt, ut expreſſe teſtatur Gyraldus, L. 2. Diſtinc. c. 8, 9, 10. [e] Et in Dominam receperunt, eo pacto ne alienigenae nuberet. *MS. Gale*. [f] *Hunting* L. 8. f. 222. et *Malmeſb. Hiſt. Novel*. L. 1.

Haec ſive ingratitudo ſive perfidia, tantam illi conflavit invidiam apud omnes (Eccleſiaſticae praeſertim gentis homines) ut derelictus ac deſertus à ſuis, et ab Imperatrice ſuperatus, et in praelio brevi pòſt captus fuerit, illa vero pro Regina ſuſcepta à Legato et optimatium quamplurimis, quod etiam à reliquis factum fuiſſet, niſi Robertus Comes Glouceſtrenſis frater ejus ex concubina genitus (cujus fortitudine et prudentia res hactenus tam foeliciter confecerat) à Regiis ſimiliter ea tempeſtate captus fuiſſet. Illa namque tanto praeſidio orbata, cùm ſe belli ingruentis moli imparem cerneret, ut fratrem reciperet, Regem abire liberum permiſit. Tum Legatus, fraternae etiam viciſſitudinis memor, ſed Pontificium obtendens mandatum, fratris deinceps partibus ſe addixit, ita tamen, ut ejus mediatione, poſt bellum [inteſtinum] valde diuturnum, quod annos plus minus ſedecim Angliam afflixerat, pax tandem compoſita fuerit. Euſtachio filio defuncto, prolem aliquam legitimam nullam jam Rex ſuperſtitem cum haberet, regnare ipſi quamdiu viveret permiſſum, fide facta, ut Henrico Imperatricis filio moriens diadema relinqueret.

Interea vero, bello adhuc durante, per Epiſcopi aſſeclas conflato incendio, civitas Wintonienſis fere univerſa abſumpta eſt, unaque S. Grimbaldi Monaſterium et Eccleſiae viginti, ſunt qui numerent quadraginta. Contigit hoc incendium ſecundo Auguſti 1141. Ac paulo pòſt per eoſdem, monialium coenobium Warwellenſe incenſum ſimiliter ac direptum eſt. Et Epiſcopus Wintoniam reverſus, à cruce quae in Monaſterio novo igne fuerat deformata, eripuiſſe dicitur argenti libras quingentas, et auri marcas triginta, tres item coronas cum totidem thronis obryzi ſive auri Arabici puriſſimi[n]. Sed haec eum abſtuliſſe non puto alio propoſito, quam ut in meliorem uſum converteret. Quod facile judicabit, qui opera per illum patrata ſpectaverit, pietatis et magnificentiae ſuae monumenta poſteris relicta. Xenodochium illud celeberrimum S. Crucis Wintoniae dotavit et conſtruxit (in loco ubi neſcio quid coenobioli ante aliquot ſecula poſitum, ſed à Danis dirutum et deſtructum fuerat) anno 1132. Fernhamiae deinde arcem condidit ab Henrico tertio vaſtatam poſtea, et magna ex parte [dirutam,] ſed à Wintonienſibus Epiſcopis denuo reſtitutam. Et coenobium ſanctimonialium per Giffardum anteceſſorem, Tauntoniae fundatum, auxit mirifice ac locupletavit.

---

[g] *Hunt*. f. 222. b. [h] Extat hujus juramenti exemplar è veteri Charta deſumptum apud *Nubrig*. Ed. *Hearn. in Spicil.* p. 711. [i] *Hiſt. Novel.* L. 2. [k] Aug. 30. 1139. *Concil. Angl.* T. 1. p. 419. Aug. 29. *Hiſtor. Nov.* L. 2. [l] *Hiſt. Nov.* L. 2. [m] *Hoved.* L. 1. f. 277. b. [n] *Gerv. vit. Archiep.*

Animo vir tam magno quam ortu et natalibus, Legatinae poteſtatis praetextu [o], cum Archiepiſcopo Cantuarienſi, quis dignitate potior eſſet, ſaepe contendit; quanquam ille, ſe etiam privilegio ſedi ſuae praeconceſſo Legatum Pontificium (Legatum inquam natum) aſſereret. Perhibet Weſtmonaſterienſis [p], à Lucio Papa impetraſſe illum pallium et titulum Archiepiſcopalem, ſeptem etiam ſedes Epiſcopales illi ſubjectas, quae quaenam fuerint non exponit. Walſingamus [q] vero in ypodigmate author eſt (et quantum perſpicio non falſus) Pontificem praedictum hoc quidem in animo habuiſſe, ut ſedem Archiepiſcopalem Wintoniae collocaret, ſed morte interceptum, nihil praeſtitiſſe. Antiquitatum Britannicarum author, Cardinalem eum dicit creatum, qua de re poſtea ſuo loco. [Tempore Henrici ſecundi, anno ſcil. 1153 [r], abſque licentia Regis receſſit ab Anglia, ideoque ſex ejus caſtella diruta ſunt. Cum autem in Angliam à Cluniaco rediiſſet,] quadrageſimo ſecundo conſecrationis ſuae anno lethali morbo correptum inviſit benigne Henricus Rex; quem ille vultu parum blando excipiens, increpavit acriter pro nece Tomae Becket, cui cauſam illius iracundiam praebuiſſe credebat. Ea tamen manſuetudine Rex praeditus eſt, ut non ſolum aequiſſime id tulerit, ſed viri graviſſimi ultimum illud colloquium ſaepe poſtea grato animo recoluerit. Obiit ſexto Auguſti 1171 [s]. Sed ubinam loci tumulatus [t] fuerit, nemo (quantum reperi) tradidit.

XXXVIII. Richardus Toclivius, alias Morus.

1174. HEN. 2. 20. POST mortem Bleſenſis vacavit ſedes annos tres. Anno tandem 1173 Cardinalium quorundam interceſſione mediante, electionis liberae facultatem Rex Monachis Wintonienſibus conceſſit, qui Epiſcopum deſignarunt Richardum Toclivium [u] Archidiaconum Pictavienſem, ab aliis Morum cognominatum, ab aliis vero Richardum de Ivelceſter [x] nuncupatum. Lamethae ſacratus eſt [y] anno ſubſequenti, una cum tribus aliis, quorum ſedes itidem ſicuti Wintonia longo tempore praeſulibus extiterant viduatae, Galfrido nimirum Elienſi, Roberto Herefordenſi, et Joanne Ciceſtrenſi [z]. Obiit (ut quidam) viceſimo ſecundo Decembris 1187, ut alius viceſimo primo Decembris 1188 [a]: Epitaphium vero habet annum 1189. Tumulatus jacet juxta ſeptentrionalem parietem Presbyterii infra Winam, ubi inſcripta legimus haec verba:

---

[o] Legatus conſtitutus Anno 1139. *Chron. Mailr.* Anno 1131. *Hiſtor. Novel.* L. 1. f. 101. Vid. inter Archiep. Cantuarien. p. 69.

[p] Ad annum 1142.

[q] P. 39.

[r] *Walſing.* p. 39.

[s] De obitu hujus Epiſcopi diſcrepant Hiſtorici; anno 1171 contigiſſe ab omnibus conceſſum eſt; *Giraldus de jure Mevevenſ. Eccleſiae*, Diſt. 7. aſſignat menſem Septembris; Julii viceſimum ſeptimum, *Barthol. Cotton. in annal.* Menſe verò Auguſti obiiſſe non eſt dubitandum. Diem ſextum apponit *Hiſtoricus hic noſter*, octavum *Radulf. de Diceto*, nec non *Malmeſbur. de Antiqu. Coenob. Glaſton.* et nonum *Obituarium Cantuar.*

[t] Obiit Senex et plenus dierum, et ante ſummum altare in Eccleſia ſua tumulatus jacet, ut nonnulli. Forſitan verò Cluniaci; vid. Epiſt. Petri Cluniacenſis Abbatis ad hunc Epiſcopum. *Epiſt. L.* 4. *Ep.* 23.

[u] Natus in Dioc. Bathon. ita *Radul. de Dicet.* col. 540. Apud SOK. (al. SOCK.) *Regiſtr. Drokenſf.* Epiſc. B. et Well.

[x] Hoc nomine excommunicatus eſt ab Archiepiſcopo Thomâ anno 1169.

[y] Confirmatus primo et conſecratus ſexto Octobris 1174. *Rad. de Dic. Ymag. Hiſt.* et *Gervaſ.* Inthronizatus verò 17 Maii anni praecedentis. *de Diceto ib.* Conſecratus eſt ab Archiep. Cantuar. una cum Roberto Hereford. et Gaufrido Elienſ. Epiſcopis. *Benedict. Abbas Petr.* in Vita Hen. 2. p. 93.

Obiit anno Dom. 1189.
" Praeſulis egregii pauſant hic membra Ricardi
" Toclif, cui ſummi gaudia ſunto poli."

XXXIX. GODFRIDUS DE LUCY.

GODFRIDUS de Lucy [b], filius Richardi de Lucy ſummi Angliae Juſticiarii, conſecratus eſt in Epiſcopum Wintonienſem primo Novembris 1189; et cùm annos ſediſſet quindecim, deceſſit anno 1204 [c]. Pretio hic comparavit à Ricardo primo Rege, manneria de Wargrave et Menes, quae ad Eccleſiam Wintonienſem olim ſpectantia, neſcio quo pacto amiſſa fuerant [d]. Prioratum etiam de Leſnes ſive Weſtwood in Cantia, quem pater ejus fundaverat, auxit quamplurimum. 1189. Ric. 1. 1.

XL. PETRUS DE RUPIBUS [e].

SUB exitum ejuſdem anni, Petrus de Rupibus [f], Eques quidam auratus, in Epiſcopum Wintonienſem conſecratus eſt Romae [g], ſed non niſi collatis ibi liberaliter veniis, ut habet Weſtmonaſt. [h] Prudentia vir magna praeditus, et ea apud Henricum tertium authoritate, ut illis temporibus nemo extiterit potentior. Ille, una cum Philippo Dunelmenſi Epiſcopo populari ſuo (fuit enim uterque Pictavienſis) et Joanne Grayo Norwicenſi, Joanni Regi authores fuerunt ut pontificiam excommunicationem nihili penderet [i], cujus conſilii omnes tandem poenituit. Anno 1214 [k] factus eſt Angliae ſummus judex ſive capitalis Juſtitiarius; quod Proceres regni male habuerunt, indignantes extero poteſtatem in illos delatam. Poſt Joannis mortem, Rege declarato Henrico ejus filio, novenni puero, omnia fere regni negotia ſuo rexit arbitrio. Sed Gulielmo Comite Mareſcallo defuncto; regni regiſque Protector conſtitutus eſt. Et poſtquam ex ephebis ille egreſſus, gubernaculo manum coepit admovere, in iſtius Epiſcopi conſilio unicè acquievit. Habuit is nepotem, aut (ut non- * 1205. Joan. 7.

---

[z] Anno 1176 conſtitutus eſt Normanniae Juſticiarius, loco Guliel. de Traco. *Bromt*. col. 1116. Et in magno Parliamento Windeſorae habito anno 1179, Henrici ſecundi 25 conſtitutus eſt unus ex Juſticiariis itinerantibus, pro Comitat. Hantoniae, Wiltoniae, Gloceſtriae, Dorſeſtriae, Somerſet. Devoniae, Cornubiae, Bercheriae, et Oxoniae. Et poſtea ab eodem Rege renunciatus eſt Archi-juſticiarius Angliae.

[a] Ob. 22 Jan. 1188. juxta *Gervaſ*. et *Dicetenſem* in Ymag. Annum 1187 (malè vero) apponunt *Weſtmon*. et *Florent*. Sedit annis 14 et Septimanis undecim, *Diceto. ib* et ſepultus eſt ad Aquilonalem partem ſummi Altaris Chori prox. *MS. Gale*. Dedit Eccleſiae Winton. Maneria de Hamm et de Groel. *ib*.

[b] S. Martini Lond. Decanus, *Diceto*. Nec non Archidiaconus Derb. *Gerv. Chron*. f. 1459. Canonicus Eboracenſis, *Bromt*. f. 1156. Juſticiarius Itinerans. *Hoved*. f. 337. Nominatus eſt à Rege apud Pipewell 15 Sept. 1189. *Dicet. Ymag*. Conſecratus Weſtmonaſterii in Capella S. Catherinae 22 Octobr. *id. ib*. et *Hoved. ib*.

[c] Ob. 1204 *Weſtmonaſt*. Die 12 Septembris *Annal. Waverl*. Die 11. *Annal. Winton*. et *Prioratus de Suthwerk*.

[d] *Hoved*. L. 2. f. 376.

[e] De ROCHYS. *Chron. Petrob*.

[f] Archidiaconus Pictaviae. *Annal. Margan*. et Theſaurarius Pictav *Pat*. 6 Joh. nec non Praecentor Eccleſiae Lincolnienſis. *Pat*. 6 Joh. m. 3. n. 11.

[g] 25 Sept. 1205. *Weſtmonaſt*.

[h] Ad annum 1204.

[i] *Epiſcopis omnibus ferè exulantibus, praeter Wyntonienſem, qui negotia Regis inſtantiſſime procurabat*, &c. ita *Chron. Petrob*. ad A. 1209.

[k] Feb. 1. 1213. *Rym. Foed*. T. 1. p. 181. *Pat*. 15 Joh. n. 12.

nullis libet ſuſpicari) filium, nomine Petrum de [l] Orivalle Angliae Theſaurarium, qui aliquandiu ejuſdem principis gratia multum quoque pollebat. Sed ut fert humanarum rerum viciſſitudo, ne dicam aulicarum; offenſam incurrentes ſaepe, ex apice hujuſmodi foelicitatis ad ima deturbati, ad ſumma tamen iterum emerſerunt. Anno 1226 profectionem ſuſcepit in terram ſanctam; unde, poſtquam quinquennium abfuiſſet, incolumis reverſus, *cum proceſſione ſolenni in Eccleſiam ſuam receptus eſt*, ut loquitur [m] Pariſienſis [n]. Exceſſit è vivis Farnhamiae Junii nono 1238 [o], cùm ſediſſet annos 34, et ſicuti ipſe ordinaverat ſine ulla pompa ſolenni in Eccleſia ſua tumulatus eſt. “ In ejus obitu (inquit Pariſienſis prae-“ dictus [p]) totum concilium regni Anglicani, tam regale quam Eccleſia-“ ſticum jacturam incurrit irreſtaurabilem. Nec praetereundum, quod “ quicquid honoris et utilitatis, ſive per pacem, ſive per treugam, vel e-“ tiam guerram in terra ſancta adveniente Frederico Imperatore colla-“ tum eſt Eccleſiae, ejuſdem Epiſcopi conſilio et auxilio magnifice pro-“ curatum eſt, et prudenter effectui mancipatum. Praeterea, cum poſtea “ diſcordia inter dominum Papam et Imperatorem mota, toti Eccleſiae “ caſum minaretur, pacem inter tam nobiles perſonas per Dei gratiam “ foeliciter reformavit.” Coenobia multa vel condidit, vel ab aliis condita auxit ac locupletavit. Primi generis ſunt Edwardſtow, et Dominicanorum illud Wintoniae, quorum cenſus rationem non repperi initam; Deinde Hales, ordini Praemonſtratenſium poſitum quod annuos redditus habuit 357 libras, ſeptem ſolidos et denarios ſeptem, unumque obolum. Tickford [q] ejuſdem ordinis 280 libras, novendecim ſolidos, et decem denarios annuatim accipiebat: Haliſowen, alias Saleburn [r], Canonicorum regularium S. Auguſtini 337 libras, quindecim ſolidos, ſex denarios et obolum. Et Xenodochium Porteſmuthae 33 libras, novendecim ſolidos, denarios quinque et obolum. Caetera [s] narrabit ſuis verbis Pariſienſis [t]. “ In terra “ ſancta Eccleſiam S. Thomae Martyris, à loco importuno ad idoneum “ transferendo, ordinem fratrum ejuſdem Eccleſiae in ordinem mutavit “ competentiorem, ut qui antea penitus erant ſeculares actu et habitu, “ auxilio fretus Patriarchae Hieroſolymitani, ordini Templariorum, cru-“ cem in pectore bajulantes, ſubjacerent. Joppen, nobile Chriſtianorum “ refugium firmavit. Egregium nimis condens teſtamentum, cuilibet “ praedictorum locorum pecuniam impreciabilem legavit, ita ſcilicet, “ quod domui S. Thomae Aconenſi, cui minus contulit, quingentas mar-“ cas aſſignavit. Praeterea Epiſcopatum opulentum ſucceſſori ſuo reli-“ quit inſtauratum, ita ut aratorum armentorum nulla fieret diminutio.

---

[l] Rivalle.

[m] P. 311.

[n] Anno 1234 Rex rationem exigens ſibi reddi de Theſauro perperam applicato; Epiſcopus Wintonienſis et Petrus de Rivallis Theſaurarius protinus ad aram confugiunt, et in Eccleſia Cathedrali ad tempus latitant. In Craſtino cinerum Romam profectus eſt Epiſcopus; et rediens, Wintoniam venit die S. Andreae anno 1236. *Weſtmonaſt.* et *Annal. Winton.*

[o] *M. Pariſ.* Jul. 9. 1238. *Annal. Wint.*

[p] P. 399.

[q] Tichfield. *Camden.*

[r] Selebourn Prioratus qui jam ad Collegium Magd. Oxon. pertinet, in cujus Archivis occurrit liber iſtius Prioratus. Chartam fundationis, dat. in die ſanctorum Martyrum Fabiani et Sabaſtiani A. 1233, prodit Rog. Dodſworth in Monaſt. Anglic. *MS. Barlow.*

[s] Plura commemorat *Lelandus* in *Cygn. Cant.*

[t] P. 399.

XLI. GULIEMUS DE RALEY, alias RADLEY.

* 1244. HEN. 3. 29.

PETRO de Rupibus defunćto, Rex omni ratione ſatagebat, ut in ſucceſſorem eligeretur Gulielmus electus Valentinus Reginae avunculus [u]; quem Monachi pertinaciter rejicientes, et virum ſanguinium appellantes, Gulielmum de Raley [x] (authori Chronici Oſneienſis de Radley) Epiſcopum Norwicenſem, ſuis ſuffragiis Eccleſiae Wintonienſi praeficiendum decernunt. Qua re nunciata, excandeſcens vehementer; deierare ſaepe Rex non eſt veritus, nunquam ſe deſtiturum, donec ex animi ſententia hoc negotium confeciſſet [y]. Epiſcopatus itaque praedia devaſtat, ſilvas caedit, et redditus omnes aerario publico addicit. Quod cernentes Monachi, conſilio mutato, ad novam electionem rurſus convenientes, Epiſcopum renunciarunt Radulphum Nevillium Cancellarium Regium et jam tum Epiſcopum Ciceſtrenſem, hominem apud Regem (ut videbatur) valde gratioſum. Quod illum adeo non placavit, ut multo adhuc magis commotus, et non tantum electoribus ſed electo etiam infenſus, Cancellarii munere illum protinus exegerit [z]. Electionem vero non ſine magno ſumptu Romae caſſari, et invalidam curavit pronunciari. Annis jam plus minus quinque in hac contentione abſumptis, Monachi, ut certamini tandem finem imponerent; jam tertio convenientes (ſed clanculum) Norwicenſem iterum repetita electione deſignant, quae Romae prius confirmata eſt [a], quàm factam ac celebratam Regi innoteſceret. Quapropter Rex ira ne quicquam deferveſcente, Praetori Wintonienſi mandavit, ut venientem novum Epiſcopum urbe excluderet; quod cum ab illo impigre factum fuiſſet, excommunicatus eſt ab Epiſcopo, et univerſa civitas interdicto ſuppoſita. Epiſcopus vero cum indignationis Regiae oneri ſe non ferendo parem intelligeret, in Galliam profugit; ubi à Rege honorifice ſuſceptus eſt. Bonifacio tandem Archiepiſcopo intercedente, et Pontifice tam Reginam quam Regem literis pro eo deprecante, revocatus eſt et in gratiam Regis receptus [b]. Sed ô manſuetudinem ſanctiſſimi patris, cui Epiſcopus ob paternam ſollicitudinem munuſculum cum obtuliſſet gratitudinis ergo ſex millium marcarum; tantulam pecuniam accepit benigne, ne denarium quidem refundens. Ut pecuniam eam conficeret, tantum contraxit aeris alieni, uti parciſſime per omnem deinceps aetatem vitam tolerans, nomina tamen non valeret unquam diſſolvere. [c] Obiit viceſimo Septembris 1249 Turonae, quo ante annum cum comitatu perquam exili ſeceſſerat. Ad agentem animam vocatus eſt ſacerdos qui Euchariſtiae Sacramentum laboranti impertiret. Qui venire hominem ſentiens, gradum ſiſteret magna voce admonuit: Non convenit, (inquiens) Dominus ad me veniat, aequum eſt potius ut proditorum more ego ad illum trahar, qui eum in multis eheu prodidi. Quapropter à famulis ad ſacerdotem pertractus, cum lachrimis et ſuſpiriis multis Sacramento percepto, quod reliquum vitae ſuperfuit, Deo ſoli intentus, precibus impendens, è vivis tandem exceſſit cum ſediſſet annos plus minus ſex.

---

[u] Electus fuit Epiſc. Valenciae A. 1224. A. 1236. Neptem comitatur; et A. 1239. obiit. Vid. *Guichonon. Hiſt. de Savoy.* V. 1. f. 256. [x] Electum eſſe A. 1238 antequam ad Epiſcopatum Norwicenſem promoveretur, ait *Whartonus* A. S. Vol. 1. p. 307. Extant Bullae Papales Regi aliiſque directae ne aliquis elegatur in Epiſcopum Wintonienſem qui vel Regi minimè ſuſpectus fuerit. Una dat. Lateran. 2 Id. Januarii; altera dat. Lateran. 6 Id. Febr. Pontificatus Gregorii decimo tertio. i. e. A. 1239. *Rym. Foed.* T. 1. p. 387, 388. et hoc fit poſt primam electionem Gulielmi Raley, et notificationem iracundiae Regis D. Papae. et conſecratus non fuit ad Epiſcopatum Norwicenſem ante 25 Septembris anno 1239. [y] *Weſtmonaſt.* ad annum 1238. [z] *Id. ib.* [a] 13 Sept. 1243. [b] Inthronizatus eſt 20 Nov. 1244 [c] Anno 1250 circa feſtum Matthaei. *M. Pariſ.* p. 692. Circa feſtum S. Aegidii. *Wikes.* p. 48. Die primo Septembris, *Obituar. Winton.* Sepultus eſt primo Septembris 1250 apud Turon. in Eccleſia S. Martini. *Annal Winton.*

XLII. ETHELMARUS[d].

* 1260. Hen. 3. 44. RALEII exitu Regi nunciato, Capellanorum duos ad Wintonienſium Monachorum conventum miſit protinus, qui perſuaderent, ut Ethelmarum eligerent fratrem ſuum uterinum, utpote Iſabellae Reginae per Hugonem Martiae Comitem, filium[e]; hominem (inquit Pariſienſis[f]) ſeu ordines[g] ſpectarent, ſeu doctrinam, ſeu aetatem[h], eo certe munere indigniſſimum. Quando huic rei aliquot per dies operam jam navarant, Wintoniam acceſſit Rex ipſe, et Capitularem domum ingreſſus, fratris ſui cauſam Monachis quam potuit enixe commendavit. Illi vero ſatis memores, quantum aerumnarum pertuliſſent, quod petenti jam antea Regi non annuiſſent; verberibus caeſis nonnullis et vulneratis, fame aliis et frigore in carcere pene enectis, ubi catenis vincti longo tempore jacuerunt, praeter ſumptus importabiles, et labores itinerum ſuſceptorum ad Romanam curiam, unde nihil ſperabant praeſidii, quamdiu adverſario quam ipſis pecunia abundantiùs ſuppeteret: Decreverunt (hominem licet noſſent caſtris quam Eccleſiae aptiorem) regiae voluntati obſecundare. Atque ita nemine auſo contradicere, electus pronunciatur. Beneficia Eccleſiaſtica[i] tunc temporis poſſediſſe dicitur eo numero et opulentia, ut Archiepiſcopatus Cantuarienſis redditus amplitudine ſuperarent[k]. Quapropter, ut Wintonienſem Epiſcopatum accipiendo haec non amitteret, hanc iniit rationem. Conſecratione abſtinuit; electionis praetextu, Epiſcopatus fructus novem per annos colligens, ita ut ſacerdotiis tamen non exciderit. Interea vero tam ipſe quam caeteri Pictavienſes (quibus regnum ea tempeſtate nimium gravatum) tam apud populum quam Proceres, magna erant in invidia; non tam propter opes et honores immodicos, quam ipſorum inſolentiam et ſuperbiam non ferendam; quod genus vitii in conjunctiſſimo aegre quis toleraverit, multo minus in extero et alienigena, in quorum vitia quam popularium non paulo iniquiores eſſe omnes, neminem fugit. Inter caeteros Ethelmarus, ob Regis propinquitatem audaculus et ferox, famulis ſuis mandatum dedit ut clericum quendam Sacerdotio, in quod neſcio quid juris ſibi arrogabat, vi deturbarent. Ille vero non habens aliàs quo ſe reciperet; vim vi repellere tandiù anniſus eſt, donec tandem ab Electi Wintonienſis ſatellitibus, interemptus eſt ipſe, unaque amicorum unus aut alter. Hoc facinus, aliaque ejuſdem generis nonnulla, omnibus Pictavienſibus tantum conflavit invidiae, ut ad ſeditionem res ſpectare videretur. Quapropter, tempeſtatem ingruentem ut

devitarent, anno 1258[l] in patriam ſimul omnes profugerunt[m]. Auri vim ingentem Ethelmarus accumulaverat, quod, dum ad ſe curat deferri, ſarcinis direptis, nuncii magna ex parte ſpoliati ſunt Doveriae et alibi. Anno qui iſtorum hominum diſceſſum ſequutus eſt, de novo praeſule eligendo [monachi] coeperunt cogitare. Sed non auſi aliquem deſignare qui apud Regem non eſſet gratioſus, in Henricum de Wingham[n] conſenſerunt, qui Angliae tum fuit Cancellarius. At ille, quanquam de Regis voluntate non dubitabat, tamen jure adhuc quodammodo ambiguo exiſtente, nolebat litibus et contentionibus ſe immiſcere; ideoque conſenſum electioni praebere abnuit, eruditionis defectum obtendens. Ad Regem quod attinet, electum quidem non improbabat, ſed petebat ut opperiri vellent pauliſper, donec Pontificem tentaret, ſi forte exorari poſſet ut conſecrationem [fratri] impertiret. Dum in libramine hujuſmodi incerto res pendent, Henricus de Wingham Epiſcopus factus eſt Londinenſis anno 1259[o], [deinde poſt annum unum aut alterum] Ethelmarus fato ſuo eſt functus[p]. Sic plurimi tradiderunt. Author ſolus Chronici Oſneienſis conſecratum affirmat; cujus verba ſubjiciam. "Ann. D. 1260, "ad feſtum Aſcenſionis Domini, Adomarus electus Wintonienſis frater "Regis Henrici, conſecratus eſt in Epiſcopum à domino Papa Alexan"dro quarto, caſſatis in curia Romana omnibus ſibi objectis à Baronibus "Angliae et Monachis Winton. cum magno apparatu Angliam adire "diſponebat, praemiſſo D. Vincentio Turonenſi Archiepiſcopo et ſedis "Apoſtolicae Legato, cum plena poteſtate totam Angliam interdicto "ſubjicere, niſi eum pacifice terram intrare, et Epiſcopatum Wintonien"ſem plenius ſinerent obtinere. Sed cum veniſſet Pariſiis, gravi languore "correptus, qui Angliam perturbare diſpoſuerat, ibidem morte praeven"tus, circa feſtum B. Luciae Virginis, ultione ut creditur divina defun"ctus eſt. Et ſic ſuis cum confuſione reverſis, gens Anglicana Dominum "in ſuis beneficiis laudans et benedicens, valde gaviſa eſt." Haec ille. Defuncti corpus Lutetiae tumulatum; cor vero Wintoniam deferri mandavit, ubi in auſtrali pariete presbyterii collocatum eſt, ſicuti hoc teſtatur elogium.

---

[d] ADOMARUS, *Lib. Tax. Wint. Annal. Winton.*

[e] Poſt mortem Johannis Angliae Regis, Iſabella vidua matrimonio conjungitur Hugoni Marchiae Comiti, per quem Hugonem etiam Marchiae Comitem habuit filium, nec non Guidonem de Luſignien, Gulielmum de Valencia Pembrochiae Comitem, Adomarum Winton. Epiſcopum, et Gaufridum de Luſignien Dominum de Haſtings.

[f] Ad annum 1250. p 693.

[g] Acolythus tantum.

[h] Juvenis 23 circiter annorum.

[i] Rector fuit Eccleſiae de Dadington Com. Oxon. 1247. *Regiſtr. Groſthead.* Praeſentatus ad Eccleſiam de Kyrkehayn Dioc. Ebor. *Pat.* 31 H. 3. ad quam Eccleſiam (poſtulatione ejus à Papa confirmata) Rex praeſentavit 3 Aug. *Pat.* 35 H. 3. Habuit Eccleſiam de Wermuth ante electionem ſuam, et tenuit poſtea ex indulgentia Papae. *Pat.* 37 H. 3. m. 17. Ita *MS. Hutton.* Rector etiam Eccleſiae de Cumpton Com. Warwic. Dugd. p. 407.

[k] Vid. *Rym. Foed.* T. 1. p. 660, 661.

Obiit anno Domini 1261.
"Corpus Ethelmari (cujus cor nunc tenet iſtud
"Saxum) Pariſiis morte datur tumulo.

XLIII. JOANNES OXONIENSIS[q].

JOANNES OXONIENSIS vel de Gernſey (nam ſic etiam appellatum comperi) Cancellarius Eboracenſis[r], conſecratus eſt Romae anno *1262 Hen. 3. 46.

---

[l] *Pat*. 42 H. 3. m. 15. Certi nobiles aſſignantur pro ſalvo conductu Adomari Wintonienſis electi, Guidon de Lezignan, Galfr. de Lezignan, Will. de Valentia, Frat. Regis uſque ad Dover, et deinde ad partes tranſmarinas. A. viz. 1258.

[m] *Weſtmonaſt*. ad annum. Eo adhuc exulante, A. ſc. 1258. Proceres et Communitas regni, ſcriptis ad Papam literis, orabant, ut illum ab adminiſtratione hujus Eccleſiae amoveret; eo quod multis annis regnum turbaverit; proteſtatione factâ, ſe illum non recepturos, ſi (quod abſit) in Angliam redeat. *Rym. Foed*. T. 1. p. 660.

[n] Electus eſt Henricus de Wengham in Epiſcopum Wintonienſem 5 Non. Januarii. A. 1258. *Annal. Winton*.

[o] Conſecra. in Epiſcopum 15 Feb. 1259.

[p] Aethelmarus Winton. electus, cùm per tres ferme annos in Curia Romana ſtetiſſet, tandem Papali obtentâ benedictione, ab eodem eſt (ut dicitur) in Epiſcopum conſecratus. Tendens itaque cum plena poteſtate feſtinanter in Angliam, volente Domino vitam terminavit in Francia, et Pariſiis apud S. Geneveſam, honorabilem, ut decuit, ſepulturam obtinuit. Ita *Weſtmon*. p. 377. Obiit in vigilia S. Nicholai, ſc. pridie nonas Decembris 1260. *Annal. Winton*.

[q] Joannes Gerways (ſc. Gervaſii filius) de EXON. *Lib. Tax. Wint*. EXONIENSIS, *Weſtmonaſt*. *Annal. Wint*.

[r] Proviſu eſt à Papa A. 1262. *Weſtmonaſt*. Et conſecratus in curia Romana paulo ante feſtum S. Michaelis eodem anno. *Whart*. ex fide *Chronici Dovorenſis*.

1265, ubi dicitur pro conſecratione ſex marcarum millia Pontifici numeraſſe, et Jordano Pontificis Cancellario tantundem. Statim ut reverſus eſt, per Ottobonum Legatum Pontificium, ab executione officii ſuſpenditur, quod ſe Baronum ſeditioſorum partibus addixerit[s]. Tam magno pretio empta dignitate, exiguo potitus tempore[t], anno 1268 in Italia extinguitur et Viterbii ſepulturam ſortitus eſt, dum abſolutionem impetraturus in curia haeret Romana, gratiam Pontificiam omnibus modis ambiens.

XLIV. NICOLAUS ELIENSIS.

1268. Hen. 3. 52. NICOLAUS ELIENSIS, cùm Wigornienſi Eccleſiae anno vix integro praefuiſſet, ad hanc ſedem poſtulatus eſt, et Aprilis 23 per Legatum Pontificium confirmatus[u]. Quam cùm tenuiſſet annos duodecim, pridie Idus Februarii 1280 debitum naturae perſolvit[x]. Corpus ejus Waverleiae jacet humatum; cor vero in auſtrali pariete presbyterii conditum eſt, ubi haec verba legimus inſcripta: *Intus eſt cor Nicolai Epiſcopi, cujus corpus eſt apud Waverly.* Nicolaus quidam Elienſis Angliae primum fuit Cancellarius, deinde Theſaurarius, circa annum 1260: neque dubito hunc ipſum fuiſſe[y].

◆ ◆ ◆

XLV. JOANNES DE PONTISSARA[z].

*1282. Edw. 1. 10. RICHARDUS de la More ſacrae Theologiae Doctor, Epiſcopus Wintonienſis tum deſignatur[a]. At Peckamus fraterculus, Cantuarienſis tunc temporis Archiepiſcopus, hoc illi pro magno flagitio imputans, quod ſine diſpenſatione ſacerdotium plus quam unum poſſideret; eo munere indignum illum pronunciavit. Pontifex igitur Romanus qui hac tempeſtate praeſulatus ubique pro ſuo libitu coepit diſponere, Joanni de Pontiſſara Academiae Oxonienſis quandoque Cancellario, hunc Wintonienſem tanquam ſui juris contulit. Huic cum monachis Eccleſiae ſuae male conveniebat, quorum portiones multum dicitur minuiſſe ut ſuos augeret redditus[b]. Obiit[c] anno 1304, cùm annos ſediſſet plus minus 24. Tumulum habet in auſtrali pariete presbyterii his verbis inſcriptum:

" Defuncti corpus tumulus tenet iſte Joannis
" Pountes, Wintoniae praeſulis eximii.
Obiit anno Dom. 1304.

---

[s] *Weſtmonaſt.* ad A. 1265.

[t] Sedit annos ſex, *MS. id. praedict.* Obiit in Curia Romana 20 Januarii 1267, *Annal. Waverl.* et *Wintonienſes.* 19 Januar. *Annal. Wigorn.* et Viterbii ſepultus jacet.

[u] A Papa proviſus 24 Feb. 1267. Inthronizatus Wintoniae 27 Maii 1268. *Annal. Winton.*

[x] Sub eodem tempore (ſc. circa natale Domini 1279) obiit Nic. de Ely Winton. Epiſcopus. MS. de rebus Eccleſiae Nordovicenſis. *MS. Wood.* Ob. 12 Febr. *Annal. Waverl.* et *Wigorn.* et Waverleiam ſepultus. In vivis fuit Nicolaus 25 Jul. *Pat.* 7 E. 1. m. 11. Et vacavit Epiſcopatus 15 Feb. *Pat.* 8 E. 1. m 28.

[y] M. Sigilli fuit Cuſtos 1260; iterumque conſtitutus 18 Dec. 1263. *Pat.* 47 H. 3. m. 1. Archidiaconus Elienſis; et inter Benefactores Academiae Cantabrigienſis commemoratur.

[z] Vulgo Jo. de PONTYS.

[a] Defuncto Nicolao licentia eligendi conceſſa eſt 18 Febr. *Pat.* 8 E. 1. m. 23. Et eligitur Richardus de la More 6 die Novembris 1280. *Annal. Wigorn.* A Papa verò caſſata electione, ex plenitudine Poteſtatis (Rege verò petente) Joannem de Pontiſſara Archidiaconum Exon. praefecit; qui conſecratus eſt apud urbem veterem ante exitum Maii A. 1282 per Oſtienſem et Velletrenſem Epiſcopos. *Rym. Foed.* T. 2. p. 204. Temporalia reſtituta ſunt 11 Aug. *Pat.* 10 E. 1. m. 6.

[b] Eo ſedente facta eſt compoſitio inter eum et ſucceſſores ex una parte, et Priorem et Conventum ex altera, quod de caetero Priores forent perpetui, cùm antea erant dativi. *MS. Id.*

[c] Romae fuit initio Anni 1304, à Rege honorifice commendato literis dat. apud Strivelin 1 Maii. *Rym.* T. 2. p. 946. Obiit tertio vel quarto Decembris ejuſdem anni, et ſepultus eſt ad aquilonalem plagam majoris Altaris Eccleſiae Wintonienſis. *Weſtmonaſterienſis* dicit eum obiiſſe Anno 1305 Anno 1301 Collegium fundavit in honorem Elizabethae Regis Hungar. Filiae. Vid. *Pat* 33 E. 1. par 1. m. 12 et *Pat.* 1 E. 2.

XLVI. HENRICUS WOODLOCK.

SUCCESSIT Henricus Woodlock[d]. Roberto Winchelſeio Cantuarienſi Archiepiſcopo in exilium per Edwardum primum Regem pulſo, qui proditionis crimen illi impegerat, contigit hunc Epiſcopum pro eo apud Regem intercedentem Dominum ſuum Archiepiſcopum appellare; quod ille tam graviter tulit, ut illico bona ejus omnia aerario addixerit, et ipſum protectionis regiae exortem pronunciarit. Quomodo ex his difficultatibus eluctratus ſit non comperi. Rege vero paulo poſt defuncto, Edwardum ſecundum ejus filium, Archiepiſcopo praedicto annuente, coronavit viceſimo ſecundo Januarii[e] 1307: et anno 1316 fato conceſſit[f], cùm annos ſediſſet ferme tredecim. * 1305. EDW. I. 33.

XLVII. JOANNES SANDALLUS.

JOANNES quidam Sandallus ſucceſſit[g], quem Walſingamus Kendallum[h] nominat. Fuit Angliae primum Theſaurarius[i], ac deinde Cancellarius[k], conſecratus anno 1316; et cum annos vix quatuor ſediſſet, fato functus eſt 1320[l]. 1316. EDW. 2. 10.

XLVIII. REGINALDUS ASSERIUS.

HUIC ſedi tum intruſus eſt à Papa, Reginaldus de Aſſer Legatus ejus, Rege fruſtra irato[m]. Recuſante Cantuarienſi Waltero[n], per Londinenſem[o] ſacratur Epiſcopum[p]; cumque annos ſediſſet circiter duos, deceſſit 1323[q]. 1320. EDW. 2. 13.

---

[d] Licentia eligendi 23 Dec. *Pat.* 33 E. 1. Frater Henricus Merewell Prior S. Swithuni de Winton. electus habet Regis aſſenſum 29 Jan. et reſtitutionem temporalium 12 Mar. *ib.* Confirmatus ab Archiepiſcopo principio quadrageſimae praecedentis. *Regiſtr. Cant.* et conſecratus 30 Maii 1305. *Regiſtr. Winchelſ.*

[e] 24 Febr. Die Dominica. *Archiv. Eccl. Cant. MS. Lowth.*

[f] Apud Farnham in Vigilia SS. Petri et Pauli; et ſepultus eſt ad gradus Chori.

[g] Henrico defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 8 Jul. 1 *Pat.* 10 E. 2. m. 38. Electus eſt ante quintum Auguſti. *Ib.* Temporalia habet reſtituta 23 Sept. 1 *Pat.* 10 E. 2.

[h] De KENDALE.

[i] Joh. de Sandale Clericus Regis conſtitutus locum-tenens Theſaurarii in Scacchario quarto Octobris 1312. *Pat.* 6 E. 2. p. 1. m. 14. et anno ſequenti Theſaurarius.

[k] Cancellarius ante ſeptimum Julii Anno 1315. *Pat.* 8 E. 2. p. 2. m. 21. et adhuc tenuit 20 Oct. 1317. 1 *Pat.* 11 E. 2.

[l] Obiit apud Southwerk Nov. 2. 1319. et ſepultus ibidem in Eccleſia S. Mariae. Joannes Kokermouth et Joannes Heydon Executores teſtamenti. *MS. Wren.* Ob. potius ante exitum Octobris; extat enim litera Regis commendatoria Papae pro Henrico de Burghaſh, defuncto Sandallo, dat. apud Eborum 2 Nov. *Rym. Foed.* T. 3. p. 793.

[m] Rex pro Henrico ſolicitus iterum reſcribit Papae, Cardinalibus et in Curia Romana Nunciis, Lit. dat. apud Gaynesburgh Nov. 9. *Ib.* p. 796. iterumque ad Papam et Cardinales, Lit. dat. apud Eborum, Dec. 5. *Ib.* p. 807.

[n] Licentia data eſt eligendi 24 Nov. *Pat.* 13 E. 2. et electus eſt Adamus quidam Monachus Wintonienſis; Papa verò praefecit Magiſtrum Rigaudum de Aſſerio Scholaſticum Aurelianenſem, et Rex (quamvis invitus) reſtituit temporalia 17 Apr. *Pat.* 13 E. 2. m. 9.

[o] Elienſem et Roffenſem.

[p] Apud S. Albanum in die S. Edmundi (Nov. 16.) *Walſing.* p. 90.

[q] Apud Avinionem 12 Apr. *Wharton* in Angl. Sacr.

XLIX. JOANNES DE STRATFORD.

1323. Edw. 2. 16. JOANNES de Stratford Legum Doctor [r] ſucceſſit [s]. Quando huic ſedi annos decem praefuiſſet, Cantuariam tranſlatus eſt anno 1333. Angliae vero interea per annos quatuor fuit Cancellarius [t],

L. ADAMUS DE ORLTON.

1333. Edw. 3. 7. ADAMUS de Orlton, ſive Tarltonus Legum Doctor Oxonienſis Herefordiae natus, conſecratus eſt in Epiſcopum Herefordenſem viceſimo ſexto Septembris 1317. In Parliamento Londini coacto multi ſunt accuſati proditionis, quod Mortimero et aliis Baronibus ſuppetias tuliſſent contra Regem, interque eos, Epiſcopus Herefordenſis [u]. Qua de re, audi ſi placet authorem Antiquitatum Britannicarum [x], ſic loquentem.
« Epiſcopus Herefordenſis Adamus à Regiis lictoribus deprehenſus, et
« pro tribunali cauſam de laeſae majeſtatis crimine dicere juſſus eſt: Ac
« objectis criminibus multis, pulſatus convitiis et opprobriis, cum diu ob-
« mutuiſſet, tandem ſic ora reſolvit. *Domine Rex* [y], *veſtra regia maje-*
« *ſtate ſemper ſalva, Ego ſanctae Eccleſiae Dei miniſter humilis ac mem-*
« *brum, et Epiſcopus conſecratus, licet indignus, ad tam ardua nequeo re-*
« *ſpondere, nec debeo abſque Domini Cantuarienſis Archiepiſcopi, poſt ſum-*
« *mum Pontificem mei immediati judicis, et aliorum patrum Epiſcoporum,*
« *meorum parium, conniventia vel conſenſu.* Quo dicto, Archiepiſcopi et
« Epiſcopi, qui interfuerunt, aſſurgentes Regi pro collega ſuo interceſſe-
« runt: Cumque Rex exorari noluit, totus Clerus Epiſcopum à Regis ju-
« dicio ſubeundo, tanquam Eccleſiae membrum, vendicavit. Quorum
« actus clamoribus Rex eum Cantuarienſi Archiepiſcopo cuſtodiendum,
« alias de criminibus reſponſurum, tradidit. Sed paulo poſt Regio juſſu
« iterum captus et ad Regium tribunal ductus eſt. Qua re Epiſcopis, qui
« Londini fuerant, nunciata, Cantuarienſis, Eboracenſis et Dublinenſis
« Archiepiſcopi, crucibus erectis, decem aliis Epiſcopis magnaque hujuſ-
« modi caterva comitati, ad locum judicii magna celeritate contendunt.
« Quorum adventu fugatis miniſtris Regiis, confratrem et Coepiſcopum
« ſuum à cunctis derelictum ac ſolum in cuſtodiam ſuam ſuſceperunt:
« Eoque abducto, illico ſub anathematis poena indixerunt, ne quis ei
« manus violentas adferre praeſumat. Rex hac Cleri audacia commotus,
« eo abſente, inquiſitionem de ſuis perpetratis legitimam inſtituit. Ita
« convocatis laicis (nam Clerici ſaecularibus, praeſertim capitalibus, ju-
« diciis adeſſe tum ne regia authoritate adduci aut cogi poterant) propo-
« ſuit crimina, quae certis jam diſtincta formulis et articulis ante Here-
« fordenſi Epiſcopo objecta fuerant: eos jurejurando aſtrictos juſſit, ut
« inquiſitione per legitimas conjecturas factique evidentiam ex juris prae-

---

[r] Et Archidiaconus Lincolniae, tunc Orator Regis in Curia Romana.

[s] Papali proviſione; et Conſecratus 26 Jun. 1323 Avenione, poſtpoſito Roberto de Baldok a Rege nominato. Qua de cauſa a Rege plurimum irato, poſt adventum in Angliam in jus vocatus eſt; et Temporalia non ſunt reſtituta ante 28 Jun. 1324. *Rym. Foed.* T. 4. p. 461.

[t] Vid inter Archiepiſcopos Cantuar. p. 108. Not. *y.*

[u] *Walſingh.* p. 98.

[x] P. 322.

[y] Verba *Walſingh.* ib.

"ſcripto habita, reque tota inter ſe perpenſa et communicata, quid de "articulorum veritate crederent, communi reſponſo referrent. Illi, ſive "metu Regis, ſive Epiſcopi odio, ſive rei veritate aut probabilitate ducti "reſpondent, Epiſcopum Herefordenſem omnium criminum in articulis "comprehenſorum ſibi reum videri. Quo reſponſo approbato, Rex Epiſcopum proſcripſit, praedia et terras in ſuam cuſtodiam coepit, bonis "omnibus ſpoliavit. Hic poſt creatos in Anglia Epiſcopos, primus laicalia judicia ſubiit." Hactenus author praedictus.

Hic igitur qui Regem jam antea ſatis oderat, contumelia tam inuſitata irritatus; Iſabella Regina res novas moliente et maritum Regem in ordinem redigere ſatagente, ſi Reginae partibus ſtuduerit, haud equidem miror. Illa proinde cùm Oxoniae eſſet una cum filiis, magno exercitu ſtipata, conſcenſo pulpito, hic bonus Epiſcopus concionem habuit, in qua themate aſſumpto, *Dolet mihi caput*, oſtendere conatus eſt, caput inſanum, nec adhibitis oportunis remediis convaleſcens, corpori dominari non debere[z]. Rege vero tandem in poteſtatem ſuam redacto; metuens, ne ſi forte rerum ille quoquo modo potiretur, facinorum ſuorum poenas lueret condignas; Reginae ſceleſtus author fuit, ut Regem primo quoque tempore è medio tollendum curaret. Neque vero illa ſcelus abnuere; de modo patrandi ambigebatur. Antiſtitis praeclari induſtria, ad cuſtodes captivi principis literae componuntur in haec verba, *Edwardum occidere nolite timere bonum eſt*[a]. Advertite amphiboliam. Si iſto modo legantur haec verba, *Edwardum occidere nolite, timere bonum eſt*, caedem prohibent; ſi vero ſic, *Edwardum occidere nolite timere, bonum eſt*, jubent. Illi vero tanquam authoritatem nacti legitimam, miſerum Regem inaudito mortis genere peremerunt. Per cavatum cornu in anum vi adactum, veru ignito et candenti immiſſo, viſcera torrent, ut ſic vulneris veſtigio nullo apparente, interimant. De tam immani ſcelere poſtulati, ſe literis praedictis tuebantur, quarum ſententiam, unius punctuli adjectione (ſe praeſertim judice) facile potuit [Epiſcopus] eludere. Hoc tantum crimen utcunque diluerit, hoc certe conſtat, infra menſem unum aut alterum, Novembri videlicet inſequenti 1327 ad Wigornienſem Epiſcopatum provectum: tantum abfuit ut poena aliqua eam ob cauſam afficeretur. Sed et ſexto deinde anno authoritate Pontificia Wintonienſis creatus eſt antiſtes Dec. 1. 1333, idque ad petitionem Gallorum Regis[b]; quod noſtrum male habuit, qui temporalia illi reſtituere recuſavit, donec parliamento forte coacto, univerſo fere Clero pro illo deprecante, in gratiam regiam receptus eſt[c]. Huic praefuit Eccleſiae annos undecim menſes ſeptem dieſque ſeptendecim; et cum longo tempore oculis captus vixiſſet, vitam tandem cum morte commutavit Julii 18. 1345[d].

LI. GULIELMUS EDENDON.

EODEM ipſomet anno Gulielmus Edendonus, Oxonienſis Academiae * 1346
quandoque alumnus, in Epiſcopum Wintonienſem ſacratus eſt[e]. Edw. 3. 20.

---

[z] *Walſingh.* p. 104. [a] Amphibologica haec ſententia narratur de Archiepiſcopo Strigonienſi, de Gertrude uxore Andreae Regis Hungariae A. D. 1213. *Alberici Chronicon.* p. 473. [b] *Walſingh.* p. 115. [c] 16 Sept. 1334. [d] Obiit apud Farneham; et ſepultus eſt in Eccleſia Wintonienſi in Capella propria. [e] Papali proviſione praeficitur; et conſecratus eſt apud Otteford 14 Maii 1346. *Birchin.*

Qui Angliae Theſaurarius[f], anno 1350 monetae novum genus percuti curavit, drachmas videlicet et ſemidrachmas, ſed imminuto nonnihil pondere, quod omnium rerum vaenalium pretia mox auxit vehementer[g]. Et cum hoc ipſum ab eo jam inde tempore ſaepenumero ſub variis principibus uſuvenerit, ut moneta jam noſtra vix tertiam partem ponderis obtineat quam habuit ante annos trecentos: Haud mirum eſt, ſi omnia vaenalia eam pecuniam ter auctiorem reddant hodie, quam quae ante trecentos annos pro mercibus conſimilibus pendebatur. Hinc etiam provenit, quod principes nobileſque noſtri, majorum ſuorum magnificentiam et ſplendorem conſequi, aut ex priſtino cenſu tueri haudquaquam valeant; ex priſtino inquam cenſu, qui quanquam numerum fortaſſis parem, pondus tamen et quantitatem non paulo reddit minorem.

Sed ut ad Edendonum noſtrum redeamus, fuit is etiam Angliae Cancellarius[h], et anno 1366 paulo antequam moreretur in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus, quam dignitatem dicitur non ſine cavilla recuſaſſe, Cantuariae dicens Cratem pabularem altiorem quidem, ſed Wintoniae Praeſepe opimius reperiri; ſedem hanc innuens quanquam dignitate inferiorem, opibus tamen et redditibus affluentiorem fortaſſis cenſendam. Edendoniae (ubi natus eſt) pro illo hominum genere quos Gallico vocabulo Bon-hommes appellamus, coenobium condidit, quod eo tempore quo everſum eſt annuos proventus habuit 521^{li}. 12^{s}. 5^{d}. ob. Obiit[i] anno 1366, cùm huic Eccleſiae praefuiſſet annos ferme 21; et humatus jacet ab auſtrali parte aditus qui ducit ad chorum, ubi tumulum habet alabaſtrinum ſane non inelegantem, ſed Epitaphio parum eleganti inſcriptum, quod tamen adjicere non pigebit.

"Edindon natus Willmus hic eſt tumulatus,
"Praeſul praegratus, in Wintonia cathedratus.
"Qui pertranſitis, ejus memorare velitis,
"Providus et mitis auſit cum mille peritis.
"Pervigil Anglorum fuit adjutor populorum,
"Dulcis egenorum pater et protector eorum.
"M. C. tribus junctum, poſt L. X. U. ſit I. punctum.

Wickhamus ſucceſſor, executores teſtamenti ejus in jus vocatos, damnavit, et recuperavit ab eis pro aedificiis caducis ruinamque minitantibus, 1662^{li}. 10^{s}. praeter boves 1556, verveces 3876, [oves 12114,] oviculas 4717, agnos 3521, et ſues 127, quibus animalibus Epiſcopatus praedia tunc temporis erant instructa.

◆ ◆ ◆

LII. GULIELMUS WICKHAM.

1367. Edw.3.41. REGE enixius petente, Gulielmus Wickham, paulo poſt Edindoni mortem, a monachis Wintonienſibus in Epiſcopum electus eſt[k], et à Pontifice confirmatus[l]. Filius hic fuit cujuſdam Joannis Perotti et Sibyllae uxoris ejus, quorum ille ſepulchris capellam poſtea ſuperſtruxit

---

[f] Theſaurarius conſtitutus 10 Apr. 1345. *Pat.* 18 E. 3. m. 22. [g] *Walſingh.* p. 122. [h] Conſtitutus eſt Cancellarius, et habuit M. Sigillum ſibi traditum 19 Feb. 1357. *Clauſ.* 32 E. 3. m. 4. *in dorſo.* [i] Obiit 8 Oct. 1366. *Regiſtr. Langham.* f. 85. Alii verò dicunt Oct. 7. De eo plura vide in Lelandi Collectan. T. 4. Memoratur inter Benefactores Acad. Cantabr. [k] Defuncto Edindono licentia eligendi conceſſa eſt 13 Oct. 2 *Pat.* 41 E. 3. m. 30. Et Rex aſſenſum praebuit viceſimo quarto ejuſdem menſis. *ib.* Temporalia prius reſtituta die duodecimo. 2 *Pat.* 41 E. 3. m. 19. [l] *Walſingh.* p. 175.

Tichfeldiae prope Wickham in Comitatu Hantonenſi, in quo oppido anno 1324 natus eſt, et inde pro more ab Eccleſiaſticis illorum temporum plerunque uſurpato, cognomen aſſumpſit [m]. Verum et Longum quandoque nuncupatum traditur, ideo (ut auguror) quod corpore eſſet erecto et ſtatura procerus.

Educationem ſortitus eſt Wintoniae primum, deinde Oxoniae, ſumptus ſuggerente nobili quodam Nicolao Uvedallo, qui indole pueri perſpecta non vulgari, fovendam eam ſibi colendamque ſuſcepit. Grammaticae rudimenta praetervectus, Dialecticae, Arithmeticae, Geometriae, Gallicaeque linguae ſcientiae operam dedit nonnullam. Praecipue vero et ante omnia juris utriuſque ſtudio ſumma diligentia incumbebat. In his omnibus diſciplinis profeciſſe dicitur egregiè, ſed in hujuſce ſtadii medio curſu abreptum, ſummae eruditionis palmam indoli tam praeclarae debitam non conſequutum. Uvedallus antedictus patronus ejus, cujus fidei arcis Wintonienſis cuſtodia id temporis demandata eſt, ab Academicis ſtudiis ad ſe avocavit, quando in iis nondum ſex totos annos abſumpſerat. Quamdiu cum illo vixerit non comperi. Hoc conſtat, obſequium illi praeſtitum à Wickhamo, gratiſſimum extitiſſe. Nam praeter formam, cui multa dignitas inerat (ut de eruditione nihil dicam, quae domino magno uſui eſſe non poterat) literas charactere pulcherrimo exarabat; et ſive ſcriberet ſive loqueretur, diſertus erat, nec uſquam facundiam deſiderares. Hinc fiebat ut in rebus non tantum per literas ſignificandis ſed coram etiam annunciandis, opera ejus Uvedallus plurimum uteretur, ac nonnunquam etiam Edindonus Epiſcopus, qui [demum] hominem ad ſuum pellexit famulatum. Tandem vero accidit, ut in notitiam Regis perveniret, qui ea tempeſtate aliquot arces, partim conſtruebat, partim antea conſtructas, novis aedificiis augebat et ornabat, Doveriae, Windeſorae, Henleyae, Quinboroae, et Yeſtanſtedae. Solertia hominis perſpecta, hiis ſtructuris eum praefecit; quas ea et fide et prudentia procuravit, ut multum inde gratiae apud Regem comparaverit, et eos brevi fructus perceperit, qui hominibus apud Principes gratioſis ſolent provenire, honores magnos, opum affluentiam. Et hic abs re fortaſſis non fuerit memoraſſe, turrim quandam in arce Windeſorenſi ipſo curante extructam, quae ab illo Wintonienſi poſtmodum Epiſcopo Turris Wintonienſis denominata cenſetur. In hujus interiori quodam pariete inſculpſiſſe dicitur haec verba (quae tam appoſite et facete Latine nequeunt exprimi) THIS MADE WICKHAM, id eſt, *Hoc fecit Wickham.* Quae loquutio, in Anglicana lingua, quae caſibus raro diſcriminatur, tam ambigua eſt, ut incertum ſit inde, utrum is turrim, an turris eum dicatur è pulvere excitaſſe. Hoc Regi a calumniatoribus quibuſdam in ejus invidiam ita delatum eſt, quaſi Wickhamus omnem extructi aedificii laudem ſibi arroganter vendicaſſet. Quod cum Rex iniquo animo tuliſſet, eique probroſe objeciſſet; non ſibi tam magnificae Regiaeque ſtructurae laudes adſcripſiſſe; ſed ſtructurae huic ſuas dignitates acceptas ſe retuliſſe, reſpondit. Nec enim (inquit) ego hanc turrim effeci, ſed effecit turris, ut ego ab ima conditione tanquam è terra exurgens, ad Regis gratiam, opes et honores eveherer.

Sacerdotium quod primum obtinuit, fuit S. Martini rectoria Londini; tum collegii eidem ſancto dicati Decanus factus eſt; ac ſucceſſive, Lincolnienſis, Northamptonenſis, et Buckingamenſis Archidiaconus, donante Bokingamo veteri amico, Lincolnienſi tum Epiſcopo, quocum fere ſolo (niſi forte etiam cum Simone Burleio Equite poſtmodum aurato magni nominis) Oxoniae verſari familiariter conſueverat. Deinde praeter iſta, Praepoſituram habuit Eccleſiae Wellenſis, et alibi Praebendas ſive Canonicatus duodecim, ſacerdotiorumque cum cura plus quam ſatis [n]. Ad haec muneribus praefuit multis quaeſtuoſiſſimis, laicis hominibus ſaepe demandari ſolitis, factus Secretarius Regius, Privati Sigilli Cuſtos, pupillorum Regiorum Praefectus, et Regis in Gallia proventuum Quaeſtor, ut de aliis multis nihil dicam, quorum nomina jam adeo ſunt obſoleta, ut quid ſibi velint non intelligam. Eccleſiaſticarum vero promotionum fructus, ſecundum taxationem à Pontificiis Legatis antiquitus factam, creſcebant annuatim ad 876^{l}. 13^{s}. 4^{d}.

---

[m] Vid. *Hiſt. et Antiqu. Univ. Oxon.* L. 2. p. 126.

In Wintonienſem Epiſcopum conſecratus eſt [o] anno 1367, et paulo poſtea Angliae conſtituitur Cancellarius [p]. Sunt qui aſſerant (quod mihi nondum eſt exploratum) Theſaurarium porro fuiſſe. Fuerit vero necne, certo hoc certius eſt, multos poſt conſecrationem ejus annos, omnia graviſſima regni negotia, illius curae fideique à ſapientiſſimo Rege demandata. Ex hac potentiae ejus amplitudine bina Rex commoda percepit; Primum, quod omnia ſine ſua ſollicitudine pulcherrime haberet adminiſtrata, utpote à ſervo fideliſſimo prudentiſſimoque. Alterum, quod ſi quid uſpiam incommodi accidiſſet (et accidere nonnunquam erat neceſſe) ejuſce rei culpam ac dedecus à ſe jam poterat amoliri et in Wintonienſem rejicere. At enim cum per magna diuturnaque bella (in quibus plerunque tam victor quam victus paulatim conteritur) abſumptum fuiſſet, non id tantum quod celeberrimae aliquot victoriae invexerant, captis duobus Regibus, et opulentiſſimis regionibus ſubactis, inque ditionem redactis; verum et alia ingens pecunia quam ad bellorum ſumptus ſubditi magna alacritate contulerant; ac aeris deinde alieni tantum contractum fuerit, ut ad diſſolvenda nomina Regi jam opus fuerit artificio aliquo quo loculos ſubditorum iterum expugnaret: Arripuerunt hinc occaſionem invidi nonnulli, quos adminiſtratio et livor (ut fit) in Epiſcopum concitarant, perſuadendi Regi, ad rem quam pararet nihil fore conducibilius, quam Wintonienſi accuſationem intentari, quaſi is plurima vel intervertiſſet nequiter, vel prave adminiſtrando vaniſſime abſumpſiſſet; fierique non poſſe ut pecuniae ſumma tam ingens tam citò fuerit dilapſa. Hoc cum placeret conſilium, accuſatio magno cum tumultu inſtituitur. Accepiſſe eum oſtendunt mille librarum millia praetereaque 109600; ac deinde etiam à Duce Mediolanenſi Galeacio francorum millia centena. Hujus pecuniae, ſummae tam immanis, rationem ſubito depoſcunt, ac inſuper multa comminiſcuntur, partim falſa, partim futilia, quibus tamen ſperarent, plebis oculis caligine offuſa, hujuſce incommodi invidiam in eum rejiciendam.

Iſtorum omnium facile Princeps erat Joannes Gandavenſis Lancaſtriae Dux, qui Edwardo principe demortuo, Regis jam filius erat natu maximus, quique ob cauſam mihi non ignotam [q] (quam tamen perſcribere fortaſſis non erit ex uſu) Epiſcopum implacabili odio proſequebatur. Hic Rege jam ſenio languente, cum omnia fere regni negotia ſolus obiret, per Gulielmum Skipwith ſummum Angliae Juſticiarium, tanquam omnium criminum objectorum reum, Wickhamum noſtrum facile curat damnandum. Tumque omnia Epiſcopatus temporalia (vt loquuntur) ablata, Richardo Walliae Principi conferuntur regni haeredi, ac Epiſcopo denunciatum ne ad viceſimum ab aula Regia lapidem accederet.

---

[n] Rector Fuit Eccleſiae de Aſwardby Linc. Dioc. 1361. *Regiſtr. Ginw.* Rector Eccleſiae de Wodeland. *Ib.* Rector Eccleſiae de Goſberkirk. *Ib.* [o] Decimo Octobris. [p] In officio Cancellarii confirmatus eſt 17 Septembris. *Chart.* 41 E. 3. Anno 1368. Iterumque Cancellarius M. habet Sigillum ſibi traditum quarto Maii 1389. *Pat.* 12 R. 2. p. 2. m. 7.

Anno 1376 hoc illi exhibitum eſt moleſtiae, quod ſcenae mox in Parliamento agendae prologum dicere poſſis aut praeludium, cujus finis et ſcopus pecunia erat, ſubſidii nomine impetranda, ad quam per inſontis praeſulis vexationem via ſternebatur. Clero tum congregato cum vehementer doleret, virum de republica tam praeclare meritum, tam indignis modis exagitari, (neque enim quenquam paulo naſutiorem latebat, quanta cum fidelitate, ſolertia, integritate, patriae ſuae commodis jam inde ab eo tempore quo ad rempublicam gerendam acceſſerat invigilaſſet) de re quapiam propoſita tractare aut verba facere pertinaciter recuſarunt, priuſquam Wintonienſis Epiſcopus, coetus indicti membrum (ut aiebant) praecipuum, vocatus acceſſiſſet. Hoc pacto commeatu impetrato, Londinum venit libenter, ſperans ibi loci per amicos de integra ejus reſtitutione aliquid confici poſſe. Verum is qui non niſi magna famulorum caterva ſtipatus iter facere conſueverat; ſive quod pecunia indigere vellet videri, qua ſumptus toleraret, ſive ut miſerationem apud vulgum commoveret, ſive tutius id eſſe exiſtimans ad inſidiantes inimicos fallendum; raro cum famulitio, haud regia via incedens, per diverticula iter inſtituit quaſi ab invidis vim metuens. Poſtquam per ſeſquiannum his aerumnis fuiſſet exercitus et jacturam pertuliſſet decem millium marcarum; temporalium reſtitutionem aegre impetravit et non niſi data pecunia, foeminae cujuſdam opera nomine Aliciae Piers, quae apud infirmum et ſenio flacceſcentem Regem omnia tunc poterat.

Wintoniam reverſus, cum ſolenni proceſſione et omnium ordinum manifeſto gaudio ſuſceptus eſt. Neque tamen moleſtiarum hic finis. Reditum ejus excepit brevi mors Regis. Et Lancaſtrenſis, bene ſperans ſe novi Regis pueritia abutentem, aliquo incommodo Epiſcopum affecturum, quem cane pejus et angue oderat; vetera illa et exoleta, jamdudum jactitata crimina coepit repetere. Caeterum tam hujus innocentia quam illius invidia omnibus probe perſpecta, Rex facile inductus eſt, ut hos diſſidentes, ſibi mutuo reconciliaret, ac Epiſcopo, diplomate confecto, omnia illa crimina dudum objecta, vera illa fuerint ſive falſa condonare [r]. Ita reddita ſerenitate, tempeſtas haec tam diuturna conquievit tandem, ut aetatis reliquum in magna tranquillitate Wickhamo noſtro licuerit exigere.

Poſt reſtitutionem cum duo fluxiſſent anni, in Academia Oxonienſi fundamenta jecit nobiliſſimi Collegii, quod cum ille honori dedicaſſet Dei et Mariae virginis, Collegium Novum coeptum appellari, retento in hodiernum diem nomine, novitatem illam poſt ducentos adhuc annos non exuit. Primum ejus lapidem ipſe poſuit Martii quinto 1379; Et Aprilis decimo quarto 1386 antequam diluceſeret, hora nempe tertia mane, Gardianus et ſocii omnibus ſuis numeris perfectum hoc Collegium ingreſſi, ibi demum bonis avibus conſederunt. Anno tunc proxime ſequenti, ad Collegii in ipſa civitate ſua Wintonienſi ſtructuram animum adjecit, ubi praeter Gardianum et ſocios, pueris neſcio quot egenis non tantum inſtitutio in literis, ſed alimenta etiam poſſent exhiberi, donec hinc tanquam ex ſeminario ad Oxonienſe ſuum Collegium, adulti et Academicis ſtudiis apti transferendi eſſent. Sex id annorum ſpatio abſolutum eſt. Nam Martii 26. 1387 primo lapide poſito; Gardiano ſociiſque Martii 28. 1393 aditus patuit, qui in hoc Collegium hora tertia mane die praedicto admiſſi ſunt. Ad haec, navem Eccleſiae ſuae, partem videlicet illam quae à choro in occidentem protenditur, à fundamentis totam conſtruxit, niſi quod Edindonus qui hoc opus aggreſſus eſt, aliquid coepiſſe potius quam praeſtitiſſe ea in re videatur. Sedi ſuae ſumptu non exiguo magna à Regibus privilegia impetravit. Viginti marcarum millia in reparatione aedificiorum Epiſcopalium impendit. Pauperibus qui cum nominibus non eſſent diſſolvendis, in vinculis eam ob cauſam erant detenti, duo dedit librarum millia quibus aes alienum exoluerent. Viam quae Wintonia Londinum ducit univerſam munivit egregie. Miniſtris ſuis condonavit duo marcarum millia ſibi ab illis debita. Clientibus ſuis remiſit 520 libras ſibi ad primum Epiſcopatus ingreſſum debitas. Cantariam Suthwici ordinavit pro quinque ſacerdotibus. Viginti quatuor pauperes in familia ſua ſemper habuit. Studioſis quinquaginta in Academia ſeptem per annos antequam Collegia ſua inſtituta eſſent alimenta exhibuit. Et in loco ubi parentes ſui tumulati ſunt, Capellam uti antea memoravimus conſtruxit. Monumentum denique paravit ſibi in quo conderetur, inter duas columnas in navi Eccleſiae ſuae praedicta ſitum. Ac iſta quidem tam magnifica poſtquam praeſtitiſſet, teſtamento tamen condito[s] legavit 6270 libras Anglicanas, et pecuniam numeratam reliquit in loculis unde legata ſolverentur. Haeredi praedia contulit quae redderent annuatim centum libras; et domos Epiſcopales omnes pretioſa ſupellectile affluenter inſtruxit. Haec poſtquam geſſiſſet, tam praeclara, tam memorabilia, vitae longiſſimae curriculum octogenarius peregit ſub finem Septembris[t] anni 1404, et in [Mauſoleo] à ſe diu antea praeparato eſt conditus. Inſculptum ibi legitur Epitaphium, illius ſeculi barbariem redolens, quod tamen non inſerere piaculum duxerim[u].

---

[q] Ita rem narrat *Whart. in Angl. Sacr.* V. 1. p. 318. ex continuatione Polychron. Ranulphi Ceſtrenſis. Regi ſuggeſſit Epiſcopus "quod Philippa Regina quondam uxor ipſius dictum ducem in utero ſuo nunquam portavit, ſed ſuppoſuit eum pro filio; quod ob timorem Regis celavit, ſed ante mortem ſuam, ut idem Epiſcopus aſſeruiſſe dicitur, ut debuit, ſibi fatebatur, et ei injunxit, ut hoc Domino ſuo, cùm videret opportunum, mandaret. Propter quod idem Dux fingens colorem eum perſequendi, impoſuit ſibi, quòd falſus fuit patri ſuo diverſis modis, quando ipſius extitit Cancellarius." &c.

[r] Literae abſolutionis datae apud Weſtmonaſterium, triceſimo primo Julii 1377. *Pat.* 1 R. 2. p. 1. m. 24.

" Wilhelmus dictus Wickham jacet hic nece victus,
" Iſtius Eccleſiae Praeſul, reparavit eamque.
" Largus erat dapifer, probat hoc cum divite pauper.
" Conſiliis pariter regni fuerat bene dexter.
" Hunc docet eſſe pium fundatio Collegiorum:
" Oxoniae primum ſtat, Wintoniaeque ſecundum.
" Jugiter oretis tumulum quicunque videtis,
" Pro tantis meritis ut ſit ſibi vita perennis.

---

[s] Teſtamentum factum 24 Jul. 1400. Probatum 9 Oct. 1404. *Regiſtr. Arundel.* f. 216. Habetur etiam in Bibl. Cotton. *Tit.* A. 24.

[t] Ita *Walſingh.* 27 Sept. *A. S.* V. 1. p. 318.

[u] Willelmi Wickham et Henrici Beaufort Epiſcoporum vitis eleganter atque ubertim ſcriptis, laudem Godwinus meruiſſet; niſi Willelmi hiſtoriam ſe ex Jocelino verbis nonnihil immutatis hauſiſſe ingratus diſſimulaſſet. *Angl. Sacr.* V. 1. Praef. p. 29.

LIII.

LIII. HENRICUS BEAUFORT.

PONTIFICUM Romanorum tyrannis eouſque his temporibus proceſſerat, ut Epiſcopatus non ſolum conferrent, ſed etiam pro libitu quibuſcunque auferrent; quod hac ratione plerunque efficiebant: Invitos et quantumvis repugnantes, transferebant ad aliam aliquam ſedem, unde ſaepenumero ne teruntium quidem illis unquam proventuros ſatis habebant exploratum. Hoc pacto Archiepiſcopatum Eboracenſem extorſit ab Alexandro Nevillo Urbanus ſextus, quem ad Archiepiſcopatum S. Andreae in Scotia velit nolit tranſtulit, unde nihil percipiens commodi, in ſumma omnium rerum inopia conſenuit. Sic paulo poſtea Thomam Merks Carliolenſem idem Urbanus, et Ludovicum Bangorenſem Alexander quintus, ad umbraticos neſcio quos Epiſcopatus protruſerunt, ut ſedibus ſuis deturbarent. Cum Joanne Bokingamo Lincolnienſi paulo fortaſſis mitius actum eſt, quem per ſummam injuriam, vel maxime renitentem, ad Epiſcopatum Lichfeldenſem voluit transferre Bonifacius nonus. Ille vero potius quam vim ſibi factam eſſe, omnibus non pateret clariſſime, utroque carere maluit, et indignis modis ſe tractari Deos homineſque obteſtatus, Monachus factus cucullum Cantuariae induit, ubi ſine Epiſcopatu Epiſcopus vixit ad mortem uſque. * 1404. HEN. 4. 6.

Vidit interea in locum à ſe relictum ingeri Henricum Beaufortium[x], filium Joannis Gandavenſis Lancaſtriae Ducis (Henrici quarti poſtmodum Regis fratrem) ex Catharina Swinforda. Anno 1397 Oxoniae[y] [literarum ſtudiis incubuit] aliquandiu, cujus Academiae (jam factus Epiſcopus) anno 1399 Cancellarius fuit. Verum Aquiſgrani plerunque educatus, juris utriuſque ſtudio operam ibi dedit, donec multum adoleſcens, Epiſcopus ſic uti diximus creatus eſt. Lincolnienſi ſedi cum annos praefuiſſet ſeptem, Wickhamo defuncto[z] ſufficitur Regis fratris ſui opera. Anno deinde 1426 Junii 23 Cardinalis titulo ſancti Euſebii renunciatus eſt[a], et galerum magna cum ſolennitate Caliſiae accepit delatum Martii 25 ſequenti[b]. Homo frugi, ne dicam deparcus, et inde opulentus ſupra modum. Henricus quintus Rex, paulo ante exitum, per continua maximaque bella aere alieno ingenti contracto; in opes Eccleſiae (quae id temporis ad ſummum pervenerant) oculos coepit conjicere. Neque deerant permulti, qui ex ſpoliis ejuſdem inopiam ſuam ſublevaret, hortarentur. Quapropter Praeſul hic noſter (qui Divitis Cardinalis Elogio plurimum innoteſcit) ut huic malo tum primum pullulanti obviam iret, viginti librarum millia ex ſuis loculis deprompta, nepoti Regi mutuo dedit.

---

[x] Avunculus fuit Humfridi Glóceſtriae Ducis, inter quos, regnante Henrico ſexto, maximae fuerunt litae, alius alium tanquam laeſae majeſtatis reum inſimulans.

[y] Cantabrigiae literis incubuit in Domo D. Petri, ibique anno 1388 ſolvit viginti ſolidos pro penſione camerae. Ita in *MS. Wren.*

[z] Willelmo defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 3 Oct. 1 *Pat.* 6 H. 4. m. 31. Rex reſtituit Temporalia 14 Martii ſequentis 2 *Pat.* 6 H. 4. m. 31. Et profeſſionem fecit Archiepiſcopo et Spiritualia accepit decimo octavo die ejuſdem menſis. *Regiſtr. Arundel.* fol. 28.

[a] De Henrici ad Cardilatitiam dignitatem promotione ſic differit Cl. Whartonus. “Dignitatem Cardinalitiam à Martino quinto Papa ante 8 an-“nos impetraverat in Concilio Conſtantienſi. Ad Concilium ſiquidem venit 1417. 31 Octobr. Menſe ſequenti Martinus “Papa electus eſt. Die 28 Decembris Martinus, editâ in Concilio Bullâ, Henricum tunc praeſentem Cardinalem renuncia-“vit, (nullo tamen aſſignato titulo) et Legatum ſuum in Angliâ, Walliâ et Hiberniâ conſtituit; ſeque creationem tempore “opportuno publicaturum et inſignia Cardinalitia ipſi miſſurum eſſe in eâdem promiſit. Extat ea inter Epiſtolas Bekin-“toni. Henricus autem Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſcripta ad Regem egregia Epiſtola, (quae apud Arthurum Duck “in *Vita Chichleii* proſtat) injuriam poteſtati Regiae et Archiepiſcopali exinde factam conqueſtus, Regi author erat, ut “Henrico Wintonienſi Cardinalis aut Legati dignitatem interdiceret. Defuncto demum Rege, utramque dignitatem “Henricus anno 1426 recepit.” Haec ille.

[b] Cardinalis renunciatus eſt viceſimo quarto Maii 1426 à Martino quinto Papa. Vide *L'Enfant Hiſtor. du Conc. de Conſtance.* Liv. 5. p. 518, 519.

Martinus quintus Papa, bellum contra Bohemos geſturus, quod tyrannidis Pontificiae jugum excuſſiſſent; hunc Cardinalem conſtituit Legatum ſuum[c], ita nimirum appellare placuit, quem revera copiarum ſuarum ducem et Imperatorem conſtituit. In hujuſce expeditionis ſumptus, omnium Eccleſiaſticarum proventuum decima à Clero conceſſa eſt. Copiis ea pecunia conductis ad 4000, per Galliam (ubi contra patriae ſuae hoſtes rem fortiter ſatis aliquandiu geſſit) in Bohemiam penetravit anno 1429. Inde poſt aliquot menſium moram revocatus à Pontifice; hominis cum non inſtrennui, tum egregie prudentis laudem reportavit. Vix dum ex ephebis egreſſus, ſane antequam initiaretur ſacris ordinibus, filiam genuit nomine Janam ex Alicia, Richardi Arundelliae Comitis filia, Archiepiſcopi Cantuarienſis ſorore, quam poſtea deſponſavit Edwardo Stradling è Comitatu Glamorganenſi Equiti aurato, Joannis Stradling Baronetti atavo; cujus utrum eruditionem egregiam aliaſque animi virtutes, Regio ſanguine dignas, an erga me ſummam benevolentiam, neſcio magis ſuſpicerem ac exoſcularer, niſi quae reipublicae proſunt privatis commodis anteferenda perſpicerem.

Ad ſenium vero quamprimum coepit vergere Cardinalis hic noſter, in Eccleſiae ſibi commiſſae curam totus incubuit, niſi quatenus reipublicae gerendae neceſſitas, ab Eccleſiaſticis ad politica invitum nonnunquam revocarunt. Inter alia bona opera ab illo praeſtita, memoratur praecipue Xenodochium ſive Noſocomium prope illud ſanctae Crucis Wintoniae, quod praediis dotavit, annuas 158 libras et 13^{s} atque denarios quatuor reddentibus, ac inſuper transferri ad id curavit, quicquid ad Collegium de Fordingbridge ſpectaviſſet. Alebantur in eo Praeſes (Magiſter appellatus) capellani duo, pauperes 35, et mulieres quae eos curarent aegrotos tres. Obiit undecimo Aprilis 1447[d], cùm Epiſcopatui Wintonienſi annos praefuiſſet 43, à tempore vero quo primum conſecratus eſt annos quinquaginta. Praeter Thomam Bourchier, qui Pontificatus diuturnitate hunc uno anno ſuperavit, Anglorum opinor nemo tam diu conſecrationi ſupervixit. Conditus jacet in tumulo non ineleganti pone ſummum altare ad auſtrum verſus. Epitaphii vero praeter haec verba nihil ſupereſt, *Tribularer ſi neſcirem miſericordias tuas.* Angliae Cancellarium diverſis vicibus ter extitiſſe traditur[e]; (ſemel nimirum per biennium, dum adhuc Lincolniae ſederet, et bis Wintoniae, per annos primum quatuor, deinde iterum biennali ſpatio) necnon Hieroſolymam uſque anno 1417 laborioſo juxta ac periculoſo itinere profectum.

LIV. Gulielmus Waynflet.

1447. Hen. 6. 25. Vir magnus et memorabilis ſucceſſit, Gulielmus Waynfletus, collegii Eatonenſis (tum nuper ab Henrico ſexto Rege fundati) praepoſitus, qui novem fere per annos Angliae fuit Cancellarius[f], videlicet ab undecimo Octobris 1449 donec Julii ſeptimo 1458 paulo ante praelium Northamtonenſe ultro abdicavit, tradito Regi magno Angliae ſigillo.

---

[c] De hoc Cardinale multa extant apud *Rym.* T. 10. praecipuè de hac expeditione contra Bohemos, p. 419, 420 &c. De non tenendo Epiſcopatum Winton. cum Cardinalatu. p. 497, 516.

[d] Teſtam. factum 22 Jan. 1446. Codicillus fact. 9 Apr. 1447. Probat. 11 Sept. 1447. *Regiſtr. Stafford.* f. 113.

[e] Primò, 1404. *Pat.* 5 H. 4. par. 2. m. 28 (18 *MS. Gale.*) Secundò, 1414. *Clauſ.* 1 H. 5. Tertiò, 1417. 12 Octobr. *Clauſ.* 4 H. 5. m. 13. *in dorſo*; uſque ad Jun. 23 anni ſequentis. *Clauſ.* 5. H. 5. m. 15. *in dorſo.* Quartò, 1424. 16 Jul. *Clauſ.* 2 H. 6. m. 2. *in dorſo. Dugdale.*

[f] Cancellarius conſtitutus eſt undecimo Octobris 1457. *Clauſ.* 35 H. 6. m. 10. *in dorſo.* Hoc fungit munere uſque ad viceſimum quintum Julii 1460. *Clauſ.* 36 H. 6. m. 7. *in dorſo.*

Filius hic fuit natu maximus Richardi Pattin antiquae proſapiae nobilis, et frater Joannis Pattin Decani Ciceſtrenſis, ac Richardi Pattin qui Baſloae vixit in Comitatu Derbienſi, ubi liberos reliquit, quorum poſteri, quantum audio, in illis adhuc regionibus reperiuntur. Hinc patet cognomen illi genuinum fuiſſe Pattini, Waynfleti aſcititium, ex more illius temporis Clericorum (à Monachis ac fraterculis donec ii in noſtra Anglia diſparuerint uſurpato) qui nomen plerunque aſſumpſerunt ex loco ubi nati ſunt, ſicuti in Wickhamo aliiſque quamplurimis facile oſtenditur. Gulielmus iſte, ſive Waynfletus, ſive Pattinus, educatus eſt in Collegiis Wickhamicis, Wintoniae primum, deinde Oxonii, donec Ludimagiſter Wintonienſis ſcholae conſtitutus eſt, quam annos duodecim moderatus; ab Henrico ſexto Rege (cui hominis eruditio non vulgaris, cum pietate ac prudentia inſigni conjunctae, ſatis erant perſpectae) in Eatonenſis ſui collegii Praepoſitum aſcitus eſt[g]. Conſecratus[h] eſt Julii 30. 1447, et annos ſedit 39[i]. Temporis ſpatium ſane quam longum; quo tamen à Beaufordo, Bourchiero et aliis ſuperatus eſt, qui pietatis monumenta poſteris haud reliquerunt cum Waynfletianis ullo modo comparanda. Neque tamen dubium eſt, majora multo eum praeſtiturum, niſi bello illo inteſtino Eboracenſium ac Lancaſtrenſium toto fere praeſulatus ſui tempore exagitata Anglia, temporum infelicitate impeditus, voti ſui compos eſſe nequiverit. Patronum ſuum Henricum ſextum poſt plurimas acceptas clades, deſerere tamen nunquam ſuſtinuit. Illo igitur devicto, ac tandem in carcere indigna nece affecto; Victor Edwardus quartus cui erat exploratum quanta fidelitate Henrico hoſti ſuo adhaeſiſſet, alieno ſemper fuit erga illum animo. Temporis tamen ſpatium tam longinquum et opulentiſſimi Praeſulatus redditus, facultatem illi ſuppeditarunt, Collegii Magdalenenſis Oxoniae inſtituendi, cui, in toto Chriſtiano orbe haud temere reperias aliud conferendum, ſi magnificentiam ſtructurae, redditüum amplitudinem, politiam et adminiſtrationem, ac denique omnium partium inter ſe mutuam concinnitatem, ſpectemus, quas in alio quoquam conjunctas tam praeclaras, ut omnibus numeris perfectius liceat dicere, nullibi quantum auguror invenias.

Hic tantus vir mortalitatem exuit undecimo Auguſti 1486, cùm magna ſua laetitia regnum Lancaſtrenſi familiae in Henrico ſeptimo reſtitutum vidiſſet. Ita ut inter tempus conſecrationis Gulielmi Wickham ac iſtius Praeſulis obitum, anni interceſſerint quam 119 non pauciores. Conditus jacet in tumulo qui eſt è regione monumenti Beaufortio poſiti, cui etiam forma (quantum memini) haud diſſimilis. Epitaphii vero (quod me male habuit) nihil ibi potui reperire. Sed iſta quid ego memoro? monumentum habet aere perennius Collegium antedictum; et multorum Epitaphiorum inſtar, vitam ejus, ceu vero nomine appellandam παλιγγενεσίαν, à Gulielmo[k] Buddeno legum doctore Collegii ſui alumno eloquentiſſime deſcriptam.

---

[g] Puerorum in Schola Etonenſi Informator conſtitutus eſt anno 1440 ab ipſo fundatore. Decembris verò viceſimo primo 1443 electuseſt Praepoſitus Etonenſis. *Archiv. Coll. Eton.*

[h] Licentia eligendi conceſſa eſt 15 Apr. 1447. 2 *Pat.* 25 H. 6. m. 36. Electus eſt a Monachis, Rege ipſo petente, 17 Apr. *Budden. in Vit. Waynfleti.* Proviſus à Papa 6 Maii. *Regiſtr. Stafford.* f. 27. Temporalia reſtituta ſunt 4 Jun. 2 *Pat.* 25 H. 6. m. 29. Profeſſionem fecit Lamethae 16 Jun. *Regiſtr. Stafford.*

[i] *A.* 1448 *Dominus Rex Henricus ſextus interfuit Collegio Wyntonienſi, et exhibuit praeſentiam ſuam in Eccleſia Cathedrali S. Swithuni in Miſſa prope intronizationem Domini Willelmi Wayneflete Epiſcopi Wynton. nuper Magiſtri Informatoris ſcolarum iſtius Collegii.* Ita in *Regiſtro Coll. B. Mariae prope Winton.*

[k] Joanne.

LV. PETRUS COURTNEIUS.

1486. Hen. 7. 2. NOVEMBRI menſe anni 1477[l] conſecratus eſt in Epiſcopum Exonienſem Petrus Courtneius, Philippi Courtneii de Pouderham equitis aurati filius, et Elizabethae, quae Walteri Baronis Hungurfordi fuit filia, legum [m] Doctor Paduae creatus, ſed Oxoniae incorporatus. Qui ſub exitum anni 1486 ad Winton. ſedem tranſlatus eſt [n]. Campanile quod eſt ad aquilonarem Exonienſis Eccleſiae partem nondum abſolutum, magnis impenſis perfecit, et nola praegrandi inſtruxit, quae propter pondus immenſum, ſine multorum hominum labore non poteſt pulſari, eamque ob cauſam duplicem habet rotam funeſque binas quarum ope circumagatur. Obiit viceſimo ſecundo Septembris 1492, cùm annos hic praefuiſſet ſex, et in Eccleſia ſua Wintonienſi ſepultus eſt.

LVI. THOMAS LANGTONUS.

1493. Hen. 7. 8. QUANDO annum jam integrum ſedes vacaſſet, transfertur huc ab Eccleſia Sarisburienſi Thomas Langtonus, qui anno 1483 in Epiſcopum Menevenſem conſecratus, poſt biennium Sarisburiam migraverat [o]. Wintoniae ſedit annos ſeptem; et Cantuarienſis deſignatus Archiepiſcopus, ante tranſlationem perfectam, peſte correptus interiit [p] anno 1500. Capellam conſtruxit ab auſtrali parte Eccleſiae ſuae Wintonienſis, in cujus medio conditus jacet ſub marmoreo tumulo elegantiſſimo. Socius hic olim fuit Aulae Pembrochianae Cantabrigiae, ac in ejus rei memoriam craterem argenteum deauratum ponderis 67 unciarum Aulae dedit praedictae, his verbis inſculptum. *Thomas Langton Winton. Epiſcopus, Aulae Pembrochianae olim ſocius, dedit hanc taſſiam coopertam eidem Aulae* 1497. *Qui alienarit anathema ſit.*

LVII. RICHARDUS FOXUS.

*1500. Hen. 7. 16. QUO tempore Henricus Richmondiae Comes Venetiis [q] moram trahens, ab optimatum quamplurimis rogatus, ut Angliam, per ſceleratiſſimum parricidam tyrannidis jugo miſere afflictam et oppreſſam, in libertatem vindicaret ſibi regnum aſſerendo, cui rei ille foeleciſſime poſtea dedit effectum: Ut tantae molis negotio praeſidium compararet, à Gallorum Rege copias decrevit petere, quibus tyrannum expugnaret. Lutetiam igitur accedens, Regi Carolo octavo rem tantum aperuit, et occupationum plenus alio ſe conferens, ut petitionem ulterius perſequeretur, reliquit Richardum Foxum, tum Pariſiis agentem, qui Oxoniae legum Doctor fuerat creatus, quanquam Cantabrigiae incorporatus Aulae Pembrochianae Praeſes, ſive (ut loquimur) Magiſter evaſerit[r]. Utrum is jam antea Comiti innotuerit, vel tum primo ſtatim congreſſu prudentiam hominis inſignem habuerit perſpectam, me latet. Hoc certum eſt, quod idoneum judicavit qui tanti momenti tractaret negotium. Neque vero opinione falſus eſt. Hic namque ea rem geſſit ſolertia, ut brevi temporis ſpatio ex animi ſententia confecerit omnia. Quapropter Comes regni poſtea potitus, hujus officii memor, primum cuſtodiam illi demandavit privati ſigilli, deinde Secretarium ſummum eum declaravit, et in numerum eorum aſcivit qui ſibi eſſent ab arcanis conſiliis, et promotionibus Eccleſiaſticis parvo temporis ſpatio bene onuſtum reddidit. Interea vero ejus conſilio domi, et foris, in legationibus obeundis opera plurimum uſus eſt. Regni anno ſecundo in Scotiam miſſus eſt ad foedus ineundum cum illius gentis Rege. Vix inde reverſus, ad Epiſcopatum Exonienſem per Courtneii tranſlationem vacantem poſtulatur. Ibi cum ſediſſet annos ſex ad Eccleſiam Bathonenſem ac Wellenſem, et inde poſt biennium Dunelmum transfertur. Sed neque hic figit pedem. Poſt ſexennium Wintoniae tandem conſedit[s], ubi reliquum deinde aetatis in magna tranquillitate tranſegit. Rex ſiquidem longe prudentiſſimus, in illius tamen conſilio unice acquievit, ut gratia et authoritate nemo unquam apud ipſum fuerit validior. Inter multos quos illi detulit honores, haud poſtremo loco numeraverim, quod Henrico filio natu minori (qui poſtea Rex fuit) ſuſceptorem delegerit, qui ſacro fonte baptizatum levaret. Una tandem res foelicitatem hanc nimiam ad temperiem redegit, ne dicam evertit. Aliquot ante mortem annos oculis captus, ac coecus, vixit. Unde non procul abeſſe conjiciens mortalitatis exitum, decrevit amicos ſibi facere de Mammona iniquitatis, opes ſuas bene collocando. Ac primum quidem erat illi in animo coenobium neſcio quod condere, donec ab Oldamo Exonienſi Epiſcopo monitus (ut dicitur) plura jamdudum monachos poſſidere quam ut diù retenturos exiſtimaret; mutata ſententia, ad collegii ſtructuram animum adjecit, quo nihil excogitari poterat vel reipublicae utilius, vel ſibi apud poſteros honorificentius. Ita conditum eſt ab illo (magnam ad id opus pecuniam conferente Oldamo praedicto) collegium Oxoniae quod Corporis-Chriſti voluit appellari[t], nitore et elegantia paucis cedens, quodque patrum noſtrorum memoria natum, multos tamen progenuit viros literis ac pietate inſignes, interque alios, Jewellum Sariſburienſem Epiſcopum, et Joannem Raynoldum, necnon etiam Polum Cardinalem alioſque. Dotatum eſt ab illo hoc collegium praediis quae annuatim penderent (prout etiam hodie pendunt) 401 libras, 8^{s}. 11^{d}. Anno deinde 1522 locum pueris inſtituendis magno ſumptu conſtruxit in arce oppidi Tauntonenſis, cui aedificia adjecit Ludimagiſtro inhabitanda. Sed et Granthamae (ubi natum auguror) aedificia conſimilia, iiſdemque uſibus deſtinata excitavit. Eccleſiae ſuae Wintonienſis chorum, presbyterium et capellas adjacentes, teſtudine ſive laqueari fornicato operuit, et feneſtras vitro obduxit. Pariete exquiſiti operis Presbyterium circumdedit, in faſtigio illius collocatis oſſibus multorum praeſulum ac Regum antiquorum, capſulis plumbeis inditorum, cum antea eorum tumuli Eccleſiam temere occupantes multum deformarent. Aulae Pembrochianae Cantabrigiae aulaea quaedam contulit. Cumque alia multa haud dubie praeſtitiſſet memoratu digna, quae tamen ad meam notitiam non pervenerunt, dierum plenus migravit ex hac vita, poſtquam Eccleſiam Wintonienſem annos 27 laudatiſſime rexiſſet, anno Chriſti 1528 [u]. Tumulatus jacet ab auſtrali parte ſummi altaris, monumento parieti indito et inſerto, ut utrunque ſimul appareat conſtructum [x].

---

[l] 1478 potiùs. vid. infra inter Epiſcopos Exon. [m] Juris Canonici Doctor. [n] Papali proviſione, Bullâ datâ 29 Jan. 1486. *Regiſtr. Morton.* Electus verò menſe Februarii a Monachis. *A. S.* V. 1. p. 319. Temporal. reſtituta 2 Apr. 1287. [o] Poſt tranſlationem ad Epiſcopatum Sarum, fit Praepoſitus Collegii Reginenſis Oxon. A. 1489. [p] Obiiſſe dicitur a Whartono paulo ante decimum Octobris 1500, ex fide *Regiſtr. Cantuar.* Nec non electum eſſe in Archiepiſcopum Cantuar. paucis ante obitum diebus. In *MS.* verò *D. Hutton* ſic ſcriptum legimus; — 22 *Jan. Poſtulatio in Capitulo Cant. pro Thoma Langton Epiſcopo in Cantuar. Archiep. qui ob.* 27 *die ejuſdem menſis Regiſtr. Eccleſ. Cantuar.* De die igitur mortis incertus haereo. [q] Vannis in Armorica.

---

[r] Hujus Collegii fuit Magiſter paulò ante 8 Id. Auguſti 1507. jam Epiſcopus Wintonienſis. Cuſtodiam reſignavit Menſe Maio 1519. Per biennium fuit Academiae Cantabr. Cancellarius, annis nimirum 1500 et 1501.

[s] Temporalia reſtituta 17 Oct. 1500. *Pat.* 16 H. 7. p. 2. m. 13.

[t] A. 1516.

LVIII. THOMAS WOLSEIUS.

* 1529. Hen. 8. 20. DE Wolſaeo qui ſucceſſit, haec breviter hic loci tradidiſſe ſufficiat; Epiſcopatus Tornacenſis (tum nuper ab Henrico octavo expugnata civitate) adminiſtrationem ad tempus eum habuiſſe, Lincolnienſem deinde factum Antiſtitem, ac poſtea Eboracenſem Archiepiſcopum, et Cardinalem tandem creatum anno 1515, quando prioribus non contentus, Epiſcopatum Bathonenſem et Wellenſem primum, eoque reſignato Dunelmenſem aſſumpſit in Commendam, (ut loquimur) ac illo etiam tandem relicto Wintonienſem [y], cui longo tempore inhiaverat, ſed longo tempore potiri nequivit, anno nondum circumacto (Novembris videlicet viceſimo nono 1530) morte ſublatus.

LIX. STEPHANUS GARDINERUS.

* 1531. Hen. 8. 23. QUATUOR ferme annos Eccleſia Wintonienſis, poſt Wolſaei obitum, Epiſcopo manſit deſtituta. Stephanus tandem Gardinerus [z] legum Doctor [a] et aulae S. Trinitatis Cantabrigiae Praeſes [b], Edmundoburgi in Comitatu Suffolcienſi natus, ad ejus praeſulatum Regis beneficio evectus, conſecratus eſt anno 1534 [c]. Annos poſtea quatuordecim exactis, videlicet Junii 30. 1548 in arcem Londinenſem conjectus eſt, quod pridie dogmata quaedam pro concione non expoſuiſſet ad crucem Paulinam, prout à Conſiliariis Regiis ſibi fuerat imperatum. Deinde poſt biennium, quod reformationem tum inſtitutam in Eccleſia nollet probare, Epiſcopatu privatus eſt [d], et in vinculis retentus, quandiu vixit Edwardus ſextus Rex. Caeterum Maria regno potita, non ſolum liberatus eſt è carcere, ſed Epiſcopatui illico reſtitutus, et viceſimo tertio Auguſti 1553 [e] An-

[u] 14 Sept. [x] De eo tria ſunt memoratu digna. (1) Regi Henrico autor fuit, ut nuptias iniret cum fratris ſui relicta. (2) Cum aliis Epiſcopis de praerogat. Cant. contra Warhamum Archiepiſcopum et ad ſedis praejudicium contendit. (3) Aulae Regiae valedicturus, duos inſignes viros Regi commendavit, viz. WOLSEIUM Capellanum ſuum, poſtea Epiſcopum, Archiepiſcopum, Cardinalem: Et GULIELMUM PAWLET praediorum Wintonienſis ſedis Seneſcallum, qui poſtea Hoſpitii Regii Theſaurarius, quatuor Principibus Conciliarius, Angliae Quaeſtor ſummus, Marchio Winton. et Comes Wilton. Hic mortuus eſt Mar. 10 1571, annos natus 97, poſtquam vidiſſet a ſe prognatos quatuor ſupra centum *MS. Ca.* [y] Temporalia illius curae commiſſa ſunt 20 Oct. 1528. *Rym. Foed.* T. 14. p. 268. Et curam habet Epiſcopatus Wintonienſis per proviſionem Papalem, Bulla data 6 Id. Febr. 1528. *Rym. ibid.* p. 287. Inſtallatus verò Wintoniae per procuratorem non ante undecimum Aprilis 1529. *Wharton.* [z] Filius fuit Leonelli Epiſcopi Sarum (filii junioris Richardi Woodvil Comitis Rivers ſummi Angliae Conſtabularii, qui ut crimini ſuo velamentum obduceret, Stephani hujus matrem cuidam famulorum ejus infimo, Gardinero dicto, in matrimonium dedit. Vid. *Lelandi Collect.* V. 5. p. 212. [a] Jur. Civ. Doctor in Academ. Cantabr. A. 1520. Jur. Can. Doctor. A. 1521. *Regiſtr. Academ.* [b] Anno 1525. [c] Conſecratus Nov. 27. 1531: ita in MS. Lowth. è *Regiſt. Cant.* Dies verò Dominica non fuit. Temporalia reſtituta ſunt 5 Decembr. 1531. *Rym. Foed.* T 14 p 429 [d] Privatus eſt Feb. 14. 1550. [e] Cancellarius conſtitutus 21 Sept. 1553. *Pat.* 1 Mar. par. 8.

gliae Cancellarius renunciatus. Interea vero Academiae quoque Cantabrigienſis, anno 1539[f], Cancellarius fuerat deſignatus[g].

Vir fuit proculdubio haud indoctus (quod opera ejus ſatis teſtantur) et ingenio ultra quam expediret acri, eo niſi rectius uſus fuiſſet. Pro odio quo veram religionem proſequutus eſt capitali, non ſolum multos bonos viros flammis tradidit abſumendos, verum et in hoc omnibus ingenii nervis incubuit, ut Elizabetham nuper Reginam quoquo modo tolleret e medio[h]; fruſtra, dicens, folia decuti, ramuſculos amputari; radicem hanc et haereticorum ſpem unicam excindendam ac ſtirpitus eradicandam, aliàs nihil eos acturos. Et ſane niſi Maria Regina inſigni pietate princeps, pro eo quo ſororem amplectebatur amore, conatibus iſtorum obſtitiſſet; fieri non poteſt quin praevaluiſſent tandem ſcelerata horum hominum conſilia. Et quid nihilominus effeciſſent [inimici,] niſi hoc duce Dei ſumma providentia mature fuiſſent orbati, ambiguum eſt[i].

In ipſa Regia Weſtmonaſterii podagricis doloribus abſumptus interiit[k] duodecimo Novembris 1555[l], immenſa pecunia in loculis relicta, (ſi verum eſt quod habet Balaeus) quadraginta videlicet marcarum millibus, praeter ſupellectilis pretioſiſſimae magnam copiam. Corpus ejus ſecundo Tameſi fluvio ad aedes ſuas Suthwercanas delatum, plumbo incluſum ac tumulo lateritio ad tempus in Eccleſia vicina conditum; tandem Februario ſequenti currui imponitur atrato, una cum ſtatua defunctum ad vivum referente, mitra caeteroque pontificali ornatu induta, et Wintoniam deductum eſt per teſtamenti ſui executores, Montacutum Vicecomitem et Elienſem Epiſcopum. Ibi tumulo illatus eſt (prout ipſe mandaverat) qui a ſeptentrionali parte ſummi altaris viſitur, tam forma quam ſitu Foxiano monumento (cui eſt è regione) reſpondens.

LX. JOANNES POYNETUS[m].

GARDINERO ſic ut retulimus exauthorato, ſufficitur[n] Joannes Poy- 1550.
netus ſacrae Theologiae Doctor, qui Epiſcopus Roffenſis tum nu- EDW.6. 5.
per fuerat creatus. Hic in Cantia natus et in Collegio Regio[o] Cantabrigiae educatus eſt. Rerum potita Maria, in Anglia nihil tuti ſibi reliquum

---

[f] 1538 potius.

[g] Decimo octavo Kal. Junii 1542 prodiit edictum Stephani Epiſcopi Wintonienſis et Academiae Cantabrigienſis Cancellarii de pronunciatione Linguarum Graecae et Latinae: cui exigendo Procancellarius et Procuratores pro modo juriſdictionis ſinguli providere jubentur. *MS. Ca.* num. 5. p. 147. ——— Magna lis orta eſt inter illum, Acad. Cantab. Cancellarium exiſtentem, et Joannem Cheek Graecae Linguae Profeſſorem Regium, de recta Linguae Graecae pronunciatione. Gardinerus obſoletam defendit, ſcil. *Alpha*, *Vita*, *Ef*, *Af*. Checus contra novam illam *Alpha*, *Beta*, *Eu*, *Au*. — Gardinerus habuit ſuperiores partes, Checus meliores, ut Aſchamus (qui tunc in Acad. erat) ſolitus eſt dicere. Tota haec velitatio ſeptem Epiſtolis ultro citroque miſſis continetur. *MS. Ca.* p. 37.

[h] Tacendum non eſt, Philippum Regem nullum non moviſſe lapidem, ut incollumis illa ſupereſſet; quum metueret vehementer, ne illa è medio ſublata, horum regnorum gubernacula ad Mariam Scotorum Reginam pervenirent, quae Gallorum Regi matrimonio tunc temporis juncta fuit, et ſic Inſula haec Britanniae ſceptro Gallico adjungeretur.

[i] Hoc de eo ulterius dici poteſt, quod cum hic *(Stephanus)* juxta atque Reginaldus Polus Cardinalis Proteſtantium cauſae inſidiarentur, eamque junctis copiis viritim infeſtarent, inter eos ipſos (ſole clarius eſt) ſimultates graviores iraſque feras admodum et emerſiſſe et conflagraſſe, ſine omni vel relaxatione vel reconciliatione. Hinc eſt, quod vivente Wintonienſi, nec Cranmerus, hoereſeωs et laeſae majeſtatis poſtulatus atque Oxoniae condemnatus, una cum Ridlaeo et Latimero flammis traderentur, ſed clancularia Wintonienſis ſolius in Romana Curia atque ad Papam gratia, in vivis permanebant. Nec Polus Archiepiſcopus inauguratus eſt; ſed ſedis Cantuarienſis uſufructuarius manſit, Legatina autoritate contentus; quâ etiam ad Papae Pauli quarti mandatum, idque ex Gardineri ſententia, privandus Romam de reddenda ratione coram Papa evocatur In hac luctu mortuus eſt Gardinerus: ad quartum a morte ejus menſem Cranmeri vivi comburium, et ad dies quatuor poſt id Polus ſedem Archiepiſcopalem conſcendit.

[k] Septuagenarius ad minimum.

[l] Nov. 13. *Memor. Eccleſiaſt. Strype.* V. 3. p. 229. "Decumbentis in lecto cadaver ita putridum foetidumque ante mortem fuit; ut praeſentibus ni-" "hil moleſtius ipſo odore eſſe potuit. In ipſo mortis momento haec verba ejaculatus eſt: *Erravi cum Petro*; *non flevi* "*cum Petro.*" Ita Parker in *Antiquit. Britan.* p. 511.

[m] PONET, ſic enim nonnunquam in ipſius manu ſcriptum inveni.

[n] Huc tranſlatus à ſede Roffenſi 23 Mar. 1550. 1 *Pat.* 5 E. 6. m. 40.

[o] Reginenſi certè, nomen enim non occurrit inter Socios Coll. Regii.

exiſtimans, profugit in Germaniam, ubi juvenis diem obiit Argentorati nondum quadragenarius undecimo Aprilis[p] 1556. Vir egregie doctus, quod abunde teſtantur opera ab illo tam Latinè quam Anglice edita. Graecam vero etiam linguam callebat ad amuſſim, Italicam quoque et Germanicam mediocriter. Mathematicarum porro ſcientiarum ad miraculum uſque peritus, Henrico octavo dicitur horologium fabricaſſe, quod non ſolum horas vulgares oſtenderet, ſed diem etiam menſis, mutationes lunares, et fluxus atque refluxus maris tempora. Ad haec, magna vi dicendi praeditus, per conciones aliquot egregias innotuit Regi etiamnum puero, cujus tamen ſingulari favore ad has dignitates dicitur provectus.

LXI. JOANNES WHITUS.

1556. MAR. 4. POST Gardineri mortem[q], Reginae fuit in animo, Cardinali Polo hujus Epiſcopatus adminiſtrationem demandare; querenti nimirum, anguſtam ſibi rem eſſe, neque Archiepiſcopatus fructus ſub Edwardo ſexto vehementer imminutos, Cardinali pro dignitate alendo ſufficere dicenti. Joannes vero Whitus Lincolnienſis Epiſcopus, eo quod Wintoniae natus[r] et ibidem Collegii Wickamici fuerat Gardianus[s], ad eum praeſulatum importune anhelabat. Huic igitur ea lege ac conditione conceditur, ut Cardinali mille libras pendat quotannis dum viveret, et uno etiam anno teſtamenti ejus executoribus poſt mortem. Cùm annos vix tres ſediſſet, ſub Elizabetha Regina exauthoratus et in ordinem redactus eſt[t], quod reformationi inſtitutae repugnaret, eoque promptius quod in concione quadam quam habuit in funere Mariae Reginae, cum immodicis illam laudibus extuliſſet, Elizabethae regnantis tam frigidam fecerit mentionem, ut palam eſſet vituperare maluiſſe ſi fuiſſet auſus, *homo* (ut inquit Camdenus[u]) *vulgariter doctus, et poetica facultate, ut ferebant tempora tolerabilis*[x].

LXII. ROBERTUS HORN.

1560. ELIZ. 3. FEBRUARII 16. 1560[y] Robertus Hornus, [z]natus in Epiſcopatu ſive Comitatu Dunelmenſi, educatus in Collegio S. Joannis Cantabrigiae, et ſub Edwardo ſexto Dunelmenſis Eccleſiae Decanus, ex Germania tum nuper reverſus, ubi Maria regnante vixerat in exilio, in Epiſcopum Wintonienſem conſecratus eſt. Sedit annos prope viginti. In aedibus ſuis Suthwercanis Londini obiit, et in ſua Eccleſia prope pulpitum jacet tumulatus ſub marmore, cui haec verba reperi inſcripta:

---

[p] Aug. 11. 1556, quadragenarius, et Argentorati ſepultus, ut habet *Baleus*, Cent. 8. p. 695.

[q] Temporalia traduntur cuſtodiend. 16 Maii 1556. *Rym. Foed.* T. 15. p. 437. Licentia verò eligendi conceſſa eſt 16 Jul. *Ib.* p. 441.

[r] Nequaquam, natus erat Farnhamiae Comitatu Surr. ita *Regiſtr. Coll. Nov. Oxon.*

[s] Ludimagiſter, deinde Gardianus, ac poſtea Decanus Eccleſiae Cathedralis ibidem. *MS. Gale.*

[t] Ob. ante 4 Feb. 1560. Vid. *Burnetti Hiſt. Refor.* V. 3. Collect. p. 295. Ob. Menſe Januarii 1560. ex notis MSS. Johannis Bate (vel Bale) penes Comitem Oxon. *MS. Baker.*

[u] Eliz. ad A. 1559,

[x] Quibus licet adjicere, quòd Reginam et omnes defectionis ab Eccleſia Romana authores excommunicationis cenſura feriendos, tam ipſe, quam Lincolnienſis cenſuerunt, dicentibus aliis, Pontifici judicio haec relinquenda, nè ipſi ſubditi obedientiam in Principem exuere, et ſeditionis ſignum tollere, viderentur. *MS. Gale.*

[y] Temporalia reſtituta ſunt 4 Feb. 1560. *Rym. Foed.* T. 15. p. 607.

[z] Filius Gulielmi de Cleter in Copeland in Comit. Cumbriae.

> " Robertus Horn Theologiae Doctor eximius, quondam Chriſti cauſa
> " exul, deinde Epiſcopus Winton. pie obiit in Domino Jun. 1. 1580, E-
> " piſcopatus ſui anno decimo nono."

* * *

LXIII. JOANNES WATSON.

PAULO poſtea quam ille fato ſuo functus eſt, Joanni Watſon[a] hujus Eccleſiae curam Regina demandavit, ad quam ille conſecratus eſt Sept. 18. 1580. Sepultus eſt è regione anteceſſoris, marmore tectus, in quo haec verba leguntur: 1580. ELIZ. 22.

> " D. Joannes Watſon, hujus Eccleſiae Winton. Praebendarius, Deca-
> " nus, ac deinde Epiſcopus, prudentiſſimus pater, vir optimus, praecipue
> " erga inopes miſericors, obiit in Domino Januarii 23 anno aetatis ſuae
> " 63, Epiſcopatus quarto. 1583.

* * *

LXIV. THOMAS COUPERUS.

THOMAS COUPERUS[b] S. Theologiae Doctor ſucceſſit, à Lincolnienſi ſede tranſlatus[c]. Educatus eſt Oxoniae in Collegio Magdalenenſi; et in ſchola collegio adjuncta aliquandiu Ludimagiſter[d], factus eſt patris mei in Decanatu aedis Chriſti ſucceſſor; tumque viceſimo quarto Februarii 1570 in Epiſcopum Lincolnienſem ſacratus eſt. Wintoniae ſedit annos decem. Exceſſit è vivis viceſimo nono Aprilis 1594[e]. Ea vir gravitate, eruditione vitaeque ſanctimonia, ut in ejus laudem campum excurrere geſtiat mihi animus. Sed inſtituti mei ratio id non patitur. *1583. ELIZ. 26.

---

[a] Natus erat apud Rengworth in Comit. Wigorn. Magiſter fuit Domus ſive Hoſpitii S. Crucis A. 1559. *MS. Baker.* Benefactor Academiae Oxon. [b] Obſcuris parentibus natus in Civitate Oxon. [c] Confirma. 23 Mar. 1583. *Regiſtr. Whitg.* f. 9. [d] Ibidemque Medicinae Baccal. A. 1556. ut conſtat in Regiſtro I. f. 161. a. *MS. Wood.*

[e] Sepultus juxta Thronum Epiſcopale, in cujus ſepulchrum ſic ſcriptum legimus: " Hic jacet Thomas Cooper olim Lin-
" colnienſis, nuper Wintonienſis Epiſcopus Munificentiſſimus, Doctiſſimus, Vigilantiſſimus Preſul; qui Religioſiſſime in
" Domino obiit Aprilis 29 An. Dom. 1594.

" Theſaurus Chronicorum, Cooperi cetera ſcripta
" Dum remanent, celebris Cooperi fama manebit.
" Oxonienſis erat, Gloceſtrenſiſque Decanus,
" Continuus primae Vice-Cancellarius Urbis,
" Tum Lincolnienſis fit preſul, et inde movetur
" Wintoniam, Denos ubi ſedit Epiſcopus annos,
" Summe doctus erat, ſummeque benignus egenis,
" Et ſummo Studio divina oracula pandit.
" Terra tegit Corpus, ſed ſpiritus eſt ſuper aſtra,
" Coeleſtes animae coeleſti pace fruentur.

LXV. GULIELMUS WICKHAMUS.

1595. ELIZ. 38. GULIELMUS WICKHAM[e], Collegii Regii Cantabrigiae quandoque ſocius, dein ſocius itidem Eaton. Collegii, Windeſorenſis Eccleſiae Praebendarius, et Lincoln. Decanus, in utroque Epiſcopatu Coupero ſucceſſit. Epiſcoporum Wintonienſium nemo tam parvo tempore ea dignitate potitus eſt. Lincolnia tranſlatus ſub exitum Martii menſis 1595, calculo ſublatus interiit Junii 12[f] ſequenti, cum per dyſuriam clauſa veſica quatuordecim dierum ſpatio lotium non reddidiſſet[g].

LXVI. GULIELMUS DAYUS.

1595. ELIZ. 38. GULIELMUS DAYUS[h] qui educationem ſortitus eſt ſicuti anteceſſor in Collegio Regio Cantabrigiae, (ubi anno 1557 munus obiit procuratorium) ex Decano[i] Windeſorenſi et Collegii Eatonenſis Praepoſito[k] fit Wintonienſis Epiſcopus, Januarii[l] viceſimo quinto 1595 conſecratus; et diuturnitate ſedendi Wickhamo haud multùm foelicior, Septembrem menſem proxime ſequentem non exceſſit. Hic frater fuit Georgii Daii qui ante quadraginta annos Ciceſtrenſis Epiſcopus ſub Maria Regina mortem obierat. Ac iſtum ferunt Cantabrigiae bonis literis tunc operam navantem, petiiſſe à fratre, ut ad libros emendos et alia neceſſaria ſubminiſtranda pecunia aliquantula ipſum juvaret; Epiſcopum vero (qui fratrem à Pontificia religione alienum noverat) reſpondiſſe, aequum non eſſe ut hoſtis Eccleſiae ex bonis Eccleſiae aleretur, adeoque ne teruncium largitum.

LXVII. THOMAS BILSONUS.

1597. ELIZ. 40. THOMAS BILSONUS[m] S. Theologiae Doctor Wintonienſis Collegii Gardianus, qui in Collegiis Wickamicis utriſque fuerat educatus, hoc nimirum Wintoniae, illo vero Oxoniae, in Epiſcopum Wigornienſem conſecratus decimo tertio Junii 1596; cum ibi vix duos annos ſediſſet, Wintoniam transfertur 1597[n]. In honoratiſſimum illorum coetum adſcitus eſt qui Principi noſtro ſunt ab arcanis conſiliis[o]; vir graviſſimus et quantus Theologus, ſi quenquam lateat, libros petat ab illo doctiſſime conſcriptos. Junii 18. 1616 exceſſit è vivis Weſtmonaſterii, ubi jacet ſepultus ab auſtrali parte Eccleſiae, juxta monumentum Richardi ſecundi Regis.

---

[e] Filius Joannis Wickham de Enfeild in agro Middleſex. ibidemque natus.

[f] Jun. 11. in Epita. apud *Stowm*. Ed. 1720. L. 4 p. 12.

[g] Sepultus eſt in Eccleſia Parochiali S. Mariae Tranſthameſinae.

[h] Salopiae natus.

[i] Ex Canonico inſtallatus fuit Decanus Windeſoriae 22 Aug. 1572. tunc S. T. B.

[k] Quae munera ſimul adminiſtravit per 24 annos, Praepoſitus Eton. electus Dec. 8. admiſſ. Jan. 5. 1561. *Archiv. Colleg.*

[l] *Regiſtr. Whitg.* f. 65.

[m] Wintoniae natus, Collegii Novi Oxon. aliquando ſocius. Vid. *Collier. Hiſt. Eccleſ.* V. 2. p. 709.

[n] Maii 13. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 76.

[o] Aug. 21. 1615.

LXVIII. JACOBUS MOUNTAGU.

1616. Jac. 14. SUCCESSOR illi mox declaratur Jacobus Mountagu[p] (cujus memoria mihi cum omni gratitudine celebranda) Bathonenſis et Wellenſis Epiſcopus, tranſlatus quarto Octobris 1616. Quem in Senatum arcani Regis Concilii admiſſum, florente jam aetate, ictero nigro atque hydrope ſublatum, morte raptum immatura, ſummo non ſine luctu amiſimus, Julii 19[q]. 1618. Bathoniae ſepultus eſt, in templo magnis ſumptibus à ſe reſtaurato.

LXIX. LANCELOTUS ANDREWS.

1618. Jac. 16. AETATE juniori ſucceſſit longe provectior, ſenex ter venerandus, ab Elienſi ſede ad Wintonienſem tranſlatus, Lancelotus Andrews, Februarii 25. 1618 ſtylo Anglicano, communi vero 1619. In album eorum paulo poſt aſcriptus qui Regi noſtro ſunt ab arcanis conſiliis.

* * *

In civitate Londinenſi natus, ab honeſto et antiquo genere in agro Suffolcienſi ortum deducens: Collegii Pembr. Cantabrigiae Socius, dein Magiſter; à ſacris domeſticis Hon. Franciſci Walſingham, Patroni tam praeclari auxilio atque opera ad honores in Eccleſia permagnos evocatus, etiam maximis digniſſimus. A Dioeceſi Ciceſtrenſi ad Elienſem, inde Wintonienſem tranſlatus; quam per octo plus minus annos laudabiliter adminiſtravit: Obiit in ſuburbiis Londini viceſimo primo Septembris 1626, anno aetatis 71, Vir magni inter Theologos nominis, eruditione multiplici clarus et ingenio, judicio acri et ſubacto, miro in diſputationibus acumine et ſubtilitate, et in concionibus, quae iſtis temporibus cum plauſu excipiebatur, concinna quadam ſimul et abnormi facundia. In Capella Eccleſiae S. Salvatoris Southwark ſepultus eſt, ubi marmori honorifico inſcribitur hoc Elogium; in quo deſideratur piae munificentiae commemoratio, cujus fructum (ut alia omittam exempla) Collegium Pembroc. etiamnum percipit, viz. mille libras in alimoniam duorum ſociorum donatas.

“ Lector, ſi Chriſtianus es, ſiſte: Morae pretium erit, non neſcire te, “ qui vir hic ſitus ſit: ejuſdem tecum Catholicae Eccleſiae membrum, “ ſub eadem felicis Reſurrectionis ſpe, eandem D. Jeſu praeſtolans Epiphaniam; ſacratiſſimus Antiſtes, LANCELOTUS ANDREWS, Londini “ oriundus, educatus Cantabrigiae, Aulae Pembrochianae Alumnorum,

---

[p] Filius Domini Edwardi Mountagu de Boughton in agro Northam. Ex praenobili familia natus, viz. a Patre ex Monteacutis, qui per multa ſecula Sariſburiae Comites extitere; et a Matre ex Harringtonis et Sidneiis. Educatus fuit in Collegio Chriſti apud Cantabr. et A. 1598 conſtitutus eſt primus Collegii Sidn. Suſſex. ibidem Magiſter.

[q] Hydropicus obiit Grenovici viceſimo Jul. ut quidam, decimo tertio Auguſti, ut alter, 1618. Anno aetatis 49.

“ Sociorum, Praefectorum unus, nemini ſecundus: Linguarum, Artium,
“ Scientiarum, Humanorum, Divinorum, Omnium infinitus Theſaurus,
“ Stupendum Oraculum: Orthodoxae Chriſti Eccleſiae, dictis, ſcriptis,
“ precibus, exemplo incomparabile propugnaculum: Reginae ELIZABETHAE
“ à ſacris, D. Pauli London. Reſidentiarius, D. Petri Weſtmonaſt.
“ Decanus: Epiſcopus Ciceſtrenſis, Elienſis, Wintonienſis, Regique JACOBO
“ tum ab Eleemoſynis, tum ab utriuſque Regni Conſiliis, Decanus
“ denique Sacelli Regii: Idem ex indefeſſa opera in ſtudiis, ſumma ſapientia
“ in rebus, aſſidua pietate in Deum, profuſa largitate in egenos,
“ rara amoenitate in ſuos, ſpectata probitate in omnes, aeternum admirandus.
“ Annorum pariter et publicae famae ſatur, ſed bonorum paſſim
“ omnium cum luctu denatus, coelebs hinc migravit ad aureolam coeleſtem,
“ anno Regis Caroli 2°. Aetatis LXXI°. Chriſti MDCXXVI°.

“ Tantum eſt (Lector) quod te ſcire moerentes poſteri nunc volebant,
“ atque ut ex voto tuo valeas, dicto ſit Deo gloria.”

LXX. RICHARDUS NEILE.

1627. CAR. I. 3. SUCCESSIT Richardus Neile à Dioeceſi Dunelmenſi huc tranſlatus et confirmatus ſeptimo Februarii 1627, eo tempore cum magna pars mortalium Calvini partibus nimium faveret, excitabatur Arminianiſmi, velut Spectri cujus forma per tenebras à vulgo non erat obſervata, formidoloſa quaedam expectatio et inanis horror, quaſi à praejudicatis Calvini dogmatibus in Pontificiorum errores tranſitus eſſet inevitabilis; et ita accidit ut noſter ille prae caeteris odio et invidia populari premeretur; ita ut inferior Parliamenti Domus, quae miram religionis reformatae curam prae ſe ferebat, et illius adeo praetextu etiam in Rep. res novas moliri coeperat, illum praecipue cenſura publica tanquam anathemate feriret. Verum ea res Regem vere Chriſtianum et dogmatum integerrimum et acerrimum judicem juxta ac defenſorem fortiſſimum, adeo non permovit, ut Epiſcopus noſter, iniquo popularium odio oppreſſus, teſtimonio et favore Regio cohoneſtatus ad Archiepiſcopatum Eboracenſem proveheretur decimo nono Martii 1631.

LXXI. GUALTERUS CURLE.

1632. CAR. I. 8. TRANSLATO Richardo, Gualterus Curle à Dioeceſi Bathonio-Wellenſi tranſlatus, confirmatus eſt decimo ſexto Novembris 1632. Natus apud Hatfield in comitatu Hertfor. Collegii D. Petri Cantabr. aliquando ſocius. Graſſante bello civili partium Regiarum adjutor operam ſtrenuam utilemque navavit in urbe Wintonienſi obſeſſus et oppugnatus; et cum Solennis Ligae et Foederis, ut dicitur, juramentum ſibi imperatum recuſaret, non reditibus ſolum Eccleſiaſticis, verum etiam patrimonio et haereditatibus privatis exutus et ſpoliatus ad villam

Subberton in agro Hantonienſi receſſit, ubi diem ſupremum obiit circiter 1650.

◆ ◆ ◆

LXXII. BRIANUS DUPPA.

1660. Car. 2. 12.

BRIANUS DUPPA Epiſcopus Sarisburienſis ad ſedem Wintonienſem, quae aduſque Carolum reſtauratum vacaverat, evocatur ſenex jam ſeptuagenarius. Natus apud Lewiſham [r] in agro Cantiano, ſcholae Weſtmonaſterienſis alumnus, ad aedem Chriſti Oxon. inde ad Collegium Omnium Animarum Socius aſcitus migravit. In regionibus exteris aliquamdiu commoratus, et Hiſpania Galliaque peragrata, cum in patriam rediiſſet ea apud Regem gratia valebat, ut ab eo Walliae Principi et Gloceſtriae Duci praeceptor conſtitutus, ad Aedis Chriſti Decanatum, inde ſucceſſive ad Dioeceſ. Ciceſtrenſem et Sarisburienſem promoveretur. Vir pietate et eruditione clarus poſt infandam Regis optimi caedem, cui merito erat percarus, ad Richmondiam in agro Surrienſi ſeceſſit, et ibi per otium haud ignobile foeliciora expectans tempora delituit. Fortunarum viciſſitudine foeliciori gaudebat à Carolo reſtaurato, in Epiſcopum Wintonienſem confirmatus Octobris quarto 1660 [s]. Per biennium illud quod ſolum vitae ſupererat, multa in uſus publicos erogabat, plura inſuper meditabatur; in Richmondia Ptochotrophium erexit et in dotationem perpetuam libras mille et quingentas legavit, ducentas in ſubſidium Ptochotrophii in Pembridge comitatu Hertford. et (ut caeteras omittam donationes privatas) Eccleſiae Sarisburienſi quingentas, Wintonienſi ducentas, Eccleſiae D. Pauli Lond. trecentas, et Ciceſtrenſi ducentas [t]. Obiit Richmondiae 26 Martii 1662, et in Eccleſia Weſtmonaſterienſi ſepultus jacet, ubi illius memoriae ſacrum extat marmor honorarium [u]. "Qualis vixerat, talis è vita migravit, omnibus nempe, quibus ullo modo innotuerat, non ſine obſervantia dilectiſſimus; qui morum candore plane niveo ſuſcipiendus, nullâ vitam ſacrumve munus maculâ deturpaverat [x]."

◆ ◆ ◆

LXXIII. GEORGIUS MORLEY.

1662. Car. 2. 14.

SUCCESSIT Georgius Morley Epiſcopus Wigornenſis, Londini natus, Aedis Chriſti Oxon. Alumnus, Canonicus, Decanus; anno 1644 colloquio Uxbridgienſi interfuit inter Theologos à Rege deputatos; 1648 beneficiis Eccleſiaſticis exutus, è tempeſtatibus aeſtuantis Reip. ad Hagam Comitum et inde Antwerpiam ſeceſſit, ibi circiter quadriennium commoratus. Aliquando tandem à Carolo reſtaurato ad Epiſcopatum Wigorniae evocatur, ad Winton. tranſlatus decimo quarto Maii 1662[y]. Diſputationi juſſu Regis cum Presbyterianae factionis principibus, in aedibus Sabaudianis inſtitutae, aderat; vir bono certe erga Eccleſiam animo, ſed uti à pleriſque exiſtimabatur, acri et praefervido ingenio, in oppugnando vel propugnando aliquantulum vehemens. Epiſcopatum Wintonienſe aedificiis novis, magno quidem ſumptu extructis, auxit et illuſtravit; Caſtellum Farnhamenſe, olim ab Henrico Bleſenſi anno 1137 aedificatum, et nuperrime, graſſante bello civili, diſtractum et fere dirutum reſurgere juſſit, ſplendore novo amplificatum, octo millibus librarum in id operis impenſis. Domum porro in Chelſey prope Londinum, quam hodie vocant Wintonienſem, pretio quatuor mille librarum emptam, in perpetuum Epiſcoporum uſum, ſpeciali ſenatus conſulto Dioeceſi ſuae adjungendam curavit. Ne verò Cleri uxorati viduae omni ſolatio et ſpe deſtituerentur, in uſum decem ex earum numero ſeligendarum Collegium in Coemeterio Cathedrali Winton. extruxit, et in ipſarum alimoniam ſtipendia inſuper adjecit. Poſtquam huic Dioeceſi 22 annos, et quod excurrit, praefuiſſet, obiit in arce Farnhamenſi viceſimo nono Octobris 1684, anno aetatis 87, in Eccleſia Wintonienſi ſepultus, ubi extat legendum quod ipſe ſenex octogenarius ſcripſit Epitaphium.

---

[r] Ita in teſtamento. [s] *Regiſtr. Juxon.* f. 163. [t] Teſtamentum fact. 4 Feb. 1661, probat 16 Maii 1662.

[u] M. S. Mortalitatis exuvias hic depoſuit Vir immortali memoriae ſacratus BRIANUS DUPPA, qui Grenovici natus An. Dom. 1588 exeunte, nempe die Martii 10. Scholae Regiae Weſtmon. primùm (ubi à *Lanceloto Andrews* tunc Decano Hebraica didicit) mox Aedis Chriſti apud *Oxonienſes* Alumnus, Magiſter Artium in Collegium Omn. Animarum cooptatus. Deinde Sanctae Theologiae Doctor et Capellanus Palatinus factus, Aedi Chriſti poſtliminio redditus eſt, cui praefuit Decanus per decennium. At virum tantum ſublimiores expectabant curae majora deſiderabant munia. Admotus Auguſtiſſimae ſpei Principi Tutor, exinde triplici Infula ornatus, totidem ipſe ornavit Eccleſias *Ciceſtrenſem*, *Sarisburienſem*, et demum reduce *Carolo Wintonienſem*, quo nomine et auratae Periſcelidis Antiſtes audiit 74 aetatis annum ingreſſus, An. Dom. 1662 jam ineunte, nimirum Martis die 26, *Richmondiae* ubi erudiendo Principi operam antea navaverat, ubi calamitoſis temporibus bene latuerat, ubi et Hoſpitium inſigne ex voto extruxerat, inter ipſos pene Pupilli Regii amplexus piam animam efflavit. [x] *Athen. Oxon.* par. 2. Col. 177.

« In ſpe Reſurrectionis ad Vitam Aeternam Georgius Epiſcopus Win-
« tonienſis hic jacet, qui poſtquam pro Rege et Martyre Carolo primo,
« et cum Rege et Exile Carolo ſecundo, exilium in partibus transmari-
« nis hic, illic, duodecim plus minus annorum exegiſſet, redux cum Rege
« tandem in Patriam ſuam, Munificentia magis Regia, quàm illo ſui ip-
« ſius (tam in ſublimibus in Eccleſia gradibus) patri merito primùm ex
« uno Canonicorum, Eccleſiae Chriſti Oxonienſis factus eſt Decanus;
« brevique poſtea in Eccleſiae Vigornienſis Praeſulatum eſt evectus;
« tandemque (ſic volente Deo et Rege) in hujus inclytae Wintonienſis
« Eccleſiae Epiſcopatum eſt Tranſlatus: et jam pluſquam octogenarius,
« hoc ſibi Epitaphium ſcripſit, et huic ſui depoſito apponi juſſit. Obiit
« verò Anno Domini MDCLXXXIV. Menſis Octobris die XXIX°, An-
« no aetatis ſuae LXXXVII°; poſtquam in hac Epiſcopali Cathedra ſe-
« derat annos XXII, menſes quinque.

* * *

LXXIV. PETRUS MEWS.

1684. Car. 2. 36. SUCCESSIT Petrus Mews L. L. D. natu Dorſetenſis[z], Collegii D. Joannis Baptiſtae Oxon. et Socius et Praeſes, Eccleſiae Windeſor. Canonicus, deinde Epiſcopus Bathonio-Wellenſis, et inde ad Eccleſiam Wintonienſem tranſlatus ſecundo Novembris 1684[a]. Ardente bello civili

---

[y] *Regiſtr. Juxon.* f. 283.

[z] In parochia de Purſcandle 25 Martii 1618. Elizei filius.

[a] *Regiſtr. Sander.* f. 103.

Regiis in caſtris ſtipendia meruerat honeſti nominis miles impiger. Poſt Caroli nefandum excidium, filium comitatus in Belgiam tranſiit fortunarum adverſarum ſocius, proſperarum modo futurus particeps. Obiit nono Novembris 1706 aetatis 89, et in Eccleſia ſua Cathedrali jacet tumulatus.

◆◆◆

LXXV. JONATHAN TRELAWNEY.

HUIC ſucceſſit Jonathan Trelawney Baronettus, Cornubienſis natu et Aedis Chriſti Oxon. Alumnus. Anno 1688, Epiſcopus tum Briſtolienſis, iniquo Regis Jacobi edicto adverſari auſus, cum Archiepiſcopo una et quinque fratribus in arcem Londinenſem cuſtodiendus demandatur, deinde in publicum judicium productus et abſolutus cum univerſo populi plauſu ad ſuos rediit: Inde ad Dioeceſin Exonienſem tranſlatus, et inde demum ad Wintonienſem, confirmatus decimo quarto Januarii 1707. Obiit undeviceſimo Julii 1721, et in Eccleſia parochiali de Plint in agro Cornub. ſepultus jacet. 1707. ANNAE 6.

◆◆◆

LXXVI. CAROLUS TRIMNELL.

CAROLUS TRIMNELL S.T.P. Collegii Novi Oxon. aliquando Socius, ad Dioeceſin Norwicenſem promotus 1707, huc tranſlatus eſt 19 Auguſti 1721. Biennio decurſu magnum ſui deſiderium reliquit, decedens anno aetatis 59, in Eccleſia ſua cathedrali ſepultus. 1721. GEO. I. 8.

* * *

LXXVII. RICHARDUS WILLIS.

MORTUO humaniſſimi ingenii viro, Richardus Willis, Collegii Omnium Animarum non ita pridem Socius, à Rege Gulielmo praecipue ea de cauſa aſcitus qui in caſtris militaribus ſibi à ſacris adeſſet, quod ſingulari quadam facultate extempore concionandi, vel conciones memoriter recitandi polleret. Ut ut verò illud fuerit, ad honores Eccleſiaſticos altius indies aſſurrexit, Epiſcopus Gloceſtrenſis conſecratus decimo ſexto Januarii 1714, ad Eccleſiam Sariſburienſem tranſlatus 1721, inde ad Wintonienſem 1723, confirmatus viceſimo primo Septembris. Ibi per undecim annos commoratus, obiit menſe Auguſti 1734, et in Eccleſia ſua Wintonienſi ſepultus jacet, ubi effigies marmorea ſtatuitur, et Elogium magnificum ſubſcriptum extat. 1723. GEO. I. 10.

LXXVIII. BENJAMIN HOADLY.

1734. Geo. 2. 8. SUCCESSIT Benjamin Hoadly Aulae B. Catharinae Cantab. aliquando Socius; 1715 Epiſcopus fit Bangorenſis, 1721 Herefordenſis, 1723 Sarisburienſis, et demum huc tranſlatus viceſimo ſexto Septembris 1734.


HONI SOIT QVI MALY PENSE

p. 249.



De EPISCOPIS ELIENSIBUS[a].

ANNAE (orientalium Anglorum Regis) filia Etheldreda (cujus nomini Eccleſia Cathedralis Elienſis dedicata eſt) duos habuit maritos, Tumbertum Orientalium [b] Anglorum Principem (qui illi in dotem inſulam contulit Elienſem) ac eo poſt tres conjugii annos defuncto, Egfridum Northumbriae Regem, cum quo concorditer vixit annos duodecim. Tandem tamen commeatu ab illo impetrato, mundique vanitatibus longum valere juſſis, quo ſic viveret uti Deo placituram ſperaret, in inſulam ſuam Elienſem reverſa eſt, ibique monaſterio ſeſe abdidit [c]. Ethelbertus Cantiae Rex ibi loci Eccleſiam [d] condiderat, ex Auguſtini conſilio ante annos tum 70, anno videlicet Chriſti 607. Hanc, cum non reficeretur, jam tum fatiſcentem [e] et ruinae proximam, reparavit illa, et auxit anno 677. (Wilfrido quidem conſulente Archiepiſcopo Eboracenſi, ſed pecunias conferente Aldulpho mulieris fratre, Orientalium Anglorum Rege) et in monialium [f] coenobium convertit, quarum ſeipſam conſtituit Abbatiſſam. Poſt eam Sexburga ſoror ejus, uxor Ercomberti Cantiorum Regis in eodem loco Abbatiſſa conſenuit. Illi ſucceſſit Ermenilda filia quae fuerat uxor Wulferii Regis Merciorum; et hinc deinde aliae atque aliae, per ducentorum annorum ſpacium, donec per Danos Inguarem et Hubbam, Chriſtianae Religionis hoſtes acerrimos, monialibus fugatis, ipſum monaſterium everſum eſt. Locum tandem per multos annos deſertum, octo ſacerdotes occuparunt, quos [g] Ethelwoldus Wintonienſis Epiſcopus per vim ejecit (uti antea diximus [h]) una cum conjugibus liberiſque. Is totam inſulam ab Edgaro Rege parva pecunia coëmit, et Abbate monachiſque ibi collocatis, multa impetravit privilegia. Abbatum primus conſtitutus eſt Brithnodus [i] Praepoſitus Wintonienſis anno 970, qui necatus dicitur ab Elſticha [k] Edilredi Regis uxore ſubulis ſub alis perfoſſus, quod [hanc Dianam] tanquam Actaeon [alter] magicis artibus in nemore quodam incumbentem conſpexiſſet. Secundo loco Abbas fuit Elſſius; tum Leoſinus [l], poſt illum Leofricus [m], ac deinde Leoſſinus alter. Hic Rege annuente villas monaſterii elocavit, ea inita ratione, ut ii quibus eae eſſent elocatae, monaſterio de commeatu per totum annum proſpicerent. Shalford [n] videlicet pro duabus hebdomadis, Stapleford pro una, Littleburia pro duabus, Triplaw pro duabus, Hawſton pro una, Newton pro una, Melburn pro duabus, Grantſden pro duabus, Toften pro una, Cotnam pro una, Wellingham pro una, Ditton pro duabus, Horningſey pro duabus, Stenchworth pro duabus, Balſam pro duabus, Cathenho pro quatuor diebus, pro tribus vero diebus Swanſham, Spaldwich pro duabus hebdomadis, Somerſam pro duabus, Blunſham pro una, Colne pro una, Horthirſt pro una, Drinkſton pro una, Ratſden pro duabus, Hackham pro duabus, Berking pro duabus, Needing pro una, Wederingſeat pro una, Bickham pro duabus, Pulham pro duabus, Thorp pro duabus, Dirham pro duabus, Norwald pro duabus, et denique Feltwell pro duabus. Merhamenſibus injunctum ut ad Eccleſiam [o] quandam in Norfolcia pecuniam aliaque neceſſaria deferrent, unde commeantes ad monaſterium, vel inde proficiſcentes, hoſpitio commodo poſſent excipi. Wilfricus Abbas [p] ſextus emit mannerium de Bereham pro 25 marcis aureis. Thurſtani Abbatis ſeptimi tempore, Saxonum nobilium quamplures inſulam munierunt contra Regem Gulielmum, qui tum nuper Angliam ſubegerat. Ille igitur, Walteri Herefordenſis atque aliorum conſilio, omnes fructus praediorum ad Eccleſiam Elienſem ſpectantium quae extra inſulam ſita eſſent, militibus ſuis conceſſit. Saxones vero, poſtquam ſeptem totos annos inſulam propugnaſſent, partim ſe dediderunt, partim vero fuga ſibi conſuluerunt; tumque locus in poteſtatem ceſſit Regis victoris. *Delirant Reges, plectuntur Achivi.* Miſeros monachos, nobilium iſtorum culpam luere oportet. Ut praediis ſuis, et antiquis privilegiis reſtituantur, dant Regi numeratis pecuniis mille marcas. Ut pecuniam conficiant, quicquid haberent argenti, ſive caelati, ſive alias ad ornamenta Eccleſiae ſpectantis, divendunt. Rex porro metuens ne in tam munito loco ſimile ſibi periculum crearetur poſthac, praeſidium ibi reliquit quadraginta militum ab iis alendum, qui inde non receſſerunt, donec ab ipſo poſt quinquennium, ut alibi rem gererent avocarentur[q]. Abbas octavus fuit Theodwinus, Godfridus nonus, Simon vero decimus. Richardus[r] filius Comitis Gilberti tum undecimo loco Abbas creatus eſt.

---

[a] Guido Folla vel Follae Epiſcopus Elienſis, ut ſcribit *Pitſeus* in illius vita p. 850. Nomen verò in hoc Catalogo non occurrit.

[b] Girviorum. *MS. Wren.*

[c] E Malmeſburienſi in libro de geſtis Pontificum L. 4. p. 167 &c. tota haec deſumitur narratio.

[d] Eccleſia illa in loco cui nomen Cratilli vallis poſita eſt, ut habet *Lelandus* in Collecta. T. 4. in vita Richardi Anguillaviani ſive Elignenſis.

[e] Imò, vaſtatam et in ſolitudine relictam à Penda Merciorum Rege. A. 654 aut circiter. *MS. Wren.*

[f] Monaſterium utriuſque ſexus ſimul inſtituit, quod in pluribus Anglorum Eccleſiis factum fuit. Lib. Elienſ. *MS. Wren.*

---

[g] Non ipſos, ſed eorum ſucceſſores; elapſi enim interea ſunt centum anni.

[h] Inter Winton. p. 210.

[i] Ille Eccleſiam per Danos dirutam reaedificavit. *Lib. Elienſ.*

[k] Vel AESHIHA Regina, vel ELSBRITHA. *MS. Gale.*

[l] Oskitellus, alio nomine Leoſwinus. *Lib. Elienſ.*

[m] Leoſwinus Abbas erat tertius et Leofricus quartus qui Monaſterii formas ita ordinavit. *MS. Barl.*

[n] Hiſce temporibus hoc modo ſcribuntur, SHELFORD, STAPLEFORD, LITTLEBURY, TRIPLOW, HAWXSTON, NEWTON, MELBORNE, GRANDSDEN, TOFTE, COTTENHAM, WILLINGHAM, DITTON, HORNINGSEY, STECHWORTH, BALSHAM, ———, SWAFFHAM, SPALDWICK, SOMERSHAM, BLUNTSHAM, COLNE, HORSHEATH, DRINKSTON, RATTLESDEN, ———, BARKINGS, ———, ———, BICKHAM, PULHAM, THORP, DEREHAM, NORWOLD, FELTWELL.

[o] Ut adveherent firmam de Norfok, et hoſpitio exciperent ingredientes atque egredientes de Monaſterio Elienſi. *Lib. Elienſ.*

[p] Sed alia ſex maneria dolo malo alienavit, et moerore ſtatim poſt moritur. *Lib. Elienſ.*

◆ ◆ ◆

I. HERVAEUS.

AD id opulentiae monaſterium Elienſe jam creverat, ut perciperet annuatim mille et quadragintas libras, quae tunc temporis, ſive auri, ſive argenti pondere (auſim dicere) libras pecuniae noſtrae modernas quaternas millenas ſuperabant. Ex illis mille et quadragentis, trecentas libras monachis dabat Richardus, reliqua ſervabat ſibi[s]. Iſte igitur, pro generis claritudine opumque affluentia animos attollens, Epiſcopo Lincolnienſi (in cujus dioeceſi Elienſis inſula ſita erat) ſubeſſe[t] dedignari coepit, et ex Abbate Epiſcopus fieri cupiens, hos ambitioni ſuae praetextus obtendit: Dioeceſim Lincolnienſem magnitudine ſua laborare, neque ad tam amplae regionis gubernationem unum quempiam ſufficere. Minuendam igitur et in plures diſtribuendam, ſi forte Eccleſiae poſſint reperiri novis ſedibus idoneae. De Elienſi non ambigendum, quae cum ſtructurae magnificentia noſtratium paucis cedat, Abbati reddat annuatim quantum ſuis Epiſcopis binae ternaeve ſedium Anglicanorum nonnullae. His rationibus additis muneribus, facile permotus eſt Rex, ut non ſolum mutationi hujuſmodi conſentiret, ſed Papam etiam rogaret uti ſuo calculo eam vellet ratam habere[u]. Res jam erat confecta, neque tamen Richardus[x] voti compos factus eſt. Cum jam jam eſſet conſecrandus, morte intempeſtiva ſublatus interiit. Epiſcopus Lincolnienſis interea, huic novo hoſpiti adlatrabat, donec oſſa objecta bene opima conticuit. Ad reſarciendum damnum ſibi inferendum, Rex de alieno corio ludens, largitus eſt illi et ſucceſſoribus tria manneria, ad Eccleſiam Elienſem hucuſque ſpectantia, nimirum Spaldwich[y], Bicclesworth et Bokden. Ad haec, ut amiſſis hiis manneriis Epiſcopales redditus, illis Abbatum ſuperiorum nihilo eſſent exiliores, haec ratio excogitata eſt: Monachorum numerum (qui hactenus quadragenarius fuerat) redegerunt ad tricenarium. Sed Richardo (ut diximus) defuncto, Henricus Rex monachis conſentientibus Hervaeum quendam dedit Epiſcopum, qui Bangorenſi nuper ſedi praefuerat[z], ſed quando illi cum Wallis haud bene conveniret[a] in Angliam novas ſedes quaeſitum venerat. Tranſlatus eſt anno 1109[b], ſedit annos 22, et triceſimo Auguſti 1131[c] migravit ab hac luce. 1109. HEN. I. 10.

---

[q] Abbas quidem factus hic à Rege, ſed benedictionem nunquam habuit; Godfridus verò ab ipſo ibi relictus res adminiſtrabat, ac ſi Abbas fuiſſet. *Lib. Elienſ.* Subſcripſit in Concilio Londinenſi anno 1075. *Concil. Angl* T. 1. p. 364. Edit. Lond. 1737.

[r] Eccleſiam de novo aedificavit. Et ab Abbatia depoſitus eſt A. 1103.

[s] Diviſio inter Monachos et Epiſcopum facta eſt per Hervaeum. *MS. Wren.* Et locum de Chatteris Eccleſiae ſuae in perpetuam poſſeſſionem adjecit *Lib. Elienſ.*

[t] Nunquam ſuberat, ſed ſui juris ſemper erat.

[u] *Petr. Bleſenſ.* ad Hiſt. Ingulph. p. 117.

[x] Quid Richardus Abbas Romae coram Papa pro Rege egerit, conſule *Dicet. Abbreviat.* ad A. 1103.

[y] Liber niger Elienſis ſolummodo nominat Spaldwick, et alius magnus liber Elienſ. et tertius adhuc antiquior. *MS. Baker.* Ita etiam *Richardus Elienſis* in Angl. Sacr. V. 1. p. 616.

[z] Quantopere eum Walli perſequebantur, et cur dein ut à Rege Monachiſque acceptus, atque Epiſcopus tandem factus, prolixè exponitur in nigro libello Conſiſtorii Elienſis. *MS. Wren.*

[a] *Malmeſb. de Pont.* L. 4. f. 167. b.

[b] Anno ab incarnatione Domini 1109, conſilio Anſelmi et auctoritate Urbani ſecundi, Monaſterium Elyenſe mutavit Henricus Rex in Epiſcopatum, et praefecit ei Hervaeum Bangor. Epiſcopum. Manerium de Spaldwic Roberto Bloet datum eſt, nequid detrimenti pateretur Epiſcopatus Lincoln. Hervaeus vir erat religioſus, ei Rex commiſit curam animae ſuae: Eccleſiam Elienſem plurimum adaugere curavit. *MS. Gale.* Anno 1109 hoc contigiſſe aſſerit et *Sim. Dunelm.* et *Hoved.* L. 1. f. 270. b. nec non *Flor. Wigorn.* Annum 1108, Paſchalis Papae A. 10. poſuit *Lib. Elienſ.* Hervaeus Epiſcopus adhuc Bangorenſis adfuit conſecrationi Thomae Archiepiſcopi Eborac. 5 Kal. Jul. 1109. *Pariſ.* p. 53. Paulo poſtea verò ad Epiſcopatum Elienſ. tranſlatum eſſe non incongruum eſt arbitrari.

[c] Obiit 3 Kal. Sept. 1131, et poſtridie ſepultus eſt in Eccleſia Elienſi. Ex *Archiv. Eccleſ.* Ita etiam *Florentii Continuator.*

II. NIGELLUS.

1133. Hen. I. 34. POST mortem Hervaei vacavit Epiſcopatus per biennium: Maii deinde viceſimo octavo 1131[d] Nigellus, Rogeri Sarisburienſis Epiſcopi nepos, in hac ſede dicitur collocatus[e]. In civitatem ſuam Elienſem magno cum gaudio exceptus eſt. Obviam itum eſt illi ab omni clero cum proceſſione, et in omnibus vicis qua erat tranſiturus, domus viſebantur aulaeis ac tapetibus coopertae. Propterea quod illius opera ac conſilio Principes uterentur plurimum [(et praecipue poſtquam Angliae Theſaurarius conſtitutus eſt)] munia paſtoralia pro officio ipſe nequivit obire; eamque ob cauſam Epiſcopatus omnem adminiſtrationem alteri commiſit, videlicet Ranulpho cuidam, monacho quandoque Glaſtonienſi (ſed qui cucullum abjecerat) homini avaro, et nequam. Nigellus vero pro eximia fidelitate erga patronum Henricum primum et poſteros ejus, magnopere ſuoque merito laudatur. Cum Stephanus Bleſenſis Comes, contra juramentum Henrico Regi praeſtitum, regnum Matildi debitum (Henrici filiae) occupaſſet, induci nunquam potuit ut illam deſereret[f]; et quod illius partibus ſemper adhaereret, à Stephanianis multa paſſus eſt[g]. Qua de re vide plura in Rogero Sarisburienſi. Sed tempora tandem affulſerunt illi laetiora, Henrico Matildis filio ad regnum evecto. Unde facultatem nactus eſt, Canonibus regularibus Hoſpitale ſtatuendi ubi loci nunc ſitum eſt Collegium D. Joannis Cantabrigiae, cujus fundatio bis[h] mutata eſt; primum per Hugonem Norwold, iſtius Nigelli poſt centum annos ſucceſſorem, qui ſtudioſos aliquot ibi collocavit ut una cum Canonicis degerent, praediis aſſignatis quibus alerentur; ac * deinde per Margaretam Richmondiae Comitiſſam Henrici ſeptimi matrem, quae partim ipſa adhuc ſuperſtes, partim per teſtamenti executores, conſtruxit de novo et ampliſſime dotavit, quod jam propter alumnorum multitudinem ſtructuraeque recens amplificatae magnificentiam, inter primaria Cantabrigiae Collegia merito recenſetur[i]. Praefuit Nigellus huic ſedi annos 36, et mortem obiit viceſimo nono Maii[k] 1169[l]. Per triennium antequam moreretur, cum paralyſi conflictatus, et grabato perpetuo affixus, nuſquam niſi famulis bajulantibus proceſſit. Sepultus dicitur ante altare ſanctae Crucis, quod ubi loci ſitum fuerit me latet. De illo vide plura apud Richardum Londinenſem Epiſcopum, qui filius ejus perhibetur.

---

[d] Nominatus eſt apud Burian 28 Maii, et conſecratus à Willelmo Archiep. Cantuariae apud Lametham 1 Octobris. *Rich. Elienſ.* p. 619. Nominatus circa Feſtum Pentecoſtes. *Hunt.* L. 7. f. 220. b. Conſecratus A. 1133. *Chron. Mailr.*

[e] Summus fuit Angliae Theſaurarius tempore H. 2. *MS. Lowth.* è Chron. Elienſ. et *MS. Reg. Cant.* A°. 25 H. 2. *MS. Gale.*

[f] Aliter de eo refertur à *Joan. Hagulſtal.* ad A. 1138 et 1139.

[g] Ejectus eſt de Epiſcopatu à Rege Stephano ad natale A. Regni quinto, ſcil. A. 1139. *Hoved.* L. 1. f. 278. et *Hunting.* L. 8. f. 223. b. idem aſſerit.

[h] Ter.

* Deinde per Hugonem de Balſham, qui ſtudioſos (cum praediis) tranſtulit ad Domum S. Petri; tertiò per Margaretam.

[i] *Neve librorum copia ſtudioſis deeſſet, Nigellus Elienſibus ſuis contulit Eccleſiam de Wytleſey et Ympetone, et duas partes decimae dominii de Pampeſworth, et duos ſolidos et duos denarios in Huntyngdone et unam manſam in Ely,* ad libros faciendos, *viz. ad codices deſcribendos.* Wharton. p. 619.

[k] Rev. W. Fleetwood non ita pridem hujus Eccleſ. Epiſcopus è MS. Elienſi (an verò Liber ſit Elienſis antea laudatus me latet) aſſerit Nigellum obiiſſe 3 Kal. Junii A. 1169, ſexta feria, hora nona, et Epiſcopatus ejus 36: Et die dominico poſt ſepultum eſſe in Eccleſ. beatae Etheldredae juxta altare S. Crucis. Deceſſit Nigellus A. 1174. Epiſcopatus ſui 36. *Lib. Elienſ.* ſeu Chronicon Abbatum et Epiſcoporum Ely per Aug. Baker Benedictinum. *MS. Barlow.*

[l] *Hoved.* f. 295.

III. GALFRIDUS RYDALL[m].

PER totum quinquennium ſedes tum vacavit[n]. Octobris vero ſexto 1174. 1174 Galfridus Ridall Archidiaconus Cantuarienſis ad eam conſecratus eſt. Hen. 2. 20 Homo arrogantis ingenii et parum comis, unde SUPERBI agnomen meritus. Magnam impendit pecuniam in ſtructura occidentalis partis Eccleſiae ſuae et campanile utrunque fere uſque ad pinnas à fundamentis excitavit[o]. Inteſtatus deceſſit Wintoniae[p] viceſimo primo Auguſti 1189, quatriduum antequam Richardus primus coronatus eſt, relictis in loculis 3060[q] marcis argenteis, et aureis inſuper 205, quam omnem pecuniam Rex abſtulit, ad coronationis ſumptus perferendos. Sedit annos quatuordecim, menſes decem, ac dies quindecim.

IV. GULIELMUS LONGCHAMP.

ULTIMO die Decembris anni praedicti, Gulielmus de Longo-campo 1189. Angliae Cancellarius[r], in Epiſcopum Elienſem conſecratus eſt[s]. Ric. 1. 1. Qui apud Richardum Regem magna gratia ac authoritate praepotens, propter plurimas animi virtutes hac potentia videri poterat non indignus, niſi virtutibus vitia et plura et majora praeponderaſſent. Quando inclytus ille Rex ad Terrae Sanctae expugnationem profectus eſt, conſtituit illum (antea Cancellarium) meridionalis partis Angliae ſummum Juſticiarium, nec non regni ſe abſente Protectorem[t]. Et ne quicquam illi authoritatis deeſſe videretur, à Rege rogatus Papa, Legatum ſuum illum deſignavit[u]; ſed non antequam ipſi mille eam ob rem numeraſſet libras. Verum eſt quod dici ſolet, magiſtratus indicat virum. Is qui ante fortunam omnibus viſus eſt magna non ſolum prudentia, ſed humilitate etiam praeditus; ad hoc potentiae et authoritatis evectus, multa protinus coepit agere, non inſcite ſolum et imprudenter, ſed arroganter etiam et proterve; atque ita, ut ſimul imperitiam proderet et rerum gerendarum inſcitiam, atque animum tam crudelitate et avaritia inquinatum, quam ſuperbia et elatione turgentem. Id quod vitio illi vertunt praecipue Monachi hiſtoriarum ſcriptores, (per Legatinam poteſtatem convocata Londini ſynodo; ad petitionem Hugonis Coventrenſis Epiſcopi, Eccleſiâ illâ Monachos pepuliſſe, et ſeculares clericos ibidem collocaſſe) mihi non ſolum non diſplicet, verumetiam ſuſpicionem affert, hominem de republica non male meritum, ab infenſis illis, plurimis calumniis oneratum, multis criminibus ingeſtis, quae aut à veritate fuerunt aliena, aut recte poterant excuſari. Certe Petrus Bleſenſis in epiſtola[x] ad Hugonem Epiſcopum antedictum perſcripta, ubi hominem increpat tanquam huic Epiſcopo parum aequum, ne dicam invidum et malevolentem, *Epiſcopum* appellat *dilectum Deo et hominibus*, ac laudem illi tribuit *viri ſapientis, amabilis, generoſi, benigni et mitis, et in omnes liberalitates effuſi*, &c.

---

[m] Varia de hoc Epiſcopo videre eſt è Jornalenſi in vita Henrici ſecundi.

[n] Electus eſt Galfridus Anno 1173, et inthronizatus eſt 17 Maii die Aſcenſionis Domini, antequam adhuc conſecratus fuerat; *Dicet. Ymagi.* Sic etiam *Liber Elienſ. Baker*, cùm in communi audientia purgaſſet ſuam innocentiam, quod mortem Thomae (Becket) Archiepiſcopi Cantuarienſis neque verbo, neque facto, neque ſcripto ſcienter procuravit; in die Aſcenſionis in Eccleſia ſua ſolenniter inthronizatus. Conſecratus erat à Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi prid. Non. Octobris 1174. *MS. Barlow.*

[o] Juſticiarius Angliae conſtitutus eſt à Richardo Rege A. 1189. *Hoved.* L. 2. f. 337.

[p] *Hoved.* L. 2. f. 273. b. et *Weſtmon.*

[q] 3200 marcis. *Gervaſ. Vit. Archiep.*

[r] Avus ejus ſervilis fuit conditionis in pago Beluacenſi, qui aratrum ducere et boves caſtigare conſueverat. *Bromton. Chron.* Col. 1228. Cancellarius fuit Angliae 18 Sept. 1189. *Hoved.* par. 2. f. 375. b

[s] Electus apud Pipewell Sept. 15. 1189. *Diceto Ymagin.* Conſecratus Lamethae Dec. 31. una cum Richardo Lond. *Id.* et *Monach. Elienſ.* nec non *Lib. Elienſ. Baker.* et *Weſtm. Liber* alter *Elienſis* ait vacaſſe Epiſcopatum per Annum, et Gulielmum ſucceſſiſſe A. 1190. perperam verò; Decimo enim octavo Kal. Oct. 1189, ſcribitur Willelmus Elienſis electus, in quadam Charta Regia; et in alia, Dat. per manus Will. de longo campo Elienſis electi et Cancellarii noſtri, ait Rex Dec. 4. A. Regni noſtri primo. *MS. Wren.* Die inthronizationis, viz. 6 Januarii ejuſdem anni, cùm intellexit ſepulchrum praedeceſſoris violatum fuiſſe, annulo aureo oblato, aſcendit pulpitum cum aliis Epiſcopis, et excommunicantur tam facientes, tam conſentientes. *Hiſtor. Elienſ.* A. S. V. 1. p. 633.

[t] A. 1190. *Hoved. Weſtmon.* et *Bromt.* in Chronico, Coll. 1222.

[u] Bulla data Jun. 5. 1190. *Dicet. Ymag.* tam Angliae quam Scotiae *Hoved.* L. 2. 378. b.

Sed accuſatores iſtos audiamus: Quos miniſtros Rex ipſe diſcedens certis muneribus deputarat, hos (inquiunt) ille loco movit, alioſque pro libitu ſubſtituit. Galfridum Eboracenſem Archiepiſcopum et Regis fratrem naturalem, quo primum tempore conſecratus in Anglia appulit, captum, ac ab ipſo altari Eccleſiae S. Martini Doveriae pertractum, detruſit in carcerem. Joannem Regis fratrem legitimum (qui poſtea etiam ipſe Rex fuit) multis affecit contumeliis[y], Plebem intolerandis oneribus gravavit, ſolitus iter facere non ſine mille et quingentis jumentis, et in coenobio aliquo hoſpitari, ubi ſumptu ingenti Monachorum oportuit illum excipi. Imo in toto Regno non fuit Eccleſia aliqua vel Cathedralis, vel Conventualis cui non fuerit aliquo modo oneroſus. Sed quid loquimur Eccleſias? Opes univerſi regni ipſe et miniſtri ſui tanquam vorago inexplebilis abſorpſerunt. Sic Matthaeus Pariſ. E plebe vix cuiquam balteus argenteus eſt relictus, mulieri monile aut armillae, aut nobili annulus in digito geſtandus[z]. Cancellarius autem villas et praedia paſſim coëmit, et Abbatias ac Sacerdotia pro libitu diſpoſuit, unde famulos et propinquos ſuos ingentibus divitiis cumulavit. Inter caeteras ejus ineptias, conatum ferunt Turrim[a] Londinenſem ingenti ſumptu, ſed irrito labore aqua è Thameſi deducta circumfundere[b]. Haec et alia hujuſmodi in circulis paſſim jactata, vera fuerint ſive falſa, magnam certe invidiam ipſi apud plebem creaverunt. Cujus rei ille non ignarus, optimatibus convocatis, coram illis objectorum criminum pleraque ſic diluit. Miniſtros à Rege conſtitutos ideo dixit loco moviſſe, quod conqueri populares paſſim animadvertiſſet, pro uno Rege, jam multos tyrannos cervicibus ſuis graves imminere. Alios quidem impoſuiſſe ſeſe, ſed qui ex ipſo toti penderent, ut quamvis illi rem gerere viderentur, ipſe tamen revera omnia ſolus adminiſtraret. Ad comitem Joannem quod attinet; res novas molitum, ne ipſe quidem poterat inficiari. Quod etſi non feciſſet, illius tamen omnia conſilia ſuſpecta merito habenda, ne ſi forte Regi aliquid humanitus contigiſſet, Regnum ſibi conaretur aſſerere, Arthuro fratri ejus natu majori quanquam in Britannia abſenti, ſuperſtiti tamen debitum. Archiepiſcopo Eboracenſi ipſum Regem interminatum, ne ante tres annos exactos in Anglia pedem poneret; idque Regi ab Archiepiſcopo promiſſum, imo et juramento confirmatum. Se nihilo ſecius de capiendo illo ne quicquam mandaſſe, jurejurando fidem facere paratum[c], quod etiam poſtea ab illo praeſtitum. Tributa exacta, magna quidem illa eſſe, ſed qualia tam magnum bellum merito poſtulet. Neque vero vel ea in re, vel alia ulla, quae paulo majoris eſſet momenti, aliquid ipſum moviſſe, ſine juſſu et authoritate Regia. Haec illius apologia invidorum ora (ne dicam calumniatorum) ita non obturavit, quin quaerelae paſſim innumerae ad Regem adverſus illum deferrentur. Quapropter, quo populum continuis exactionibus gravatum aliquatenus Rex placaret, in ordinem hunc cenſuit redigendum. Cumque haud commode cecidiſſe videret, quod tantam uni poteſtatem detulerit; exauthorato ſucceſſorem dat Gulielmum Archiepiſcopum Rothomagenſem[d], ſed collegis etiam aliquot adjunctis. Ad haec nunciata, inimici ejus in immenſum gaudium elati; et tempus ſe jam nactos opportunum rati, vindicta animum explendi; ſynodum Londini curant convocandam, et ibi Elienſem modo regni protectorem excommunicandum, propter vim Archiepiſcopo Eboracenſi illatam, illis porro omnibus eodem anathemate percuſſis, qui hujuſmodi facinoris fuiſſent, ſive authores, ſive quoquo modo adjutores. Haec illi quamprimum innotuiſſent, graviora veritus, de profugiendo coepit illico cogitare: Verum non ignarus quanto cum periculo iter eſſet facturus, ſi de conſilio ejus inimici aliquid inaudiviſſent; ad dolos converſus, faeminino habitu mulierem mentitus, ad mare ſe contulit;[e] ubi cum navem conſcenſurus ſederet in littore, ulnam dextra tenens, in ſiniſtro cubitu telam portans; nauta neſcio quis libidinoſus ſcortum ſe nactum arbitratus, impudentius ei coepit alludere. Cui cum nihil poſſet reſpondere, quod Anglicanae linguae omnino eſſet ignarus; aliunde etiam, neſcio qua ſumpta conjectura, ſuſpicari ſubiit (id quod res erat) in muliebri habitu virum latere. Quapropter vocatis aliquot foeminis, author illis eſt, ut peplum quo os homini fuit obductum vi eriperent. Tumque loqui coactum, ex maſcula voce vultuque virili (tametſi barbam raſiſſet) ementitum ſexum agnoſcentes, ſublato clamore, magnus hominum fit concurſus, inter quos agnitus, pro odio quo plebs illum proſequuta eſt immenſo, parum abfuit quin diſcerperetur. Certe humi dejectus, multis affectus verberibus, conſputus et omni verborum opprobrio exagitatus, à magiſtratu Doveriano (Doveriam enim navem conſcenſurus fuerat profectus) è furentium manibus aegre ereptus, in carcerem compingitur, famulis ſuis ut ab illis etiam ipſum liberarent fruſtra ſatagentibus.

---

[x] Epiſt. 89.

[y] *Hoved.* L. 2. f. 387. b.

[z] *Hoved.* L. 2. f. 399. b. ex epiſtola Hugonis Epiſcopi Coventrenſis.

[a] Muro etiam mirabili circumivit. *Florent.*

[b] *Weſtm.* A. 1190.

[c] *Hoved.* L. 2. f. 378. b.

Operae praetium jam eſt videre, quomodo ille qui ante paucos menſes tanquam ſemi-deus neſcio quis ab omnibus colebatur, et à procerum filiis ac nobiliſſimis quibuſque ſtipatus incedebat, qui neptibus ejus et ſanguine propinquis matrimonio jungi pro magna foelicitate ducebant; ut, quid dico gratiam iniiſſe apud eum? janitoribus ejus aut miniſtris innotuiſſe pro re non parva aeſtimatum fuerit; Hic (inquam) ſic dejectus, neminem habuit, qui vel verbis eum tueretur, aut ejus gratia vel digitum moveret, quo à praeſentibus aerumnis eripi poſſet, aut liberari. Ioannes Comes (cujus conatibus ſceleratis viriliter reſtiterat) neſcio quid atrocius in illum moliebatur: Neque ſane quiſquam erat potentiorem qui ipſius gratia multum obniteretur. Praeſulum plerique (quorum etiam non pauci animo erga illum alieno extiterunt) ordinis Epiſcopalis reverentia ducti, adlaborare non deſtiterunt, donec cuſtodia liberum curaſſent emitti. Qui his aerumnis eluctatus et ſui juris factus, in Normanniam (ubi natus eſt) mox trajecit, ibique donec Rex reverteretur, conſedit[f]. Innocentiae hominis argumentum eſt profecto non leve, quod Rex (quem peccata ejus non poterant latere) familiaritate ejus et conſilio reverſus non minus uteretur, quam ante profectionem, et ad ultimum uſque halitum, magno amore reum proſequeretur[g]. Anno 1197 Legatus ad Pontificem miſſus, una cum Epiſcopo Dunelmenſi[h], aegritudine correptus, Pictaviae diem clauſit extremum, Januarii penultimo[i], cum annos ſediſſet ſeptem atque unum inſuper menſem, et in Monaſterio quodam ordinis Ciſtercienſis dicto Pimi[k] tumulatus eſt.

---

[d] *Hoved.* L. 2. f. 399. b. *Weſtmon.* ad A. 1191.

[e] *Weſtmon.* ib. *Bromt.* Coll. 1227.

[f] E reditibus Eccleſiae Elienſis ſolvit 160 Marcas pro redemtione Richardi Regis *Hiſt. Elienſ.* p. 633.

V. EUSTACHIUS.

*1197. Ric. 1. 9. PER annum integrum, et paulo amplius ſedes tum vacabat. Nono[l] die Auguſti Longocampi mortem inſequente Euſtachius Decanus Sariſburienſis, Regis (ut loquitur Hovedenus[m]) Vicecancellarius, in Epiſcopum electus eſt, ſed non conſecratus uſque ad quartam dominicam quadrageſimae quae electionem ejus ſequuta eſt. *Vir* (inquit Florilegus) *literatura tam humana quam divina inſignis.* Unus ex illis is fuit[n] qui excommunicationem à Pontifice contra Joannem Regem effulminatam promulgarunt, et univerſum regnum interdicto ſuppoſuerunt. Ob quod facinus, iracundiam Regiam (nec ſine cauſa) veritus, in exilium ſponte profugit, anno nimirum 1208. Poſt quinquennium, Pontifici Rege reconciliato, revocatus eſt, anno videlicet 1213[o], et non multo tempore [ſuperſtes] deceſſit Redingae tertio Februarii 1214[p]. Aedificium ab occidentali parte Eccleſiae ſuae quod Galilaea vulgo nuncupatur, ab illo ferunt conſtructum.

VI. JOANNES DE FONTIBUS.

1219. Hen. 3. 4. DEFUNCTO Euſtachio in ſucceſſorem eligitur Galfridus de Burgo Archidiaconus Norwicenſis, Huberti de Burgo Cantiae Comitis et Angliae capitalis Juſticiarii frater. Sed ante hujus electionis publicationem, electus eſt etiam à Monachis Robertus[q] quidam Eboracenſis, qui fructibus Epiſcopalibus ſine conſecratione incubans, per annos totos quinque Sacerdotia contulit, aliaque cuncta pro libitu tanquam Epiſcopus diſpoſuit[r]. Papa tandem utraque electione caſſata[s], Joanni Abbati de Fontibus Epiſcopatum contulit, viro ob egregiam pietatem apud hiſtoricos noſtros celebri, qui conſecratus Martii octavo[t] 1219. Downhamiae deceſſit ſexto Maii 1225[u]. Angliae is fuit Theſaurarius[x] per quinquennium, et ſepultus dicitur in Eccleſia ſua ante Altare ſancto Andreae dicatum[y].

---

[g] Rex non immemor ſervitii Cancellarii defuncti, contulit Roberto fratri illius Priori Elienſi Abbatiam ſanctae Mariae Eboraci. *Hoved.* f. 437. b.

[h] Et Lexovienſi *Hoved.* ib.

[i] Jan. 31. 1196. (A°. ſcil. exeunte) *Hiſt. Elienſ.* nec non *Dicet. Ymag.* Coll. 696. completis à die conſecrationis ſuae ſeptem annis et triginta diebus——Feb. 1. *Gervaſ.* ——Jan. 30. *Weſtm.* p. 261.——Sepult. Jan. 29. *M. Paris.* p. 159.

[k] PINU, ut ab omnibus confirmatur Hiſtoricis. Cor vero jacet reconditum in parva tumba marmorea in Ely prope altare B. Martini. *MS. Barlow.*

[l] Decimo, *Hiſtor. Elienſ.* et *Lib. Elienſ. Baker.* Ita etiam *Diceto.* Feſto nimirum S. Laurentii apud Vallem Rodoli. Et conſecratus apud Weſtmonaſterium in Capella S. Catherinae, ab Archiepiſcopo Cantuar. aſtantibus novem Epiſcopis, Mar. 8. 1197. *Hoved.* par. 2. f. 442. a. et *Dicet. Ymag.*

[m] F. 438. Cancellarii vero fungitur munere, ut teſtatur idem *Hovedenus.* f. 449. a. idque Jul. 1. 1198.

[n] Una cum W. London. Maug. Wygorn. 9 Kal. Apr. 1207. feria ſecunda poſt primam dominicam paſſionis Domini. *Hiſtor. Elienſ.*

[o] A. 1214. *Weſtmon.*

[p] Et ſepultus erat in Eccleſia Elienſi prope altare S. Mariae. *Lib. Elienſ. Baker.*

[q] In Regiſtro quodam Monachorum vidi chartam Roberti Epiſcopi exemplificantis chartam Johannis praedeceſſoris ſui, (ſed quis ille?) dat. 20. Dec. 1207, et conſecrationis ſuae A°. quinto. *MS. Wren.*

[r] De eo conqueritur Rex Papae. *Clauſ.* 3 H. 3. m. 13. in dorſo.

[s] De hac re ſcripſit Papa ad Archiepiſcopum Cantuariae et Pandulphum Legatum ſuum, et Epiſcopum Sarum, et ab his nominatus eſt Joannes. *Chron. Petrob.* ad A. 1219.

[t] Recte diem conſecrationis deſignavit Godwinus, dies fuit illa dominica, ita etiam *Paris.* p. 260. et *Weſtm.* p. 282. Male vero *Lib. Elienſ. Baker.* qui diem nonam aſſignat.

VII. GALFRIDUS DE BURGO.

JOANNE defuncto, Galfridus de Burgo antedictus, repetita electione 1225.
Epiſcopus iterum declaratus[z], conſecratus eſt in feſto D. Petri 1225. HEN. 3. 9.
De illo Polydorus Virgilius eodem utitur elogio, quo de anteceſſore ejus Weſtmonaſterienſis, hominem dicens, in divinis pariter et humanis literis eruditum. Ducentas acras ſoli paludoſi[a] Monachis ſuis Elienſibus contulit. Praefuit annos circiter quatuor, et Maii decimo ſeptimo 1229[b] decedens, ab auſtrali parte chori in Eccleſia ſua ſepulturam ſortitus eſt.

VIII. HUGO NORWOLD.

HUGO NORWOLD S. Edmundi Abbas ſucceſſit[c], et conſecratus eſt 1229.
una cum Richardo Cantuarienſi et Rogero Londinenſi Epiſcopo, HEN. 3. 13.
per [d]Jocelinum Bathonenſem et Wellenſem Antiſtitem, in feſto Trinitatis 1229, Junii videlicet decimo[e]. Multum hic laudatur, tanquam pauperibus valde munificus, et egregie praeterea hoſpitalis; quod jure quis miretur qui ſpectaverit, quantam pecuniae vim profuderit in Eccleſiae aediumque ſuarum ſtructura. Praesbyterium à fundamentis excitavit, et campanile ex materie curavit fabricari juxta Galilaeam in Occidentali parte Eccleſiae ſuae. Hoc opus ſeptendecim annorum labore, perfectum eſt ſumptu [f]5350 librarum, octodecim ſolidorum, et octo denariorum; hoc eſt aureorum Gallicorum 16950: et Septembris tum decimo ſeptimo Eccleſiam dedicavit, in praeſentia Regis, Edwardi Principis, Epiſcoporum Norwicenſis atque [g]Landavenſis, et Procerum complurium[h]. Quos omnes, et è plebe praeterea numerum ingentem, epulis quotidie exquiſitiſſimis per multos dies adhibuit, in palatio ſuo Elienſi apparatis, quod tum antea nuper integram conſtructam plumbo operuerat. Dittonae item et in aliis aedeficiis ad ſedem ſuam ſpectantibus magnam impendit pecuniam. *In eleemoſynis nihilominus* (inquit Pariſienſis[i]) *et aliis charitatis operibus ſibi palatia coeleſtia praeparando. Hic quoque ſicut in menſa ſpirituali (ſcilicet altari) devotus extitit, et exitus aquarum deducebant oculi ejus, ita in menſa corporalis refectionis dapſilis fuit, jocundus et ſerenus. In cujus obitu flos magiſtrorum obiit et Monachorum, quia ſicut Abbas*

---

[u] Ita *liber Elienſ. Baker*. Et cuſtodia Epiſcopatus commiſſa eſt Thomae Blunvill decimo ejuſdem menſis. *Pat*. 9 H. 3.
[x] Theſaurarius fuit Angliae anno Henrici tertii, ſcil. A°. obitus Joannis Epiſcopi. *MS. in Bibl. Reg. Cant.*
[y] *Hiſt. Elienſ.* p. 635.
[z] Rex praebet aſſenſum electioni Gaufridi Archidiaconi 2 Jun. *Pat*. 9 H. 3. et conſecratus eſt apud London ab Archiepiſcopo Cantuar. in die Apoſtolorum Petri et Pauli 1225. *Lib. Elienſ. Baker*. et *Hiſtor. Elienſ.*
[a] Dedit ducentas acras in mariſco de Wysbech ad augmentationem Prioratus et Sacriſtae Elienſ. *Lib. praed. Elienſ*, et *MS. Lowth* è Chron. Elienſ.
[b] Ob. Anno 1228. *Weſtm*. et *Chron. Petrob*. et *Wikes*. 17 Dec. *Chron*. et *Lib. Elienſ. Baker*. cum ſediſſet annos tres, menſes ſex, et dies duo; et ſepultus eſt 27 Dec. in Eccleſ. ſua ex parte boreali Chori. *ib*. et *Hiſtor. Elienſ.*
[c] Licentia eligendi conceſſa eſt 2 Jan. *Pat*. 13 H. 3. m. 10.
[d] Henricum Roffenſem. *M. Weſtm.*
[e] *Weſtm*. ad annum. *Lib. Elienſ. Baker.*
[f] 5400. *Hiſt. Elienſ.*
[g] Londinenſis, ſcil. Fulconis ut nominatur in Lib. Elienſ. *MS. Wren.*
[h] A. 1252. *Weſtm*. Tota Eccleſia Elienſis dedicata erat A.D. 1252. 15 Kal. Oct. in honorem SS. Mariae, Petri et Ethelredae Virginis, Lib. Elienſ. *MS. Barlow.*
[i] p. 767.

Abbatum in Anglia extiterat, ita et Epiſcopus Epiſcoporum coruſcavit. Obiit Auguſti 9[k]. 1254, nec (ut prae ſe ferebat) invitus, poſtquam Eccleſiae ſuae ſtructuram abſolutam conſpexiſſet. Sedit duos menſes ultra annos 25, et in Presbyterio à ſe conſtructo ſepultus eſt[l].

IX. GULIELMUS DE KILKENNY.

1255. Hen. 3. 39. CIRCA menſis Octobris inſequentis[m] medium Gulielmus de Kilkenny Archidiaconus Coventrenſis (qui Angliae ad tempus fuit Cancellarius) per Monachos electus eſt, et Boloyſae in Sabaudia conſecratus per Bonifacium Archiepiſcopum Cantuarienſem, ibi tum degentem, Auguſti 15 ſequenti[n]. Capellanus is fuit Regis, et (ut Elienſis liber habet, neque enim alibi id traditum reperi) Angliae Cancellarius[o]. Homo dicitur egregia corporis forma praeditus, facundus, prudens, et legum municipalium admodum peritus. Eccleſiae huic tempore praefuit exiguo. In Hiſpaniam profectus Legatus, deceſſit ibi[p] in feſto S. Matthaei 1256, cum annum ſediſſet unicum, menſem item unum et dies ſex. Ad Eccleſiam cor deferendum, ibique ſepeliendum mandavit[q].

X. HUGO BALSAM.

1257. Hen. 3. 41. QUAMPRIMUM ad Regem de obitu Kilkennenſis nuncius pervenit, literas illico dedit ad Priorem et Conventum Elienſem, quibus petebat enixe, ut Henricum de Wengham Cancellarium ſuum in Epiſcopum eligerent, rationibus cum multis allatis, cur id ab illis fieri debere contenderet. Ii vero commendationem Regiam ſuae ſcientiae poſtponentes, Novembris decimo tertio[r] Hugonem Balſam, vel de Bedeſale (nam ſic etiam nuncupatum reperi) Sub-priorem ſuum in paſtorem ſibi cooptarunt. Hoc Rex ferens iniquiſſimè, electionem rejecit, nemora ad Epiſcopatum ſpectantia ſuccidit, vivaria devaſtavit, et praedia univerſa hoſtilem fere in modum populatus eſt. Monachis poſtmodum omni ratione perſuadere anniſus eſt, ut repetita electione, alium deſignarent; haud convenire dicens, ut locus tam munitus, tutelae committatur hominis raro clauſtrum egreſſi, et in rebus politicis ne quicquam verſati. Quapropter electus Curiam petere Romanam decrevit, ibi ſperans ſe impetraturum quod domi non poterat. Quod ſubodoratus Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus; quanquam poſt captioſum examen, nihil in illo reperiſſet quod jure poſſet redarguere; literis tamen ad amicos Romae degentes perſcriptis, cauſam ejus quantum poterat gravabat, et Adamum quendam de Mariſco ſubornavit, qui hunc Epiſcopatum ambiret, et Balſamo electo, ſi ullo id pacto poſſet fieri, praeriperet.

---

[k] Ita *Weſtmon.* et *Pariſienſis.* Dies vero ſexta ponitur ab *Hiſtorico Elienſi*, et in *Annal. Burton.*

[l] Conceſſit ſedi ſuae duo Maneria, viz. Bramford in Suffolcia et Toteridg in Com. Hertfordiae, ſub conditione ſolvendi ſedecim Marcas annuatim Sacriſtae pro ſtipendio Cantariſtarum in Ely Green. *MS. Wren.*

[m] Obtenta eligendi licentia, Monachi eligerunt Gulielmum de Kilkenny circa feſtum S. Michaelis. *Annal. Burton.*

[n] Die aſſumptionis B. Mariae. *Weſtmon.* — 18 Kal. Sept. *Lib. Elienſ. Baker.*

[o] Rex conſorti ſuae ——— Mandamus quod cum dilectus clericus noſter Magiſter W. de Kilkenni Archidiaconus Covent. ad vos venerit, liberatis ei Sigillum Scaccarii noſtri bajulandum et cuſtodiendum uſque ad reditum noſtrum de partibus Vaſconiae, loco magni Sigilli noſtri quod claudi fecimus uſque ad reditum noſtrum. *Pat.* 37 H. 3. m. 5. ——— Et die S. Edmundi in vigilia Epiphaniae A. 39 liberavit W. de Kilkenni &c. Pat. 39 H. 3. m. 15.

[p] Apud Sugho in Hiſpania 11 Kal. Octobris 1256, ibidemque ſepultus: Monumentum vero habet in Eccleſia Cathedrali Elienſi. *Lib. Elienſ. Baker.*

[q] Commemoratur inter Benefactores Acad. Cantabr. Et Monachis ſuis dedit Eccleſias de Melburn et de Swaffham. *MS. Wren.*

[r] Electus Id. Nov. 1256. Sed quia tunc à Rege et Bonifacio Archiepiſcopo Cantuarienſi caſſata erat electio, ad curiam Romanam appellavit, ubi fuit confirmatus prid. non. Octobris ab Alexandro quarto 1257, à quo etiam fuit conſecratus prid. Id. Oct. ejuſdem anni. *Lib. Elienſ. Baker.*

Vir fuit egregie doctus Adamus ille, et aliquot in publicum emiſerat opuſcula multum laudata[s]: Sed aetate etiam fuit admodum provecta, et grandaevus adeo, ut muneris paſtoralis laboribus impar videretur. Deinde, ordinis Minorum fraterculus, et nihil unquam muneris publici ſe ſuſcepturum (pro inſtituti illius more) juramento confirmaverat. Tantum tamen apud illum poterat ambitio, ut Archiepiſcopalibus acquieſcens conſiliis; capularis ſenex, Epiſcopus ante mortem creari vehementer percuperet. Ad Wenghamum quod attinet, poſt ſcriptas à Rege in ejus gratiam literas (quas conſtat illo inconſulto exaratas) tantum abfuit Monachorum ſuffragia ambiret, ut utrunque et Balſamum nimirum et Mariſcanum eo honore ſe diceret digniores. Et poſtquam Regem, propter ſe à Monachis rejectum, iracundia tantopere flagrare conſpexit; obſecrare non deſtitit, ut eos in coepto ab illis curriculo interpellare deſiſteret. Invocato (inquit ille) Dei nomine, per Spiritus ſancti gratiam, hominem elegerunt, eo munere me longe digniorem. Abſit igitur ut ego per vim coner occupare nobilem illam Eccleſiam, et Praeſulatum ejuſdem conſcientia cauteriſata uſurpare. Contentionis hujus hic tandem fuit exitus; Henricus Wenghamus Londinenſis poſtea creatus eſt Antiſtes. Balſamus vero, confirmata per Pontificem electione tam diu ventilata Martii 10. 1257, decimo quarto Octobris ſequentis conſecratus eſt[t]. Sedit annos 28 et tres menſes[u]. Collegium interea Cantabrigiae inſtituit Divo Petro dicatum, quod antequam Epiſcopus eſſet creatus inchoaverat[x], et anno demum 1284 abſolvit. Dodingtonae deceſſit[y] Junii decimo ſexto 1286, et per Thomam Engelthorpum Epiſcopum Roffenſem celebratis exequiis, in Eccleſia ſua humatus eſt[z] ante ſummum altare[a].

❖ ❖ ❖

XI. JOANNES DE KIRKBY.

SUCCESSIT illi Joannes de Kirkby Decanus Winburnenſis, Archidiaconus Coventrenſis, et Angliae Theſaurarius[b]. Ad Eccleſiae Ceſtrenſis praeſulatum olim fuerat electus. Sed Peckamus Cantuarienſis Archiepiſcopus electionem rejecit, propterea quod electum pluribus Sacerdotiis potitum comperiſſet; fieri non poſſe contendens, ut Epiſcopatu is ſit dignus, qui non malit parvo contentus vivere, quam tot ſimul munerum, tot animarum curam ſuſcipere. Ad hanc tamen Eccleſiam viceſimo 1286. EDW. 1. 14.

---

[s] Vid. Wadding. Annales Minorum p. 51. Ed. *Lugd.* 1625. [t] Aberat in partibus tranſmarinis A. 1262, ut patet ex *Archivis Coll. Petrenſ.* [u] Moriens legavit trecentas Marcas Collegio, ad aedificia de novo conſtruenda. *Sceletos Cantabr.* et decem tenementa ſucceſſoribus ſuis; quae confirmata ſunt ab Edwardo primo 14 Martii Anno Regni 31. *Lib. Elienſ.* p. 65. [x] Ita quidem, Collegium ſuum aedificavit A. 1257, et in uſum ſtudentium aſſignavit, reditibus verò et praediis non locupletavit ante annum 1282. [y] Jun. 15. *Obituar. Elyenſe.* [z] 8 Kal. Julii. [a] Extat Charta Hugonis Epiſcopi Elienſis de penſione decem Marcarum annuatim conceſſa Richardo de Luvetot Clerico &c. dat. apud Dunham 10 Kal. Apr. 1285, et Pontificatus noſtri viceſimo nono. Lib. Elienſ. p. 14. *MS. Barlow.* Vid. ſub Walt. de Merton inter Epiſcopos Roffenſes. [b] Cancellarius fuit Angliae, ſive Cuſtos Sigilli A. 1272, 56 H. 3. Officium adminiſtravit donec Theſaurarius conſtitutus fuit 6 Jan. 1283. *Pat.* 12 E. 1. m. 19. et hoc uſque ad mortem retinuit.

ſexto Julii 1286 electum[c], idem Peckamus in Sacerdotem ordinavit Feverſamae viceſimo primo Septembris ſequenti, et poſtridie in Epiſcopum Cantuariae conſecravit. Cum annos ſediſſet tres menſeſque ſex in febrim incidit acutiſſimam, ex qua cum ſibi viſus fuiſſet convaluiſſe, neglecta dieta, in morbum priſtinum reincidit, eoque Martii viceſimo ſexto 1290 extinctus eſt[d], "A tempore (inquit Oſneienſis) quo nactus eſt Praeſulatus celſitudinem (Rege extra regnum agente) continuo uſque ad finem vitae fallibilis officio Theſaurariae Scaccarii D. Regis, non ſegniter incumbebat; adeo ut de animarum ſibi commiſſarum cura penitus non curaret. Quinetiam praetextu officii ſui, ultra modum praedeceſſorum ſuorum ſe extulit ſupra ſe, ut nomen Theſaurarii nomen Pontificis totaliter adumbraret. Sane credebatur à vulgo (inquit ille) quod ſi tanto tempore ſupervixiſſet, ut praeſumptuoſa factorum inſolentia deveniſſet in diſcuſſionem manus Regis, ultrices nullatenus evaſiſſet." In Eccleſia ſua celebratis per Radulphum Walpoole Norwicenſem Epiſcopum (qui illi poſtea ſucceſſit) exequiis, ab Aquilonari parte chori ante altare ſancti Joannis Baptiſtae tumulatus eſt[e].

XII. GULIELMUS DE LUDA.

1290. EDW. I. 18. QUARTO die Maii qui Kirkbeii mortem inſequutus eſt, ſucceſſor illi deſignatur[f] Gulielmus de Luda[g], S. Martini Decanus, Dunelmenſis Archidiaconus et hoſpitii Regii Theſaurarius. Hunc vocat Oſneienſis *virum magnificum et eminentis ſcientiae, qui* (inquit ille) *diutius Theſaurariae Garderobae D. Regis officium geſſit ita laudabiliter et honeſtè, ut et majorum et minorum animos ſibi* (*nec immerito*) *redderet complacatos*. In vigilia feſti S. Trinitatis ejuſdem anni Diaconus ordinatus eſt per Archiepiſcopum Cantuarienſem Lenhamae, deinde eodem die in Epiſcopum Elienſem confirmatus, Praesbyter vero creatus Bockingae in Eſſexia, decimo ſexto Septembris, et conſecratus demum in Dominica proxima poſt feſtum S. Michaelis in Eccleſia ſua. Praefuit annos ſeptem[h], et conditus jacet [ex parte auſtrali Eccleſiae[i]] inter duas columnas juxta [magnum altare ad] aditum Capellae antiquioris B. Mariae[k]; nam (ut arbitror) duae olim extiterunt. Epiſcopus iſte mannerium de Oldburn ſedi ſuae contulit ea lege, ut ſucceſſor ſuus mille marcas impenderet in praediis comparandis, quorum fructibus tres Capellani alerentur, qui ſacris in Capella ibidem operarentur.

---

[c] Praeſentatus fuit Edwardo Regi apud Melunſham juxta Secanum in Francia 16 Kal. Sept. 1286. Confirmatus fuit ab Archiepiſcopo Cantuariae apud Saltwell in Cantia, à quo etiam promotus fuit ad ordinem Sacerdotum apud Feverſham 11 Kal. Oct. et in craſtino ab eodem conſecratus in Eccleſia Cathedrali Cantuar. et 9 Kal. Januarii ſequentis inthronizatus fuit. *MS. Wood*. Temporalia reſtituta Septembris ſeptimo. *Pat*. 14 E. 1.

[d] Sedit Annos tres, ſeptimanas 26, et dies tres. *Lib. Elienſ. Baker*.

[e] Sedi Elienſi (ni fallor) addidit Manerium de Holborn, teſtamento legatum. *MS. Wren*. Immo, iſte Epiſcopus unum Meſſuagium cum novem aliis Cottagiis in vico de Holburne in ſuburbio London in ultimo ſuo voluntate ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis Ely in perpetuum legavit, ut eſt in Charta Regis Edwardi primi, dat. 14 Mart. A. Regni 31. in Lib. Elienſ. p. 65. ubi legatio illa confirmata eſt. Et hoc idem liquet ex quadam inquiſitione hac de re facta. ib. p. 95. *MS. Barlow*.

[f] Magiſter Will. de Luda, Decanus ſancti Martini, electus temporalia habet reſtituta 30 Maii. *Pat*. 18 E. 1.

[g] Gymnaſii Cantabrigienſis Rector A. 1259. *Baleus* Cent. 4. p. 312.

[h] Obiit anno 1298. *Weſtm*. Martii 25, ſi *Hiſtorico Elienſ*. p. 639 credendum eſt, die 27 *Annal. Wigorn*. ad annum, die 28 juxta *Obituarium Elienſe*.

[i] *Hiſtor. Elienſ*. p. 639.

[k] *Lib. Elienſ. Baker*.

XIII. RADULPHUS WALPOOLE.

1299. EDW. I. 27. MAGNA jam lis exarſit de novi Epiſcopi electione. Inter Monachos namque orta diſcordia, pars una, eaque potior, Joannem[l] elegit Priorem ſuum[m], altera vero Joannem Langtonum[n] Angliae Cancellarium. Hac electione coram Archiepiſcopo ventilata, ille ſententia lata Priorem rite pronunciavit electum. Quare Cancellarius ad Pontificem provocavit, et Romam illico iter arripuit. Quod cum Priori eſſet nunciatum, ipſe etiam quanta potuit celeritate eo quoque properavit. Neque longo intervallo Priorem Cancellarius antevertit, licet Priori proficiſcenti in itinere multa objecta eſſent impedimenta. Illuc cum perveniſſent, eo ſunt inducti, ut renunciato jure quod ſibi dicerent acquiſitum ex electione, rem unius Pontificis arbitrio terminandam relinquerent. Is igitur in Monachorum gratiam, eligendi denuo integram illis facultatem permittit, hac lege, ut ex totius Angliae Abbatibus unum eligant, tribus tantum exceptis, videlicet Weſtmonaſterienſi, Burienſi et S. Auguſtini Cantuariae, quos non oportuit attingere[o]. Verum huic decreto Conventus Elienſis procuratores nullo voluerunt pacto conſentire. Quare iratus Papa, ex plenitudine poteſtatis, Elienſi Eccleſiae ingeſſit Radulphum Walpoole Norwicenſem Epiſcopum[p]; Norwicenſem vero contulit Elienſi Priori antedicto; et ne inanis Cancellarius rediret, Archidiaconum eum creavit Cantuarienſem loco Richardi Feringes, qui eadem ipſa tempeſtate Archiepiſcopus Dublinenſis conſtitutus fuerat. Ad Radulphum vero iſtum quod attinet, conſecratus eſt in Epiſcopum Norwicenſem ſub initium[q] anni 1288, et praefuit ibi annos undecim. In Elienſi vero Eccleſia cum annos vix tres ſediſſet, Martii 22[r] deceſſit in exitu anni (ſtilo Anglicano) 1301. Humatus eſt in pavimento Presbyterii ante ſummum altare[s].

XIV. ROBERTUS ORFORD.

1302. EDW. I. 31. FOELICIUS jam Monachi inter ſe conſpirarunt, et conſentientibus votis[t] Robertum Orford Priorem ſuum Epiſcopum renunciarunt, Aprilis decimo quarto ſequenti. Caeterum Archiepiſcopus Cantuarienſis Winchelſaeus, literarum cauſatus inſcitiam, conſecrationis ritum impendere recuſavit[u]. Quare ad Pontificem provocatum eſt[x], qui in Conſiſtorio coram Cardinalibus examinatum, probavit hominem, tam eruditione quam prudentia ejus laudata, et Archiepiſcopo propter injuriam ipſi illatam graviter increpato[y]. Sed eam eruditionem qua Epiſcopatum comparavit, pretio emit Romae (ut auguror) poſtquam illuc acceſſit. Nam illinc rediiſſe traditur quindecim librarum millibus (ô immanem ſummam) obaeratus. Sedit annos paulo plus quam ſeptem, et vitam terminavit Dunhamae Januarii viceſimo primo 1309, atque in pavimento antedicto prope Walpolum eſt ſepultus.

---

[l] SALEMAN. [m] *Weſtm.* ad A. 1298. [n] Joannes de Langton Cancellarius Regis. *Pat.* 21 E. 1. m. 23. In Epiſcopum Elienſem electus, *Pat.* 26 E. 1. m. 10. et *Rot. Trin.* 1 E. 2. m. 9. Regis habet aſſenſum 19 Jul. *Pat* 26 E. 1. Conſecratus in Epiſcopum Ciceſtrenſem Dominica prox. poſt exaltationem S. Crucis A. 1305. *Regiſtr. Winchelſ.* et iterum conſtituitur Cancellarius A. 1308. *Rot. Fin.* 1 E. 2. m. 9. *MS. Gale.* [o] *Weſtm.* ib. [p] Bulla tranſlationis data Romae Jul. 15. 1299. [q] Sub exitum potius, viz. 20 Martii. [r] Martii viceſimo, *Hiſtor. Elienſ.* [s] Primo Aprilis 1302. ib. ——— Extincto hoc Epiſcopo, Rex Rob. Hereward et Joan. de Ditton cuſtodes Epiſcopatus Elienſis, ſede vacante, deſignavit, qui Janitorem Prioratus amovere volebant, magna inde controverſia exorta eſt, concertantibus apud Regem Priore et Monachis, ſe eidem Regi mille marcas ratione et intuitu ſeperationis Monaſterii ab Epiſcopatu contuliſſe, et inde Chartam Regis obtinuiſſe. Unde Rex pro Monachis reſcribit. Dat. apud Eboracum 28 Nov. anno Regni ſui triceſimo primo. *Lib. Vet. Elienſ.* ita in *MS. Wood.* [t] Electus eſt per viam compromiſſi 18 Kal. Maii 1302. *Hiſt. Elienſ.* [u] *Weſtm.* [x] "Iſte electus fuit in concordia, per D. Robertum Archiepiſcopum caſſatus poſtea. Electores "ad Sedem Apoſtolicam appellârunt. Deinde electus totum jus, quod ſibi competebat per electionem, in manus Domi"ni Papae Bonifacii ſponte reſignavit; et poſtea Dominus Papa providit Eccleſiae Elienſi de eadem perſona. Et in primo "adventu ſuo ad Dominum Archiepiſcopum renovavit profeſſionem ſuam coram ipſo, et propria manu ſubſcripſit." E *Regiſtris Cantuar.* et *Norvic.*

XV. JOANNES DE KEETON.

1310. Edw. 2. 4. SUCCESSIT illi[z] Joannes de Keeton Eccleſiae Elienſis Eleemoſynarius, qui ſimiliter annos ſedit ſeptem, et Maii 14 decedens 1316, in praedicto pavimento extitit tumulatus.

XVI. JOANNES HOTHAM.

1316. Edw. 2. 10. ANTE annum circumactum, Joannes Hotham, aliis Hothun Capellanus Regius, Praepoſitus quandoque Collegii Reginae[a] in Academia Oxonienſi, et tam ejuſdem Academiae quam fiſci Regii Cancellarius, Epiſcopus Elienſis creatus eſt[b]. Anno deinde inſequenti, videlicet 1317 fit etiam Angliae Cancellarius[c]; ut triplici Cancellariatu fuerit perfunctus. Homo et prudens, et pius, ſed indoctus admodum. Poſtquam per biennium munus antedictum obiviſſet, eo abdicato Theſaurarius Regni ſummus conſtitutus eſt. Sed et Theſauriatu etiam ceſſit poſt unum menſem, ſeque totum Eccleſiae ſuae adminiſtrationi dedidit[d]. Illo ſedente, Eccleſiae dictae campanile, fragore terribili edito, noctu corruit. Campanile illud (hodie dictum Lanterna) illius tempore Praeſulatus reſtitutum eſt viginti annorum labore, et ſumptu [2406 librarum, ſedecim ſolidorum, et undecim denariorum.] Praeter quam pecuniam, hic Epiſcopus in perficiendo presbyterio quod Hugo Norwold jam antea inchoarat, impendit 2034 libras, duodecim ſolidos, octo denarios, obolum et quadrantem, ſicut inſcriptio teſtatur in Aquilonari pariete ejuſdem Presbyterii adhuc viſenda. Caeterum ſi omnia in unum cumulum conjiciamus, quae ab illo ſolo in fabrica Eccleſiae Elienſis ſunt inſumpta, ſummam conficient 4441 librarum, novem ſolidorum, ſeptem denariorum, praeter obolum et quadrantem. Praeterea deinde ſedi ſuae poſſeſſionem confirmavit mannerii de Oldburn cum ſex tenementis eidem pertinentibus, et Eccleſiae dedit calicem duoſque ſcyphos in uſum ſacrorum ex auro ſolido. Sedit annos viginti, et poſtquam paralyſi correptus[e] per totum biennium grabbato affixus jacuiſſet, Somerſamae deceſſit 25 Januarii[f] 1336. Tumulo conditus eſt Alabaſtrino operis egregii, quanquam hodie deformi et mutilo; et hoc et caeteris hujus Eccleſiae monumentis, neſcio cujus petulanti ſtolidaque inſania, miſere et pudendum in modum laniatis. Situs vero is eſt, altari minori ab Oriente, in medio, ſed ad Occidentalem partem vergens dicti Presbyterii.

---

[y] Frater Robertus Prior Elienſis per Papam praefectus habet reſtitutionem temporalium 4 Feb. 1302. *Pat.* 31 E. 1.

[z] Roberto defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 10 Feb. *Pat.* 3 E. 2. Electus eſt die Lunae proximè poſt Feſtum S. Matthaei Apoſt. viz. 6 Non. Mar. 1309. Regis habet aſſenſum 21 Martii. *Pat.* 3 E. 2. Temporalia reſtituta ſunt 18 Jul. 1 *Pat.* 4 E. 2. Conſecratus Cantuariae 8 Id. Sept. *Regiſtr. Cantuar.*

[a] Collegium hoc non adhuc fundatum: neque unquam fuit Academiae Cancellarius.

[b] *Joannes de Hotham 13 Kal. Aug. 1316 electus extitit confirmatus, ſed quo die vel anno, per quem, ſeu quomodo fuerit conſecratus, nuſquam invenimus.* Sic Epiſc. Elienſis A°. 1346 reſpondit Brevi Regio ſuper hac re. ita *MS. Wren.* Conſecratum verò 3 Octob. 1316 liquet è Regiſtr. Eccleſ. Cantuar. in *A. S.* Aſſenſu Regio prius obtent. 20 Jun. 2 *Pat.* 9 E 2. et Temporal. reſtitut. 20 Jul. 1 *Pat.* 10 E. 2.

[c] Angliae fuit Theſaurarius 27 Maii 1317. 2 *Pat.* 10 E. 2 m. 10. Cancellarius anno ſequenti conſtitutus eſt 2 *Pat.* 11 E. 2 m. 8. Quo munere exutus A°. 1320; eundem recepit, ſeu potius Cuſtos ſit M. Sigilli 28 Jan. 1327. et habuit magnum Sigillum ſibi à Rege liberatum ad faciendum inde quod ad officium Cancellarii ſpectat. *Clauſ.* 1 E. 3. m. 25. *in dorſo.*

[d] In feſto S. Andreae miſſus eſt Romam cum nonnullis Regni magnatibus. Vid. Annal. Hiberniae à Camden. ad A. 1316.

XVII. SIMON MONTACUTUS.

CIRCA medium menſis Martii inſequentis[g], Benedictus undecimus 1336.
Papa à Wigornienſi ſede (cui annos tres praefuerat) Simonem Mon- EDW. 3. 11.
tacutum tranſtulit ad Elienſem[h], qui frater erat Gulielmi Comitis Sariſburienſis. Hic ſtructuram incepit Capellae ſpecioſiſſimae, Beatae Virgini dicatae[i], quae ab Aquilonari parte Eccleſiae cernitur, in eaque ingentem pecuniae vim profudit, ſed morte interpellatus perficere nequivit. Joannes de Wisbich, Monachus (ni male memini) Elienſis, opus continuavit, et hominum piorum adjutus beneficentia, abſolvit tandem. Fertur ille quidem inter fodiendum dum egereret humum, in ollam incidiſſe pecunia plenam, unde longo poſt tempore operariis merces perſoluta eſt[k]. Epiſcopus vero iſte, cùm paulo plus quam ſeptem annis ſediſſet, diem obiit Junii viceſimo[l] 1344, et in Capella antedicta ſepultus eſt. Academiae Cantabrigienſi privilegia neſcio quae is dicitur impetraſſe[m].

XVIII. THOMAS LYLDUS[n].

ALANUS de Walſingham Prior Elienſis tum electus, à Clemente *1345.
quinto[o] Pontifice, caſſata electione, rejectus eſt, et Thomas Lyld EDW. 3. 19.
frater Dominicanus ex plenitudine poteſtatis Epiſcopus declaratus, ac Avenione conſecratus menſe Julio 1344[p]. Doctor is fuit Theologus, Cantabrigiae educatus, et propter eruditionem (ut illa ferebant tempora) non

---

[e] Iſte Epiſcopus ſenio et invalitudine gravatus A. D. 1336 duos ſibi Coadjutores aſſumpſit, ſcil. Mag. Nicolaum de Stockton et Mag. Alanum de Hotham, qui etiam ipſius executores fuerunt. Lib. Elienſ. p. 82. *MS. Barlow.*

[f] Ob. apud Sommerſham 18 Kal. Feb. A. 1336. *Hiſt. Elienſ.* Ob. die Martis in Craſtino S. Hilarii. Sic Rot. de Wiſbech, ſede vacante. *MS. Wren.* Die verò 14 Januarii Rex reſcribit cuſtodi Epiſcopatus Elienſ. *Clauſ.* 10 E. 3. m. 1. *in dorſo.* Inter Benefactores Collegii ſive Domus S. Petri Cantabr. cenſetur.

[g] Joannes de Crandene Eccleſiae Elienſis Prior à Capitulo electus eſt 12 Mar. 1336. *Hiſt. Elienſ. Qui perquiſivit quoddam Hoſpitium in Cantabrigia pro ſcholaribus Monachis in Eccleſ de Ely ibid. hoſpitandis, —poſtea dictum Hoſpitium collatum fuit per Will. Bateman Epiſc. Norvic. ſcholaribus Aulae Trinitatis. Obiit iſte Joan. Prior. 7 Kal. Oct.* 1341. *Id* p. 650.

[h] Bulla tranſlationis data 2 Id. Martii Pontificatus tertio. *Regiſtr. Montac. Rym. Foed* T. 4. p. 733. Indictione quinta, menſis Junii die undecimo, Simon de Monteacuto Elienſ. Epiſcopus ab Eccleſia Wigorn. ad Eccleſiam Elienſem, per proviſionem Sedis Apoſtolicae de novo tranſlatus, pure, ſponte et expreſſe renunciavit omnibus verbis ſuperilluſtri Principi Domino Regi Angliae et Juri Coronae ſuae prejudicialibus contentis in Literis Apoſtolicis &c. recognoſcens ſe velle petere et recipere temporalia dicti Epiſcopatus ſolummodo ex gratia et liberatione Regis, &c. *Clauſ.* 11 E. 3. par. 1. m. 5. *in dorſo.*

[i] Ex parte boreali Eccleſ. Cathedralis.

[k] Statuta Hugonis de Balſam fundatoris Domus Petri Cantabr. antiquavit A. 1338, novaque introduxit; et deinde Rectoriam de Triplow in Com. Cant. appropriavit, terraſque dictas Chewel in Hadenham in Inſula Elienſi dedit. *MS. Ca.*

[l] Junii decimo ſexto 1344. *Hiſtor. Elienſ.* p. 652. Error ſanè, Junii enim ſexto 1345 Simon Elienſ. Epiſcopus praeſentat ad Eccleſiam de Whitington (vel Witton) et viceſimo ſecundo Julii ſequentis Rex praeſentat ad Bretenham, vacante ſede Elienſi. *Regiſtr. Norvic.* 4. *MS. Wren.* necnon *Wharton* in *Angl. Sacr.* V. 1. p. 649. Ob. igitur non ante annum 1345.

[m] Meritò recenſetur inter Benefactores Academiae Cantabrigienſis.

[n] Frater Thomas de ISLE, in Rot. ad A. Reg. Ric. 2. undecimum. Thomas de INSULA in Regiſtro ſuo.

[o] Sexto.

[p] In impropriatione de Caxton Jul. 7. 1357, dat. anno conſecrationis noſtrae VI; XI verò legendum arbitror, eo quod Papa in litera Regi miſſa, dat. 2 Kal. Aug. 1345, proviſum et conſecratum eſſe pronunciat. *Rym. Foed.* T. 5. p. 474. Temporal. reſtituta 10 Sept. 1345. Edw. 3. 19 et 13 Sept. 1345 Attornatos et Procuratores conſtituit ad recipiendum à Priore et Capitulo munimenta ad Spiritualia aut Temporalia ſua pertinentia. *Regiſtr.* 1 *Elienſ.*

vulgarem, multum celebris: In concionibus etiam aſſiduus, multa porro perſcripſit à Balaeo recenſita.

Ante mortem ejus anno uno aut altero, plurimum illi moleſtiae exhibitum eſt per foeminam quandam praenobilem, Blanchiam Wake[q], Regis propinquam; cujus rei hiſtoriam paucis commemorare non pigebit. Haec mulier praedia habuit nonnulla aedibus Epiſcopalibus vicina; unde fiebat, ut de finibus ſubinde aut rebus conſimilibus, lites inter eos orirentur. Epiſcopus moribus erat paulo aſperior, et à comitate aulica ita alienus, ut injurias perferre aut comiter expoſtulare neſciret, quales praeſertim illaturam credibile erat Dominam, genere, divitiis, et Regis propinquitate tumentem. Ex altercationibus igitur ad ſimultatem cito perventum, et à ſimultate ad inimicitias ac odium capitale. Quare iracundiae mulier (ut facile ſolet ille ſexus) indulgens, et animi, vindictae cupiditate flagrantis, explendi occaſionem captans, hujuſmodi tandem nacta eſt. Papa Rege petente (aut potius fortaſſis Edwardo Principe filio ejus) ad Epiſcopatum Lichfeldenſem quendam Robertum Stretton conſecrari mandaverat, hominem multas ob cauſas tanto munere indigniſſimum. Bonus iſte praeſul (Elienſis inquam noſter) Baptiſtae aemulus, ad Regem accedens, veritus non eſt illum eam ob rem acriter increpare; quod ille ferens iniquiſſime, faceſſere hominem juſſit et praeſentia ſua in poſterum eum prohibuit, quoad accerſeretur. Wakia jam Domina praedicta, iracundiae Regiae oportunitatem non amittendam rata, Epiſcopum in jus vocat, litis hanc cauſam praetexens. Homines quidam leves (per temulentiam fortaſſis) neſcio quid [r] aedificii ad illam ſpectantis incenderant, et deprehenſi, ut gratiam ejus demererentur, mendacio parum veriſimili, Epiſcopi conſilio hoc facinus perpetratum aſſerebant. Epiſcopo igitur ob hoc damnum impingitur, ſed clanculum adeo, ut prius quam aliquid illam adverſus ſe moliri intelligeret, à duodecemviris inauditus damnatus fuerit, et libras illi pendere nongentas juſſus; id quod oportuit illum facere, prout paulo poſt fecit, pecunia numerata.

Quae quamvis grandis eſſet, magis tamen dedecore et ignominia ſtimulatus quam nummorum jactura, impetrata licentia, Regem adiit, eumque ſupplex obteſtatus eſt, ut ſua authoritate, à duodecimviris ac teſtibus contra ſe productis, judicii teſtimoniique lati rationem exigendam curaret. Et ille, ſive deferveſcente iracundia, ſive juſta petenti obſecundandum ratus annuit quidem, ſed irrito effectu. Nam cum praeſtituto publicis judiciis tempore Huntindoniae res eſſet tractanda, mulieris malitioſae technis effectum eſt, ut prioris judicii formulam ſive exemplar is non potuerit impetrare, adeoque omnis hic conatus in nihilum reciderit. Unde ira doloreque juſtiſſimo percitus, apud Regem acriter conqueſtus eſt de hac tanta injuria[s], obſecrans vehementer, uti ſicut legum vita eſſet ac dux, ſe tam injuſte contra fas et aequum opprimi non pateretur. Quae verba incomptius (ut Regi viſum) et aſperius enunciata, atque ita ut Regi nonnullam injuſtitiae labem inurere videretur; veterem iracundiae flammam ſopitam antea (ſic viſum) ita rurſus ſuſcitarunt, ut ad parliamentum tum forte nuper coactum querimoniam de Epiſcopo detulerit. Et huic quidem ingeſtum eſt, quicquid calumniarum inimicorum ingenio probabiliter excogitari potuit, unde illi conflarent invidiam. Objectorum nonnulla partim is negavit, partim excuſavit; Rege vero in verbo Regio multa tanquam ſibi comperta aſſerente, et nonnunquam teſtium faciente mentionem, de probationis validitate nemo auſus eſt ambigere. Ita Parliamenti judicio condemnatus, poena (neſcio an alia) haec certe inflicta eſt, ut Regis praeſentia in perpetuum arceretur[t].

---

[q] Filia erat Henrici Comitis Lancaſtriae. [r] Apud Colne in comitatu Huntingdoniae. *Hiſtor. Elienſ.* [s] *Hiſtor. Elienſ.*

Non multo deinde tempore intercedente contigit, Epiſcopi famulis nonnullis, Wakianis quibuſdam in via factis obviam, tumultum inter eos excitari, in quo, Wakiae famulorum unus interemptus eſt. Hujuſce caedis Epiſcopum conſcium cenſeri placet, eamque ob rem illico accuſandum. Qui quanquam ab eo ſcelere immunem ſe probe cognoſceret; arbitratus tamen, hujuſce litis non meliorem fore ſucceſſum quam earum quae nuper ipſi fuerant intentatae; bonis omnibus mobilibus divenditis, pecuniam ab iis collectam amicorum fidiſſimis ſervandam commiſit, ſeque apud illos occultavit. Ille nihiloſecius per inquiſitionem à Coronatore factam damnatus eſt, et Epiſcopatus redditus omnes aerario publico addicti, ſive (ut more noſtro loquar) temporalia in manum Regis ſeiſita[u]. Tum à Regiis Judicibus citatus ut pro tribunali hanc cauſam ipſe ageret, Cantuarienſi et nonnullis aliis Epiſcopis comitatus comparuit[x]. Cumque declinatoriis exceptionibus ſubterfugere laicorum judicium non poſſet; homicidium objectum non ſolum perpetraſſe ſe negavit, ſed vel conſultorem vel conſcium fuiſſe, aut ipſum homicidam vidiſſe poſtea, aut à ſe aliove quoquam mandato ſuo receptum, occultatum, vel quoviſmodo adjutum. De quo petiit ut per Pares ſuos, cum ipſe de Paribus regni unus eſſet, diſcerneretur. Id quod illi, Judices (in Regis gratiam infenſi et his noſtri temporis ob integritatem credo non conferendi) denegarunt illi, ut ex leviſſimis nebulonibus duodecemviratu conflato, inſontem damnarent, quod ea ratione haud aegre praeſtiterunt. Iſti enim boni viri (duodecemviri inquam) edita ſententia damnandum pronunciant Epiſcopum, non caedis perpetrati, aut quaſi conſcium antequam ea eſſet perpetrata, ſed quod Radulfum[y] Carles Camerarium ſuum, qui Gulielmum Holmes Wakiae famulum occiderat (ipſorum jam verbis utar prout tradita reperi) *poſt perpetratam feloniam receptaſſet ſcienter*[z]; id quod ille (vir non malus) ad ultimum uſque halitum conſtantiſſime ſemper et magna cum aſſeveratione pernegavit.

Ita judicio de eo tanquam ſonte perlato, injuriae atrocitate, ac praeſertim ignominiae turpitudine commotus, ut hanc dilueret, ab Archiepiſcopo petiit, uti coram illo, ſe liceret à tam famoſo crimine immunem per canonicam purgationem declarare; quod ille aliquandiu viſus eſt annuere. Et proclamationibus pro more editis, aliquouſque res proceſſerat, quando eum Archiepiſcopus monere coepit, ut tentaret ſi ad gratiam Regis ullo pacto poſſet aditum reperire. Hinc Epiſcopus conjiciens, non auſum Archiepiſcopum ſecum agere ſecundum aequum et jus ne Regem offenderet; ad Papam decrevit confugere, cui (Avenionem profectus) rem omnem aperuit: qui Epiſcopi miſertus[a], non ſolum adverſarios, ſed praeclaros illos Judices Regios, (quamvis milites eſſent aurati) edictis in valvis Eccleſiae Paulinae propoſitis, ad curiam ſuam citandos mandavit; videlicet Gulielmum Shareſhull, Gulielmum Thorp, Henricum Greene,

---

[t] *Id. ibid.* [u] Temporalia Epiſcopi ſunt in manibus D. Regis Feb. 11. 1356, et Oct. 1. 1361. Sed Nov. 11. Epiſcopatus vacare dicitur. Lib. 5. Regiſtr. Norv. *MS. Wren.* [x] Placita coram Rege Term. Trin. 30 E. 3. Rot 11 [y] Radulphus Cubicularius, genere Normannus. [z] *Hiſt. Elienſ.* [a] Bulla prima dat. Kal. Aug. 1358. *Rym.* T. 6. p. 99. Tum fuit Epiſcopus in partibus tranſmarinis, ſed domi adeſt in Dec. 1350. *MS. Wren.*

Gulielmum Nocton, et Simonem Drayton; ex quorum poſteris vix credo quenquam hodie ſupereſſe. Et unde id conjiciam ſi perconteris, hanc accipe rationem. Si parentum carnalium cultoribus Deus mercedem proponit vitam longaevam, contemptoribus vero mortem minitatur immaturam; quanto magis hujuſmodi homunciones (nam hominum vix dignor appellatione) quibus pro ludo eſt illis contumeliam irrogare, quos ut patres ſuſcipere deberent ac venerari, ſi illud Chriſti attenderent, *Qui vos ſpernit, me ſpernit:* quanto magis inquam putemus hos Deum plectere, nec in ſe tantum ſed in poſteris quoque qui impietatem, etiam à poſteris luendam denunciavit, uſque ad tertiam et quartam generationem? Vos igitur qui tales eſtis (ſi qui tales, ſed nunquam ut auguror pauciores) utcunque inique agendo divitias forſitan accumuletis, nolite putare poſt ducenteſimum annum illuſtriores fore poſteros veſtros quam Shareſhullorum aut Noctonorum quos hodie opinor novit nemo; aut memoriam veſtram quam illorum futuram gratiorem, quos pauci credo ſine execratione memorant. Sed haec (quod aiunt) extra oleas.

Qui ad tribunal Pontificium citati ſunt, non comparuerunt, et ob contumaciam excommunicati ſunt. Lincolnienſi Epiſcopo mandatum, ut hanc excommunicationem promulgaret (id quod ille fecit, quamvis inde Regis offenſam graviſſimam incurrerit) ac deinde, ut ſi illorum quiſquam interea temporis obiiſſet (obierant autem nonnulli, ac in primis bonorum Judicum unus, Simon Draytonus) exhumatus, ſacrata terra protinus ejiceretur. Citati vero cum nihilominus in contumacia perſiſterent, agros illorum omnes ac praedia interdicto Papa ſuppoſuit. Regem haec vehementer pupugerunt, adeo ut non minus Pontifici quam Elienſi iratus, edicto proſcripſerit omnes qui literas aut cenſuras papales quaſcunque aut importarent in regnum aut promulgarent. Cumque non deeſſent qui Epiſcopo Roffenſi Angliae tunc Theſaurario literas tamen pontificias hiſce de rebus traderent, ſeque armis antequam id facerent munirent, ſe tamen ocius ſubducerent; perquiſiti ii ac deprehenſi, variis affecti ſunt poenis, aliis membrorum mutilatione, diuturno carcere aliis, nonnullis vero ſuſpendio mulctatis. Qua re nunciata, excanduit vehementer Pontifex, et literis illico perſcriptis, mandavit ut de injuriis quibus Elienſis Epiſcopus ab iniquis Judicibus et aliis miniſtris Regiis fuerat affectus, ſine mora ſatisfactionem fieri curaret: Id ſi facere ſuperſederet, atrociſſima quaeque minabatur. Rex autem bello petitus undique, ne domi tumultum Papa concitaret veritus, ad hanc tam gravem litem componendam, legatos miſit, qui ad Romanam curiam pervenientes, cum Elienſi colloquium habuerunt. Cum vero ad concordiam res ſpectare videretur et fere eſſet tranſacta; Elienſis, tam diuturnae controverſiae moleſtiis fatigatus, vitaeque pene taedio confectus, mortem obiit, Junii nimirum[b] 23. 1361[c] et in illis regionibus ſepultus eſt. Collegio ſive hoſpitio S. Petri Cantabrigiae, hic Praeſul benefactor cenſetur egregius.

[b] *Hiſt. Elienſ.*

[c] Spiritualia ſeiſita in manus Archiepiſcopi 4 Id. Jul. 1361. *Regiſtr. Iſlip.* f. 235.

XIX. SIMON LANGHAM.

* 1362. Edw. 3.37. INNOCENTIUS ſextus Papa, poſt mortem Lildi, tranſtulit illico à ſede Wigornienſi ad Elienſem Reginaldum Brian, qui morte ſublatus, beneficio hoc Pontificio uti non potuit. Joannes Buckingamus [d] (poſtea Lincolnienſis Epiſcopus) tunc electus eſt à monachis, ſed à Papa rejectus, qui Epiſcopatum contulit Simoni Langham Abbati Weſtmonaſterienſi [e]. Praefuit hic annos duntaxat quinque, (factus interea Angliae primum Theſaurarius [f], deinde Cancellarius [g]) anno 1366 Cantuariam tranſlatus. Qua de re facetus neſcio quis (ſed in illum non optime animatus) hos compoſuit verſiculos.

" Laetentur coeli, quia Simon tranſit ab Ely,
" Cujus in adventum, flent in Kent millia centum.

De illo ſupra apud Cantuarienſes plura.

XX. JOANNES BARNET.

1366. Edw. 3.4 JOANNES BARNETUS Bathonenſis et Wellenſis Epiſcopus, ad Elienſem ſedem tranſlatus eſt [h] eodem ipſo tempore quo ad Cantuarienſem Langhamus. In Wigornienſem Epiſcopum conſecratus ille anno 1362; Bathoniam migravit 1363; et grandaevus tandem Elienſis Eccleſiae curam ſuſcipiens anno (uti diximus) 1366, hic tamen ſex annos perduravit. Ab utraque Presbyterii parte binas hic erexit feneſtras [i], et vitro obduxit. Cum Angliae aliquandiu extitiſſet Theſaurarius [k], diem clauſit extremum apud Hatfeild-Epiſcopi ſeptimo Junii 1373 [l]; et, ni fallor, eo loco ſepultus jacet ubi tumulum videmus ab auſtrali parte ſummi altaris, olim (quod facile cernas) ſplendidiſſimum, ſed nunc turpiter mutilatum, ſtatuae ſuperimpoſitae capite detruncato.

XXI. THOMAS ARUNDELLUS.

* 1374. Edw. 3.48. BARNETI morte nunciata, perſcriptis ad Elienſes literis enixe petit Rex ut Joannem Woodrovium Confeſſorem ſuum in Epiſcopum velint eligere. Illi verò coeuntes, ſuffragia ſua contulerunt in Henricum Wakefeild hoſpitii Regii Seneſcallum [m]; Qua electione caſſata, Pontifex ex plenitudine poteſtatis Epiſcopum Elienſem declaravit [n], annoſum quendam, quemque virum facile credas graviſſimum, Thomam Arundellum,

---

[d] Bokingam.

[e] Bulla proviſionis data 10 Jan. 1362. Fidelitatem fecit Regi 19 Mart. 1 *Pat*. 36 E. 3. m. 15. Et poſtridie ab Archiepiſcopo conſecratus eſt.

[f] Adhuc Abbas Weſtmonaſterienſis Angliae Theſaurarius conſtitutus eſt, 1 *Pat*. 34 E 3. m. 12.

[g] Angliae fit Cancellarius, et Sigillum recepit à Rege 19 Feb. *Clauſ*. 36 E. 3. m. 39. *in dorſo*. Rectoriam de Hinton in agro Cantabrigienſi appropriavit Collegio S. Petri; caſſavit Joannes Barnet; redintegravit verò Joannes Fordham Elienſ. Epiſcopus.

[h] Bulla tranſlationis data Dec. 15. 1366. *Regiſtr. Langham*. f. 89. Reſtitutionem habet Temporalium 28 Apr. 1367. 1 *Pat*. 41 E. 3. m. 26.

[i] Fieri fecit tres feneſtras in Presbyterio ex parte auſtrali Eccleſiae, et duas ex parte (boreali. *Lib. Elienſ. A. Baker*.) aquilonari. *Hiſtor. Elienſ.*

[k] Theſaurarius conſtitutus eſt anno 1363. 1 *Pat*. 37 E. 3. m. 29. Quo munere uſque ad annum 41 Ed. 3. perſunctus eſt.

[l] *Hiſtor. Elienſ.* Obiiſſe verò dicitur Junii octavo in *Regiſtr. Wittleſ*. f. 139. Teſtamentum probatum 13 Jun. *Id*. f. 127.

[m] *Hiſtor. Elienſ.*

[n] Bulla data Id. Aug. Pontificat. Gregorii anno tertio. *Regiſtr. Wittleſ*. f. 139.

Roberti [o] Comitis Arundellae et Warrennae filium, Tauntonenſem Archidiaconum, cum jam (ô capularem ſenem) aetatis annum expleviſſet fere viceſimum ſecundum, et Subdiaconus nuper factus eſſet [p]. Sic plerique. Non deſunt tamen qui tradant, proviſionibus papalibus [q] authoritate Parliamentaria hac tempeſtate prohibitis, electum canonice Arundellum, et per Wittleſeyum Archiepiſcopum Otfordiae conſecratum Apr. [r] 6. 1375. Cum à prima deſignatione annos jam ſediſſet quatuordecim, menſes tres ac octodecim dies, Eboracum transfertur primum et poſtea Cantuariam. Interea vero, Octob. 23. Richardi ſecundi anno 10 ſummus Angliae Cancellarius conſtitutus eſt [s]. Inter aliam ſupellectilem aedibus ſuis Elienſibus relictam, menſa quaedam praecipue memoratur auro gemmiſque ornata quam ab Hiſpano Rege comparatam, tunc Epiſcopo vendidit Edwardus Princeps pro 300 marcis. Magnam etiam portam, ſeu veſtibulum aedibus Oldburnenſibus adjecit Arundellus [t]; de quo inter Cantuarienſes ſuſius.

XXII. JOANNES FORDHAM.

1388. Ric. 2. 12. DIES vix 14 ſedes vacaverat, quando Joannes Fordhamus Dunelmenſis Epiſcopus ad Elienſem ſedem per Papam tranſlatus [u] eſt. Ex Decano Wellenſi Dunelmenſis conſecratur Antiſtes Maii 29 [x]. 1381, et ibidem inthronizatur Septembri menſe 1382. Angliae Theſaurarium [y], exauthoratum ſeſe anno 1386, et Joannem Gilbertum Epiſcopum Herefordenſem ſurrogatum, tulit iniquiſſime. Dunelmenſi Eccleſiae poſtquam annos ſeptem praefuiſſet, authore Pontifice viceſimo ſeptimo Septembris 1388 in Elienſi conſedit [z], quam tenuit annos totos 37 ultra menſem unum et dies 22. Obiit Nov. 19 [a]. 1425 et ſepultus dicitur in occidentali parte capellae B. Mariae. Sic à primo conſecrationis tempore Epiſcopus vixit annos plus quam 46 [b]. De illo apud Dunelmenſes plura.

XXIII. PHILIPPUS MORGANUS.

1426. Hen. 6. 4. QUI Regis tunc infantis tutelam habebant, et procerum quamplurimi, adlaborabant impenſe ut à monachis Elienſibus eligeretur in Epiſcopum Gulielmus Alnwicus [c], legum Doctor, Regi à confeſſionibus, et privati ſigilli cuſtos, qui poſtea Lincolnienſis Epiſcopus creatus eſt. Illi vero Petrum deſignarunt Priorem ſuum. Hic, cum ab Archiepiſcopo non probaretur, curiam petiit Romanam, ubi electionum nulla habita ratione, mos invaluerat praeſulatus vacantes Pontificis arbitrio diſponendi, quoties Epiſcopi prius non conſtituerentur, quam vacaſſe ſedem illi innoteſceret. Et ſecundum hunc morem, Elienſium electionem ne flocci quidem pendens, Philippum Morganum ſuo oraculo Elienſem pronunciavit Epiſcopum. Hic legum Doctor, Wigornienſis fuerat Epiſcopus conſecratus anno 1419, et non multò poſt Fordami obitum, videlicet anno 1425 nondum exacto, Elienſi Eccleſiae[d] (ut retulimus) ingeritur à Papa. Vir[e] hercle egregie prudens, quique magna moderationis laude munus demandatum obivit per annos octo et menſes ſex[f]. Apud Hatfeild-Epiſcopi deceſſit viceſimo quinto Octobris 1434[g] et in coenobio Carthuſianorum Londini ſepultus eſt[h].

---

[o] Ita *Hiſtor. Elienſ. Whartonus* verò eum vocat RICARDUM Fitz-Alan. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 664. [p] Reſtituuntur Temporalia 5 Maii. 1 *Pat.* 48. E. 3. m. 19. Et curia prima Magiſtri Thomae filii Comitis Arundel. tenetur 31 Maii Ed. 3. 48. apud Downham. *MS. Wren.* [q] Ipſae literae proviſionales extant in ipſius Regiſtro. [r] Apr. 9. 1374. Preſentibus Simone London. et Thoma Roffenſi Epiſcop. et Dominis Richardo et Joanne de Arundell germanis ejus, et aliis quamplurimis. *Regiſtr. Elienſ.* Inthronizatus verò non ante viceſimum Aprilis 1376 .Munere Epiſcopali fungitur initio Februarii 1373, ut conſtat è Regiſtro. [s] Exauthorato Michaele de la Pole, conſtitutus eſt Cancellarius *in Parliamento, ad petitionem Praelatorum et Dominorum Temporalium et totius Communitatis Angliae*, 24 Oct. 1387. *Clauſ.* 16 R. 2. m. 35. et *Regiſtr. Elienſ.* Dum fuit Epiſcopus Elienſis, Anno ſcil. 1372, acerrimam contentionem habuit in Curia Cantuariae cum Joanne Dunwich (Cancellario Acad. Cantab. et Aulae Clarenſis Praefecto) de immunitate Univerſitatis ab Epiſcopi juriſdictione. Epiſcopus victor evaſit. *MS. Ca.* Literae originales Ric. 2. jus viſitandi Archiepiſcopo aſſerentes, ext. in Biblioth. Lameth. *MS. Lond.* [t] *Hiſtor. Elienſ.* [u] Papali authoritate, Bulla tranſlationis data 3 Non. Apr. 1388. *Regiſtr. Courtn.* f. 323. Baronibus rebellibus id petentibus. [x] Vid. inter Epiſcopos Dunelmenſes. [y] Theſaurarius Angliae conſtitutus eſt 17 Jan. 1385. 2 *Pat.* 9 R. 2. m. 42. *MS. Gale.* [z] Bullam Papalem Huntingdoniae accepit 27 Sept. 1388. Quo die et Regi et Sedi Apoſtolicae fidelitatem fecit Cantabrigiae in Eccleſia Conventuali de Bernewell, et Temporalia ei reſtituuntur. 1 *Pat.* 12 R. 2. m. 19. et *Regiſtr. Fordham Elienſ.* Et poſtridie Spiritualia reſtituta ſunt. *Regiſtr.* 3 *Elienſ.* [a] Apud Downham. Eo ſedente facta eſt compoſitio inter Epiſcopum et Archidiaconum 13 Nov. 1401. de utriuſque juriſdictione. *Regiſtr. Arundel.* f. 353. [b] Vixit Epiſcopus 43 Annos, decem menſes et quatuordecim dies. [c] Licentia eligendi prius obtenta 3 Dec. 1 *Pat.* 4 H. 6 m. 10.

XXIV. LUDOVICUS LUXEMBURGENSIS[i].

* 1438. HEN. 6. 16. POST Morgani obitum, ne Papa anteverteret, elegerunt illico in Epiſcopum ſuum Elienſes Robertum Fitz-hugh Epiſcopum Londinenſem, qui tranſlatione ſua nondum perfecta defunctus eſt. Rex tum perſcriptis ad Priorem et Conventum literis, ut Thomam Rodburn Epiſcopum Menevenſem eligerent rogavit. Caeterum illi, vota nihilo ſecius contulerunt in Thomam Bourchier Epiſcopum Wigornienſem, cujus electionem Papa etiam confirmavit; ſed quod temporalia ejus ſedis Rex illi tradere pertinaciter recuſaret, electioni de ſe factae renunciavit. Quare Rege[k] annuente, Epiſcopatus illius adminiſtrationem[l] commiſit Papa Ludovico[m] Luxemburgenſi Cardinali, Rothamagenſi Archiepiſcopo et tam Galliae quam Normanniae Cancellario ſub Henrico ſexto Angliae Rege, tum nuper Pariſiis in Francorum Regem coronato, cui ſanguine dicitur propinquus. Hunc Luxemburgenſem perperam vocari contendit Ciaconius, mutuato nempe nomine à ſorore, quae Uvalera de Lutcemburgo eſſet nuncupata, cum vero nomine Ludovicus de Bar fuiſſet ap-

---

[d] Tranſlatus à ſede Wigorn. Bulla Martini Papae 3 Kal. Mar. 1425. Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 26 Apr. 1426. *Regiſtr. Chichl.* Temporalia prius reſtituta poſt debitum obſequium 22 Apr. 2 *Pat.* 4 H. 6. m. 18.

[e] Wallicus fuit Natione. Lib. Thorney inter Epiſcopos Elienſ. *MS. Hutton.*

[f] Annos novem, menſes 6, dies 18. *Lib. Elienſ.*

[g] Ob. Anno 1435. Ut patet ex ſolutione facta à Priore et Conventu Elienſi (cuſtodibus temporalium, ſede vacante, pro 2000 Libras annuatim ſolvendas) quae creſcit ad 4884 libras, duodecim ſolidos et ſex denarios; et Succeſſori non reſtituta ſunt temporalia uſque ad tertium Aprilis anno Regni Henrici ſexti decimo ſexto. Vacavit igitur Epiſcopatus ſecundum hanc rationem per duos annos, quinque menſes et perpaucos dies; quod ſi deducas à tertio Aprilis 1438, Philippi mors incidit ſub exitum Octobris 1435. Hoc pendet ex computo ſuperiùs prolato; et Rotulum computi ſe vidiſſe aſſerit Rev. Pater Matt. Wren non ita pridem hujuſce Sedis Epiſcopus, in Notis MSS.

[h] Sedente hoc Epiſcopo, A. ſcil. 1430, cum Cantabrigienſibus Academicis ſuper jure viſitandi illam Academiam magna intereſſet contentio, ut *Caium* legenti patebit, in Libro de *Antiquit. Cantab. Acad.* L. 1. p. 62. Verba ejus deſcribam "Anno ſalutis 1430—orta eſt controverſia inter Elienſem Epiſcopum et Academiam Cantabrigienſem, Joanne Holbroke Cancellario, de juriſdictione Eccleſiaſtica, quam ut à multis annis authoritate Principum et Rom. Pontificum exercuerat Cantabrigienſe Gymnaſium, ita " Elienſis Epiſcopus ad ſe jure ſuo pertinere exiſtimabat, quod Cantabrigia in dioeceſi Elienſi conſtituta ſit. Academia " autem haud lubenter renuncians conſuetudinibus, quas vetuſtatis privilegia ac vetera ſtatuta condita, ab authoritate " Principum et Rom. Pontificum pendentia, fecerant, et longus uſus confirmaverat, omnem cauſam ſupplicibus literis ad " Martinum Pontificem Rom. referebat. Ille autem cauſae neſcius, delegatos ſuos conſtituit Priorem de Barnewell, et " Joannem Deping Canonicum Lincoln. ad definiendam controverſiam.——Coram his conteſtata lis eſt;——à quibus, " authoritate Martini Pontificis Romani, conſtitutum et definitum eſt, ut Academia Cantabrigienſis eccleſiaſtico et ſpirituali, ut prius, jure uteretur, prohibito ne quis Archiepiſcopus, aut alius Eccleſiaſticus interturbet. &c."

[i] LUSHBURNE, *Lib. Elienſ.* LUSCHBURG, *Hiſtor. Elienſ.*

[k] Imo Rege id à Papa obnixè petente per Epiſtolas ad eum nonnulloſque Cardinales Jun. 22. 1437 datas.

[l] Sub initium anni 1438, vel potius ſub exitum anni 1437, Cuſtos fit Temporalium 3 Jul. 1437, reſtituta verò non ſunt ante tertium Aprilis 1438. *Pat.* 16 H. 6. par. 2. m. 37.——In computo pro Manerio de Holburn anno Regni H. 6. 17, dicitur annus primus Dom. Ludovici Adminiſtratoris perpetui Eccleſ. Elienſis; & H. 6. 18 dicitur Ludovici ſecundus, et ſic alibi. *MS. Wren.*

[m] Ludovicus Joannis Dom. de Beaurevoir et Margaretae de Enghien filius, Petri Comitis S. Pauli frater. *Ciacon.* Tom. 2. col. 903.

pellandus. Ex Epiſcopo Morinenſi Archiepiſcopus Rothamagenſis[n], ac deinde Decembris 18. 1439 Presbyter Cardinalis titulo SS. Quatuor Coronatorum creatus eſt[o]. Obiit[p] apud Hatfeild-Epiſcopi Septembris 18 1443, cum ſediſſet annos ſex menſeſque totidem, ac in Eccleſia Elienſi dicitur ſepultus inter duas columnas prope altare reliquiarum[q].

* * *

XXV. THOMAS BOURCHIER.

1443. HEN. 6. 22. REPETITA electione, Thomas Bourchier antedictus, jam denuo electus[r], et Rege annuente confirmatus eſt in Elienſem Epiſcopum Martii duodecimo ſequente. Hic Henrici Eſſexiae Comitis frater, ex Decano S. Martini, Wigornienſis fit Epiſcopus anno 1435 ibique ſedit annos octo. Hic loci vero praefuit annos decem, menſes ſex, et diebus duodecim, quo ſpatio temporis confecto, ad ſedem Metropoliticam Cantuarienſem provectus eſt.

* * *

XXVI. GULIELMUS GRAIUS.

1454. HEN. 6. 33. QUATUORDECIM dies nec amplius cum ſedes vacaſſet, Nicolaus quintus Papa Gulielmum Graium S. Theologiae Doctorem[s], pro ſummo quo eum amore complexus eſt, Epiſcopum declaravit Elienſem. Hic nobiliſſima ortus proſapia, familia nempe Baronum Gray de Codnor, quod ab ineunte aetate indole fuiſſet egregia, et ad literarum diſciplinas valde propenſa, magna cura educatus et in literarum ſtudiis inſtitutus eſt, Oxonii[t] primum in Balliolenſi Collegio, deinde Ferrariae in Italia, ubi Guarinum Veronenſem longo tempore audivit, et magnam merito laudem ex linguis elimatis ac varia rerum cognitione foeliciter ſibi comparavit. Multa ſcripſiſſe perhibetur et ante et poſt acceptas Romae infulas. Neque vero literis adeo unicè intentus fuit, ut caeterarum rerum rudis et imperitus extiterit. Henricus ſextus Rex, egregiam hominis prudentiam, cum magna ſolertia conjunctam, rerumque gerendarum dexteritatem eximiam, perſpectam habens, procuratorem ſuum conſtituit, ut negotia ſua Romae curaret expedienda apud ſummum Pontificem; qui recondita ejus eruditione delectatus, huic ſedi ultro et vix rogatus eum praefecit. Fieri non potuit ut hujus tanti viri opera in reipublicae adminiſtratione Rex non uteretur. Quapropter reverſus in patriam, Angliae conſtituitur Cancellarius[u]. Sedit annos 24, menſes duo et dies 21. Interea vero, magnam impendit pecuniam in ſtructura campanilis quod ab Occidentali parte Eccleſiae ſitum eſt; atque Auguſti quarto 1478 [x] Downhamae moriens, multam ſacram ſuppellectilem legavit Eccleſiae ſuae, in qua ſepultus jacet inter duas columnas [y].

---

[n] Anno 1436. *Ciacon. ib.*

[o] Et Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus anno 1442 ab Eugenio Papa. *Petr. Frizon. in Gallia purpur.* Nullam tamen hujuſce mutationis memoriam ſe inveniſſe in Vaticanis monumentis *Felix Contelorius* teſtatus eſt in *Elencho.* Nihilominus Ciaconius Ludovicum inter Cardinales collocat.

[p] Oct. 4. 1443. *Ciac.* T. 2. col. 903.

[q] Cor verò ad Eccleſiam Rothamagenſem fuit delatum. *Hiſt. Elienſ.*

[r] Proviſus eſt ab Eugenio quarto Papa; Bulla tranſlationis data 20 Dec. 1443. Spiritualia accepit ab Archiepiſcopo apud Lametham 28 Febr. ſequentis. *Regiſtr. Stafford.* f. 13. Temporalia reſtituta ſunt 27 Febr. 2 *Pat.* 22 H. 6. m. 28. Conſtat verò è *Regiſtro* f. 1. tranſlatum fuiſſe ab Epiſc. Wigorn. *penultimo die Februarii* 1443.

[s] Archidiaconum Richmondiae, Notarium et Referendarium Apoſtolicum ait Bulla Proviſionis, dat. 11 Kal. Julii 1454: nec non literae patentes temporalia reſtituentes datae 6 Sept. 1454. 1 *Pat.* 33 H. 6. m. 12.——— Conſecratus eſt per Archiepiſcopum apud Mortlake Sept. 7. aſſiſtentibus Joanne Wigorn. et Richardo Roffen. Epiſcopis. *Regiſtr. Gray.* foll. 120. Octavo vero Septembris, non ſeptimo, conſecratum fuiſſe dies indicat dominica. Inſtallatus in Feſto ſancti Cuthberti anno 1458. *Hiſt. Elienſ.* die ſc. 20 Martii. *Regiſtr.* 5. *Elienſ.*

[t] Oxoniae fuit Cancellarius annis 1441 et 1442. *Hiſt. et Antiqu. Oxon.* L. 2. p. 407.

[u] Non Cancellarius ſed Theſaurarius à viceſimo quinto Octobris 1469, 1 *Pat.* 9 E. 4. m. 9. uſque ad decimum Julii 1470 *Pat.* 10 E. 4. m. 7.

XXVII. Joannes Morton.

1478. Edw. 4. 18.

SUCCESSIT illi vir celebris, et nunquam ſatis laudatus, Joannes Mortonus legum Doctor; cujus prudentiae acceptam feramus oportet foeliciſſimam illam Lancaſtrenſis familiae cum Eboracenſi conjunctionem, qua inteſtinum illud bellum ſopitum eſt, quo nunquam vidit noſtra Anglia vel funeſtius, vel diuturnius. Natus eſt Berreyae [z] prope Blanfordam in Dorceſtria, et factus eſt primum Eccleſiae ſancti Dunſtani apud Londinum Rector, tum ſancti Decumani in Eccleſia Wellenſi Praebendarius, et rotulorum Magiſter, ac Angliae denique Cancellarius. Auguſti nono, die videlicet quinto poſt Graii obitum, electus eſt [a] canonice ab Elienſibus. De conſecrationis tempore nil comperi. Sediſſe vero traditur annos plus minus octo, donec anno 1486 Cantuariam tranſlatus eſt [b]. Caeterum ante diſceſſum in aedium ſtructura, ac praecipue Hatfieldenſium, magnos ſumptus fecit; quemadmodum et in arce Wisbichenſi [c], cujus magnam partem, videlicet molem illam lateritiam à fundamentis totam excitavit. Aggerem etiam fecit illum quem hodie, THE NEW LEAME appellamus, ut vecturam Elienſes ſui haberent expeditiorem, cujus tamen uſus his temporibus permagnus non eſt. Et queruntur incolae, Nenni fluvii curſum in mare per Clowroſs multum inde impeditum. De iſto qui plura volet, petat Cantuarienſes.

XXVIII. Joannes Alcock.

1486. Hen. 7. 2.

POST tranſlationem Mortoni, ſedes (ſecundum quoſdam) annos tres vacavit. Caeterum mihi videtur conſtare, eodem ipſo anno, videlicet 1486, ab Eccleſia Wigornienſi ad Elienſem tranſlatum Joannem Alcocum legum Doctorem. “Qui (authore Balaeo [d]) ab ipſa pueritia bonarum literarum ſtudiis ac pietati deditus, ita à virtute in virtutem crevit, ut eo nemo per Angliam majori ſanctitatis nomine inſigniretur. Parciſſime per totam aetatem victitaſſe dicitur, duriterque vigiliis, ſtudiis, abſtinentia et aliis caſtigationibus domuiſſe prurientis ſuae carnis illecebras.” Natus eſt Beverleiae in comitatu Eboracenſi, Cantabrigiae educatus, et ex Decano ſancti Stephani [e] Weſtmonaſterii ac rotulorum Praefecto, Roffenſis anno 1471 conſecratus Epiſcopus; à qua ſede ad Wigornienſem anno 1476, et Walliae Praeſes conſtitutus [f], Elienſis tandem

---

[x] *Hiſtor. Elienſ.* Ob. ante octav. Aug. 1478. 2 *Pat.* 18 E. 4. m. 25.

[y] Ex boreali parte Eccleſiae. *Hiſt. Elienſ.*

[z] Vulg. BEERE.

[a] Electus eſt octavo die Auguſti. Proviſionis verò Bullas recepit 24 Decembris. Et conſecratus eſt apud Lametham 31 Jan. 1478. *Hiſt. Elienſ.* Temporalia prius reſtituta Jan. 4. 2 *Pat.* 18 E. 4. m. 16.

[b] Vide ſupr. p. 130.

[c] *Camdeni Britan.* T. 1. p. 495.

[d] Par. 1. p. 631.

[e] Conſtitutus eſt Decanus hujus Capellae 29 Apr. 1462. *Pat.* 1 E. 4. par. 2. m. 28. *MS. Gale.*

[f] Anno decimo octavo Edwardi quarti. *MS. Moor* num. 388. in Bibl. Reg. Cantab.

Eccleſiae gubernaculo admovetur [g], et Angliae Cancellarius [h] à ſapientiſſimo Principe Henrico ſeptimo deſignatur. Dum adhuc Wigorniae ſubſiſteret, Weſtburienſem Eccleſiam auxit permultum à Septentrionali latere, quod eleganti opere novum extruxit: Deinde Kingſtonae ad Hullum fluvium ſcholam fundavit, et capellam aedificavit ab Auſtrali parte Eccleſiae [i], ubi parentes ſui fuerant humati, atque Cantariam (ut appellamus) ibi ordinavit. A fundamentis deinde excitavit aulam illam tam ſpecioſam quam ſpacioſam palatii ſui Elienſis, una cum ſolario pulcherrimo ibidem, et in ſingulis fere domibus Epiſcopalibus multa aedificavit. Collegium denique bonarum literarum ſtudioſis Cantabrigiae inſtituit, Jeſus nomini ſanctiſſimo dicatum, ubi monialium quandoque fuerat Coenobium ſanctae Radegundis dictum; quod, fatiſcentibus aedificiis et devaſtatis praediis, monachae jam deſeruerant omnes praeter duas, quarum una dicebatur abiturire, altera ex ephebis nondum exceſſerat. Quapropter impetrata ab Henrico ſeptimo Rege licentia, in Collegium convertit hoc Monaſterium Alcocus, in quo [k] Praeſidem collocavit ſive Magiſtrum, ſocios ſex [l], et ſcholarium numerum mihi incompertum, qui aliorum dein munificentia multum auctus eſt. Et hoc collegium honori dedicavit ſacratiſſimae Trinitatis, Beatae Virginis et [SS. Joannis et] Radegundis. Reddituum Epiſcopalium quicquid in his ſtructuris non eſſet impenſum eleëmoſinae ac menſa hoſpitalis abſumpſerunt. Cum annos ſediſſet quatuordecim, ab hac vita ad aliam tranſlatus eſt [m] (operum tam piorum mercedem accepturus) Octobris primo 1500. Humatus eſt in Capella à ſe conſtructa ab Aquilonari parte presbyterii, ubi monumentum viſitur olim ſplendidiſſimum, ſed à vecordibus neſcio quibus pudendum in modum deformatum. Inter tot praeclaros viros quot ex hoc Collegio prodierunt et prodeunt quotidie, quàm vellem non deeſſet qui (Henrici Savilli Equitis aurati pietatem laudatiſſimam aemulatus) patrono de ſe optime merito tumuli honorem debitum reſtitueret.

XXIX. Richardus Redman.

1501. Hen. 7. 16. POST Alcoci mortem, integrum per annum ſedes vacaverat, quando Richardus Redmanus S. Theologiae Doctor [n], Cantabrigiae educatus, ac Aſſaphenſis in Wallia primum, deinde Exonienſis Epiſcopus, huc transfertur [o]. Annos ſedit duntaxat tres, ſex menſibus adjectis [p], et Auguſti 25 [q]. 1505 defunctus, ab Aquilonari parte presbyterii ſepultus eſt inter duas columnas, ubi tumulum videmus ſpecioſum ex polito lapide affabrefactum. Erga egenos munificentia ejus multum laudatur. Quoties iter faceret, ſingulis petentibus nummum dabat, qui ad minimum ſex denarios noſtrates valeret, hoc eſt, aurei partem duodecimam; et ne dandi materia careret, adventum ſuum ubique qua tranſibat campanae pulſatione ſignificare conſuevit. Veriſimile eſt illum qui tam multum palam donabat, plurima etiam contuliſſe clanculum quae omnibus non innoteſcerent.

---

[g] Proviſionis Bulla data 6 Oct. 1486. Anno Pontificatus Innocen. 8 Papae tertio. Regium habet aſſenſum et Temporalia reſtituta 7 Dec. 1486; et inthronizatus eſt 17 ejuſdem menſis. *Regiſtr. Alcock.*

[h] Angliae fit Cancellarius, ſeu Cuſtos Sigilli 1473. *Clauſ.* 12 E. 4. m. 16. Et iterum 6 Martii 1486. *Clauſ.* 1 H. 7. *in dorſo.* idque munus ſeſquianno tantum adminiſtravit.

[i] A. 1484. *MS. Wood.*

[k] Perfectum eſt hoc Collegium 1496.

[l] Et totidem Scholares.

[m] Obiit apud Wisbech.

[n] Quandoque fuit Abbas Monaſterii de Schappa in Weſtmorland. Ordinis Praemonſtratenſis erat et Carliolenſis Dioeceſeos. *Lib. Nig. Elienſ. MS. Wren.*

[o] Menſe Auguſti 1501.

[p] Quatuor completos.

[q] De tempore quo fatis ceſſit Richardus noſter, oritur inter Archiv. diſcrepantia. Regiſtrum Warhami aſſerit Spiritualia ab Archiepiſcopo in poteſtatem ſuam redacta eſſe Auguſti viceſimo quinto. In Rotulis verò Curiae Mercati de Wisbich, Curiae proximè poſt feſtum S. Bartholomei et proximè ante feſtum S. Egidii (Sept. 1.) tenentur pro Domino Epiſcopo; ſed proximè poſt S. Egidii pro Domino Rege. *MS. Wren.* De qua ita conjecit Whartonus, Epiſcopum obiiſſe apud Londinum, quod Spiritualia Archiepiſcopus tam cito invaſerit; mors verò ipſius in Dioeceſi ſua non ante biduum vel triduum audita eſſe. Teſtamentum ejus factum 18 Aug. 1501. probatum 24 Oct. 1505. Lib. Holgrave. Et obiit 24 Auguſti, uti conſtat ex brevi Regis pro temporalibus Jacobo Stanley dat. 13. Nov. *MS. Anſtiſ.*

XXX. JACOBUS STANLEY.

SUCCESSIT illi Jacobus Stanleius S. Theologiae Doctor[r], Comitis 1506.
Derbienſis frater[s], de quo praeterea nihil boni traditur. Anno 1506 HEN. 7. 21.
conſecratus[t], annos ſedit octo cum dimidio, cujus temporis in Eccleſia ſua parum aut nihil abſumpſit. Aeſtatem plerunque Somerſamae tranſigebat, ubi mulierculam alebat[u] (ne dicam concubinam) cujus conſortio plus quam nimium utebatur. In hyeme vero cum fratre degebat ut plurimum in comitatu Derbienſi. Sic voluptatibus immerſus, familia ex qua natus eſt nobiliſſima tantoque munere indignus vitam exegit, et nulla re praeſtita memorabili[x] anno 1515 interiit[y].

XXXI. NICOLAUS WEST.

OCTOBRIS ſeptimo 1515 Nicolaus Weſt S. Theologiae Doctor, et 1515.
Windeſorenſis Decanus[z], in Epiſcopum Elienſem conſecratus eſt[a], HEN. 8. 7.
qui Putneyae natus, patrem habuit Joannem Weſt piſtorem. Literis puer inſtitutus eſt Eatonae, unde Cantabrigiam tranſlatus, in Collegio Regio ibidem educationem reliquam ſortitus eſt. Primis adoleſcentiae annis et antequam gradum aliquem ſcholaſticum ſuſcepiſſet, Academia ejectus eſt, quod factionibus nimis addictus, Collegii ſui Praeſidi de Procuratoris neſcio cujus electione ſuccenſens, noctu aedes ejus iratus incendiſſet. Poſtea tamen indoli ejus egregiae datum, ut quanquam Collegio excluſus, in Academiam tamen rurſus reciperetur, ubi fama ſatis ſecunda multos per annos poſtea vixit. Aluit hic Epiſcopus in familia (ſicut traditum reperi) famulos centum, quorum quinquaginta percipiebant annuatim ſinguli quatuor marcas, reliqui quadraginta ſolidos, omnes vero panni ad veſtem hiemalem conficiendam quatuor ulnas, ad aeſtivalem vero tres ulnas cum dimidio. Pauperibus deinde ducentis dabat quotidie obſonia cocta, et annona cum eſſet cara pecuniam praeterea multam. In Eccleſia

---

[r] Ex Academia Cantabrigienſi.

[s] Thomae Comitis filius natu ſextus. Decanus fuit S. Martini London; et Archidiaconus Richmondiae Dec. 5. 1500. Collegii Manceſtrenſis Cuſtos. Epiſcopus fit Elienſis per proviſionem Papalem.

[t] Temporalia in manibus Domini Regis Jun. 19. 1506. *MS. Wren.* Et paulo poſt reſtituta ſunt Epiſcopo.

[u] Per quam habuit filium nothum nomine Joan. de Yarford Militem. *MS. Wood.*

[x] Niſi quod aedes Epiſcopales apud Somerſam novis aedificiis adauxit.

[y] Ob. 22 Mar. 1514, et ſepultus jacet in Capella S. Joan. Baptiſtae infra Eccleſ. Collegiatam de Mancheſter. *Dugdal. Baron.* V. 2. p. 429. a. Sepult. Wintoniae, ſed perperam, ait *Milles in Catal. Honor.* p. 886.——Teſtamentum fact. 20 Mar. 1514. probat. 23 Maii 1515. extat in Libro Holder in Off. Prerog. Cant. *MS. Anſtis.* De hoc Epiſcopo ita ſcribit *Jo. Sherman in Hiſt. MS. Coll. Jeſu Cantabr.* “Inter benefactores Coll. Jeſu Cantabr. primo nominandus venit R. P. Jacobus Stanley, qui fructus Rectoriae Eccleſiae Parochialis de Shelford M. in ejus patronatu poſitae; ad novum Sodalitium fundandum, unà cum praeceptore Grammatices, et Hoſtiario appropriari fecit. Statuta inſuper Jacobus conſilio ſuo condidit, quae Julius ſecundus Pontifex Rom. ſimul et Collegii fundationem authoritate Apoſtolica ſancivit. Joannes [Alcocus] Epiſcopus vivendi rationem ſubminiſtravit; Joanne morte repentina ſublato Jacobus vivendi normam adhibuit. Quae diſertius notanda duxerim, quod Godwinus hunc Praeſulem *nulla re memorabili praeſtita* interiiſſe pronuntiat: Quod quam candide dictum eſt ex iis quae diximus (ut ejuſdem Epiſcopi expenſas in aedibus Somerſhamenſibus ornandis, et in Sacello ex parte Boreali Eccleſiae Collegiatae Manceſtrianae, cujus Cuſtos fuit, inſtaurando prorſus taceam) lector aequiſſimus judicet.”

[z] Rector fuit Eccleſiarum de Elford et de Witney. Regiſtr. Smith. Ep. Linc. et Regiſtr. Atwater. *MS. Hutt.*

[a] A Willelmo Archiepiſcopo apud Lametham 7 Oct. 1515. *Regiſtr. Warham.* f. 19.

Putneienſi, ubi natus eſt, ex lapidibus politis capellam extruxit, laqueari [fornicato] conteɐtam exquiſiti operis[b]. Cum Eccleſiae Elienſi annos ſeptendecim praefuiſſet, quod cauſae divortii Regis cum Catharina uxore non nimium faviſſet, offenſam ejus incurrit; unde ſuſpicantur nonnulli, morbum ex nimio moerore contractum, qui illi fuerit lethalis. Probabilius eſt, fiſtulam in ano, qua certum eſt laboraſſe, perniciem illi attuliſſe. Quaecunque demum cauſa fuerit, Aprilis ſexto[c] deceſſit 1533. Sepultus jacet in Capella à ſe dum viveret magno ſumptu extructa, quae à praesbyterio ſita eſt ad ortum hiemalem. Collegii Regii (ubi fuerat ſcholaris) benefactorem eum egregium extitiſſe audio. Sed quid praeſtiterit ſigillatim recenſere nequeo.

* * *

XXXII. THOMAS GOODRICH.

1534. HEN. 8. 25. DEFUNCTO Weſto, ſucceſſor deſignatur Hawkinus legum Doctor, cui avunculus fuit Weſtus et in baptiſmo ſuſceptor, etiam Archidiaconatum Elienſem ei contulit. Educatus hic eſt ſicuti avunculus in Collegiis Etonenſi primum, ac deinde Regio Cantabrigiae[d]; et quo tempore ille obiit, Legatum Regium agebat in partibus tranſmarinis; unde accerſitus, cum ipſe tum univerſa fere familia dyſenteria correpti ſunt, quo morbo, inter caeteros, ipſe, priuſquam deſtinatum ſibi thronum poſſet conſcendere, ſublatus eſt è medio. Poſt annuam tandem vacationem, iſtius Eccleſiae adminiſtrationem coepit capeſſere Thomas Goodrichus[e] legum Doctor ut nonnulli, Theologiae[f] ut alii, qui etiam Cantabrigiae creatum contendunt. Conſecratus[g] eſt April. 19. 1534, et ſedit ſupra viginti annos, dies viginti. Extruxit iſte ſolarium pulchrum ab Aquilonari parte palatii ſui Elienſis, et in ornatu illarum aedium multum impendit pecuniae[h]. Obiit Somerſamae Maii 10. 1554, et in meditullio fere Presbyterii jacet humatus. Quae jam ulterius de eo dicenda reſtant, malim alienis verbis audiatis quam meis. Ad ea namque tempora jam pene perventum, de quibus loquendum parcè; mihi judicans neque tutum illos reprehendere, nec decorum laudare (quantumvis vere) quorum memoria recens, et (ſi non ipſi) propinqui tamen et neceſſarii ſuperſtites apud nos vivunt. Erit fortaſſis tempus, quando me ad ſperatam in coelis patriam tranſlato, de meorum temporum Pontificibus ſcripta (quae jam nunc meditor) edi poſſint, ſine vel metu offenſae vel adulationis ſuſpicione. Caetera proinde de hoc antiſtite perſcribenda, narrabit Epitaphium:

" Thomas Goodricus annis plus minus 20 hujus Eccleſiae Epiſcopus,
" hoc loco ſepultus eſt. Duobus Angliae illuſtriſſimis Regibus, variis et
" Religionis et Reipublicae muneribus pergratus fuit; Foris enim apud
" exteros Principes ſaepe Legatus, domi quidem cùm Regi Edwardo
" ejus nominis ſexto aliquamdiu Conſiliarius extitiſſet, magnus tandem

---

[b] Vid. Pitſaeum. [c] *Hiſt. Elienſ.* Whartonus verò è *Regiſtris Warham* et *Cranmer* diem 28 opponit. [d] Non ex fundatione, ſed ex famulitio, et poſteà factus eſt Socius Coll. Jeſu. Natus apud Kirby in agro Lincoln. *Fuller.* [e] Filius Edwardi Goodrich de Kirby comitatu Lincoln. *Strype* in *Eccleſ. Memor.* V. 2. p. 462. [f] Theologiae Doctor. *Ex Archivis Academ.* [g] Electus eſt per Priorem et Conventum, per modum compromiſſi Mar. 17. 1533. Confirmatus 13 Apr. 1534. *MS. Wren.* Conſecratus apud Croyden. [h] Magnum Angliae Sigillum habet liberatum 22 Dec. et Cancellarius eſt creatus ab Edwardo ſexto 19 Jan. proximè ſequentis, 1551. *Clauſ.* 5 E. 6. p. 5. Amotus eſt primo Mariae, Epiſcopatum verò tenuit uſque ad mortem.

“ factus Angliae Cancellarius. Chariorne Principi propter ſingularem
“ Prudentiam, an amabilior populo propter Integritatem, et Abſtinen-
“ tiam fuerit, adjudicandum eſt perquam difficile. Obiit 10 die Maii
“ Anno à Chriſto nato milleſimo quinquageſimo quarto[i].”

XXXIII. THOMAS THIRLBY.

1554. Mar. 2. QUANDO Henrico Octavo viſum Eccleſiam Cathedralem Weſtmonaſterii collocare, Epiſcopum inibi primum (qui porro poſtremus fuit) collocavit Thomam Thirlbaeum legum Doctorem[k], quem nonnulli Cantabrigiae educatum ibique Theologiae Doctorem creatum contendunt. Conſecrationem accepit decimo nono Decembris[l] 1540. Anno vero 1550 Norwicum tranſlatus eſt ſub Edwardo Rege, ac inde ad hanc Eccleſiam per Mariam Reginam[m], quae etiam in album aſcripſit eorum qui ſibi eſſent ab arcanis et intimis conſiliis. Illa defuncta, quod reformationi ab Elizabetha Regina inſtitutae magna pertinacia adverſaretur, in turrim Londinenſem conjectus, et lata lege exauthoratus eſt[n]. Poſt cuſtodiam neque arctam admodum neque diuturnam, per amicos à Regina clementiſſima facile impetravit, ut in Archiepiſcopi Cantuarienſis (Parkeri) familia degeret, una cum Boxallo non ita pridem Secretario, et Tunſtallo ab Epiſcopatu Dunelmenſi nuper etiam amoto. Humaniſſime ab Archiepiſcopo excepti ſunt, qui rerum humanarum viciſſitudinem recolens, inde potuit diſcere, omnipotentiae divinae quam fuerit facile, ipſum in apice modo collocatum Eccleſiaſticae dignitatis mox dejicere, ac ſicut iſtos, à ſummis honoribus ad infima quaeque deturbare. Quanquam iſtos quid nomino? quos habeo perſuaſiſſimum in hac cuſtodia (ſic enim quibuſdam placet appellare) tranquillius vixiſſe et verae ſinceraeque voluptatis plus multo percepiſſe, quam quo tempore fortuna uti maxime propitia viſi. Deceſſit Lamethae viceſimo ſexto Auguſti 1570, et ſaxo tectus marmoreo, in medio Cancelli Parochialis Eccleſiae quae eſt ibidem ſepultus jacet[o], ad Tunſtalli Dunelmenſis caput. *Hic Romana legatione, de obedientia ſedi Romanae deferenda, et Cameracenſi tractatu, magnam prudentiae laudem conſequutus eſt.* Sic de eo Camdenus noſter. Traditum etiam reperi, Sacerdotiorum ſex jus patronatus Collegio Jeſu Cantabrigiae contuliſſe[p].

XXXIV. RICHARDUS COX.

1559. Eliz. 2. THIRLBAEO in ordinem redacto, ſubſtitutus eſt ab Elizabetha Regina Richardus Cox, S. Theologiae Doctor[q], qui viceſimo primo

---

[i] Deeſt *quingenteſimo*. [k] Jur. Civ. Doct. 1528. *Regiſtr. Acad. Cantabr.* [l] *Regiſtr. Cranmer.* f. 261. [m] Licentia eligendi conceſſa eſt 10 Jul. 1554. *Rym.* T. 15. p. 403. Regium habet aſſenſum 17 Aug. *Ib.* p. 405. Temporalia reſtituta ſunt. 4 Sept. *Ib.* p. 405. Inſtallatus 24 Sept. *MS. Wren.* [n] Spiritualia, poſt deprivationem Thirlbaei, ſeiſita à Decano et Capit. Cantuar. 23 Nov. 1559. *Regiſtr. Cant.* [o] Cum hoc Epitaphio. *Hic jacet Tho. Thirlby olim Epiſcopus Elienſis, qui obiit 26 die Auguſti A. D.* 1570. [p] Viz. FORDHAM, GILDEN-MORDEN, WICHFORD, HINXTON, SWAVESEY, et COMBERTON. Vel potius à Regina Maria obtinuiſſe, centum libris debitis ei ſub privato Sigillo. *MS. Wren.* [q] Natus apud Whaddon Com. Buckingh. Per promotionem Thomae Thirlby fit ab Hen. 8. Archidiaconus Elienſ. A. 1541. et A. 1548. Canonicus Windeſoriae.

Decembris 1559 conſecratus eſt[r]. Hic in Collegio Regio Cantabrigiae aliquandiù educatus eſt, donec videlicet à Wolſaeo Cardinale propter indolem egregiam avocatus eſt inde, ut Collegii à ſe recens Oxoniae inſtituti fieret alumnus. Eatonenſis tum Ludimagiſter, ſcholam rexit ibidem tempore haud longo, Edwardi Regis in bonis literis inſtitutioni operam juſſus navare. Ab illo Decanus fit tam Weſtmonaſterienſis quam Oxonienſis, et illius Academiae Cancellarius, conſtitutus etiam eidem Regi ab eleëmoſynis, necnon (teſte Balaeo) ab arcanis conſiliis. Maria regnante, exul in Germania vixit. Elienſi vero praefuit Eccleſiae annos 21, et menſes octo[s]. Sepultus jacet prope Goodricum ſub marmoreo ſaxo, cui, magni Epitaphii parte amiſſa, haec carmina inſculpta reperi.

"Vita caduca vale, ſalveto vita perennis;
"Corpus terra tegit, ſpiritus alta petit.
"In terra Chriſti Gallus Chriſtum reſonabam,
"Da, Chriſte, in coelis te ſine fine ſonem.

XXXV. MARTINUS HETON.

1599. ELIZ. 42. VACAVIT ſedes poſt Coxi obitum annos ferme viginti. Elizabethae Reginae viſum tandem Martinum Hetonum S. Theologiae Doctorem[t] eidem praeficere, Wintonienſem Decanum, et aedis Chriſti (ubi fuerat educatus) Praebendarium. Conſecratus[u] eſt tertio Februarii 1599, et decimo quarto Julii 1609[x] migravit ex hac vita.

XXXVI. LANCELOTUS ANDREWS.

1609. JAC. 7. LANCELOTUS ANDREWS Aulae Pembrochianae in Academia Cantabrigienſi ſocius primum, ac deinde Praeſes ſive (ut loquimur) Magiſter, cum Riceſtrenſis eſſet Epiſcopus, et Jacobo Regi ab eleëmoſynis, huc tranſlatus eſt ſub initium anni 1610[y]. Vir quanta dicendi vi praeditus ac in concionibus praecipue ſacris, loquatur Aula Regia, loquatur univerſa Anglia, quanta eruditione, loquetur ſed non ſine ſtomacho credo, ab illo tortus, Tortus ille Cardinalis. Februarii 25. 1618 fit Epiſcopus Wintonienſis.

XXXVII. NICOLAUS FELTON.

1618. JAC. 16. AD Wintonienſem ſedem ab Elienſi tranſlato Lanceleto Andrews Feb. 25, ſufficitur Nicolaus Felton, Epiſcopus Briſtolienſis, Martii undecimo ſequenti, hoc eſt diebus quatuordecim ante annum 1619 inchoatum.

---

[r] Conceſſa eſt licentia eligendi 18 Jul. 1559. *Rym. Foed.* T. 15. p. 537. Regium habet aſſenſum 18 Dec. *Ib.* p. 552. Temporalia reſtituta. 23 Mar. *Ib.* p. 575.

[s] Ob. Jul. 22. 1581.

[t] Natus eſt in agro Lancaſtr. Fit Canonicus Eccleſ. Chriſti Oxon. Dec. 2. 1582.

[u] Temporalia reſtituta ſunt 23 Jan. 1559. *Rym.* T. 16. p. 394. et Conſecratus eſt 3 Feb. *Regiſtr. Whitg.* f. 37.

[x] Apud Mildenhall Com. Suffolciae, aetatis 57.

[y] Confirm. 6. Nov. 1609. *Regiſtr. Bancroft.* f. 84.

Norfolcienſis erat[z]; Aulae Pembrochianae Cantabr. et Socius et Cuſtos. Anno 1617 ad Epiſcopatum Briſtolienſem promotus, et inde poſt quindecim menſes ad Elienſem tranſlatus, Martii undecimo 1618[*]. Vir eruditione multiplici inſtructus, ſubacto et temperato Judicio; et, quod tam in privatam quam publicam Eccleſiae Anglicanae laudem ceſſit, inter eos qui Regis hortatu atque juſſu Bibliorum ſacrorum ex Hebraeo in linguam vernaculam verſionem adornabant non infimi nominis. Cum non exiguam facultatum partem in pauperum ſubſidium impendiſſet, ſui deſiderium reliquit quinto Octobris 1626, Aet. 63. In Eccleſia S. Anthonii Lond. cujus aliquando fuit Rector, ſubter altari ſepultus jacet, nullo marmore honorario vel elogio inſignitus.

XXXVIII. JOANNES BUCKERIDGE.

MORTUO Nicolao ſufficitur Joannes Buckeridge[a] Epiſcopus Roffenſis, Collegii D. Joannis Baptiſtae Oxon. aliquando Praeſes; qui in hoc Epiſcopatu confirmatus eſt decimo quinto Julii 1628[b]. Cum incorruptam erga Regem fidem, et Eccleſiae Anglicanae doctrinam et diſciplinam à Schiſmaticorum protervia ſtrenue vindicaret, (quae erat temporum iſtorum dementia) nigro carbone notatus inter Arminianos numeratur: hanc infamiam merito ſuo conflaſſe alicujus erat laudis inſtar. Obiit viceſimo tertio Maii 1631, in Eccleſia Parochiali de Bromley in agro Cant. ſepultus. Nullum extat Epitaphion. 1628. CAR. I. 3

XXXIX. FRANCISCUS WHITE.

FRANCISCUS WHITE[c] S. T. P. à Dioeceſi Norwicenſi ad Elienſem tranſlatus eſt octavo die Decembris 1631[d]: quam cum per ſex annos, et quod excurrit, adminiſtraſſet, obiit in Palatio ſuo juxta Holborn menſe Februario 1637. Magnifici funeris pompa elatus in Eccleſia D. Pauli Lond. ſepultus jacet. 1631. CAR. I. 6.

XL. MATTHAEUS WREN.

SUCCESSIT Matthaeus Wren[e], ob antiquam morum ſeveritatem et eruditionem, et inviolatam erga Regem et Eccleſiam fidem memorabilis; ingentes fortunarum viciſſitudines pari cum conſtantia expertus. Aulae Pembrochianae Cantabr. Socius, dein Collegii ſive Domus Petrenſis Magiſter. Anno 1622 Carolum Walliae Principem in Hiſpaniam nuptiarum ergo temere profectum comitabatur; ab eodem poſtea ad 1638. CAR. I. 13.

---

[z] Nautae filius, natus apud Yarmouth.

[*] *Regiſtr. Abbot*.par. 1. f. 138.

[a] Gulielmi filius, natus apud Draycot in agro Wilton. S^ti^ Aegidii Lond. Vicarius, Archidiaconus Northantonenſis, Herefordiae et Windeſoriae Canonicus. Collegio ſuo quingentas libras moriens legavit. *MS. Luſk.*

[b] *Regiſtr. Abbot* par. 2. f. 135.

[c] Huntintonienſis natu, Collegii Caio-Gonv. Cantabr. aliquando alumnus.

[d] *Regiſtr. Abbot*. par. 3. f. 24.

[e] Natus in civitate Lond. Franciſci filius, è Comitatu Cumbriae oriundus.

Dioeceſin Herefordenſem et deinde Norwicenſem evocatus, et poſtremo ad Elienſem Aprilis viceſimo quarto[f] 1638. Cum Epiſcoporum in ſuperiori Parliamenti domo jura fortiter aſſereret, à perduellibus jam tum varia cum fortuna contra Regem pugnantibus, autoritate Epiſcopali et privilegiis omnibus exutus, in arce Londinenſi cuſtodiae mandatur[g]. Aliquando poſtea liberatus cum in quietem et incolumitatem recedere videretur, in villula ſua de Downham deliteſcens à perduellibus deprehenſus, indicta cauſa damnatus incarceratur, et in arce Londinenſi ad uſque finem A^{i}. 1659 captivus detinetur. Cum Carolo ipſe una poſtliminio reſtitutus, in publicae et privatae felicitatis redonatae memoriam in Aula Pembrochiana Capellam nitidiſſimam extruxit, argentea inſuper ſupellectile ſatis pretioſa in ſacros uſus inſtructam, addito etiam Manerio de *Hardwick* in Comitatu Cantabr. in donationem perpetuam. Obiit viceſimo quarto Aprilis 1667 Act. 71, et ſubtus altare in Capella praedicta jacet ſepultus.

XLI. BENJAMIN LANEY.

1667. CAR. 2. 19. EO demortuo Benjaminus Laney à Dioeceſi Lincolnienſi huc tranſlatus eſt duodecimo Junii[*] 1667; in agro Suffolcienſi natus[h], Aulae Pembrochianae aliquando Socius et Magiſter, et inde ob fidem erga Regem in dubiis trepidiſque rebus inconcuſſam ejectus. A Rege delegatus colloquio Uxbridgienſi interfuit. Carolum ſecundum exulantem in Galliam ſequebatur fortunarum comes; ab eo reſtaurato ad Dioeceſin Petroburgenſem, inde Lincolnienſem, poſtremo ad Elienſem promotus. Mortem obiit viceſimo quarto Januarii 1674, ſepultus in Presbyterio Eccleſiae ſuae Cathedralis.

XLII. PETRUS GUNNING.

1674. CAR. 2. 26. SUCCESSIT Petrus[i] Gunning ſacrae Theologiae Profeſſor, copioſae eruditionis et inter Scholaſticos praecipue magni nominis Theologus. In Cantio natus, Aulae Clarenſis Cantabr. aliquando Socius: Solenni Ligae et Foederis juramentum cum non detractaſſet modo, ſed etiam ſcriptis fortiſſime impugnaſſet, merito ſuo praeclaro ejectus, ad Collegium Novum Oxon. migravit; et inde poſt urbem deditam perduellibus ad Londinum receſſit, tempora expectans feliciora. Carolo vero reduce Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae, dein D. Joannis Evangeliſtae conſtitutus eſt Magiſter, et ex inſtituto D. Margaretae Richmondiae Comitiſſae primo, dein Theologiae Profeſſor Regius. Anno 1669 ad Dioeceſin Ciceſtrenſem, poſtea ad Elienſem promotus quarto Martii[k] 1674. Obiit ſexto Julii 1684, et in Eccleſia Elienſi tumulatus eſt. Quod ſupererat facultatum in dotationem pauperum vicariorum ſupremis tabulis legavit, et ducentas libras in uſum Eccleſiae ſuae.

---

[f] *Regiſtr. Laud.* par. 2.

[g] A decimo quinto Februarii 1642 uſque ad quintum Maii 1643.

[*] *Regiſtr. Sheld.* f. 6.

[h] In oppido Gippovicenſi.

[i] Petri filius, natus apud How in agro Cantiano.

[k] *Regiſtr. Sheld.* f. 124.

XLIII. FRANCISCUS TURNER.

AUGUSTI viceſimo tertio[l] 1684 Franciſcus Turner ſacrae Theologiae Profeſſor et Collegii D. Joannis Cantabriae Magiſter huc tranſlatus eſt. 1684. CAR. 2. 36. A Jacobo tum Duce Eborac. qui eo ſemper familiariter erat uſus, ad Decanatum Windeſoriae, inde ad Epiſcopatum Roffenſem, et poſtremo ad Elienſem fuit evectus. Cum ita conſtanter à *Jacobi* partibus ſtaret, ut fidelitatis erga *Gulielmum* Regem juramentum recuſaret, Epiſcopali officio et beneficio exutus, in otium receſſit anno 1690. Deceſſit ſecundo Novembris 1700, et ſepultus in Eccleſia parochiali de Therfield in agro Hertfor. ubi marmor extat ſepulchrale hac voce inſcriptum EXPERGISCAR.

XLIV. SIMON PATRICK.

IN ejecti locum ſubſtitutus eſt Simon Patrick ſacrae Theologiae Doctor, 1691. à Dioeceſi Ciceſtrenſi tranſlatus Julii ſecundo[m] 1691, ſcriptor eruditus GUL. et MAR. 3. et copioſus: poſt ſedecim annorum in Dioeceſi Elienſi decurſum obiit triceſimo primo Maii 1707 Aet. 81. in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

XLV. JOANNES MOORE.

TRICESIMO primo Julii 1707 Joannes Moore S. T. P. ab Epiſcopatu Norwicenſi ad Elienſem migravit. 1707. ANNAE 6. Cujus in librorum delectu peritiam fas ſit praedicare, cum in Academiam Cantabrigienſem fructus redundarunt ampliſſimi. Hanc enim Bibliothecam inſtructiſſimam, ſex millium aureorum pretio redemptam, Academiae noſtrae donavit GEORGIUS primus, *munus vere Regium* à nobis ſemper ſummae cum gratitudinis officio commemorandum. Obiit triceſimo primo Julii 1714, et in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

XLVI. GULIELMUS FLEETWOOD.

GULIELMUS FLEETWOOD Collegii Regalis Cantabrigiae et Etoniae aliquando Socius in defuncti locum ſucceſſit. 1714. GEO. 1. 1. Ad Dioeceſin Aſaphenſem conſecratus 1708, in qua pleraque munificentiae reliquit monumenta, ad Elienſem tranſlatus decimo octavo Decembris 1714. Plura de Epiſcopo diſerto pariter et erudito, cujus opera omnium manibus teruntur, non opus eſt dicere. Obiit Auguſti quarto 1723 apud Tottenham prope Londinum, et in auſtrali parte Presbyterii Elienſis humatus jacet.

---

[l] *Regiſtr. Sander.* f. 91.

[m] *Regiſtr. Tillotſ.* f. 9.

XLVII. THOMAS GREEN.

1723. Geo. I. 10. SUCCESSIT Thomas Green S.T.P. Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Magiſter, à Dioeceſi Norwicenſi tranſlatus viceſimo quarto Septembris 1723. Poſt quindecim fere annorum decurſum deceſſit 18 Maii 1738, ſepultus in Eccleſia Cathedrali. Caetera indicabit Epitaphium[n].

XLVIII. ROBERTUS BUTTS.

1738. Geo. 2. 12. ROBERTUS BUTTS ad Eccleſiam Norwicenſem conſecratus anno 1732, huc tranſlatus eſt viceſimo ſeptimo Junii 1738.

---

[n] "Hic jacet quod reliquum eſt THOMAE GREEN S.T.P. hujuſce Eccleſiae nuper Epiſcopi: Qui, longo Honorum decurſu, *Collegii Corporis Chriſti* Cantabrigienſis olim Socius, poſtea Magiſter, Academiae bis Vice-Cancellarius, Eccleſiae *Cantuarienſis* Prebendarius et Archidiaconus, Parochiae *S. Martini* in Campis London. Vicarius, Epiſcopatum primo *Norvicenſem* obtinuit, inde ad *Elienſem* tranſlatus eſt Septembris die 23° 1723. Huic Eccleſiae poſtquam per quindecim fere annos ſumma cum diligentiae, candoris, et integritatis laude mitiſſime praefuiſſet, pietate et annis gravis, acceptâ tandem Rude uxori et numeroſae proli aliiſque quamplurimis viduis et orbis, clero denique et populo *Elienſi* flebilis deceſſit, Maii die 18 anno Chriſti 1738. Aetatis 80."



De EPISCOPIS LINCOLNIENSIBUS.

ILLIUS Dioeceſis Epiſcopus, cujus nunc ſedes eſt Lincolnia, Dorceſtriae primum Cathedram habuit conſtitutam[a], quae Oxonia Orientem verſus ad decimum[b] lapidem ſita eſt. Niſi forte verum ſit quod à quodam Simone de Burnſton traditur, apud Buckleſworth primum Epiſcopum conſediſſe; qua de re apud caeteros Scriptores nullam uſquam reperi mentionem. Juriſdictioni ejus parebant omnes illae regiones quae hodie noſcuntur ſubeſſe Wintonienſi, Lincolnienſi, Sariſburienſi, Bathonenſi, Exonienſi, Petroburgenſi ac Oxonienſi Epiſcopi, neſcio vero annon etiam Wigornienſi, Herefordenſi, Gloceſtrenſi, et Briſtolienſi. Et ille, licet Merciorum populos Epiſcopo aliquandiù carentes tunc temporis regeret, Occidentalium tamen Saxonum Epiſcopus appellatus eſt. Hujuſce territorii tam ampli primus fuit antiſtes Birinus[c], ſecundus autem Agilbertus, è Gallia oriundus[d]: Quo ſedente, Kenwalchus Occidentalium Saxonum Rex, duas in his regionibus ſedes cathedrales conſtituit, cujus unam Agilberto reliquit Dorceſtriae (ut retulimus) ſedenti, alteri praefecit Winam, Wintoniae juſſum conſidere[e]. Poſt Agilbertum, Dorceſtria multos per annos proprio caruit antiſtite, Wina et ſucceſſoribus utriuſque Dioeceſeos curam ſuſcipientibus, aut ejus ſaltem partis, multo maximae[f]. Contigerat equidem brevi poſt Oſwyum Merciae Regem ſedem Epiſcopalem Lichfeldiae conſtituere, Diuma quodam in eadem collocato, cui ſuberant pleraeque Angliae regiones mediterraneae, ſicuti ſucceſſoribus illius ſex vel ſeptem, ad annum uſque Domini 678; quando Sidnaceſtrenſis Epiſcopus inſtitutus eſt

---

[a] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 137.

[b] Septimum potius.

[c] A. 636. *Weſtmon.*

[d] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 137. b.

[e] Quapropter Agilbertus inſenſus abiit A. 661, et fit Archiepiſcopus Pariſienſis. *Malmeſb.* ibid.

678. I. Eadheadus[g], cui ante annum tranſactum ſublato, ſucceſſit

[678.] II. Ethelwinus[h], et deinde iſti.

III. Edgarus[i].

IV. [k]Kinebertus[l]. Embertus Bedae, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria conſcribenda ſe multum adjutum ab illo fatetur ingenue[m]. Obiit anno 733.

*732. V. [n]Alwigh. Interfuit Synodo à Cuthberto Cantuarienſi Epiſcopo indictae anno[o] 747, defunctus 751[p].

*750. VI. Eadulfus[q] anteceſſoris ſui Archidiaconus, deceſſit anno 764[r].

*767. VII. [s]Ceolulfus[t] obiit 787[u].

*796. VIII. Ealdulfus[x].

Poſt mortem Ealdulfi, multos per annos vacavit ſedes. Anno tandem 872 Brightredus[y] fit Epiſcopus. Interea vero, anno videlicet 737, alia adhuc ſedes Legeceſtriae erigitur (quae nunc Leceſtria) ſed brevi poſtea Dorceſtriam tranſlata, ubi hii ſederunt.

[737.] I. Tota[z].

II. Edbertus[a], conſecratus 764.

III. Werenbertus[b]. Obiit 768[c].

IV. Unwora[d] illi ſucceſſit ſecundum Florilegum. Alii Werenberto praeponunt[e]. Vixit anno 806[f].

V. Rethunus[g], Abbas[h] Abendonenſis. Obiit 851[i].

VI. Aldredus, conſecratus 861, vel potius ſecundum Weſtmonaſterienſem 851. Deprivatus eſt anno 873[k].

VII. Ceolredus[l], conſecratus 873[m].

VIII. Halardus[n]. Ab Alfredo Rege conſtitutus eſt unus è Gardianis regni, ut illud contra vim et incurſiones Danorum tueretur anno 897, quo quidem anno defunctus eſt[o].

IX. Kenulfus[p], vel rectius Ceolulfus[q] conſecratus anno 905[r] una cum ſex aliis per Plegmundum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Cujus rei rationem alibi reddidimus[s].

---

[f] Poſt ſeceſſionem Agilberti, Wina pro tempore (puta tres vel quatuor annos) rexit Eccleſiam. Deinde Elutherius quem Agilbertus è Gallia miſit; conſecratus à Theodoro Archiepiſcopo, et ſeptem annis rexit Eccleſiam. *Malmeſbur. de Pontif.* L. 2. f. 137. b. Similiter Hedda Winton. Epiſcopus hunc rexit Epiſcopatum; donec Eadheadus fit Epiſcopus, et Cathedra apud Sidnacaſtram ſtabilitur. A. viz. 677. *Flor. Wigorn.*

[g] *H. Huntin.* Hedhedus, *Malmeſb.* Eathedus, *Wigorn.*

[h] Et Aethelwinus, *Floren.* Edelwine, *Malmeſb.* Aedilwinus, *Huntin.*

[i] *Malmeſb.* Eadgarus, *Huntin. Florent.*

[k] *Hoved. Malmeſb. Huntin.* Cyniberct, *Beda.*

[l] Ex illuſtri quadam ortus Anglorum familia, virtutumque ornamentis manifeſtis, prudentia ac ſcientia comptè adornatus. *Balaeus.* p. 99. Adhuc in vivis A. 731 juxta *Bedam.* L. 5. c. 24. p. 218. Edit. Cantabr. 1722. Obiit verò anno 732. *Sim. Dun.* p. 99.

[m] In Praefatione p. 38.

[n] Alwih, *Malmeſb.* Alwich, *Mailroſ.* Alcwiochus, *Florent.* Allwich, *Hoved.*

[o] *Antiquit. Britann.* ex Archivis p. 88. Edit. S. Drake.

[p] Ob. anno 750. *Hoved.* f. 231. a. et *Mailroſ.*

[q] *Weſtmon.* Aldulf, *Malmeſb. Hoved. Mailroſ.* Ealdulfus, *Florent.*

[r] *Weſtmon.* A. 765. *Mailr.* et *Dunelm.*

[s] Celnulf, *Malmeſb.* Ceolwlfe, *Hoved. Mailr.*

[t] Conſecratus non ante annum 767. *Hoved.* f. 231. b.

[u] Ita *Weſtmonaſt. Chron.* vero *Saxon.* dicit hunc Epiſcopatum deſeruiſſe anno 794.

[x] *Florent.* Edulf, *Malmeſb.* Aldulfus, *Weſtmon.* Conſecratus apud Corebrigiam ab Eanbaldo Archiepiſcopo, Tylberto et Higbaldo Anno 786. *Chron. Mailr.* Chronico Saxonico verò tutius eſt fidendum. Subſcripſit Concilio Cloveſhovienſi anno 803. *Concil. Angl.* T. 1. p. 168.

[y] Bricthred, *Malmeſb.* Brihtredus, *Florent.*

[z] Totta, *Malmeſb. Mailroſ. Florent.* Totca, *S. Dunelm.* Conſecratus eſt anno 737, *Hoved.* f. 230. b. et ob. anno 764. *Id.* f. 731. b. et *S. Dunelm.*

[a] *Malmeſb.* Eadbert, *Hoved. Weſtmon.* Eadberht, *Dunelm. Florent.*

[b] Werebertus, *Weſtmon.*

[c] Ita *Weſtmonaſt.* Subſcripſiſſe tamen dicitur in Concilio Cloveſhovienſi A. 803. *Concil. Angl.* T. 1. p. 168.

[d] Unwona, *Florileg. Florent.* Wonwona, *Ingulf.*

[e] *Malmeſb.* L. 4.

[f] Vixit anno 810. *Ingulfo* teſte. p. 96.

[g] Bethum, *Malmeſb.* Profeſſionem fecit Wulfredo Archiepiſcopo, qui fatis ceſſit Anno 829.

[h] In *Libro Abendonenſi* ſic ſcriptum legimus f. 7. *Tempore Offae Regis Merciorum quidam Epiſcopus nomine Rethunus de Regno Merciorum contumeliis et vi hoſtilitatis coactus Epiſcopatui ſuo renunciavit; et in Monaſterio Abendoniae Monachatum ſuſcipiens, Abbas et Pater poſtea eſt effectus.*——Extat etiam in eodem libro ſubſcriptio Chartae Egbrihti Regis Weſtſaxonum de Monaſterio de Mercham A. D. 835 indictione 13 apud Dorkeceſtre; Ego Ecbert Rex conceſſi et ſubſcripſi. Ego Ethelwlf filius Regis conceſſi et ſubſcripſi. Ego Elfstan Epiſcopus conceſſi et ſubſcripſi. Ego Rethun Epiſcopus conceſſi et ſubſcripſi. *MS. Barlow.*

[i] Obiit anno 861. *Weſtmonaſt.*

[k] *Weſtmonaſt.*

[l] Celred, *Malmeſb.*

[m] *Id.*

[n] Elheardus, *Florent.*

[o] *Chron. Saxon.*

[p] *Weſtmonaſt. Diceto.*

[q] *Ingulf.*

[r] *Weſtmonaſt.* Praefuit annis 946 et 948. *Ingulf* p. 32, 35.

X. Leofwinus[t]. Illius regimini Sidnaceſtrenſis etiam dioeceſis relicta eſt, quae per annos jam decem paſtore deſtituta manſerat, et nunc Dorceſtrenſi unita eſt[u]. Coenobio Ramſeyenſi hic multa contulit beneficia, et anno 959 defunctus eſt[x].

XI. Ailnothus[y], conſecratus 960[z].

XII. Ascwyn alias Aescwy[a].

XIII. Alshelmus[b].

XIV. Eadnothus[c], Praepoſitus Ramſeyenſis, praelio caeſus à Danis anno 1016[d]. [1005.]

XV. Eadhericus[e]. Obiit 1034[f], et Ramſeiae ſepultus eſt. [1017.]

XVI. Eadnothus. Eccleſiam conſtruxit B. Mariae apud Stow[g] [quam Comes Leofricus et Godiva uxor multis donativis ditaverunt,] et obiit anno 1050[h]. [1034.]

XVII. Ulfus[i]. Hic patria Normannus, in Angliam venit cum Emma Ethelredi Regis conjuge, quae ſoror fuit Richardi Normanniae Ducis[k]. Cujus filius Edwardus, matris precibus adductus, eum, licet admodum indoctum, Dorceſtrenſem Epiſcopum renunciavit. Anno 1052 tam ipſe quam caeteri omnes Normanni, (qui omnia praecipua regni munia invaſerant) regno pulſi ſunt. Huic viſum ad Concilium [Viceliaci congregatum tempore Leonis noni] ſe conferre, ut de injuria ſibi facta apud Pontificem querimoniam inſtitueret. Ubi eouſque inſcitiam ſuam prodidit, ut habuerit in animo Papa, Pontificali munere ipſum privare, donec muneribus permulſus, ab eo deſtitit incoepto[l]. Moerore (ut par eſt credere) brevi poſtea abſumptus interiit. [1050.]

XVIII. Wulfinus vel Wulfsinus[m], conſecratus anno 1053. Wintoniae deceſſit 1067[n], et in Eccleſia ſua Dorceſtrenſi ſepultus eſt. Hucuſque de Epiſcopis qui Sidnaceſtriae, (ubi loci ea civitas ſita fuerit mihi incompertum[o]) Legeceſtriae et Dorceſtriae conſederunt. Ad Lincolnienſes jam tandem perventum.

I. Remigius de Feschamp.

Dorcestrensium Epiſcoporum poſtremus, Lincolnienſium vero primus, fuit Remigius, Monachus Fiſcamnenſis[p], Sacerdotis filius[q]. Huic Gulielmus Normannus, qui Angliam poſtea ſubegit, propter * 1067. Gul. I. 2.

---

[s] Poſtremi hi duo non numerantur à Malmeſburienſi.

[t] *Florent.* Lefwinus, *Ingulf.* Leovinus, *Malmeſbur.* Lefsius, *Chron. Petrob.*

[u] *Malmeſb. de Pontif.* L. 4. f. 165. b.

[x] *Weſtmonaſt.*

[y] *Weſtmonaſt.* Aelnothus, *Florent.* Elfnod, *Malmeſb.*

[z] Interfuit Synodo Londinenſi anno 966. *Ingulf.* p. 45. et claruit anno 974. *Id.* p. 48.

[a] Asewinus et Escwius, *Weſtmon.* Escwi, *Malmeſb.* Interfuit conſecrationi Coenobii Rameſeiae 9 Nov. 991. *Florent.* p. 609. et *Weſtmonaſt.* Et hic una cum aliis claſſi praepoſitus à Rege Ethelredo anno 992 navali praelio Danos profligavit.

[b] Elfelm, *Malmeſb.*

[c] *Florent.* Ednod, *Malmeſb.* Primò fuit Monachus Wigornienſis. Conſecratus Epiſcopus eodem tempore quo Elphegus fit Archiepiſcopus Cantuariae (ſc. menſe Septembris 1005.) Ita *Lib. Ramſey* in Bibl. Cotton.

[d] Ednothum et Wilfium Abbatem Rameſienſem interfectos eſſe à Danis (apud Aſſendun. *Hoved.* f. 249. b.) ait *Lib. Elienſis*, idque ſub Edmundo Ironſide: appellatur etiam Lincolnienſis Epiſcopus. *MS. Wren.* Diem obitus contigiſſe A. 1016, teſtantur *Dunelm.* et *Florent.*

[e] Eadricus, *Weſtmon.* Aethericus, *Florent.* Ethewerick, *Malmeſb.*

[f] *Weſtmon.* et *Florent.*

[g] *Hoved.* par. 1. f. 255.

[h] Ita *Weſtmonaſterienſis*; *Florentius* vero 1049, et Chronicon Saxon. in annum 1046 rejecit.

[i] *Huntin. Weſtmon.* Wluin, *Malmesb.*

[k] *Hoved.* par. 1. f. 253.

[l] *Huntin.* L. 6. f. 209 b.

[m] Wlsius vocatur ab *Hovedeno*; Wulfwius à *Florentio*. Sed omittitur in Catalogo *Malmeſburienſi*, ideoque eundem eſſe cum priore non eſt ut dubitemus; tam ſimilitudine nominum inducti, quam ex eo quod *Dunelmenſis* f. 187. expreſſe aſſerit eum eſſe Epiſcopum Anno 1052, et *Ingulfus* f. 87. anno 1051. et in eo ſubſcripſiſſe Chartae Coenobio Croylandiae datae.

[n] *Sim. Dunelm.*

[o] Stowe juxta Lincolniam.

[p] *Malmeſb.* L. 4. f. 165. b.

[q] Ab aliquibus dicitur filius Gerardi Salven Militis, et frater Ranulphi de Flamberd Dunelmenſis Epiſcopi.

plurima officia illi praeſtita, Epiſcopatum aliquem promiſerat, ſi contingeret, in bello quod tum parabat, victoria potiri. Neque vero fidem fefellit. Nam ut primum Wulfini morte vacua facta eſt haec ſedes, illum inibi conſtituit Epiſcopum[r]. Haec cum inaudiviſſet Alexander ſecundus Pontifex Romanus, donationem hujuſmodi Simoniacam adjudicavit, [eo quod facta conventione officium illud emerat à Willelmo primo, quoniam ei in Angliam properanti multiplicibus impenſis deſervierat,] et Praeſulatu hominem Romae tunc agentem privavit. Sed Lanfranci Cantuarienſis precibus inductus, annulo et baculo traditis, in integrum eum reſtituit[s]. Illico ut ordinatus eſt, magni neſcio quid molitus, Dorceſtriae coepit aedificare. Cum vero in Synodo Londini coacta, Rege hoc ipſum ſuadente, decretum eſſet, Epiſcopales ſedes oppidulis minutioribus ſitas (quarum in Anglia tunc plurimae) ad urbes quaſque celeberrimas transferendas; Dorceſtria relicta, Lincolniae[t] cathedram figere Remigio viſum, "quae civitas una ex populoſioribus Angliae, emporium eſt hominum terra marique venientium." Sic Malmesburienſis[u]. "Mercatis igitur praediis (ut loquitur Huntindonenſis[x]) in ipſo vertice urbis juxta caſtellum turribus fortiſſimis eminens, in loco forti fortem, pulchro pulchram, virgini virginum conſtruxit Eccleſiam, quae et grata eſſet Deo ſervientibus, et (ut pro tempore oportebat) invincibilis hoſtibus. Provinciam tamen LINDISSAE Archiepiſcopus Eboracenſis calumniabatur ex antiqua temporum ſerie. *Remigius* vero nihili ducens impetitionem ejus, non ſegniter opus inceptum peregit, peractumque Clericis doctrina et moribus approbatiſſimis decoravit", videlicet Prebendariis 21. Sed loquatur jam iterum Malmesburienſis[y]. "Haec in eo erant jucundiora, quia ipſe pro exiguitate corporis pene portentum hominis videbatur; luctabatur excellere et foris eminere animus, eratque

" Gratior exiguo veniens è corpore virtus.

" Quem ideo natura compegiſſe videtur, ut ſciretur, beatiſſimum ingenium in miſerrimo corpore habitare poſſe. Foeliciter ergo acta vita, in ipſo apparatu conſecrationis ſuae, Lindecolniae, pridie futurae dedicationis aemula illum mors tantis gaudiis ſubtraxit. Nam et magnanimi viri hortatu, omnes undique Pontifices Regium edictum acciverat. Solus Robertus Herefordenſis venire abnuerat, et certa inſpectione ſyderum, dedicationem tempore Remigii non proceſſuram viderat, nec tacuerat." Obiit[z] Maii 9. 1092. Tacendum vero non eſt, praeter opus illud antedictum, quod tam incipere auſum, quam potuiſſe perficere, mirandum; Monaſteria duo, videlicet Stowenſe [adauxit] et Bardneienſe [innovavit.] Illius etiam conſilio inductum, ferunt Gulielmum Regem Coenobia duo condidiſſe, Cadomenſe in Normannia, et illud de Bello, eo ipſo in loco ubi Haraldum Saxonem debellaverat[a]. *De Regia quidem proditione fuerat impetitus*, (Huntindonienſis* iterum) *ſed famulus ejus ferri igniti judicio dominum purgans, regio reſtituit amori, et maculam pontificali deterſit decori:* Sed et alia neſcio quae miracula, poſteri in ſuperſtitionem proclives, ab illo non vivente, ſed jam olim mortuo, praeſtita crediderunt. At non ego credulus illis. Matthaeus Pariſienſis, qui in hiſtoria anni 1085 de hujus Eccleſiae fundatione haec ipſa tradidit, quae ab Huntindonenſi, et Malmesburienſi perſcripta retuli illorum temporum ſcriptoribus, quaeque omnium hiſtoricorum conſenſus teſtatiſſima reddit; tam ſibi ipſi quam omnibus aliis repugnans, longam narrationem inſtituit poſtea de Eccleſia Lincolnienſi per Regem Gulielmum Rufum conſtructa. Quam, quia ab omni non ſolum veritate ſed probabilitate alieniſſima eſt, his noſtris inſerere operae praetium non duxi. Petat qui volet authorem praedictum, apud quem, inter res geſtas anni 1241, deſcriptam reperiet.

---

[r] Conſecratus eſt anno 1067 vel 1068; in *Monaſt. enim Anglic.* T. 1. p. 265. Annus Domini 1091 dicitur 24 annus Pontificatus ejus. [s] *Bromton.* p. 970. [t] Anno 1092 tranſtulit ſedem Epiſcopalem ad Lincoln. *Chron. Mailr.* —— De exordio iſtius Lincoln. Epiſcopatus et ceſſatione antiqui illius Dorceſtr. vide Mat. Pariſienſem in Hiſtor. majore p. 572. ſub A. 1241. vide etiam infra in Epiſc. Oxon. [u] *De Pontif.* L. 4. f. 165. b. [x] L. 6. f. 213. a. [y] *Ibid.* [z] Ob. anno 1091 die proxime antecedente Eccleſiae Cathedralis conſecrationem. *M. Weſtmon.* Anno 1092, *Dunelm.* et *Florent.* Die 7 Maii 1092, *Hoved.* f. 265. b. et rectè, biduo ſcil. ante 7 Id. Maii. Anno 1093. *Chron. T. Wikes.* [a] *Weſtmon.* ad A. 1085. * L. 6. f. 213. a.

II. ROBERTUS BLOËTUS.

REMIGIO defuncto, contigit paulo pòſt Gulielmum Regem gravi morbo correptum, et de vita deſperantem, ad poenitentiam de anteacta vita (non nimis hercle pia) agendam, animum adjeciſſe. Inter alia ſcelera quorum memoria languentis pupugit animum, maximum dolorem concepiſſe viſus eſt, quod praeſulatus hactenus pretio vendidiſſet: ac in emendationis argumentum, Cantuarienſem et Lincolnienſem Eccleſias vacantes eveſtigio contulit, illam quidem Divo Anſelmo, hanc vero Roberto Bloëto[b] Cancellario ſuo[c]. Poſtquam convaluit, poenitentiae hujuſce non ſatis (ut videtur) ſincerae, poenituit hercle ſincerè, ac ut temerariae donationis culpam emendaret, concitavit contra hunc novum Epiſcopum Archiepiſcopum Eboracenſem Thomam, qui de civitate et comitatu Lincolnienſi in ſua (uti dicebat) tam dioeceſi quam provincia ſitis, litem intenderet[d]. Neque terminari haec poterat, priuſquam Regi Epiſcopus numeraſſet libras, ut Pariſienſis, quingentas, Stobaeus habet mille, Huntindonenſis vero (mendoſe ut credo) 1500[e], qui de homine fortaſſe rectius quam de pecunia, eo dicit *non alterum fuiſſe forma venuſtiorem, mente ſereniorem, affatu dulciorem.* Hoc etiam debuit adjeciſſe, admodum fuiſſe indoctum, libidinoſum, et leviſſimis moribus praeditum. Refert Balaeus filium illi fuiſſe nothum[f], Simonem nomine, quem Decanum conſtituit Lincolnienſem. Eccleſiam certe, conſtructam ab anteceſſore, non ſolum dedicavit, ſed ornamentis affatim inſtruxit et Praebendariis 21 à Remigio inſtitutis, totidem alios adjecit quos praediis dotavit à ſe pretio comparatis. Conſecratus anno 1092[g] annos praefuit ferme triginta, et repentina tandem morte ſublatus interiit Januarii decimo[h] 1122. Dum ſermocinans juxta Regem equitaret Woodſtochiae,

*1093. GUL. 2. 6.

---

[b] Fratrem habuit Odonem Bajocenſ. Epiſcopum. Claud. A. 8. f. 118. *MS. Hutton.* Sequentibus etiam liquet; Omnibus &c. Robertus Lincoln. Epiſcopus &c. noverit univerſitas veſtra quod pro ſalute animae Dom. mei Willelmi Regis, et fratris mei Bajocenſ. Epiſcopi &c. confirmavi Monachis de Bermondſey Cherletonam &c. Teſte Eudone Dapiſero &c. *Collect. Rob. Glover* ex Archivis dicti Monaſterii in officio Armorum p. 114. Willelmus Rex Angliae &c. ſciatis me confirmaſſe donum quod fecit Robertus Cancellarius meus viz. Epiſcopus Lincoln. &c. *Id.* ——— Quidam Epiſcopus Lincolniae, Rob. Bluet nomine, Monachos apud Stowe juxta Lincolniam commorantes ad Eynſham juxta Oxoniam tranſtulit, invitis Monachis, ad damnum illorum perpetuum; convertens verò Stowe in fiſcum Epiſcopatus, ſtans inconcuſſum uſque in preſentem diem. Nota ex Calendario Jo. Somner. *MS. Barlow.*

[c] *Hoved.* par. 1. f. 265. b. ad A. 1093.

[d] *Hoved.* ib.

[e] 5000. *Hunt.* L. 7. f. 213. b.

[f] In Epiſtola quadam Rad. de Diceto ad amicum quendam, nomine Walterum, de contemptu mundi, haec invenio —— *Nunc autem Decanum noſtrum* (Eccleſiae ſc. Lincoln.) *Simonem non praetereo, qui filius Roberti Praeſulis noſtri fuit, quem generat dum Cancellarius Willelmi magni Regis*

[g] In Eccleſia S. Mariae in ipſo Caſtello de Haſtinges ab Anſelmo, miniſtrantibus ſeptem ſuffraganeis, praeſentibus Rege et Procerum quamplurimis. *Eadmer.* L. 1. p. 23. At Anſelmus ipſe non conſecratus eſt in Archiepiſcopum ante quartum Decembris anno 1093. Vid. ſupra p. 62. Not. u.

[h] In hoc conſentiunt *Huntin.* L. 7. f. 218. b. *Dunelm.* ſub A. 1123. *Malmeſb. de Pontif.* L. 4. *Hoved.* par. 1. f. 273. b. ſolummodo *Bromtonus* annum 1121 aſſignat p. 1014.

apoplexia aut morbo aliquo conſimili correptus, ab equo ſubitò delapſus eſt, et ad cubile ſuum deductus expiravit illico. Viſcera ejus Enſamiae ſepulta ſunt[i], in coenobio quod ipſe olim condiderat, ſecundum nonnullos, alii dicunt refeciſſe tantum. Monachos vero Stowenſes eo migrare coactos ab illo ſatis conſtat. Sed eccum tibi Epitaphium tumulo ejus (ut ferunt[k]) inſculptum.

" Pontificum ROBERTUS honor, quem fama ſuperſtes
" Perpetuare dabit, non obiturus obit.
" Hic humilis dives, (res mira) potens, pius ultor,
" Compatiens, mitis cum pateretur erat.
" Noluit eſſe ſuis Dominus, ſtuduit pater eſſe,
" Semper in adverſis murus et arma ſuis.
" In decima *Jani* fallacis gaudia mundi
" Liquit, et evigilans, vera perenne vidit[l].

* * *

III. ALEXANDER.

1123. Hen. 1. 23. ROGERUS Sariſburienſis Epiſcopus ille apud hiſtoricos noſtros celeberrimus, ea jam gratia et authoritate apud Henricum primum Regem, ut quicquid ipſi libitum fuiſſet ab eo facillime impetraret; haud difficulter obtinuit ut Alexandrum, ſuum ex fratre[m] nepotem, Lincolnienſem Epiſcopum renunciaret, ortu quidem Normannum, quem non ita pridem Archidiaconum Sariſburienſem creaverat, et ſummum Angliae Juſtitiarium[n] deſignari curaverat. Conſecratus eſt Cantuariae viceſimo ſecundo Julii[o] 1123. Anno deinde ſequente Eccleſia ejus Cathedralis, nuper conſtructa et vix dum abſoluta, fortuito incendio conflagravit. Quam refecit ille et contra ſimiles caſus munivit, laqueari addito fornicato. Numerum porro auxit Praebendarum Eccleſiae ſuae, cui etiam manneria quaedam et alia praedia comparavit. Sed arcibus extruendis praecipue ac ſuper omnia incubuit, patruum in hoc aemulatus Sariſburienſem Epiſcopum, quod hunc perdidit (de quo ſuo loco) et minimum abfuit quin illum quoque everteret. Tres ſiquidem conſtruxit, unam quidem Banburiae, aliam Slefordiae, ac tertiam apud Newark[p]. Neubrigenſis author eſt, duo etiam inſtituiſſe eum coenobia, unum Canonicis regularibus ſimul ac Monialibus apud Haverholm, aliud Tamae monachis albatis[q]; quorum hoc ſuppreſſionis tempore valebat 256^{l}. 13^{s}. 7^{d}. ob. illud vero 88^{l}. 5^{s}. 5^{d}*.

Arces vero cum ſui juris facere Rex Stephanus concupiſceret, Epiſcopis derepente vincula indidit[r], arces ſibi aſſeruit, atque praeter ſupellectilis pretioſae magnam copiam, pecuniam immenſam in illis repertam aſportavit. Praeſidiarii Newarcani, ſe ad Regium mandatum dedere recuſarunt, donec ab ipſo Epiſcopo certiores eſſent facti (id quod verum fuit) juramento Regem confirmaſſe, omnino nihil eum guſtaturum donec in poteſtatem Regiam arx ceſſiſſet[s]. Ita niſi fame Dominum vellent perire, caſtro ſibi excedendum cognoſcentes, portas Regiis aperuerunt. Neque tamen illico vinculis ſolutus ille, poſt aliquot menſium cuſtodiam, aegre licet, liberatur tandem. Ita de vanitate admonitus inſtituti quod hactenus tenuerat; ad meliorem frugem ſe componit, et ad Eccleſiam ſuam adminiſtrandam ornandamque accingitur, quam tandem totius Angliae aevo illo longe ſpecioſiſſimam reddidit. Romam bis profectus eſt, annis nimirum 1142 et 1144[t], ubi ita ſe geſſit, ut magnam inierit gratiam tam apud Regem quam Pontificem[u]. Ac prima quidem profectione Legatus Pontificius conſtitutus eſt, quo ſynodum convocaret; id quod fecit, et canones nonnullos edidit ad illorum temporum vitia corrigenda apprime utiles. Tertium deinde iter ad Pontificem ſuſcepit in Gallia agentem, ubi Auguſto menſe anni 1147[x] per aeſtum nimium aegritudinem contraxit, ex qua, domum non ſine magna difficultate reverſus, mortuus eſt cum ſediſſet annos 24. De illo Huntindonenſis[y] haec habet carmina quae non pigebit aſcribere:

---

[i] *Malmeſb.* ib. [k] *Huntin.* ib. [l] Sub hoc Epiſcopo Epiſcopatus Elienſis à Lincolnienſi ſeperatur. De eo adi *Huntin.* L. 7. *M. Par.* ad A. 1092. *Hoved.* par. 1. *Malmeſb. de Regib.* L. 4. [m] Fratrem *T. Wykes* ad A. 1123. [n] Cancellarium Angliae fuiſſe apparet ex *Nubrigenſi* L. 1. c. 6. tempore Stephani Regis. [o] Ab Archiepiſcopo Cantuariae *Wigorn.* Ad Paſcha apud Wintoniam 1124. *Hoved.* par. 1. f. 273. b. *Wigornienſis* verò *Continuator* cum Godwino ſentit: Et *Huntindonienſis* aſſerit eum nominatum fuiſſe feſto Paſchae. L. 7. f. 219. a. [p] *Chron. Petrob.* ad A. 1136. *Cambd. Brit.* T. 1. p. 582. [q] Tertium apud *Dorcheſter.* ——— Monaſterium etiam de *Sempringham* fundavit, *MS. Gale.* * 70^{l}. 15^{s}. 10^{d} ob. *Dugd. Monaſt.* V. 1. [r] *Malmeſb. Hiſt. Nov.* L. 2.

“ Splendor ALEXANDRI non tam reniteſcit honore
“ Quam per eum reniteſcit honor, flos namque virorum,
“ Dando tenere putans, theſauros cogit honoris;
“ Et gratis dare feſtinans, ne danda rogentur,
“ Quod nondum dederit, nondum ſe credit habere.
“ O decus, O morum directio, quo veniente,
“ Certa fides, hilaris clementia, cauta poteſtas,
“ Lene jugum, doctrina placens, correctio dulcis,
“ Libertaſque decens venere, pudorque facetus.
“ Lincoliae gens magna priùs, nunc maxima ſemper;
“ Talis et ille diu ſit nobis tutor honoris[z].

Haec poetice ne dicam adulatoriae Huntindonius qui viventi hiſtoriam illi dedicavit, in cujus praefatione, *florem et cacumen regni et gentis* ipſum appellat, et his verbis compellat,

“ Tuque Pater patriae, princeps à Rege ſecundus
“ Praeſul Alexander, &c.

Poſtea vero illo jam mortuo, ſic hominem depingit[a]: “ Nutritus in ſummis deliciis à Rogero avunculo ſuo Saliſburienſi Epiſcopo, majores inde “ animos contraxit quam oportunum eſſet ſuis. Siquidem praeterire volens principes caeteros largitione munerum et ſplendore procurationum, “ cum proprii redditus ad hoc non ſufficere poſſent, à ſuis ſummo ſtudio carpebat, unde egeſtatem ſuam nimietate praedicta comparatam “ complere poſſet; nec tamen complere poterat, qui ſemper magis magiſque diſpergebat. Fuit autem vir prudens, et adeo munificus, ut à “ curia Romana vocaretur, magnificus. Haec Huntindonius.

---

[s] *Chron. Petrob.* ad A. 1138. et *Bromt*. p. 1027. [t] *Huntin*. L. 8. f. 225. b. *Weſtmon*. A. 1144. [u] *Hoved.* par. 1. f. 280. et *Weſtmon*. [x] *Chron. Petrob. Huntin*. L. 8. f. 226. [y] L. 7. f. 219. [z] Et de illius liberalitate hoc extat diſtichon,

“ Qui dare feſtinans aliis ne danda rogantur,
“ Quae nondum dederat, nondum ſe credit habere.

[a] L. 8. f. 226.

IV. ROBERTUS DE CHESNEY[b].

1147. STEPH. 12. ALEXANDRO ſuccedit, ante finem Septembris ejuſdem anni conſecratus[c], Robertus[d] Archidiaconus Leiceſtrenſis[e], homo multum juvenis, à nonnullis de Cheſney et de Cheſneto, ab aliis de Querceto cognominatus, hoc idem Latine quod illud Gallice ſonante. Hic unam Praebendam adjecit illis quae ab anteceſſoribus in Eccleſia ſua antea extiterant fundata. Aedes comparavit ſibi ſucceſſoribuſque prope novum Templum Londini: Palatium ſuum Epiſcopale à fundamentis fere totum conſtruxit, et Coenobium ſive Prioratum S. Catharinae prope Londinum Gilbertinis poſuit, quod ſuppreſſionis tempore dicebatur valuiſſe 270 libras, unum ſolidum et tres denarios annui cenſus*. Aeris alieni per haec apud Aaronem quendam Judaeum contraxit trecentas libras, quod à ſucceſſoribus ſuis non niſi longo poſt tempore diſſolutum eſt[f]. Obiit Januarii 8[g]. 1167.

V. WALTERUS DE CONSTANTIIS.

1183. HEN. 2.30. VACAVIT tum ſedes poſt mortem dicti Roberti annis ferme[h] ſeptendecim, augurantibus pleriſque, Epiſcopum Lincolniam jam poſthac nunquam habituram. Monachus neſcio quis Tamenſis qui multa jam antea praedixerat, quorum eventus praedictioni ad amuſſim reſponderat, ideoque ſemi-propheta habitus eſt, aſſeveravit conſtanter, Robertum illum modo defunctum, Eccleſiae Lincolnienſis poſtremum futurum antiſtitem. Vanum hoc vaticinium viſum et ab omnibus irriſum eſt, quando Galfridus nothus Regius et Lincolnienſis Archidiaconus in Epiſcopum Lincolnienſem electus eſt[i]. Caeterum ille fructibus Eccleſiae contentus, conſecratione abſtinuit, utpote oves tondendi magis gnarus quam paſcendi. Septem per annos, electionis hujuſce praetextu redditus Epiſcopales percepit; ac tandem patre jubente, juri ſuo per electionem antedictam acquiſito renunciavit[k], et octo annorum ſpatio aulicis rebus vacavit: Sed ad Eccleſiam iterum reverſus, Archiepiſcopus tandem factus eſt Eboracenſis.

Sub exitum anni 1183[l], cum de veritate vaticinii monachalis amplius jam nemo ambigeret, Walterus de Conſtantiis Archidiaconus Oxonienſis, in Epiſcopum electus et conſecratus eſt Andegavi per Archiepiſcopum

---

[b] De CHENNEI, *Hoved.* de CHENNEHAI, *Joan. Haguſt.* CASNEY vel de CASNETO, 2 *Pat.* 5 H. 6. m. 2.

[c] Ita *Weſtmonaſt. Dunelmenſis* verò et *Haguſtaldenſis* non ante annum 1150. Et *Annales Veteres* ad annum 1149 referunt.

[d] Conſanguineus Gilberti Foliot Epiſcopi Hereford. *M. Pariſ. in Vit. Abba. S. Albani.* p. 1023. Edit. Lond. 1684.

[e] Lincolnienſis, *Joan. Haguſt.* Leiceſtrenſis, *Huntin.* L. 8. f. 226 *Weſtmon.* ad A. 1147.

* $315^{l}. 14^{s}. 2^{d}$. *Dugd. Monaſt.* V. 1.

[f] Ex parte Auſtrali Oldbourn ultra barras olim erat Hoſpitium Epiſcopi Lincolnienſis, à Roberto Epiſcopo conſtructum anno 1147. Nuper ſpectavit ad Comites Southampton. *Stoi Luſtrat. Civ. Lond.* p. 486. Edit. Lond. 1633.

[g] Jan. 26. 1167. *Dicet. Ymag.*

[h] *Bromton.* f. 1060.

[i] Electus eſt anno 1173. *Domit.* A 8. Confirmata eſt electio à Cantuar. Archiepiſcopo et aliis Epiſcopis apud Woodſtock. Habita diſpenſatione à Dom. Papa circa perſonam electi, tam aetatis quam nativitatis, quia non erat de legitimo matrimonio procreatus. Ita *Godwinus* ipſe. *MS. Gale.*

[k] Praeſente tam Rege quam Epiſcopis electioni ſponte renunciavit apud Marleburgiam ſexto die Januarii 1181. *Weſtmon.* et *Hoved.* f. 348. b. Quo tempore à Patre Rege (fratre Rege conſentiente) ſolenniter fuerat conſtitutus Angliae Cancellarius; Salario ſeu penſione annexa ad valorem quingentarum marcarum in Anglia, et totidem in Normannia. *Hoved.* f. 349. a.

[l] *Dicet. Ymag.* Ita etiam *Rot. Pipe* A. 30 H. 2. ineunte intelligendum eſt viz. inter Kal. Januar. et 8 Kal. Martii.

Cantuarienſem[m]. Electioni de ſe factae non niſi timide et cunctanter aſſenſum ſuum praebuiſſe dicitur, veritus ne in fatis eſſet ſe aut quenquam alium quantumvis millies electum illo Epiſcopatu nunquam poſſe potiri. Hic loci vix conſederat, quando Archiepiſcopatum Rothomagenſem ultro oblatum non renuit accipere, dignitate quidem praeſulatu quem jam obtinebat potiorem, redditibus vero et opulentia (vide quid poſſit ambitio) multis gradibus poſtponendum. Altero igitur à conſecratione anno Rothomagum tranſlatus eſt[n], anno nimirum 1184[o].

* * *

VI. SANCTUS HUGO.

POST tranſlationem Walteri per annos duos integros ſedes vacavit, ad quam in feſto S. Matthaei conſecratus[p] Hugo[q] Coenobii Carthuſianis Witthamae in Somerſetia, ab Henrico ſecundo Rege nuper poſiti, Prior. Hugo iſte (qui propter vitae morumque ſummam integritatem, et miraculorum quae illi credula poſteritas aſcripſit famam Sanctis annumeratur) natus eſt Gratianopoli, quae civitas eſt Burgundiae[r]. Patris conſilio, qui uxore mortua regularis Canonici habitum ſuſcepit, eundem ordinem ipſe etiam ingreſſus eſt, multum adhuc adoleſcens: adultior verò factus Carthuſianorum regulis, quam Canonicorum paulo rigidioribus, ſe aſtrinxit; quibus ita paruit diligenter, ut propter ſummam vitae auſteritatem celeberrimus evaſerit. Inter caeteros vero ejuſce rei fama ad Regem pervenit Henricum, qui cum ea tempeſtate Coenobium illius Regulae hominibus Wittehamae (uti dixi) condidiſſet, Reginaldum Bathonenſem Epiſcopum miſit in Burgundiam, ut huic viro tam ſancto perſuaderet Coenobii ſui regimen ſuſciperet, id quod ab illo tandem, quamvis aegre, factum eſt.

1186.
HEN. 2. 32.

Rex deinde paulo poſt, male ſibi conſcius Lincolnienſem ſedem tot annos paſtore viduatam manſiſſe ſua culpa, hanc injuriam jam compenſare decrevit, virum ſanctitate tam clarum ibi collocando. Quapropter Hugonem hac de re, ne per ſomnum quidem cogitantem, Epiſcopum Lincolnienſem curavit eligendum. Adminiſtratio ejus talis erat, qualem expectares ab homine et ſevero et animo haudquaquam puſillo; talis tamen, ut cum apud plurimos, ne dicam omnes, in magna eſſet veneratione, eum tamen plures amarent quam metuerent. Excommunicationes vero ejus omnes vehementer formidabant, eoque magis, quod ſaepe fuerat animadverſum cladem aliquam inſignem eas plerunque ſequutam.

Eccleſiam ſuam Lincolnienſem (quam totius Angliae ſpecioſiſſimam jam antea reddidiſſe Alexandrum ſupra expoſuimus) multum tamen auxit, excitata à fundamentis illa parte quam hodie *Novum Opus* appellant. Deinde Regi dedit mille marcas[s], ut receptam redimeret conſuetudinem, in ſingulis feſtis Circumciſionis, pelles quaſdam pretioſas quas ſablas nuncupamus, ipſi quotannis exhibendi: "Anno 1200 à Carthuſia principali "ejuſdem ordinis domo (inquit Pariſienſis[t]) viſitatis ex longo deſiderio

---

[m] Prius ordinatus Presbyter ab Archiepiſcopo Eboracenſi in feſto Pentecoſtes. *Dicet. Ymag.* Br. Willis diem conſecrationis 25 Junii aſſignat, mala vero fide, dies enim non fuit dominica. [n] De eo adi. *Balaeum* Cent. 3. p. 41. et *Voſſium* de Hiſt. Lat. L. 2. c. 54. [o] *Dicet. Ymag.* col. 517. [p] A Baldwino Archiepiſcopo Cantuar. in Cap. S. Katherinae Weſtmon. A. 1186. *Gervaſ. Weſtmon.* [q] Hujus Epiſcopi vitam Frater Joan. Morocurtius Carthuſianus eleganti carmine conſcripſit, cui operi titulum impoſuit *Hugoniados* Lib. 4. [r] *Dicet. Ymag.* et *Weſtm.* [s] *Hoved.* f. 231. b. De iſta exactione Pallii et redemptione vide in Vita L. 4. c. 7. [t] P. 171.

« Priore et fratribus ejuſdem domus, in Angliam rediens; in urbe Londinenſi apud vetus templum, quartanis febribus coepit graviter aegrotare. Venit ergo ad eum Rex Joannes ut eum viſitaret: ſed antequam « recederet, ad viri Dei petitionem teſtamentum ipſius confirmavit, et in « Domino promiſit, quod de caetero rata haberet teſtamenta rationabilia « Praelatorum. Cumque indies languor ingraveſceret, nunquam alicujus « conſilio cilicium quo jugiter utebatur ad horam permodicam deponere « voluit, &c." Sic Pariſienſis. Obiit ex morbo praedicto Londini Novemb. 17[u]. 1200. Cadaver Lincolniam deportatum eſt, quo tempore Joannes Angliae Rex cum Gulielmo Scoto ibidem congrederetur[x]. Tantos Reges non puduit, feretro humeros ſubmittentes, corpus tam ſancti viri, ad portas civitatis exceptum, ad Eccleſiam uſque bajulare. Occurrunt ibi obviam prodeuntes Praeſules[y] magno numero, qui ad valvas Eccleſiae ſuſceptum, in chorum detulerunt, ubi celebratis exequiis, in Orientali parte Eccleſiae prope altare D. Joannis Baptiſtae ſepulturae tradiderunt. Romae deinde anno 1220 in ſanctorum Album relatus eſt[z]. Et anno 1282 ſeptimo Octobris in capſulam argenteam oſſa perhibent tranſlata. Si cui libitum eſt miracula perlegere, quae ſanctitati ejus aſcribunt Monachi rerum noſtrarum ſcriptores, petat Pariſienſem, qui in hiſtoria anni 1200 haec omnia fuſius perſequitur. Inter caetera haud viſum praeterire ſilentio, quod alibi de eo traditum reperi: Godſtoam venientem (ſanctimonialium Coenobium juxta Oxonium) feretrum vidiſſe tapetibus ſericis contectum, cereis circumcirca ardentibus; et percontanti quiſnam ibi loci eſſet tumulatus, reſponſum, Roſamundam, formoſam illam Henrici Regis pellicem illic humatam, quae multa beneficia Coenobio illi contuliſſet. Quod cum intellexiſſet, effodi juſſit illico cadaver et in coemiterio ſepeliri, talem honorem ſcorto haud deberi contendens[a].

◆ ◆ ◆

VII. GULIELMUS BLESENSIS.

1203. Joan. 5. GULIELMUS BLESENSIS[b] Eccleſiae Lincolnienſis Praebendarius ac Praecentor, electus eſt in Epiſcopum anno 1201, ſed non conſecratus uſque ad feſtum S. Bartholomaei, anno 1203[c]. Obiit in vigilia Aſcenſionis 1206[d].

◆ ◆ ◆

VIII. HUGO WALLIS.

1209. Joan. 11. HUGO Archidiaconus Wellenſis, et Angliae aliquando Cancellarius[e], ſucceſſit anno 1209[f]; quo tempore interminatus illi Rex ne conſecrationem ſuſciperet à Langtono Cantuarienſi (qua de re Cantuarienſes conſulas) ad Rothomagenſem Archiepiſcopum eum amandavit[g]. Ille nihilo ſecius ad Cantuarienſem rectè proficiſcens, ab ipſo conſecratus eſt; id quod Rex aegerrime ferens, temporalia ipſi eripuit, et quinque per annos detinuit. Quo pacto vero reddita ſint, ſupra in Langtono Cantuarienſi pluribus expoſuimus. Pontifici tandem poſtea Rege reconciliato, adhaeſit tamen iſte Baronibus ſeditioſis primum, ac poſtea Ludovico Gallo, qui Angliam ſubjugare totis viribus eſt anniſus. Patriae ſuae Principiſque proditor nequiſſimus, hoc ob ſcelus jure excommunicatus eſt; neque potuit abſolvi, quoad Papae mille marcas numeraſſet, et Legato ejus centum. Cum Jocelino Bathonenſi et Wellenſi Epiſcopo hic collata ſtipe, Xenodochium pulchrum Welliae conſtruxit, ubi Archidiaconus fuerat, (ſicuti apud Bathonenſes pluribus demonſtrabitur) et Lincolniae ſalarium conſtituit miſſificaturis pro ſe ſacerdotibus, quod Cantariam ſolemus appellare. Vidi teſtamenti cujuſdam formulam ab illo anno 1211 conditi, in quo praeter multa propinquis ac neceſſariis legata, in pios uſus eroganda mandavit quinque millia marcarum. Annos poſtea multos vixit, nimirum uſque ad ſeptimum Februarii 1234[h]. Quo tempore defunctus, in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

---

[u] De die obitus maxima eſt apud Hiſtoricos diſcrepantia; obiiſſe dicitur Nov. 16. in *Annal. Burton.* Nov. 18. *M. Par.* Nov. 22 et ſepult. Nov. 24. *Hoved.* f. 461. b. 462. a. Dec. 1. *Weſtmon.* et *Dicet. Ymag.*

[x] Rex &c. Quum fuimus apud Lincolniam proxime poſt mortem Hugonis Epiſcopi Lincoln. *Rot.* 5 Joh. m. 4.

[y] Archiepiſcopis tres et Epiſcopis tredecim preſentibus. *Hoved.* f 461. b.

[z] Februarii decimo ſeptimo 1220. *Rym. Foed.* T. 1. p. 251.

[a] " Pontificum Baculus, Monachorum Norma, Scholarum
" Conſultor, Regum Malleus, Hugo fuit. *In vit.* L. 2. c. 4.

[b] Magna fuit inter Regem et Monachos concertatio, vacante Epiſcopatu, de electione novi Epiſcopi. *Hoved.* f. 464. b.

[c] A Willelmo Londin. Epiſcopo. *Chron. Petrob. Weſtmonaſterienſis* annum aſſignat.

[d] Maii decimo, (non undecimo, ut conjicit Cl. Br. Willis, illa enim fuit feria quinta, ſeu dies Aſcentionis) *Chron. Mailr.* Defunctus fuit 14 Maii. *Pat.* 8 Joan. Et Epiſcopa. in manu Regis 21 Maii. *Clauſ.* 8 Joan.

[e] A. 1205. *M. Pariſ.* in annum.

[f] Conſecratus eſt 20 Dec. 1209. *Annal. Wigorn.* Jan. 10. *Chron. Wikes.*

IX. ROBERTUS GROUT-HEAD[i].

1235. Hen. 3. 19. JUNII undecimo ſequenti Robertus Grout-head, ſive Groſſeteſte, (nonnullis Latino vocabulo tantundem ſonante, Groſſo-capite) Epiſcopus Lincolnienſis conſecratur[k]. Homo propter egregiam eruditionem aliaſque animi virtutes ſuo merito celeberrimus[l]. E Suffolcienſi comitatu oriundum ferunt, natalibus obſcuris*, ne dicam pudendis in vico Stodbrook appellato[m]; educatum vero ad tempus in Academia Oxonienſi[n], donec (pro more illis temporibus recepto) in Galliam proficiſceretur, cum bonarum literarum cauſa, tum etiam ut linguam Gallicam perdiſceret, cujus illo aevo multus apud gentem noſtram uſus. Reverſus Leiceſtrenſis fit Archidiaconus et Lincolnienſis dein Epiſcopus ſicuti retulimus.

Illo ſedente, tyrannis Pontificia, ad id conſcenderat potentiae, eòque ſe demiſerat iniquitatis, nihil ut fuerit tam injuſtum quod non poſſet, nihil tam pravum quod lucri gratia noluerit efficere. Inter caetera, duae res erant de quibus Eccleſiaſticae gentis homines, tunc temporis plurimum conquererentur. Injurias ſibi illatas ſi vindicari cuperent per Eccleſiaſticum Judicem, appellatio ſtatim litem ad Romanam curiam trahebat, ubi ingens pecunia erat profundenda, cum in cauſa, quantumvis juſtiſſima, nemo ſibi poſſet de remedio confidere inde petendo, ubi largitio nihil non impetraret. Deinde omnes Praeſulatus, Sacerdotia omnia paulo opimiora, per proviſiones et reſervationes Papales, rapiebant Itali, vel ut ipſi fruerentur, vel iis concederent qui plurimum afferrent nummorum. Hinc fiebat ut Eccleſia noſtra quaſi diluvio quodam ea tempeſtate inundaretur exterorum hominum, quorum non pauci pueri erant, plurimi literarum expertes, alienigenae omnes, qui cum linguae Anglicanae eſſent ignari, populis ſibi commiſſis nihil poterant prodeſſe, praeſertim cum, in patria ſua deſidentes, Eccleſias ſibi commiſſas ne ſemel quidem aſpicere per totam plerunque vitam dignarentur. Certe cum anno 1252[o] hac de re inquiſitio facta eſſet, compertum, redditus annuos exterorum ſeptuaginta millia marcarum confeciſſe, cum Rex (ut perhibet Pariſienſis[p], qui illo tempore vixit) vix viginti millia quotannis perciperet.

---

[g] *M. Pariſ.* p. 192. et *Weſtmon.* [h] Ita *Martilog.* penes Dec. et Cap. Linc. f. 3. *Weſtmonaſt.* verò diem octavum aſſignat, A. 1235 ineunte. [i] GROSTET, *Chron. Mailr.* GROSTESTE, *Rymer.* GROSSETEHT, *Chron. Petrob.* GROSSETEST, *MS. Gale.* [k] Junii 17. 1235. *Chron. T. Wikes.* à S. Edmundo Cantuarienſi Archiepiſco apud Radingum. *Weſtm.* aſſiſtentibus Jocelino Bathon. Roberto Sariſb. Rogero Lond. Hugone Elienſ. et Radulpho Hereford. Epiſcopis. [l] *Chron. Petrob.* ad A. 1236. * Nomen ejus verum COPLEY, et ex familia ejuſdem nominis in agro Ebor. clara et antiqua oriebatur. *MS. Gale.* [m] *Weſtm.* A. 1253. [n] Cantabrigiae ſtuduit ait author Vitae Cap. 16.

“ Doctrinam cupiens, quae Cantabrigia dictat.

Haec Epiſcopus noſter cum ferret moleſtiſſime, Romam decrevit ipſe proficiſci, ut de remedio aliquo opportuno tantis malis adhibendo cum Pontifice ageret. Profectus eſt, auditus eſt, et cum multis blandis pollicitationibus dimiſſus. Sed cum reverſus nihil emendatum videret, epiſtola perſcripta auſus eſt hominem acriter increpare; ac oſtendere, quantum à ſanctitate anteceſſorum ſuorum moderni Papae degeneraſſent; ſimul obteſtatus, ut vitia illa enormia corrigere niteretur, quae à Romana curia tanquam à fonte venenato fluentia, univerſam Eccleſiam ſuo contagio inficerent. Haec Epiſtola (ſi cui libet perlegere) apud Pariſienſem habetur. Pontifex, qui ante neſcio quot annos vocem forte liberam non audierat, his literis conſpectis, ita incanduit, ut ira exaeſtuans, et minas anhelans, tantae (ut putabat) contumeliae ſibi illatae atrociſſimam meditaretur vindictam. Sed hanc omnem rem ſuis verbis explicabit Pariſienſis. “Haec (inquit ille[q]) cum ad Domini Papae audientiam perveniſſent; non ſe capiens prae ira et indignatione, torvo aſpectu et ſuperbo animo ait; *Quis eſt iſte ſenex delirus, ſurdus et abſurdus, qui facta noſtra audax imo temerarius judicat? Per Petrum, et Paulum niſi moveret nos innata ingenuitas, ipſum in tantam confuſionem praecipitarem, ut toti mundo fabula foret, ſtupor, exemplum, et prodigium. Nonne Rex Anglorum noſter eſt vaſallus, et ut plus dicam mancipium, qui poteſt eum nutu noſtro incarcerare et ignominiae mancipare?* Et cum haec inter fratres Cardinales recitarentur, vix compeſcentes impetum Papae, dixerunt ei: *Non expediret, Domine, ut aliquid durum contra Epiſcopum ſtatueremus. Ut enim vera fateamur, vera ſunt quae dicit. Non poſſumus eum condemnare; Catholicus eſt imo et ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis ſanctior, et excellentioris vitae, ita ut non credatur inter omnes Praelatos majorem imo nec parem aliquem habere orbem Chriſtianum. Novit hoc Gallicana et Anglica cleri Univerſitas. Noſtra non praevaleret contradictio. Hujuſmodi Epiſtolae veritas, quae jam forte multis innotuit, multos contra nos poterit commovere. Magnus enim habetur Philoſophus, Latinis et Graecis literis ad plenum eruditus, zelator juſtitiae, lector in Theologia ſcholis, praedicator in populo, caſtitatis amator, perſecutor ſimonialium.*” Haec dixerunt Dominus Aegidius Hiſpanus Cardinalis; et alii quos propria tangebat conſcientia, conſilium dederunt Domino Papae, ut haec omnia conniventibus oculis ſub diſſimulatione tranſire permitteret, ne ſuper hoc tumultus excitaretur, maxime propter hoc, quia ſcitur, quod quandoque diſceſſio eſt ventura.”

Conſilio iſtorum acquieviſſe Pontificem nonnulli tradunt: Aſſerentibus aliis (et utrunque ſimul verum eſſe poteſt) excommunicatum Epiſcopum poſtea, et variis modis (nova fortaſſis aliqua arrepta occaſione) à Papa exagitatum. Inter alios Balaeus author eſt, eo ipſo tempore quo defunctus eſt, excommunicatum fuiſſe et Epiſcopatu etiam privatum, quem contulerit ille, Roberto adhuc ſuperſtite, Alberto homini Germano, Pruſſiae Archiepiſcopo, ſed è Livonia à popularibus pulſo. Ut quod conſtat perſcribam, hoc certum eſt, Pontificis faſtum, avaritiam ac tyrannidem in concionibus ſuis publice, quamvis modeſte ſaepenumero taxaſſe. Neque vero induci potuit unquam vir conſtantiſſimus, ut injuſtiſſimis proviſionum et reſervationum Papalium Bullis obtemperaret, quantumvis atrociter iratus Pontifex minitans intonaret. Qua de re cum familiaribus nonnunquam diſceptans, idque eo praecipue tempore quo lethali morbo aeger decubuit, auſus eſt affirmare, Papam HAERETICUM jure potuiſſe appellari, imo et ANTICHRISTUM. Sic Pariſienſis[r].

---

[o] Anno 1245 inquiſitio facta eſt, et ad ſexaginta millia marcarum pontificia creſcit reſervatio.

[p] P. 740.

[q] P. 750.

At his moleſtiis quantumvis exagitatus in concionibus tamen fuit aſſiduus; libros ſcripſit fere ducentos, quos Balaeus enumerat; et in Dioeceſis ſuae adminiſtratione multum inſumpſit laboris. Deceſſit tandem Buckdenae[s] nono Octobris 1253; cum prius teſtamento condito, libros ſuos omnes legaſſet bibliothecae fratrum Minorum Oxoniae. Humatus jacet in auſtrali parte Eccleſiae ſuae, ubi tumulum habet ſatis ſpecioſum ex marmore aereis laminis ornato. Sunt qui tradant, de eo poſt ſepulturam exhumando Pontificem cogitaſſe. Eccum vero juſtum Dei judicium. Iidem ipſi ſunt authores (Joannes Burienſis, Pariſienſis, Weſtmonaſterienſis et Fabianus) hunc Pontificem Innocentium quartum, apud Neapolim decumbentem, ab eo jam ante annum mortuo in viſione percuſſum, ut mane latus cruentum ſit repertum, eoque ex vulnere brevi poſt is interierit. Inter caeteros vero Pariſienſis multa ipſi tribuit miracula, quanquam in eum tam bene animatus Papa non fuerit ut in Sanctorum numerum referendum curaverit[t]. Vir proculdubio fuit clariſſimus, et omnium ſcriptorum conſenſu, multo illuſtrior quam ut à me paucis (ſic enim fert inſtituti mei ratio) poſſit depingi. Hoc tamen Pariſienſis de eo Elogium non pigebit aſcribere: "Fuit (inquit ille[u]) Domini Papae et Regis "redargutor manifeſtus, Praelatorum correptor, Monachorum corrector, "Presbyterorum director, Clericorum inſtructor, ſcholarium ſuſtentator, "populi praedicator, incontinentium perſecutor, Scripturarum ſedulus "perſcrutator diverſarum, Romanorum malleus et contemptor. In menſa refectionis corporalis dapſilis, copioſus, et civilis, hilaris et affabilis: "In menſa vero ſpirituali devotus, lachrimoſus et contritus: In officio "Pontificali ſedulus, venerabilis et infatigabilis." Propter has tantas ac tales virtutes, vulgus ut Sanctum veneratus eſt. Imo et Academia Oxonienſis (ſicuti teſtatur Gaſconius literis ſuis ad Clementem quartum perſcriptis) ut Sanctorum catalogo aſcriberetur petierunt, *et in illis literis teſtantur* (ut loquitur ille) *quod propter magna et plura miracula, et propter emanationem olei ab ejus tumba, Sanctus Robertus in Anglia dicebatur.* De ſtructuris ejus aliud non reperi, niſi quod monialibus Coenobiolum poſuerit apud Grimsby quod tempore ſuppreſſionis redditus annos habuit qui valere dicebantur libras noſtrates duodecim, tres ſolidos et denarios ſeptem.*

[r] P. 753.

[s] Ita *M. Pariſ.* et *Weſtmonaſt.* Oct. 10 *Martilog.* penes Dec. et Cap. Linc. f. 4. Oct. 4. *Annal. Wigorn.* Et Oct. 7. *Annal. Burton.* Oct. 14. *Chron. de Dunſtaple.*

[t] Petitio Lincolnienſis Eccleſiae, miſſa Clementi Papae A. D. 1307, de canonizatione Rob. Groſſeteſte extat inter MSS. in *Biblioth. Lameth.* ——— Edwardus etiam Rex ad Papam importune ſcribit de canonizatione ejuſdem. dat. apud Karl. 6 Maii 1307. *Rym. Foed.* T. 2 p. 1054.

[u] P. 754.

* 9^{l}. 14^{s}. 7^{d}. *Monaſt. Angl.* V. 1.

* * *

X. HENRICUS LEXINTON.

1254. Hen. 3. 38. REX jam cum Capitulo Lincolnienſi multis egit, ut hominem ſibi admodum charum in Epiſcopum eligerent Petrum de Egueblank Herefordenſem Epiſcopum[x]. Illi vero alienigenam dicentes, Anglicanae linguae ignarum, moribus pravis, et muneris ſibi olim demandati parum ſollicitum, id facere recuſarunt, et ſuffragiis ſuis paſtorem ſibi deſignarunt Henricum Lexintonum Eccleſiae ſuae Decanum[y]: qui electus Decembris 30[z]. 1253, et Maii 17 ſequenti conſecratus, diem obiit Auguſti 8. 1258, et in Eccleſia ſua tumulatus eſt. Anno 1257 menſe Martii, venerunt ad “S. Albanum (inquit Pariſienſis[a]) quidam magiſtri Oxoniae, “ circiter novem artiſtae, qui querula voce coram Rege in Capella San- “ cti Oſwini repoſuerunt querimoniam de Epiſcopo Lincolnienſi, qui “ contra ſtatuta Univerſitatis antiqua et approbata, nitebatur libertates “ ſcholarium enervare, &c. Eodemque die ſecretius dixit frater (qui et “ hoc ſcripſit) Domino Regi, Domine, pro Domino curam habe de Ec- “ cleſia jam vacillanti. Univerſitas enim Pariſienſis, tot altrix et magiſtra “ ſanctorum Praelatorum, non mediocriter perturbatur. Si ſimiliter uno “ tempore perturbetur Oxonienſis Univerſitas, cum ſit ſchola ſecunda “ Eccleſiae, imo Eccleſiae fundamentum, timendum eſt vehementer, ne “ Eccleſia tota ruinam patiatur. Et Rex, abſit quod hoc contingat, meo “ maxime tempore.” Haec non gravatè adſcripſi, ut pateat qualis ac quanta fuerit etiam ea tempeſtate, Academiae noſtrae Oxonienſis celebritas. Caeterum de hoc Antiſtite illud etiam memoratur, quod viam publicam quae fuit infra oppidum Tamenſe, magno incolarum commodo, per medium oppidum deduxit.

* * *

XI. BENEDICTUS DE GRAVESEND.

1258. Hen. 3. 43. SUCCESSIT[b] (qui etiam Decanus fuit Lincolnienſis) Benedictus de Graveſend, quem alicubi Richardum[c] nominatum reperi. Conſecratus eſt Novembris tertio 1258, et diem clauſit extremum Decembris 18. 1279. Per Ottobonum Legatum Pontificium anno 1265 hic excommunicatus eſt, una cum Epiſcopis Londinenſi, Wintonienſi, et Ciceſtrenſi, quod ſeditioſorum Procerum partibus ſeſe addixiſſent contra Regem[d]. Quare Romam profecti, ibi longo tempore haeſerunt, abſolutionis gratiam omnibus modis ambientes.

---

[x] *Weſtmon.* ad A. 1254.

[y] *Weſtmon.*

[z] Electus 17 Maii 1254. *Annal. Wigorn.* 22 Dec. 1253. *Martil.* penes Dec. et Cap. Linc. f. 5. et ob. 8 Auguſti 1258. *Ib.* Weſtmonaſterienſis refert electum fuiſſe in craſtino S. Thomae Martyris; Confirmatum 28 Martii; conſecratum 17 Maii à Bonifacio Archiepiſcopo in partibus tranſmarinis.

[a] P. 811.

[b] Rex conſentit electioni Mag. Richardi de Graveſend Decani Lincoln. 13 Oct. Temporalia reſtituta ſunt 17 Oct. *Pat.* 42 H. 3. m. 2.

[c] Richardus certè; Ita enim in Hiſtoricis; in *Regiſtro Monaſterii de Thame*; in *Regiſtro Decani Lincoln.* par. 1. f. 56; et in *Pat.* 42 H. 3. m. 2. nec non in *Clauſ.* 3 E. 1. m. 2.

[d] *Weſtmon.* in A. 1265

XII. OLIVERUS SUTTONUS.

OLIVERUS etiam Suttonus (ut habet Walſinghamus) Decanus fuit 1280. Lincolnienſis[e]. Homo bonus et pius. Electus eſt[f] in Epiſcopum Edw. 1.8. ſexto Februarii: conſecratus autem Martii[g] 18. 1280. Dei nomen pie invocans, in medio ferventiſſimae orationis animam exhalavit[h] Novembris decimo tertio 1299, et ſaxo tectus marmoreo, in ſuperiori parte Eccleſiae Aquilonem verſus ſepultus jacet prope Flemingum, qui illi poſtea ſucceſſit.

XIII. JOANNES D'ALDERBY.

JOANNES DE ALDERBY, nonnullis dictus de Aderly poſt annum 1300. ſucceſſit[i], Lincolnienſis Cancellarius; et in vivario Stowenſi deceſſit Edw. 1.28. Januarii 5. 1319. Sepultus eſt Lincolniae in inferiori tranſepto. Tumulus ejus amotus eſt, propterea quod à plebe ſuperſtitioſe frequentaretur et ipſe tanquam Sanctus coleretur[k].

XIV. THOMAS BEAK.

JANUARII 24 ſequenti Canonici Lincolnienſes in Epiſcopum elegerunt[l] Thomam Beak, Antonii nuper Dunelmenſis Epiſcopi fratrem, 1319. Edw. 2.13. qui etiam, ſicuti anteceſſor, Lincolnienſis fuit Cancellarius. Archiepiſcopus, qua de cauſa non comperi, electionem rejecit: Romae vero (ubi omnia venalia) confirmata eſt. Iſte (ſicuti traditum reperi) Hugonem anteceſſorem ſuum, in Sanctorum album aſcribi curavit. Anno 1278[m] Thomas quidam le Beak Archidiaconus Dorceſtrenſis Angliae Theſaurarius conſtitutus eſt. Facile inducor ut credam hunc illum ipſum fuiſſe. Et hinc certe conjicio aetate admodum provectum Epiſcopum factum, quod exiguo tempore praefuerit; quod in cauſa fuiſſe credo cur à nonnullis inter Epiſcopos hujus ſedis non numeretur[n]. Tumulatus eſt (ut accepi) in Septentrionali parte ſuperioris tranſepti.

---

[e] Praefectus fuit ſive Magiſter Domus de BALEHORNE apud Oxon. *Hiſt. et Antiqu. Oxon.* L 2. p. 7. Erga Oxonienſes eorumque privilegia ſe ſeverius geſſiſſe videtur. *Caius de Antiqu. Cantab.* L. 2. p. 251.

[f] Regium habet aſſenſum 18 Feb. *Pat.* 8 E. 1. m. 23.

[g] Conſecratus die S. Dunſtani (Maii 19) apud Londoniam à Joanne Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Chron. Petrob.*

[h] Obiit die S. Bricii (13 Nov.) 1299. *Prinn.* T. 3. p. 781. è *Weſtmonaſt.*

[i] Licentia eligendi conceſſa eſt 25 Nov. Et Joannes de Dalderby Canonicus ejuſdem Eccleſiae Regium habet aſſenſum, et temporalia reſtituta ſunt 18 Mar. *Pat.* 28 E. 1. Confirmatus ab Archiepiſcopo 17 Martii. *Regiſtr. Winchelſ.* et conſecratus 12 Jun. 1300. *Annal. Wigorn.* et *Regiſtr. ejus.*

[k] De canonizatione hujus Epiſcopi vid. *Rym. Foed.* T. 4. p. 275.

[l] Licentia eligendi data eſt 22 Jan. Et Magiſter Tho. Bek Lincolniae Cancellarius Regis habet aſſenſum 20 Feb. *Pat.* 13. E. 2. —— Tertio Non. Febr. 1319 electus fuit in Epiſcopum Anton. Bek Eccleſiae Lincolnienſis Canonicus (Henrico de Maunneſfield Decano Linc. antea in Epiſcopum electo, non conſentiente) ſed Joannes Papa 22 praetendens ſe Epiſcopatum Lincolniae ſuae collationi reſervaſſe, contulit illum Henrico de Burwaſh natione Anglico, qui in partibus tranſmarinis auctoritate Papae manus conſecrationis accepit. *Martilog. penes Dec. et Cap. Linc.* f. 28.

[m] Ita *MS. in Biblioth. Reg. Cantab.*

[n] Omittitur in *Chron. Petroburgenſi.*

XV. HENRICUS BURWASH.

1320. Edw. 2. 14. HENRICUS BURWASH[o] Oxoniae educatus, nepos fuit Bartholomaei de Badiliſmer Baronis de Leeds[p], qui ſub Edwardo ſecundo vir magni nominis erat et valde potens, à quo exoratus Rex hunc illi Praeſulatum impetravit[q]. Inthronizatus dicitur ſub exitum Decembris 1320. Anno vix uno aut altero elapſo, offenſam Regis incurrit, eouſque ut temporalia ejus fiſco ſuo addici Rex curaverit. Anno 1324 illi ſunt reſtituta, et ipſe in gratiam receptus[r]. Ejuſce tamen rei memoria tam alte illius animo infixa eſt, ut Regina res novas moliente, et Regem maritum in ordinem redigere ſatagente (quod etiam poſtea effecit) nemo promptius operam illi detulerit contra Principem legitimum, quàm iſte, quem maxime decuiſſet fidelitatis et obedientiae exemplum caeteris praebuiſſe.

Angliae fuit et Theſaurarius[s] primum, ac deinde Cancellarius. Homo avarus et qui potentia ſua ad vicinorum oppreſſionem facile abuteretur. Non multo ante obitum, feris apud Tinghurſt inſtituit vivarium, cui, inter alia praedia quae ſui juris eſſent, latifundia incluſit aliena, nimirum pauperum quorundam, quos ea res peſſime habuit, quique eam ob cauſam homini ſaepe dira imprecati ſunt. Poſt mortem apparuiſſe dicitur nobili cuidam qui ipſi nuper fuerat famulatus, brevi tunica indutus eaque viridi, arcum pharetram et ſagittas manibus geſtans, necnon cornu venatorium ad cervicem pendulum, et hujuſmodi verbis eum affatus: Noſti quod non ſine offenſa Dei, et injuria pauperum, iſtum vivarium clauſerim. In cujus rei poenam conſtitutus jam ſum ejuſdem cuſtos et viridarius, quouſque terrae hic incluſae priſtinis poſſeſſoribus reſtituantur. Quare obſecro, Canonicos Lincolnienſes meo nomine roges, uti foſſis complanatis et ſepibus dejectis, ſua cuique praedia curent reſtituenda. His rebus Canonicis nunciatis, miſſus eſt illico ex eorum ſodalitio quidam W. Bacheler, qui haec omnia perficeret à ſpectro ſicuti diximus petita[t]. Aut illuſionem hanc fuiſſe diabolicam, aut miſſificantium commentum, ad quaeſtuoſam illam de purgatorio doctrinam confirmandam, ſanus opinor nemo dubitaverit. Exceſſit è vivis Gandavi hic Epiſcopus, in viridem viridarium mox transformatus, ſub exitum Decembris 1340[u] et ſepultus eſt in Orientali parte Eccleſiae ſuae verſus Septentrionem. Ad pedes ejus humati jacent frater quidam ejus nomine Robertus, Eques auratus et miles habitus non inſtrenuus, ac Bartholomaeus dicti Roberti filius, ſcholae ad puerorum inſtitutionem Lincolniae fundatores, praediis relictis unde quinque presbyteri, et quinque pauperes ſcholares ibi in perpetuum alerentur.

---

[o] Filius Domini Roberti de Burghaſhe Militis, et D. Matildis uxoris ejus. Ita in Statutis Collegii Oriel. Oxon. f. 8.

[p] *Rym.* Tom. 3. p. 793.

[q] Edw. ſecundus anno Regni 13 ad Papam ſcripſit pro Henrico Burgherſh J. C. D. Andegavi, ut promoveat eum ad Epiſcopatum Winton. Lit. dat. apud Eborum ſecundo Novembris. *Rym. Foed.* T. 3. p. 793. Iterum 9 Nov. *Ib.* p. 796. Iterumque 5 Dec. *Ib.* p. 807. —— Decimo quinto vero Januarii ad eundem ſcribit pro praefato Henrico, ut eum promoveat ad Epiſcop. Lincolnienſem. *Ib.* p. 814. Nec non 6 Martii. *Ib.* p. 820. Bulla proviſionis data fuit 27 Maii 1320. *Ib.* p. 834. Et Temporalia reſtituta ſunt 5 Aug. 1 *Pat.* 14 E. 2. et 1 *Pat.* 15 E. 2. —— Adhuc Juvenis, qui triceſimum aetatis annum nondum attigerat. *MS. Anſtis.* è Coll. H. Whart. —— Conſecratum referunt ante Aug. 2. *MS. Wood.* ſcil. 20 Jul. apud Boloniam. *Br. Willis.*

[r] *Walſing.* p. 99.

[s] Theſaurarius primò conſtitutus eſt 1328. 1 *Pat.* 2 E. 3. m. 9. Et iterum 1334. 2 *Pat.* 8 E. 3. m. 39. Interea verò, anno nimirum 1329, triceſimo primo Maii Angliae fit Cancellarius. *Clauſ.* 2 E. 3. m. 26. *in dorſo.* Anno ſequente Nov. 28. Sigillum reſignat in manus D. Regis. *Rym.* T. 4 p. 454.

[t] Hoc deſumitur è *Walſingh.* p. 150.

[u] Anno 1343. *Walſingh.* ib.

XVI. THOMAS LE BECK.

* 1342. Edw. 3. 16. HENRICO praedicto ſucceſſiſſe dicitur Thomas Le Beck[x] *Clericus nobilis et excellens* (ut loquitur Walſinghamus[y]) nonnullis dictus Thomas Beak. Sepultus[z] jacet in inferiori tranſepto. Quamdiu ſederit, aut quo tempore obierit, non comperi.

XVII. JOANNES SYNWELL[a].

* 1347. Edw. 3. 21. JOANNES SYNWELL Archidiaconus Northamptonenſis Oxoniae educatus, in Epiſcopum Lincolnienſem confirmatus eſt Julii 3. 1351. Quo ipſo anno lis eſt exorta inter ipſum et Oxonienſes Academicos de Cancellarii admiſſione[b]; qua de re ſupra pluribus apud Simonem Iſlepum Cantuarienſem. Hoc interim obſervaſſe non pigebit, perperam traditum à nonnullis, ſub Bokingamo Epiſcopo hanc controverſiam agitatam, quando ille hujuſce ſedis cathedram non conſcenderit niſi defuncto Synwello, qui Lidintonae deceſſit Aug. 5. 1362[c]. Iſte, ni fallor, Capellam conſtruxit S. Mariae Magdalenae extra Septentrionalem parietem Eccleſiae ſuae, in cujus navi ſive Occidentali parte tumulatus eſt.

XVIII. JOANNES BOKINGAM.

1363. Edw. 3. 37. REGE quamvis enixius petente, non ſine largitione tamen et magno molimine, huic ſedi ſe ingeſſit Joannes Bokingamus[d], Privati ſigilli cuſtos, anno 1363[e]. Habetur à nonnullis indoctus admodum, et erat fortaſſis. Conſtat tamen Joannem quendam Bokingamum his temporibus vixiſſe, Academiae Oxonienſis Doctorem, in ſpinoſa illa ſcholaſticorum Theologia verſatiſſimum, cujus opera nonnulla Balaeus recenſet. Et hunc ipſum fuiſſe, ego certe facile crediderim. Anno 1397[f] Papa, neſcio unde offenſus, invitum et quantum licebat repugnantem, tranſtulit ad ſedem Lichfeldenſem: Cujus redditus cum multo eſſent exiliores quam Lincolnienſis Epiſcopatus, accipere oblatum dedignatus, et praeſulatu exactus quem ante tenuerat, cucullum Cantuariae induit, ibique Monachus interiit[g]. Inter fundatores pontis Roffenſis hic, haud inter poſtremos, numeratur.

---

[x] Juris Canon. D. et ejuſdem Eccleſiae Canonicus. *Chron. Petrob.* in A. 1340.—— Regis habet aſſenſum 1 Martii 1341. 1 *Pat.* 15 E. 3.—Conſecratus verò (in Curia Romana 2 *Pat.* 16 E. 3. m. 20.) Non. Jul. 1342. *Regiſtr. Beke.*

[y] P. 150

[z] Ob. ſub exitum anni 1346, menſe ſc. vel Jan. vel Febr. *Regiſtr. ejus.*

[a] GYNWELL, GENEVILE, ſeu rectius GYNEWELL *Hon. de Richm. in App.* p. 75, 262, 263. et *Chron. Petrob.*——Erat Preb. de Caſtor in Eccleſia Lincolnienſi; cui ſucceſſit Hen. de Ingleby A. 1347, per Conſecrationem Joan. Gynewell. Conſecratus eſt Joannes 23 Sept. 1347. *Regiſtr. Gynwell.*

[b] Controverſia inter eum et Oxonienſes, de admiſſione Cancellarii, accidit menſibus Julii et Auguſti 1350 ut liquet ex ipſis inſtrumentis in *Regiſtr. Iſlip.* Vid. etiam *Hiſt. et Antiquit. Oxon.* L. 2. p. 397. a. E Regiſtro Iſlip conſtat hunc Epiſcopum exemptum fuiſſe à ſubjectione Sedi Cantuar. Bulla Clementis dat. Kal. Aug. A° Pont. 7. Vid. ſupra apud Iſlepum Archiepiſc. p. 113.

[c] *Regiſtr. Iſlip.* f. 227.

[d] Archidiaconus Northamptoniae et Clericus D. Regis *Chron. Petrob.*——Licentia eligendi conceſſa eſt 20 Auguſti, et Rex aſſenſum praebuit electioni factae de Joanne de Bukingham Canonico ejuſdem Eccleſiae 20 Oct. 2 *Pat.* 36 E. 3. m. 26.

[e] Vacavit Epiſcopatus 26 Apr. et 23 Maii 1363. 1 *Pat.* 37 E. 3. m. 10, 28. Temporalia vero reſtituuntur 23 Junii *Ib.* m. 3. Et conſecratus eſt 25 Jun. 1363. *Birckingt* p. 45. Proviſus eſt ab Urbano, Bulla dat. Non. Aprilis. Spiritualia accepit Jun. 5. 1363. Et Profeſſionem fecit Jul. 12. *Regiſtr. Iſlip.*

[f] A. 1398. *Walſingh.* p. 394.

[g] Ob. 10. Mar. 1397. *Obituar. Cant.*

XIX. HENRICUS BEAUFORT.

*1398. Ric.2.22. ABDICATO Bokingamo ſucceſſit[h] Henricus Beaufort[i], Henrici quarti Regis frater[k], qui apud hiſtoricos noſtros opulenti Cardinalis nomine ut plurimum innoteſcit. Sedit hic loci annos ſeptem (interea per unum annum functus munere Cancellarii Oxonienſis, anno nimirum 1399) et anno deinde 1404 Wintoniam tranſlatus eſt[l]. De quo ſupra ſatis prolixe.

XX. PHILIPPUS REPINDON.

1405. Hen.4.6. PHILIPPUS REPINDONUS[m] S. Theologiae Doctor, Canonicus primum, ac deinde Abbas Leiceſtrenſis, quique anno 1400 Academiae Oxonienſis (ubi fuerat educatus) Cancellarius extitit, conſecratus eſt in Epiſcopum Lincolnienſem Martii 29. 1405. Vir (ut illa ferebant tempora) egregie eruditus, ac inter caeteras bonas artes, quarum ſtudio operam navarat, poetices non ignarus, ad Neckami nomen hoc diſticho alluſit;

" Et niger et nequam cum ſis cognomine Neckam,
" Nigrior eſſe potes, nequior eſſe nequis.

Quam facetiam ſimili ejuſdemque generis ille ſic rependit[n];

" Phi nota foetoris, lippus malus omnibus horis,
" Phi malus et lippus, totus malus ergo Philippus.

Hic doctrinae Wicleſianae propugnator aliquandiù acerrimus, in corruptelas Pontificias, tam in concionibus et lectionibus publicis quam ſcriptis (quae hodie dicuntur extare) vehementer invehebatur. Tandem adverſae factionis ſeu minis ſeu blanditiis evictus, ad crucem Paulinam palinodiam cecinit, tumque omni honorum genere cumulatur. Epiſcopus cum ſediſſet annos tres, à Gregorio duodecimo Cardinalis creatus eſt tt. ſanctorum Nerei et Achillei Septembris 18[o]. 1408. Deinde Maii 12. 1420[p] Epiſcopatu ſe ſponte abdicavit. Sub ſaxo marmoreo jacet tumulatus[q] prope Growtheadum.

---

[h] Jul. 14. 1398 incipit annus primus conſecrationis, ut è Regiſtro patet. 1398. *Walſingh.*

[i] Preb. fuit de Thame et de Buckingham in Eccleſ. Linc. *Regiſtr. Buckin.*

[k] Committimus cariſſimo fratri noſtro Henrico Epiſcopo Linc. cuſtodiam Prioratus de Morteyn alien. *Fin.* 5 H. 4. m. 5.

[l] Erat ei Suffraganeus Willelmus Egumonde Piſſinenſis Epiſcopus. *Baleus.* Cent. 7. p. 515.

[m] Proviſus eſt ab Innocentio Papa, Bulla data 13 Kal. Dec. Pontif. primo. *Regiſtr. Arundel.* f. 29. Fidelitatem fecit Regi 23 Martii, et 28 ejuſdem menſis Temporalia reſtituuntur. 2 *Pat.* 6 E. 4. m. 31 et 11. Et conſecratus eſt poſtridie. A. 1405. *Regiſtr. Arund.* f. 29.

[n] At Neckamus non eodem tempore vixit cum Repindono, ſed tempore Joannis Regis. Obiit enim A. 1227. *Baleus* Cent. 3. p. 273.

[o] Sept. 19. 1408. *Ciac. Vit. Pont. et Cardin.* T. 2. col. 766. Edit. Romae 1677.

[p] Epiſcopatum reſignat 10 Oct. 1419. Papa reſignationem accipit 21 Nov. Intimatur Epiſcopo 1 Feb. quo die abſtinebat ab omni exercitio juriſdic. ſpiritua. *Regiſtr. Repynd.* f. 103. Ita *MS. Anſtis.*

[q] Adhuc in vivis. 4 *Pat.* 1 H. 6. m. 17. Et Teſtamentum probatum non ante 1 Aug. 1434. *Regiſtr. Chichl.*

XXI. RICHARDUS FLEMMING.

RICHARDUS FLEMMING S. Theologiae Doctor et Canonicus Lincolnienſis[r], juriſdictionem hujus ſedis ad ſe commiſſam accepit (à Papa prius Epiſcopus deſignatus[s]) Maii 24. 1420. Anno 1424 ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus eſt à Pontifice. Sed Rex Henricus quintus qui, Gallia nuper ſubacta, potens Papae potius metuendus videretur quam ipſius cenſuras vereri, contempta authoritate pontificia, Eboracenſi ſede Flemmingum arcuit, et Lincolniam rurſus redire coegit[t]. Qua de re Eboracenſes conſule. Hic Joannem Wiclefum, reformationis Eccleſiaſticae magnum ſuaſorem, jam olim defunctum, ad Concilii Senenſis mandatum exhumari fecit, et oſſa ejus rogo impoſita tanquam Haereſiarchae comburi, anno 1425[u]. Anno deinde 1430 Collegium Oxoniae inſtituit, Lincolnienſe hodie nuncupatum; quod auxit multum Thomas Bekintonus Bathonenſis et Wellenſis Epiſcopus, (fundatore immatura morte ſublato antequam opus ad umbilicum poſſet perducere) perfecit vero Thomas Rotheramus Eboracenſis Archiepiſcopus, additis redditibus qui quinque ſociis ſufficerent. Quo tempore naturae debitum perſolverit haud comperi[x]. Sepultus eſt in muro Septentrionali ſuperioris partis Eccleſiae, ubi tumulus viſitur excelſus; fratre Roberto Flemming juxta contumulato Lincolnienſi Decano. Viri doctrina ac eruditione inſignes (quod opera ab illis perſcripta demonſtrant) et Oxoniae educati, ubi Doctoris gradu uterque honeſtatus. Richardo vero Epiſcopo Nicolaus Pontius, Mertonenſis quidam non indoctus, multum ibi faceſſerat negotii.

1420.
Hen. 5. 9.

* * *

XXII. GULIELMUS GRAYUS.

MAII 26. 1426 Gulielmus Grayus in Londinenſem Epiſcopum conſecratur, qui anno 1431[y] Lincolniam tranſlatus eſt, ubi annos vixit plus minus quatuor[z]. Collegium is fundavit Thelae in comitatu Hertfordenſi, ubi Praeſidem inſtituit nomine Magiſtri et Canonicos quatuor. Hoc vero Collegium cellam eſſe voluit ac membrum Elſingenſis Noſocomii quod eſt Londini. Educationem hic praeſul ſortitus eſt in Collegio Balliolenſi Oxoniae, quam Academiam Cancellarius rexit aliquando[a].

1431.
Hen. 6. 9.

---

[r] Nobili ortus familia in Comitatu Eboracenſi. *MS. Gale.*

[s] Proviſus à Martino Papa 12 Kal. Dec. 1419. *Regiſtr. Chichl.* f. 26. Temporalia reſtituta ſunt 23 Maii 1 *Pat.* 8 H. 5. m. 25. Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 24 Maii. *Regiſtr. Chichl.* ib.———Annus primus conſecrationis incipit à 28 Aprilis 1420, ut è Regiſtr. patet.

[t] Tranſlatus eſt Bulla Martini, Rege verò irato, temporalia non potuit obtinere; ideoque iterum tranſlatus eſt ad Lincolniam Bulla dat. 13 Kal. Aug. Pontif. A°. 8. *Regiſtr. Chichl.* f. 39. et Temporalia reſtituta ſunt 3 Aug. 2 *Pat.* 4 H. 6. m. 10.

[u] *Lyndwood,* ſive *Annotator* in Lib 5. Tit. 4. ita perhibet, *Joannis Wickliff corpus, quod erat ſepultum in Eccleſ. Parochiali de Loterworth Lincoln. Dioeceſi, ubi fuit Rector, de mandato et decreto Sedis Apoſtolicae fuit exhumatum, et ejus oſſa combuſta, cineribus eorundem projectis in proximum amnem ad damnationem et deletionem memoriae ſuae, Reverendo Patre Domino* Richardo Flemyng *Lincoln. Epiſcopo praemiſſa exequente, Anno Domini* 1428.

[x] Obiit apud Sleford 25 Jan. 1430. *Regiſtr. ejus.*

[y] Licentia eligendi conceſſa eſt 5 Feb. 1 *Pat.* 9 H. 6. m. 21. Sed proviſus eſt à Papa Bulla data Romae 13 Kal. Aug. Pontif. A°. 8. *Regiſtr. Chichl.* f. 40. Temporalia reſtituta ſunt 4 Aug. 2 *Pat.* 9 H. 6. m. 10.—Prid. Kal. Maii incipit primus annus tranſlationis. *Regiſtr. ejus. MS. Anſtis.*

[z] Teſtament. condit 11 Feb. 1435. Probatum 9 Martii 1435. *Regiſtr. Chichl. MS. Anſtis.* Sed error ſanè hic ſubit; Obiit ante 1 Febr. eo enim die Licentia eligendi conceſſa eſt Decano et Capit. 1 *Pat.* 14 H. 6. m. 6.

[a] Nequaquam; Willelmo Grey Elienſi Epiſcopo verius aſcribendum eſt. Vid. *Wharton de Epiſc. Lond.* p. 160.

XXIII. GULIELMUS ALNEWICK.

1436. Hen. 6. 15. ANNO 1426 Gulielmus Alnewicus legum Doctor et privati ſigilli cuſtos in Epiſcopum Norwicenſem conſecratus eſt. Hic portas Occidentem verſus in Eccleſia cathedrali ibidem et feneſtram magnam fieri fecit. Anno 1436 Lincolniam tranſlatus eſt[b]. Obiit menſe Decembri 1449[c], et in navi Eccleſiae ſuae ſepultus eſt. Homo propter doctrinam et morum ſanctitatem tam celebris, ut priſcorum Regum ſanctiſſimus Henricus ſextus in confeſſorem eum ſibi aſciverit[d].

XXIV. MARMADUCUS LUMLEY.

*1449. Hen. 6. 28. MARMADUCUS LUMLAEUS ex praenobili et antiqua Baronum Lumlaeorum (ut videtur) natus proſapia, conſecratus fuit in Carleolenſem Epiſcopum 1430; et poſtquam ibi ſediſſet annos 20, huc tranſlatus eſt 1450[e]: ubi annuo vix ſpatio confecto, Londini deceſſit. Hic Angliae aliquando Theſaurarius, ad ſtructuram Collegii Reginae Cantabrigiae (cui Academiae Cancellarius praefuit) contulit ducentas libras. Et bibliothecam Collegii praedicti egregiis libris complurimis inſtruxit.

XXV. JOANNES CHADWORTH.

1452. Hen. 6. 30. JOANNES CHADWORTH è comitatu Gloceſtrenſi oriundus, et in Collegio Mertonenſi Oxoniae ad tempus nutritus, traductus eſt ad Collegium Regium Cantabrigiae; et in ſecunda quae celebrata eſt electione ibidem, in ſociorum numerum cooptatus; ſecundus etiam Praepoſitus factus eſt ejuſdem, quando Gulielmus Millington exauthoratus eſt, quinto Novembris 1446. Id muneris ſtrenue obivit donec anno 1452 Eccleſiae Lincolnienſis gubernaculo admotus eſt[f]. Anno vero 1454 per delegationem authoritas conceſſa eſt huic Epiſcopo ſimul et Waynfleto Wintonienſi ab Henrico ſexto Rege, utriuſque Collegii à ſe conditi, Eatonae et Cantabrigiae, ſtatuta reformandi et corrigendi. Saxo coopertus marmoreo, tumulatus jacet prope Suttonum, non procul à Flemmingo, ac ſedit (prout conjicio) annos circiter octodecim[g].

---

[b] Vacante Eccleſia per mortem Gulielmi, Subdecanus et Capit. Decano abſente, in Gulielmum Norwic. Epiſcopum, Regis Confeſſorem, direxerunt unanimiter vota ſua, et Reg. ſupplicant ut aſſenſum praeberet, cui Rex aſſenſum adhibet, et Eugenio Papae ſignificavit 23 Maii. 1 *Pat.* 14 H. 6. m. 9. Tranſlatus eſt igitur Bulla Eugenii dat. 13 Kal. Oct. 1436. *Regiſtr. Chichl.* f. 54. et Temporalia reſtituta ſunt 16 Feb. *Pat.* 15 H. 6. m. 30.

[c] Obiit 5 Dec. 1449. *Regiſtr. Lumley.* Teſtamen. probatum 10 Dec. 1449, et poſtridie data eſt Certif. de morte ejus. *Regiſtr. Stafford.* f. 179.

[d] Hujus munificentia adjuti ſunt Cantabrigienſes, in aedificando meridionali parte publicarum Scholarum, et in miſſa Benefactorum memoratur.

[e] Tranſlatus à Nicolao Papa 5 Kal. Feb. 1449. Profeſſionem fecit 14 Martii. *Regiſtr. Stafford.* f. 34. Et eodem die temporalia reſtituta ſunt. 2 *Pat.* 28 H. 6. m. 25.

[f] Joannes Chedworth Canonicus Lincolnienſis in Epiſcopum electus, Regis habet aſſenſum 11 Feb. et pro eo Literae diriguntur D. Papae. 1 *Pat.* 29 H. 6. m. 13.——Temporalia reſtituta ſunt 2 Junii. 2 *Pat.* 30 H. 6. m. 13. Et 14 Kal. Jul. 1452 incipit primus annus Conſecrationis ejus. *Regiſtr. ejus.*

[g] Ob. primò Decembris 1471, ut è Regiſtro patet.

XXVI. THOMAS SCOTUS, al. ROTHERAM.

THOMAS SCOTUS, à patria Rotheramus vulgo dictus, Epiſcopus Roffenſis, Lincolniam tranſlatus [i] eſt anno 1471, et inde poſt annos 9 Eboracum. Interea vero, anno videlicet decimo quarto Edwardi quarti Regis, Angliae Cancellarius conſtitutus, id muneris adminiſtravit quoad vixit [k]. Eodem porro tempore, Academiae quoque Cantabrigienſis extitit Cancellarius. 1471. EDW.4.12.

XXVII. JOANNES RUSSEL.

IN ſede Lincolnienſi Rotheramo ſucceſſit [l] Joannes Ruſſellus S. Theologiae [m] Doctor et [Roffenſis Eccleſiae Epiſcopus, non ita pridem] Archidiaconus Berkenſis; cujus pietas, ſapientia, multus rerum uſus, et eruditio ſingularis, à Thoma Moro magnis efferuntur laudibus. Academiae Oxonienſis Cancellarius perpetuus hic primus conſtitutus eſt [n]: Siquidem ante illum munus illud annuum extitit. Ad tempus vero fuit etiam Angliae Cancellarius [o], à tyranno conſtitutus Richardo Gloceſtrenſi Duce, Regis protectore, quem poſtea crudeliſſime necavit, regno ſibi vendicato. Deceſſit hic praeſul in mannerio ſuo de Nettleham triceſimo [p] Januarii 1490, et tumulo conditus eſt non ineleganti, in capella quae muro ſuperiori inſeritur Auſtralis partis Eccleſiae [ſuae.] 1480. EDW.4.20.

XXVIII. GULIELMUS SMITH.

ANNO 1492 Gulielmus Smithus, ſocius quandoque Aulae Pembrochianae Cantabrigiae [q], conſecratus eſt in Epiſcopum Coventrenſem et Lichfeldenſem. Ac Lichfeldiae quidem Xenodochium inſtituit Magiſtro, duobus ſacerdotibus, ac decem pauperibus. Scholam etiam ad inſtitutionem puerorum, cui per Henricum ſeptimum conferri curavit Hoſpitale ſive Xenodochium de Donhall in comitatu Ceſtrenſi, cum praediis ad id ſpectantibus. Farmworthae ubi natus eſt, fundos, qui valerent decem libras annuatim, comparavit, ut inde Ludimagiſter aleretur ibidem. Collegium denique coepit condere, Oxonienſium jam non poſtremum, quod ab aeneo naſo nomen habet, ſed morte immatura praereptus, abſolvere nequivit. Lichfeldiae cùm ſediſſet annos 4 Lincolniam tranſlatus 1495 [r]: extremo Decembri [s] moritur 1513. In navi Eccleſiae ſuae jacet humatus. Primus hic fuit Walliae Praeſes [t], eamque provinciam rexit à decimo ſeptimo anno 1495. HEN.7.11.

---

[i] Joanne defuncto licentia eligendi conceſſa eſt ſeptimo Decembris. 2 *Pat.* 11 E. 4. m. 25. Annus tranſlationis primus incipit octavo Martii 1471. *Regiſtr. ejus.* Et Temporalia reſtituta ſunt decimo ejuſdem menſis. 1 *Pat.* 12. E. 4. m. 18.

[k] Uſque ad tempora Richardi tertii.

[l] Temporalia habet reſtituta 9 Sept. 1 *Pat.* 20 E. 4. m. 3.

[m] Juris Canonici Doctor. *Wood.*

[n] Nativitatis locum et promotiones, caeteraque omnia ad eum pertinentia, videre eſt in *Hiſt. et Antiquit. Oxon.* L. 2. p. 413, 414.

[o] Primo Richardi tertii. *Clauſ.* 1 R. 3. *in dorſo.*

[p] Ita in Regiſtro, ſed errore manifeſto; Teſtamentum enim factum eſt 30 Dec. 1494. et probatum 12 Jan. 1494; et adhuc habetur in officio Prerogativo Cant. *in libro Vox.* Qu. 22. Et Rex literas miſit Univerſitati Oxon. de electione Cancellarii poſt obitum Epiſcopi Lincoln. dat. undecimo Januarii. *Pixide F. in Univ. Oxon.* Epiſt. 469. *MS. Anſtis.*

[q] Archidiaconus Surreyae, in Epiſcopum Lichfeldenſem praeficitur per Henricum ſeptimum, Arthuri Principis rogatu.

[r] Proviſus eſt ab Alexandro Papa A. 1495. Spiritualia accepit ab Archiepiſcopo 31 Jan. *Regiſtr. Morton.* et Temporalia reſtituta fuit ſexto Februarii 149 2 *Pat.* 11 H. 7. m. 16.

[s] Secundo Januarii ex Epitaphio. Teſtamentum ejus factum 26 Dec. 1513. probat. triceſimo Januarii 1513. habetur in *Lib. Fettyplace* in Offic. Prerog. Cant. *MS. Anſtis.* Certificat. de morte ejus dat. 5 Jan. 151 *Regiſtr. Warham.*

[t] *MS. Moor* Num. 388. in Bibl. Regia Cantab.

Henrici ſeptimi, ad Henrici octavi quartum, quo anno (uti diximus) vitam cum morte commutavit. Fuit etiam Academiae Oxonienſis Cancellarius.

XXIX. THOMAS WOOLSEY.

1514. Hen. 8. 5. PARVO temporis ſpatio, anno vix integro, Woolſaeus, poſtea Cardinalis, Lincolnienſis extitit Epiſcopus. Conſecratus eſt Martii 26. 1514[u], et eodem anno nondum exacto Eboracum tranſlatus eſt. De illo infra pluribus.

XXX. GULIELMUS ATWATER.

1514. Hen. 8. 6. GULIELMUS ATWATERUS[x] (qui anno 1496 et aliquot deinceps annis ſequentibus Oxonienſis Academiae fuerat Vice-Cancellarius, aut prout tunc appellari conſuevit Commiſſarius) ad Lincolnienſem ſedem conſecratus eſt[y] Novembris duodecimo 1514. Sedit annos plus minus quinque, obiit ſub initium Februarii 1520[z], et in Occidentali parte Eccleſiae ſuae traditus eſt ſepulturae.

XXXI. JOANNES LONGLAND.

1521. Hen. 8. 13. JOANNES LONGLAND Oxonienſis et è Collegio Magdalenenſi Theologiae Doctor, Confeſſor Regius[a], conſecratus eſt in Lincolnienſem Epiſcopum Maii 5. 1521, et annos ſedit quamplurimos, eoque fere tempore toto Oxonienſis Academiae fuit Cancellarius. Obiit anno 1547, et tumulo illatus eſt prope Ruſſellum[b], illius etiam monumento quam ſimillimo.

XXXII. HENRICUS HOLBECH.

1547. Edw. 6. 1. HENRICUS HOLBECH[c] Theologiae Doctor Cantabrigienſis, in Briſtolienſem Suffraganeum conſecratus, Eccleſiae Roffenſi praeficitur anno 1544; unde Lincolniam tranſlatus[d] 1547. Cum ſediſſet ibi annos ferme quinque, diem[e] obiit ſub initium Auguſti 1551[f].

---

[u] Proviſus eſt ad Lincoln. à Leone Papa 8 Id. Feb. 1513. Conſecratus Lamethae à Willelmo Cant. Archiepiſcopo 26 Martii 1514. *Regiſtr. Warham.* f. 17.——Adhuc Epiſcopus Lincolnienſis Cancellarius eſt electus Academiae Cantabrigienſis, ut conſtat Literis ab Academia miſſis dat. 9 Kal. Jun. 1514. Sed prae Regni negotiis honorem recuſavit. Lit. dat Londini. ſecundo Junii 1514. *MS. penes Editorem.*

[x] Socius Etonenſis, Canonicus Windeſorae, et Decanus Capellae Regiae.

[y] Proviſus eſt à Leone, Bulla data 17 Kal. Oct. 1514. Conſecratus Lamethae 12 Nov. *Regiſtr. Warham.* f. 18.

[z] Certif. Capituli de morte dat. 9 Febr. 1520. *Regiſtr. Warham.*

[a] Decanus Sariſburienſis. Proviſus eſt 13 Kal. Apr. 1520. Et conſecratus 5 Maii 1521. *Regiſtr. Warham.* f. 22, 23.——Temporalia reſtituta 26 Jun. 1 *Pat.* 13 H. 8. m. 16.

[b] Nequaquam; cor tantum ibi ſepulturae traditur, Viſcera Woburnae ubi obiit, Corpus Etonae, ut indicunt Carmina aere inciſa in Eccleſia Etonenſi; quibus ſubjungitur hoc Epitaphium: *Hic jacet* JOHANNES LONGLAND, *qui dum vixit Regi* HENRICO *octavo fuit a Confeſſionibus, viginti ſex annos continuos Epiſcopatum* LINCOLN. *tenuit; obiit autem, anno aetatis ſeptuageſimo quarto, ſeptimo die menſis* Maii, A. D. MCCCCCXLVII.

[c] Ultimus fuit Monaſterii Wigorn. Prior, et primus ejuſdem Eccleſiae Decanus.

[d] Licentia eligendi conceſſa eſt primo Auguſti. *Rym. Foed.* T. 15. p. 153. Elect. eſt 9 Aug. 1547, confirmatus 20 Aug. *Regiſtr. Cranm.* f. 316. Temporalia reſtituta 16 Aug. *Rym. Ib.* p. 155.

[e] Certificat. de morte ejus 7 Aug. 1551. *Regiſtr. Cranm.* Ob. ſecundo Auguſti. *Br. Willis.* Sepultus jacet in Eccleſia parochiali de Netleham in comitatu Lincolniae.

[f] Viceſimo ſexto Septembris 1547, Epiſcopus ſequentia maneria concedit et confirmat Edwardo Regi et Haeredibus, Manerium de KELDESBYE Comitatu *Northamptoniae.* Maneria de DORCHESTER, CROPREDRYE, WARDINGTON, COTES, NEWTHROP, COTHROP et BURTON in Comitatu *Oxoniae.* Maneria de LEICESTRE, THURMASTON, SEWESTERNE, KNYGHTON et ASFORDBYE, et Ballivatum de LEICESTRE Comitatu *Leiceſtriae.* Manerium et Parcum de LYDINGTON Comitatu *Rutlandiae.* Manerium de SPALDEWICKE Comitatu *Huntingdoniae.* Manerium de BEKLESWADE Comitatu *Bedfordiae.* Maneria de FARUNDON, BALDERTON, CODINGTON, WYNTHORPE, MORELANDE et NEWARKE, et Caſtellum de NEWARKE Comitatu *Notinghamiae.* Manerium de HAGHTON et LOWTHE Comitatu *Lincolniae.* *Rym. Foed.* T. 15. p. 166, 167.

XXXIII. JOANNES TAYLER.

JOANNES TAYLER S. Theologiae Doctor et Collegii S. Joannis Cantabrigiae Praeſes, ceu mavis Magiſter[g], conſecratus eſt Junii 26[h]. Maria primum regnante, cùm miſſae celebrationi intereſſe recuſaret, exauthoratus eſt[i], [ac] graviorem poenam (qua mulctandus videbatur à Pontificiis) opportuna morte evaſit[k], morbo brevi poſtea ſublatus è medio Ankerwici. 1552. EDW. 6. 6.

XXXIV. JOANNES WHITUS.

JOANNES WHITUS S. Theologiae Doctor, in Collegio Wickamico (quod Novum dicimus) Oxoniae educatus[l], Lincolnienſis Epiſcopus à Maria Regina deſignatur anno 1553[m]. Anno vero 1557[n] Wintoniam tranſlatus eſt. * 1554. MAR. 1.

XXXV. THOMAS WATSON.

TRANSLATO Whito ſufficitur[o] Thomas Watſonus S. Theologiae Doctor, Dunelmenſis Decanus et Collegii S. Joannis Cantabrigiae Praeſes: conſecratus decimo quinto Auguſti 1557[p]. Vix hic conſederat[q], quando quod reformationi Eccleſiae pertinacius adverſaretur, authoritate Parliamentaria amotus eſt[r]. Homo in ſpinoſa Theologia multum verſatus, ſed auſtera gravitate adeo moroſus, ut ferri non poſſet. In aedibus Elienſis Epiſcopi primum[s], mox Roffenſis, liberius aliquandiu habitus; rerum tandem novarum metu, in arcem Wisbichenſem compingitur, ubi (ni fallor) diem obiit anno 1584[t]. 1557. MAR. 5.

XXXVI. NICOLAUS BULLINGHAM.

NICOLAUS BULLINGAMUS legum Doctor Cantabrigiae creatus, ſed Oxoniae in Collegio Omnium Animarum educatus, Lincolnienſis conſecratur Epiſcopus Januarii 21[u]. 1559. Cum ibi ſediſſet annos undecim Wigorniam transfertur Januarii decimo ſexto 1570[x]. 1559. ELIZ. 2.

---

[g] Lincolniae fuit Decanus.

[h] 1552 apud Croyden. *Regiſtr. Cranm.* f. 335. Conſtitutus Epiſcopus Literis Regiis, quam diu ſe benè geſſerit, 18 Junii. *Rym.* ib. f. 313.

[i] Commiſſione data decimo quinto Martii 1553. *Rym.* ib. f. 370.

[k] Ob apud Ankerwick. Com. Buckinhamiae menſe Decembri 1554. *Br. Willis.*

[l] S. T. P. anno 1522 Academiae Cantabrigienſis. *Regiſtr. Acad.* Poſtea verò, ſc. anno 1555, Oxoniae incorporatus. *MS. Wood.*

[m] Licentia eligendi conceſſa eſt 19 Mar. 1553. *Rym.* ib. f. 374. Temporalia reſtituta ſunt primo Maii 1554. *Id* p. 388. Conſecratus verò 1 Apr. *Regiſtr. Cant.*

[n] A. 1556.

[o] Bulla proviſionis data 9 Kal. Apr. 1556. *Regiſtr. Pool.* f. 8.

[p] Ita *Regiſtr. Pool.* f. 10.

[q] Hic, cum quatuor aliis, delegatus eſt à Reginaldo Pool, Academiae Cantabrigienſis Cancellario, ad viſitandam dictam Academiam A. 1556.

[r] Jun. 25. 1559. Spiritualia ſeiſita à Decano et Capit. Cantuar. 2 Jul. 1559 *Regiſtr. Cant.*

[s] Primò in Turrim Londinenſem conjectus eſt cum Joan. White Winton. Epiſcopo, quod Reformationi inchoatae reſiſtebant, et ipſi Reginae minitabantur.

[t] Et ſepultus jacet ibidem in Eccleſia Parochiali 27 Sept. 1584. *Br. Willis.*——De eo vide plura apud Joan. White Wintonienſi, ſupra p. 238.

[u] Licentia eligendi conceſſa eſt viceſimo quinto Novembris 1559. *Rym. Foed.* T. 15. p. 549. Temporalia ſunt reſtituta decimo octavo die Aprilis 1560 *Ib.* p. 575.——Archidiaconatum Lincolniae in Commendam tenuit per triennium. *Ib.* p. 564.

[x] Viceſimo ſexto. *Regiſtr. Parker.*

XXXVII. THOMAS COWPER.

1570. Eliz. 13. THOMAS COWPERUS S. Theologiae Doctor et Aedis Chriſti Oxoniae Decanus, ſed Magdalenenſis olim Collegii ſocius, conſecratus eſt viceſimo quarto Februarii 1570[y]. Anno 1584 Wintoniam migravit.

XXXVIII. GULIELMUS WICKHAM.

1584. Eliz. 27. GULIELMUS WICKHAM (de quo plura inter Wintonienſes) Cowpero utrobique ſucceſſit[z]; ad Lincolnienſem Eccleſiam conſecratus Dec. 6. 1584[a]; ad Wintonienſem vero tranſlatus ſub exitum Martii[b] 1594.

XXXIX. GULIELMUS CHADERTON.

*1595. Eliz. 37. GULIELMUS CHADERTONUS[c] S. Theologiae Doctor, Collegii quod Chriſto Cantabrigiae dicatur ſocius, et poſtea Magdalenenſis[d] Praeſes, in Epiſcopum Ceſtrenſem conſecratus nono Novembris 1579; et ſub initium anni[e] 1594 Lincolniam tranſlatus eſt. Obiit ineunte Aprili menſe 1608[f].

XL. GULIELMUS BARLOWE.

1608. Jac. 6. GULIELMUS BARLOWE S. Theologiae Doctor, Aulae Trinitatis Cantabrigiae aliquando ſocius[g], huc tranſlatus à ſede Roffenſi Junii viceſimo ſeptimo 1608[h]: et morte quodammodo repentina ſublatus eſt ſeptimo Septembris 1613.

XLI. RICHARDUS NEILE.

1613. Jac. 11. RICHARDUS NEILE S. Theologiae Doctor, ex Decano Weſtmonaſterienſi, Roffenſis primum Epiſcopus[i], ac deinde Coventrenſis et Lichfeldenſis[k], huc tranſlatus anno 1613[l]. Et hinc Dunelmum migravit anno 1617.

---

[y] *Regiſtr. Parker.*

[z] In ſchola Etonenſi educatus, inde ad Collegium Regale Cantabr. electus, ubi duodecim plus minus annos conſumpſit; Socius fit Etonenſis, et poſtea Canonicus Windſor.

[a] *Regiſtr. Whitg.* f. 23.

[b] Feb. 22. 1594. *Regiſtr. Whitg.* f. 32.

[c] Ex praeclaro Chadertonorum Ceſtrenſis comitatus ſtemmate prognatus. Natus apud Nuthurſt prope Mancutium in Com. Lancaſtr. Theologici Profeſſoris munere in Academia bis fungitur, primò pro Domina Margareta, poſtea pro Rege.

[d] Collegii Reginenſis Praeſes.

[e] Viceſimo quarto Maii 1595. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 51.

[f] Aprilis undecimo 1608. *Regiſtr. Linc.*

[g] E familia hujuſce nominis prognatus de Barlow prope Mancutium in Com. Lancaſtr. *MS. Wood.*

[h] *Regiſtr. Bancroft.* f. 70.

[i] Anno 1608. *Ib.* f. 83

[k] Anno 1610. *Ib.* f. 116.

[l] Decimo octavo Februarii A. 1613. *Regiſtr. Abbott.* f. 34.

XLII. GEORGIUS MOUNTAIGNE.

HUIC tunc praeficitur Eccleſiae Georgius Mountaigne, ſacrae Theologiae Doctor, Weſtmonaſterienſis Decanus, conſecratus decimo quarto Decembris 1617[m]. Hinc migravit Londinum, tranſlatus viceſimo Julii 1621[n]. 1617. JAC. 15.

XLIII. JOANNES WILLIAMS.

DECANUS itidem Weſtmonaſterienſis Joannes Williams, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis; Regiae Majeſtati ab arcanis conſiliis, et magni Angliae Sigilli Cuſtos, Decanatus ſui Commendatarius jam futurus, in Epiſcopum Lincolnienſem conſecratur Weſtmonaſterii undecimo Novembris 1621; poſtquam hujuſce Lincolnienſis Eccleſiae per annos undecim fuiſſet Canonicus Reſidenſiarius, ac deinde Sariſburienſis Decanus. In Praeſule hoc digniſſimo (non ſine ſumma pientiſſimi Regis laude) Sacer Ordo quaſi poſtliminio recuperavit ſacratum Regiae Conſcientiae depoſitum, hoc eſt publicae aequitatis diſpenſationem. 1629. JAC. 19.

* * *

Cum Puritanorum factioni jam indies invaleſcenti nimium favere videretur, Regi Carolo fuit ſuſpectus et inviſus, et poſtmodo ob crimina imputata decreto *Camerae Stellatae* mulctatus et incarceratus. De eo plura infra expectabis in Eboracenſium hiſtoria. Erat certè magni vir animi, ingenio et autoritate valens; pecuniarum non parcus, in Epiſcopalibus villis reficiendis et ornandis multum impendit. Anno 1641 ne non Puritanis, omnia expectantibus et captantibus, aliqua ex parte ſatisfieri poſſet, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus evaſit.

XLIV. THOMAS WINNIFFE.

FEBRUARII ſexto 1641 ſacratus eſt Thomas Winniffe ſacrae Theologiae Doctor, in agro Dorſetenſi natus, et Collegii Exonienſis Oxon. aliquando alumnus, Gloceſtriae et Londoniae ſucceſſive Decanus. Bello poſtea civili oppreſſus, et, quae ad Epiſcopatum pertinebant, omnibus exutus, ad patrimonium ſuum ſeceſſit, ibi otio non ignobili ad annum 1654 deliteſcens, Septembris decimo nono vir eruditione, pietate, modeſtia et integritate clarus magnum ſui deſiderium reliquit. In Eccleſia parochiali de Lamborn in agro Eſſexienſi ſepultus jacet. 1641. CAR. I. 17.

---

[m] *Regiſtr. Abbott.* f. 105.

[n] *Regiſtr. Abbott.* par. 2. f. 50.

XLV. ROBERTUS SANDERSON.

1660. CAR. 2. 12. CUM Monarchiam reſtitutam comes ſequeretur Hierarchia, utriuſque vindex ſtrenuus Robertus Sanderſon ad Dioeceſin Lincolnienſem, quam Parochialis ſacerdos jam diu moribus, eloquentia, ſcriptis illuminaverat, à Carolo Rege eſt evectus. Collegii Lincolnienſis Oxon. aliquando ſocius, dein Theologiae Profeſſor Regius exemplo ſingulari oſtendit, quam feliciter Theologiae ancillari potuit Metaphyſica. Poſtea cùm Oxonium in perduellium manus veniſſet, ab inquiſitorio tribunali cum meritorum laude praeclara ejectus, ad Bothby-Pagorum in agro Lincolnienſi receſſit; unde à Carolo reſtaurato evocatus, Regiae magis voluntati obſecutus quam ſuae, Dioeceſin hanc adminiſtrandam jam ſenex emeritus ſuſcepit Auguſti viceſimo octavo 1660[p]. Palatium Buckdenienſe à perduellibus tantum non dirutum refecit; et hoc opere laudabili vix dum perfecto defunctus obiit viceſimo nono Januarii 1662. In Eccleſia illa parochiali ſepultus jacet, ubi hoc, quod ipſe inſcribi juſſit legitur Epitaphion.

“ Depoſitum ROBERTI SANDERSON, nuper *Lincolnienſis* Epiſcopi, qui
“ obiit viceſimo nono die *Januarii* 1662, et Aetatis ſuae ſeptuageſimo
“ ſexto, hic requieſcat in Spe beatae Reſurrectionis.”

XLVI. BENJAMIN LANEY.

1663. CAR. 2. 15. IN defuncti locum ſucceſſit Benjamin Laney ſacrae Theologiae Doctor, à Dioeceſi Petroburgenſi tranſlatus ſecundo Aprilis 1663[q]; et poſt annos quatuor ad Elienſem migravit: quo ſub nomine plura de eo ſuperius memorata videre licet.

XLVII. GULIELMUS FULLER.

1667. CAR. 2. 19. GULIELMUS FULLER natu Londinenſis, in Aula B. Mariae Magdal. apud Oxonienſes diu commoratus; favente Domino Littleton privati ſigilli Cuſtode, ad Decanatum ſancti Patricii in urbe Dublinienſi apud Hibernicos promotus eſt, et inde ad Epiſcopatum Limerici et Ardfertiae, conſecratus viceſimo Maii 1663[r]: et inde viceſimo ſexto Septembris 1667 ad Lincolniam migravit. Obiit apud Kenſington viceſimo tertio Aprilis 1675, et in Eccleſia ſua Cathedrali prope tumulum S. Hugonis ſepultus jacet.

XLVIII. THOMAS BARLOW.

1675. CAR. 2. 27. QUI Gulielmo ultimus erat dies, eodem Thomas Barlow ſucceſſor deſignabatur ad Epiſcopatum, ſtudio, uti vulgo exiſtimabatur, nimis ambitioſo feſtinans. Natus in Comitatu Weſtmorlandiae, Collegii Reginenſis Oxon. Socius, ita temporibus dubiis difficillimiſque ſervire doctus, ut urbe perduellibus dedita, Academiciſque melioribus ejectis, ille ſua ſemper retineret; et, Carolo reſtaurato, Regiis illico partibus addictiſſimus, ad honores in Eccleſia ampliores affectavit viam. Poſtmodo ſacrae Theologiae ex inſtituto Dominae Margaretae Richmondiae Comitiſſae Profeſſor, et Archidiaconus Oxonienſis nominatus, conſecratus eſt Epiſcopus Lincolnienſis Junii viceſimo ſeptimo 1675; et quod fere indignum eſt memoratu, Dioeceſin quidem ampliſſimam ita adminiſtravit, ut per ſedecim annos nunquam praeſens viſitationem celebraret, aut Eccleſiam Lincolnienſem unquam conſpiceret; unde Epiſcopi *Buckdenienſis* potius quam *Lincolnienſis* nomine decantabatur.

---

[p] *Regiſtr. Juxon.* f. 208.

[q] *Regiſtr. Juxon.* f. 311.

[r] *Waraeus de Epiſc. Hibern.*

Regnante *Jacobo*, cum Archiepiſcopus Cantuarienſis aliique Epiſcopi Papiſmo, jam tum aperte indies graſſanti, ſuo cum periculo viam praecluderent, ille noſter voluntati Regiae adeo non eſt adverſari auſus, ut lubentiſſimè pareret, et ſcripto edito ita factum defendit, ut diverſa facientes non obſcure reprehenderet. Idem tamen *Gulielmo* rerum potito facile obtemperabat, propoſiti tenax omnibus aſſentatus temporibus.

Verum inter ſui temporis Theologos doctiſſimos eminebat, copioſae et profundae vir eruditionis, in hiſtoria praecipue eccleſiaſtica et jure tum civili tum canonico verſatiſſimus, ita ut Hiſtoricus ille praenobilis Clarendoniae Comes de eo, quod de Craſſo M. Tullius, diceret, eſſe *non unum in multis, ſed unum inter omnes prope ſingularem*. Obiit octavo die Octobris 1691, in eccleſia parochiali de Buckden ſepultus juxta tumulum Gul. Barlow, cujus memoriae perinde ac ſuae marmor ſacrum erigi juſſit, hoc elogio inſcriptum:

“ Juxta jacent Reliquiae THOMAE BARLOW S. T. P. Collegii Reginenſis
“ *Oxonii* Praepoſiti, Protobibliothecarii *Bodleiani*, Archidiaconi *Oxonienſis*,
“ pro D^{na} *Margareta* Comitiſſa *Richmond* Profeſſoris; Epiſcopi
“ (licet indigni) *Lincolnienſis*. In ſpem laetae Reſurrectionis Epitaphium
“ hoc moriens compoſuit.”

“ Tumulum Reverendi Praedeceſſoris *Gulielmi Barlow*, Rabie Fanatica
“ ruiturum, ſumptibus propriis extruxit. Obiit octavo die Octobris,
“ Anno Salutis 1691, Aetatis ſuae 85.”

XLIX. THOMAS TENISON.

EXEUNTE anno 1691 Januarii decimo Thomas Teniſon ſacrae Theologiae Doctor et Vicarius Eccleſiae S. Martini in Campis, in Epiſcopum hujus Dioeceſeos conſecratus eſt; poſt tres annos ad Sedem Metropoliticam Cantuarienſem eſt evectus decimo ſexto Januarii 1694. De eo plura ſupra diximus. 1691. GUL. et MA. 3.

L. JACOBUS GARDINER.

JACOBUS GARDINER[s] ſacrae Theologiae Doctor è Collegio Emmanueli Cantabrigiae, Eccleſiae Cathedralis Lincolniae Subdecanus, 1694. GUL. 3. 6.

---

[s] Natus apud Nottingham menſe Junio 1636.

commendante praecipue T. Teniſon, ad Epiſcopatum Lincolnienſem conſecratus eſt decimo Martii 1694. Decem annorum curriculo perfunctus deceſſit primo Martii 1704; in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus, ubi extat marmor honorarium ipſius memoriae ſacrum.

LI. GULIELMUS WAKE.

1705. ANNAE 4. HUIC ſucceſſit Gulielmus Wake S. T. P. Eccleſiae D. Petri Exon. Decanus, merito ſuo ad Politiae Eccleſiaſticae, quam ipſe penitius cognitam habuit, adminiſtrationem promotus viceſimo primo Octobris 1705. Decem annorum ſpatio peracto ad ſedem Cantuarienſem migravit.

LII. EDMUNDUS GIBSON.

1715. GEO. 1. 2. EDMUNDUS GIBSON Archidiaconus Surriae, Collegii Reginenſis Oxon. Socius, conſecratus eſt in Epiſcopum Lincolnienſem duodecimo Februarii 1715; et anno 1723 ad Dioeceſin Londinenſem evectus eſt, cui etiamnum ſumma cum laude praeſidet.

LIII. RICHARDUS REYNOLDS.

1723. GEO. 1. 9. IN illius locum ſufficitur Richardus Reynolds legum Doctor, à Dioeceſi Bangorienſi tranſlatus decimo Junii 1723.

p. 324.



De EPISCOPIS[a] COVENTRENSIBUS ET LICHFELDENSIBUS.

I. DWINA.

OSWIUS Merciorum Rex, Epiſcopalem ſedem Lichfeldiae inſtituit, Epiſcopumque praefecit eidem qui Dwyna [b] appellatus eſt, anno 650 [c]. Cum annos is ſediſſet duos, Feppingae deceſſit [d]. *655.

[a] Tam obſcuritas Hiſtoricorum quam indeterminatum Regum Mercienſium et finitimorum imperium, ſucceſſionis Epiſcoporum Mercienſium deſignationem maxime impediunt. Ad hoc verò enucleandum tam accurate ſummaque perſpicuitate à Cl. Whartono tractantur omnia, ut illius etiam verbis libentiſſime utar. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 423. “ Integrum
“ *Merciorum* regnum, quod omnium longè ampliſſimum fuit, in prima converſione unicum accepit Epiſcopum. Primus
“ huic regno fidem intulit *Peada Pendae* Regis *Merciorum* immaniſſimi tyranni et Paganis ritibus deditiſſimi filius; qui
“ in partem regni à patre ſuperſtite vocatus, *Mediterraneos Anglos* à *Merciis* proxime dictis divulſos ſeorſim regendos accepit.
“ Is in *Northanimbriam* anno 653 profectus, ab *Oſwio* Rege ad fidem converſus eſt, et à *Finano* Epiſcopo baptizatus.
“ Ut idem beneficium ſubditis ſuis impertiret, quatuor Presbyteros ſecum reduxit, *Ceddam* (poſtea Epiſcopum *Londinenſem*)
“ et *Addam*, et *Betti*, et *Diumam*; qui ſacra myſteria *Mediterraneis Anglis*, quinetiam et *Merciis*, id concedente
“ *Penda* Rege, tradiderunt. Nondum tamen aliquis ex illis Epiſcopus ordinatus fuerat. Demum *Penda* tyranno ab *Oſwio*
“ Rege 15 Nov. 655 interfecto, victori ſimul ac *Peadae* Regi placuit, ut Epiſcopus *Mediterraneis Anglis* et *Merciis* daretur.
“ *Mercios* enim ab Auſtrali *Trentae* parte ſitos *Oſwius Peadae* regendos dederat. Ordinatus eſt igitur DIUMA medio
“ tempore inter *Oſwii* victoriam et *Peadae* necem, quae anno 656 tempore Paſchali contigit. Dehinc *Oſwius* integrum
“ *Merciorum* regnum ditioni ſuae ſubjectum tenuit ad annum uſque 658, quo à *Merciis* fugatus, *Wlfero Pendae* filio
“ locum dedit. Is *Merciorum* Epiſcopatum à CELLACHO derelictum TRUMHERO dedit, atque iſti defuncto JARUMANNUM
“ ſubſtituit. Hactenus *Merciorum* Epiſcopi inter *Mediterraneos Anglos*, quorum Metropolis *Legeceſtria* fuit, reſediſſe videntur:
“ nullam tamen Cathedram ſive certam ſedem ſibi poſitam habuerunt, in Monaſteriis vitam agere contenti.
“ Anno 669 CEDDA *Merciorum* Epiſcopus poſt *Jarumannum* renunciatus, ſedem in *Lichfeldia Wlfheri* Regis beneficio
“ primus obtinuit, quam et ſucceſſoribus ſuis tranſmiſit. Creſcente indies fidelium numero, conſultum videbatur *Theodoro*
“ et

II. CELLACH[e].

[658.] EPISCOPUS Lichfeldenſis ſecundus fuit Cellach, è Scotia (ſicuti etiam anteceſſor) oriundus[f]. Annos non multos cum praefuiſſet, depoſito ſponte Epiſcopatu[g], rediit in patriam ſuam.

III. TRUMHERUS[h].

*660. QUI ſucceſſit[i] Trumherus Anglus fuit, ſed educatus ac inſtitutus apud Scotos. Abbas is fuerat Ingethlingenſis[k], Coenobii nimirum ibi loci conſtructi, ubi praelio coeſus occubuit olim Oſwinus Rex, cujus hic Trumherus erat propinquus[l].

IV. JARUMANNUS.

*663. ORIENTALES Saxones, qui apoſtatantes fidei Chriſtianae profeſſionem abjecerant, Jarumannus[m] ad ſanitatem denuo reduxit. Illo ſedente, videlicet anno 666, Eccleſia Cathedralis Lichfeldiae primum conſtrui coepta.

“ et Epiſcopis in Synodo *Herudfordenſi* anno 673 coactis, ut plures Epiſcopi inſtituerentur, praecipuè in *Merciorum* provincia; quae dimidiam ferè *Angliam* tunc temporis complexa, unico Epiſcopo ſubdebatur. Huic decreto WINFRIDUS Ceddae ſucceſſor, qui Dioeceſin ſuam immenſam mutilari noluit, refragatus, à *Theodoro* depoſitus eſt anno 675. SEXULFUS igitur, qui *Winfridum* excepit, ut *Theodoro* morem gereret, Epiſcopalem Sedem apud *Herefordiam* inſtituit anno 676; et inſtitutae praefecit *Puttam*, cui tantillam Dioeceſis ſuae partem largitus eſt. Nondum tamen res ex *Theodori* mente geſta eſt, adverſante *Wilfrido* Epiſcopo *Eboracenſi*, forſitan etiam *Wlſhero* et *Ethelredo Merciorum* Regibus, apud quos *Wilfridus* nil non poterat. Annos inter 673 et 675 *Egbirtus* Rex, ſuperato *Wlſhero Merciorum* Rege, *Lindiſienſem* provinciam ditioni ſuae ſubjecit; quae proinde lege iſtius ſaeculi à *Mercienſis* Epiſcopi Dioeceſi avulſa, *Northanimbrorum* Epiſcopi *Wilfridi* parochiae eſt annexa. Anno autem 678, *Egbirto* Rege in partes tracto, *Theodorus* Archiepiſcopus plures Epiſcopos in provincia *Northanimbrorum* invito *Wilfrido* ordinavit, et in his *Eathedum*, cui provinciam *Lindiſienſem* ſubjecit, et in *Siddenaia* ſeu *Sidnaceſtria* urbe ſedem dedit. Anno ſequenti recepta à *Merciis* poſt acre certamen *Lindiſienſi* provincia, *Eathedus* fugatus eſt; provinciaque in *Lichfeldenſis* Epiſcopi ditionem rediit. Pauxillo autem tempore permanſit. Anno enim nondum elapſo *Theodorus*, coacta apud *Hethfeldam* Synodo, prius decretum de augendo Epiſcoporum numero renovavit: cui *Ethelredus Merciorum* Rex, aequiora jam ſentiens exulante *Wilfrido*, obtemperavit. Eodem igitur anno ſc. 679 *Lichfeldenſis* Dioeceſis in quatuor parochias eſt diviſa: (quinta enim *Herefordenſis* ante quadriennium inſtituta fuerat) ſc. in LICHFELDENSEM, LEGECESTRENSEM, LINDISIENSEM, et WIGORNIENSEM. Primae ſedes apud *Lichfeldiam* ante decennium poſita permanſit, ſecundae apud *Legeceſtriam* poſita eſt, tertiae apud *Dorcaceſtram*, quartae apud *Wigorniam*. *Saxulfo* data eſt ſingularum optio. Ipſe *Lichfeldenſem* maluit; tum quòd priſtina Sedes fuerat, tum quod longe caeteris ampliorem ditionem adhuc retineret. *Cuthwinus* Legeceſtrenſem, *Ethelwinus* Lindiſienſem, *Tatfrithus* Wigornienſem acceperunt. Quinaria iſta (annumerato ſc. *Herefordenſi* Epiſcopatu) Dioeceſis Lichfeldenſis diviſio Hiſtoricos noſtros mirè torſit. *Eadhedum* enim et *Ethelwinum* Epiſcopos à *Theodoro*, parvo interveniente temporis intervallo, ad diverſas Sedes, hunc ad *Dorcaceſtram*, ad *Sidnaceſtram* illum, conſecratos reperientes, atque *Ethelwinum Eadhedi* depulſi loco ſubrogatum eandem parochiam, diverſa quantumvis ſede, obtinuiſſe nequaquam animadvertentes, praeſertim cùm certus *Siddeneiae* ſitus hactenus ſit ignotus; diverſas ac toto coelo diſtantes parochias illis dederunt, alteri *Lindisfarorum*, alteri *Suthanglorum*, immani ſane errore, cum *Auſtrales Angli* plurimis intermediis regnis à Merciorum Dioeceſi disjuncti fuerint, quin et fidem Chriſtianam nondum receperint. Nondum tamen res inconcuſſa manſit. Plures adhuc mutationes Dioeceſis *Lichfeldenſis* ſubiit. Sedem enim *Legeceſtrenſem* *Cuthwinus*, ceu morti ſeu levitati ſuae ſeu aliorum injuriae cedens, brevi dereliquit. Exin *Sexulfus* utriuſque Dioeceſis curam geſſit uſque ad obitum, qui anno circiter 691 contigit. Illo tempore *Wilfridus* Epiſcopus Eboraco pulſus, ad *Ethelredum Merciorum* Regem, amicum integerrimum, ſe recepit; et à Rege ſibi commiſſum Epiſcopatum *Legeceſtrenſem* poſt *Saxulfi* mortem regendum tulit. HEDDA interim *Lichfeldenſem* obtinuit. *Wilfrido* autem Synodi *Neſtrefeldenſis* ſententia ejecto anno 703, utraque Dioeceſis iterum coaluit, HEDDAE ſoli ſubjecta. Poſt *Heddam* ALDWINUS etiam, qui proximè ſucceſſit, utramque tenuit. *Aldwino* autem defuncto, utraque Dioeceſis ſuum accepit Epiſcopum, *Lichfeldenſis* HUICTAM, *Legeceſtrenſis* TOTTAM. Ab illo tempore *Lichfeldenſis* parochia iiſdem limitibus diſtincta permanſit; donec ſaeculo poſtremo Dioeceſis *Ceſtrenſis* ab illa fuerat avulſa. Iſta mihi de modo ac tempore diviſionis Dioeceſeos *Merciorum* maximè veriſimilia videntur; nonnulla quidem ſolis conjecturis innixa, quae tamen poſt acre examen prae aliis placuerunt.”

[b] DUINA, *Higd. Polychron.* DUNNA, *Bromt.* DIUMA, *Beda*, *Cheſterfeld*, *Malmeſb.* *Huntin.* *Wigorn.*

[c] Anno 655. *Wigorn* exeunte verò intellige.

[d] *Beda* L. 3. c. 21.

[e] CEOLLACH, *Beda*, *Wigorn.* COELLET, *Huntin.* *Bromt.* CELATH, *Higden.* CELLAH, *Malmeſb.*

[f] *Malmeſb. de Pontif.* L. 4. f. 164.

[g] Deturbato potius Oſwio patrono ſuo in Northanimbriam receſſit, ſeu in inſulam Hii. Anno 659. *Monaſt. Angl.* T. 3. p. 216. Vid. etiam *Beda* L. 3. c. 21. et *Huntin* L. 3.

[h] *Huntin.* *Wigorn.* TRUNHERE, *Bromt.* DUMHERE, *Malmeſb.*

[i] Succeſſit A. 660.

[k] Hodie Gilling juxta Richmondiam, *MS. Gale.*

[l] Ita *Bed.* L. 3. c. 24.——Obiit anno 662. *Cheſterf.*

[m] Natione Anglicus, ſed à Scotis ordinatus, ob diſſenſum inter Mercios et Praeſules Cantiae de diſciplina et Paſchatis obſervatione. Succeſſit anno 663. Rexit Eccleſiam annis quatuor, et obiit anno 667. *Cheſterf.* et *Bromt.*

V. CEDDA[n].

ANNO 666[o] Cedda in Archiepiſcopum Eboracenſem ſacratus eſt, abſente Wilfrido, ita ut reverſurus non videretur. Redeunti verò ſedem ceſſit, ac Leſtingeagae[p] Monaſticam vitam amplexus eſt; donec anno 669 Wulſherus Merciae Rex Eccleſiae Lichfeldenſi eum praefecit. Homo fuiſſe videtur egregie pius, ſicuti vitam ejus apud Bedam legenti facile patebit. Obiit Martii 2. 672[q], cum annos duos ſediſſet ac ſex menſes, et in Eccleſia ſua Lichfeldenſi ſepultus eſt. 669.

VI. WINFRIDUS[r].

EPISCOPUS illius vice ordinatus[s] eſt Winfridus, qui à dicto Cedda inſtitutus fuerat[t], ac propter modeſtiam et pietatem à Beda[u] plurimum laudatur. Attamen Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus ob neſcio quam contumaciam[x] Praeſulatu ipſum dicitur privaſſe anno 674. Ejectus, Eadbarnam[y] ſe contulit, Coenobium à Cedda inſtitutum, ibique ſanctiſſime vivens[z] conſenuit. 672.

VII. SAXULFUS[a].

WINFRIDO exauthorato, viſum eſt Dioeceſim ejus in binas deſpertiri; quarum una Saxulfo commiſſa eſt, qui Lichfeldiae ſedem continuavit: In altera vero collocatus eſt Eadheadus (cujus ſucceſſorum catalogum habes ſupra) et is Sidnaceſtriae conſedit. Iſte vero Saxulfus Abbas jam antea fuerat Coenobii apud Medmeſhampſtead[b] quae hodie Petroburgum appellatur; et Wolfero Merciorum Regi author fuit ut id conſtrueret. Obiit (ut habet Weſtmonaſterienſis) anno 705[c]. * 676.

---

[n] *Malmeſb. Wigorn.* CEADDA, *Beda, Bromt.*

[o] 664, à Wina Epiſcopo Wintonienſi. *Beda* L. 3. c. 28. per tres annos Archiepiſcopatum tenuit; Monaſticam vitam deinde amplexus eſt; tandem A. 669 huic Eccleſ. praeficitur.

[p] Ubi Monaſterium conſtruxit *Mar. Scot.* L. 2.

[q] Obiit 6 Non. Martii 672, et ſepultus primò juxta Eccleſiam S. Mariae; ſed poſtmodum ibi conſtructa Eccleſia Apoſtolorum Petri et Pauli, in eandem oſſa ſunt tranſlata. *Beda.* L. 4. c. 3.—— Septimo Kal. Novembris 673 diem obiiſſe dicitur à *Mar. Scot.* L. 2. p. 262.

[r] *Beda, Huntin. Florent.* WILFRID et WOLFRID, *Bromt.* WILFRIDUS, *Malmeſb.* et *Gervaſ.*

[s] A Theodoro Archiepiſcopo.

[t] Cui fuit Diaconus. *Beda* L. 4. c. 3.

[u] L. 4.

[x] Interfuit Concilio Herudfordenſi A. 673; et Canonis aſſentit. Quorum nono ordinatur, ut *creſcente numero fidelium plures Epiſcopi inſtituerentur.* Winfridus verò poſteà Epiſcopatus ſui Lichfeldenſis diviſioni adverſatus, à Theodoro ejectus eſt; idque anno 675, teſte *Florentio.*

[y] Monaſterium quod dicitur Adberwe. *Cheſterf. de Epiſc. Covent.*

[z] *Beda* L. 4. c. 6.

[a] *Florent. Bromt.* SEXWLFUS, *Beda. Malmeſb. Huntingt.* SEXWULFUS, *Higden.* SEAXWULF, *Text. Roffen.*

[b] Etiam et Conſtructor. *Cheſterf.*

[c] Saxulfi obitum in annum 691 reponendum eſſe conſtat, ex eo quod Wilfridus (Eboracenſis non ita pridem Archiepiſcopus) patria exulans, et *Mediterraneorum Anglorum Epiſcopatum gerens*, ut habet *Beda* L. 4. c. 23, Oſtforum Wigorniae Epiſcopum conſecravit anno 691.—— Mutationes ſub Saxulfo Epiſcopo ſuperiùs è Whartono retulimus. p. 307. Not. [a].

VIII. HEADDA, alias EATHEADUS.

*691. MORTUO Saxulſo, Dioeceſis quae illi fuerat relicta, in duas etiamnum finditur, Legeceſtriae Epiſcopo conſtituto cui nomen Wilfridus [d]. Illo vero poſt breve temporis ſpatium exacto, Headda illius etiam novae ſedis juriſdictionem ſibi rurſus aſſeruit [e]. Deceſſit anno 721 [f].

IX. ALDWINUS [g].

721. HEADDAE ſucceſſit Aldwinus, dictus etiam Wor, Bedae contemporaneus [h], qui deceſſit anno 737 [i].

X. WITTA [k].

*737. MERCIORUM Regio tunc iterum diviſa, tres ſuſcepit Epiſcopos. Quorum unus in veteri ſede Lichfeldiae collocatus eſt; alius Legeceſtriae; tertius vero Dorceſtriae; Lichfeldiae nimirum Witta, Legeceſtriae Tota, et Dorceſtriae [l] Eadheadus; de quibus ſupra inter Lincolnienſes. Witta et Tota ſynodo interfuerunt per Cuthbertum apud Cliff celebratae anno 747 [m]. Wittae ſucceſſerunt iſti;

[752.] XI. HEMEL [n], qui obiit 764 [o].

*765. XII. CUTHFRIDUS [p].

XIII. BERTHUNNUS, qui obiit 785 [q].

785. XIV. HIGBERTUS [r].

[786.] XV. ALDULPHUS [s], quem Papa ad petitionem Offae Merciorum Regis, Archiepiſcopum creavit, Suffraganeis illi aſſignatis Wigornienſi, Herefordenſi, Legeceſtrenſi, Sidnaceſtrenſi, Helmhamenſi, et Dunwicenſi Epiſcopis. Vixit Aldulfus iſte menſe Junio 793. Sed quam diu ſederit, aut quando obierit, mihi incompertum [t].

HUMBERTUS [u]. Hunc Weſtmonaſterienſis obiiſſe perhibet anno 795, et Archiepiſcopum appellat Lichfeldenſem, quemadmodum et Higbertum ſucceſſorem; quanquam caeterorum omnium ſcriptorum conſenſu ſit teſtatiſſimum, Aldulfum, ſicuti primum, ita et poſtremum hujuſce ſedis Archiepiſcopum extitiſſe.

---

[d] Wilfridus Legeceſtriae Epiſcopatum tenuit, Lichfeldenſi praeficitur Hedda anno 691.

[e] Eo ſedente, anno ſc. 700, dedicata eſt Eccleſia Lichfeldenſis 2 Kal. Jan. *Cheſterf.*

[f] Poſtquam hanc rexerat Eccleſiam A. 21. *Id.*

[g] *Malmeſb. Florent.* ALWINUS, *Weſtmon. Bromt.* ALBINUS, *Weſtmon.* WOR, *Cheſterf. Hoved.*

[h] L. 5. c. 23.

[i] *Hoved.* f. 230. b. *Chron. Mailr.* f. 136. et *Weſtmon.*

[k] *Weſtmon.* WITA, *Malmeſb. Mailroſ.* HUITA, *Florent.* HWUTTA, *Hoved.*

[l] Eadheadus conſtitutus eſt Epiſcopus Dorceſtriae, A. 678. Vid. ſupra p. 308. Not. [a].

[m] *Concil. Anglic.* T. 1. p 94. Edit. Lond. 1737. Et obiit anno 752. *Cod. Lichf. in Bibl. Cott.*

[n] *Weſtmon. Florent.* HEMELI, *Hoved. Mailroſ.* CEMELE, *Text. Roffen.* Succeſſit anno 752.

[o] 765. *Dunelm. Hoved.* f. 231. b. *Mailroſ.*

[p] *Malmeſb. Mailroſ.* CUTHRED. *Hoved.* Succeſſit Anno 765. *Dunelm. Hoved.* et *Mailroſ.*

[q] *Florent. Wigorn.*

[r] Et HIGEBRIHTUS. *Florent.* SIGIBERTUS, *Text. Roffen.* Nominatus eſt in Epiſcopum Lichfeldenſem anno 785 in Synodo Calchuthenſi; Quo in Synodo non minima pars Juriſdictionis Archiepiſcopi Cantuarienſis ablata eſt, et regimini Epiſcopi (vel Archiepiſcopi) Lichfeldenſis aſſignatur: ita refert et *Chron. Saxon* et *Florentius.* Higbertus verò authoritatem non aſſumpſit, contentus nudo Epiſcopi titulo, ut è ſubſcriptionibus patet, apud *Concil. Angl..* T. 1. p. 151. Eo verò defuncto anno 786, Aldulphus juriſdictionem accepit, quam et tenuit uſque ad obitum Offae Regis, quod contigit anno 794 Julii viceſimo nono.

[s] Aldulphus conſecratus eſt anno 786 ab Eanbaldo Archiepiſcopo Eboracenſi, Tilberhto et Hylbaldo Epiſcopis, in Monaſterio quod dicitur Corabrige. *Hoved.* f. 232. a. *Dunelm.* ad Annum.

[t] Interfuit certiſſime et ſubſcripſit in Concilio Cloveſhovienſi anno 803, in quo Sedes Cantuarienſis ex praecepto Leonis Papae 3° priſtino ſuo juri reſtituitur. *Conc. Angl.* T. 1. p. 166. Et ſubſcripſiſſe dicitur Chartae Kenulphi Regis Merciorum A. 811. in Lib. de Abbatibus Monaſterii de Winchelcombe. *MS. Wood.* Et *Codex Lichf.* in Bibl. Cott. anno 812 obiiſſe narrat.

[u] Omittitur in omnibus Epiſcoporum Catalogis; niſi Humbertus et Herewinus idem ſonant.

XVI. HEREWINUS[x] vixit anno 833, ſicut ex diplomate conſtat per ipſum confirmato, cujus formulam apud Ingulfum videre eſt. [812.]

XVII. HIGBERTUS[y].

XVIII. ETHELWOLDUS[z]. Obiit 857[a]. [818.]

XIX. HUMBERHTUS[b]. Obiit 864. * 829.

XX. KENFERTH alias KINEBERTUS[c]. Obiit 872. * 870.

XXI. CUMBERTUS[d].

XXII. TUNBRIHT, alias BUMFRITH[e]. Obiit 928. [890.]

Commemorare jam abs re non fuerit, Florentium[f] (à quo Malmesburienſis non multum diſſentit) Epiſcoporum ſupradictorum aliam ſeriem contexere, nimirum hanc.

BERTHUNUS.
HIGBERTUS.
ALDULFUS.
HEREWNIUS.
AETHELWALDUS.
HUNBERHTUS.
CINEFERTHUS.
TUNBRIGHTUS.

Ego vero Weſtmonaſterienſem ſequor; eoque libentius, propterea quod, non nuda ſemper nomina aſcribit ut illi, ſed obitus ſaepe et conſecrationum tempora ſubjungit. Poſt Tunbrightum, (quod non ambigitur) hii ordine ſucceſſerunt;

XXIII. ELLA[g]. [920.]

XXIV. ALFGAR[h]. * 944.

XXV. KINSY[i]. Vixit annis 948 et 966. [960.]

XXVI. WINSY[k]. [974.]

XXVII. ELSETH, alias EALFEAGUS[l]. [992.]

XXVIII. GODWINUS[m]. [1007.]

XXIX. LEOFGARUS[n]. [1021.]

XXX. BRITHMARUS[o]. Obiit 1039. [1027.]

XXXI. WULSIUS[p]. Obiit 1054. 1039.

XXXII. LEOFWINUS Abbas Coventrenſis[q]. 1054.

---

[x] Succeſſit anno 812, aut eo circiter. Conſecratus eſt à Wulfredo Archiepiſcopo Cant. cui profeſſionem fecit. Interfuit Concilio Calcuthenſi anno 816. *Conc. Angl.* T. 1. p. 169.

[y] Omittitur hic etiam ab Hiſtoricis.

[z] ATHELWALDUS, *Cheſterf.* HERKENWALDUS, *Malmeſb.* ORKENWALDUS, *Ingulf.* AETHELBALDUS, *Weſtmon.* Conſecratus eſt anno 818. *Cod. Lich.* in Bibl. Cott.

[a] 858. *Weſtm.* Chronicon verò Saxon. diem obitus ponit in annum 828, et rectè, eo quod Humbertus ſucceſſor ejus conſecratus eſt à Wulfredo Archiep. Cant. (ut è Regiſtr. Eccleſ. conſtat) qui obiit anno 829 ut videre eſt apud Cantuar. p. 47.

[b] Succeſſit anno 829, et occiſum fuiſſe dicitur anno 870 Novemb. viceſimo, eodem tempore cum Rege Edmundo. *Dunelm.* ad annum.

[c] KINEFERTHUS, *Weſtmon.* CINEBERT, *Malmeſb.* KYNEFYRTH, *Text. Roff.* Obiit 890. *Cheſterf.* et *Cod. Lichf.* in Bibl. Cott.

[d] Aut idem cum ſequente, aut omittitur ab Hiſtoricis.

[e] *Malmeſb.* TUNFRIDUS, *Weſtmon.* TUNFRITHUS, *Cheſterf.* TUMBRIHTUS, *Florent.* Succeſſit anno 890. Epiſcopatum rexit per triginta annos, et fatis ceſſit anno 920. Ita omnes *Cod. Lichf.*

[f] P. 686.

[g] AELLA, *Florent.* ELLE, *Malmeſb.* AELLE, *Cheſterf.* De decem ſequentibus Epiſcopis nil certi dicendum eſt, nil niſi ambiguitas et conjecturae. Ella verò ut mihi videtur, ſucceſſit Anno 920, et obiit 944. *Cheſterf.*

[h] ALFGARUS, *Florent.* ELGAR, *Malmeſb.* Epiſcopatum iniit 944, et obiit 960. *Cod. Lichf.*

[i] KINSI, *Drameſb.* CINSIUS, *Florent.* Succeſſit eodem anno, rexit an. 14, et ob. 974. *Id.*

[k] Obiiſſe dicitur 992. *Id.*

[l] ELFETH, *Malmeſb.* AELFEAH, *Text. Roff.* AELFEGUS, *Florent.* Succeſſit 992. Obiit 1007.

[m] Obiit 1020. *Cod. Lichf.*

[n] Godwino ſucceſſit anno 1021, et Epiſcopatum rexit A. ſex, et obiit 1027. *Id.*

[o] *Malmeſb. Florent.* BRICHTMERUS, *Ingulf.* BRITHELMARUS, *Chron. Petrob.* Obiit 1039. *Weſtm. Florent. Dunelm.* et *Hoved.* f. 251. b.

[p] *Florent.* WLSI, *Malmeſb.* WLFIUS, *Mailr.* ULSIUS, *Weſtm.* Obiit menſe Octobri 1053. *Florent.*

[q] Ita *Florent.* Conſtitutus fuit à Leofrico Comite Herefordiae, qui ejecit Moniales, quas ibi Knutus Rex poſuerat, et Monachos inſtituerat, monaſterio ampliato. *Cod. Lichf.*

XXXIII. Petrus[r].

1067. Gul. I. 1. SEDEM Epiſcopalem hic Petrus Lichfeldia Ceſtriam tranſtulit anno 1075[s]. Conſecratus eſt 1067, et anno 1086[t] defunctus, Ceſtriae eſt tumulatus[u].

XXXIV. Robertus de Limesey.

*1086. Gul. I. 20. ROBERTUS DE LIMESEY[x] conſecratus 1088[y], anno deinde 1095 ſedem tranſtulit Coventriam[z]. Obiit primo Septembris 1116[a], et Coventriae voluit ſepeliri.

XXXV. Robertus Peche[b], al. Peccam[c].

*1120. Hen. I. 21. ROBERTUS, vocabulo Gallico Peche cognominatus (quod peccatum ſonat) Capellanus erat Henrici primi Regis. Conſecratus 1117[d], deceſſit Aug. 22. 1127[e], et Coventriae jacet ſepultus.

XXXVI. Rogerus de Clinton.

1129. Hen. I. 30. EPISCOPATUM hunc Rex tum contulit[f] Rogero de Clinton Archidiacono Buckingamenſi, nepoti Galfridi Baronis Clintoni, viri ea tempeſtate potentiſſimi. In Presbyterum ſacratus eſt viceſimo primo Decembris 1129, et poſtridie in Epiſcopum hujus ſedis[g]. Magnam partem Eccleſiae Lichfeldenſis à fundamentis ille conſtruxit: Numerum Praebendarum auxit ibidem: Civitatem Lichfeldenſem foſſâ munivit: et in arcis ſtructura tam inutilem quam magnum fecit ſumptum; nam aedificiorum illius pars nulla hodie ſupereſt. Foſſa qua cingebatur oſtenditur; et area, campus arcis etiamnum appellatur. Cruce tandem ſignatus hic Epiſcopus, Hieroſolymam ſuſcepto itinere, Antiochiae obiit decimo ſexto Aprilis 1148[h]. Caeterum ſilentio praetereundum non eſt, Rogerum quendam Epiſcopum dictum Ceſtrenſem, Monaſterium Ciſtercienſibus condidiſſe apud Bildewas, cujus annui cenſus ſuppreſſionis tempore valebant 129 libras, ſex ſolidos et denarios decem[*]. Rogerum deinde Coventrenſem et Lichfeldenſem Epiſcopum appellatum, Prioratum S. Joannis Lichfeldiae fundaſſe, ſimiliter comperi. Haec vero utrum praeſtiterit Rogerus iſte de Clinton, an alius aliquis hujus ſedis Epiſcopus recentior qui Rogeri nomine ſit appellatus, non poſſum pro certo conſtituere. Quod hic Coventrenſis et Lichfeldenſis vocetur Epiſcopus, ille vero Ceſtrenſis, nihil refert, cum certum ſit, multos per annos has appellationes hujuſce ſedis Epiſcopos circa haec tempora promiſcue uſurpaſſe.

---

[r] Vacavit Epiſcopatus per annos quatuor, tandem verò Petrus Willelmi primi Capellanus conſecratus eſt anno 1067. *Annal. Burton.* cui, ante adeptum Epiſcopatum, Epiſcop. Lincoln. cuſtodia tunc vacantis commiſſa eſt. *MS. Barlow* è Lib. Abindon.

[s] *Malmeſb.* L. 4. f. 164. b.

[t] Rectiùs ſub finem anni 1085. Robertum enim ſucceſſorem à Rege nominatum fuiſſe in ipſo Natalis feſto 1085 *Dunelm. Florent.* et *Mailroſ.* teſtantur.

[u] *Annal. Burton.*

[x] Natione Normannus. *Annal. Waver.*

[y] Conſecratum fuiſſe unà cum Willelmo Helmeamenſi Epiſcopo à Lanfranco anno 1086 *Whartonus* aſſerit è Chronologia Saxonica.

[z] Ita *Malmeſburienſis* de Epiſc. L. 4. f. 165. *Florentius* verò uſque ad annum 1102 protrahit. p. 651. De hac differentia ita ſuſpicatur Whartonus; Abbatiam Coventrenſem Robertum anno 1095 comparaſſe, non tamen Coventriam migraſſe ante annum 1102.

[a] Obiit anno 1117, fide *Florentii*, *Hovedeni* et aliorum, primo Septembris ut ait *Cheſterf.* anno verò 1116.

[b] *Florentius.*

[c] *Malmeſb. Annal. Burton.* PETHEE, *Chron. Petrob.* PECTHE, *Cheſterf.*

[d] Apud Abendoniam Mar. 13. 1120, ab Archiepiſcopo Catuar. aſſiſtentibus Willelmo Wentano, Willelmo Exon. Urbano Landavenſi et Bernardo Menevenſi Epiſcopis. *Eadm.* L 6. p. 137. Una cum Richardo Epiſcopo Hereford. *Hoved.* f. 273.

[e] 1126. *Chron. Petrob.* Die Dominica Paſſionis Domini. *Florent.* 11 Kal. Sept. 1127. *T. Cheſterf.*

[f] 3000 Marcarum pretio, ſi *Dunelmenſi* fides ſit adhibenda. p. 255.

[g] Ita *Florentius*; et inthronizatus 9 Jan. ſequen.

[h] Ibidemque ſepultus jacet.

XXXVII. WALTERUS DURDENT[i].

WALTERUS DURDENT Eccleſiae Cantuarienſis Prior, conſecratus 1149, obiit 1161, et Coventriae ſepultus eſt. 1149. STEPH. 14.

XXXVIII. RICHARDUS PECHE.

RICHARDUS PECHE, Roberti ejuſdem cognominis filius, et ab illo Archidiaconus Coventrenſis creatus, Durdento in hoc Epiſcopatu ſucceſſit anno 1162[k]. Aetate provectiori, habitum hic ſuſcepit Canonici in Eccleſia S. Thomae prope Staffordiam, cujus Coenobii traditur â nonnullis fundator extitiſſe. Deceſſit ſecundum Hovedenum 1182[l], et in Coenobio antedicto ſepultus eſt. * 1161. HEN. 2. 7.

XXXIX. GIRARDUS PUELLA.

DE Girardo Puella[m] (quem ſcriptores noſtri vocabulo Gallico La Pucelle plerunque nuncupant) Robertus Montenſis ſic ſcribit; *Magiſter Gerardus cognomento Puella, vir magnae literaturae et honeſtatis, electus eſt anno Domini 1182 in Epiſcopatum in Anglia Ceſtrienſem, qui Epiſcopatus tres habet Epiſcopales ſedes, Ceſtrienſem, Coventrienſem et Lichfeldenſem*[n]. Obiit Januarii 12. 1184, et Coventriae jacet ſepultus. * 1183. HEN. 2. 29.

---

[*] 110^{l}. 19^{s}. 3^{d}. ob. Fundatum eſt hoc Coenobium A^{o}. 1139. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 779.

[i] Sede vacante, Stephanus Rex licentiam tunc primò conceſſit Monachis Coventrenſibus et Canonicis Lichfeld. Epiſcopum eligendi; antea verò Reges Epiſcopatus conferebant per inveſtituram Annuli et Baculi. Electus eſt Walterus Durdent, qui conſecratus eſt à Theobaldo Archiepiſcopo in Eccleſia Cantuariae die ſecundo Octobris 1149, aſtantibus Epiſcopis London. Roffen. et Landav. *Gervaſ. Chron.* A quo vocatur DURUS DENS, *vir eximiae religionis et ſacris literis apprime eruditus.*

[k] Conſecratus anno 1161. *Dicet. Ymag.* à Theobaldo Archiep. qui diem clauſit extremum decimo octavo Aprilis ejuſdem anni. —— Ob defectionem Hugonis de Lucy conſtitutus eſt unus Juſtitiar. in Hibernia anno 1181, Henr. Reg. viceſimo octavo. *Ware in Annal. Hibern.* p. 21.

[l] Obiit anno 1182, ſexto Octobris, *Wharton* ex fide Annal. Eccleſ. S. Werburgae Ceſtrenſis. *Hovedenus* verò aſſerit eum obiiſſe A. 1183. f. 354. b. et *T. Cheſterf.* annum 1181 aſſignat.

[m] Richardi Archiepiſcopi Cantuar. domeſticus *Chron. W. Thorn.*

[n] Conſecratus eſt 25 Septembris 1183. *Gerv. Chron.* et obiit 12 Jan. ſeu ut alii 13 Jan. ſequentis, non ſine veneni ſuſpicione.

XL. HUGO NUNANT[o].

*1187. Hen. 2. 34. ANNO 1186[p], Hugo Nunant vel Novant è Normannia oriundus (ſed qui in Academia Oxonienſi bonis literis olim operam navaverat) in Epiſcopum Lichfeldenſem conſecratus eſt. Capto et in vinculis detento Richardo Rege per Leopoldum Auſtriae Ducem, cùm è terra ſancta reverteretur; Joanni Mortoniae Comiti Regis fratri hic praeſul ſe adjunxit, regnum occupare conanti. Quae res et ipſi et amicis multum peperit moleſtiae, ut in Hovedeno videre eſt, qui perhibet, gratiam ejus culpae redemiſſe eum, numeratis marcarum quinque millibus. Antea vero (uti videtur) ab eodem Rege mercatus fuerat facultatem Monaſterium Coventrenſe pro libitu diſponendi. Et cum inde Monachos ejicere, ac eorum loco ſeculares Clericos collocare decreviſſet; milite armato ſtipatus ad Coenobium acceſſit, ac Monachis imperata non facientibus, impetu in illos facto, viam ferro apperuit, Monachorum nonnullis vulneratis, fugatis caeteris. Ita Coenobio potitus, ſacerdotibus quos ſeculares vocant locum complevit. Anno haec geſta ſunt 1190[q]. Haud incruentam hanc victoriam victori Epiſcopo extitiſſe tradit Balaeus, qui author eſt, vulneratum ipſum in conflictu, idque in ipſa Eccleſia ſummo altari adſtantem.

Homo videtur cum doctus et non imprudens, tum animo haudquaquam puſillo, licet actionum et morum ſuorum cenſor fortaſſis non nimium ſeverus, ſaltem ſi Monachis credimus, qui ſoli illorum temporum Chronographi extiterunt, quoſque credibile eſt, Monachomaſtigi hujuſmodi immeritas laudes non temere aſcripturas. Sed et hii tamen exitum ejus tanquam pium et religioſum plenis (quod aiunt) buccis decantant. In promptu cauſa eſt. Romam proficiſcens, in Normannia (patria ſua) morbo corripitur, et morti ſe vicinum ſentiens, multis tam ob eruditionem quam pietatem ſpectatis viris ad ſe vocatis, anteactae vitae nequitiam cum gemitu et lachrimis confitetur. Non diſplicet. Rogat porro impenſe ut precibus pro illo apud Deum intercedant: Non male. *Pecuniam et omnia quae poſſidebat* (inquit Pariſienſis[r]) *in auro et argento, in gemmis et vaſis pretioſis, domibus religioſis et pauperibus erogavit.* Jam pulchre: Hic vero palmam retulit: *Cum ingenti moerore recognovit,* (Pariſienſem audis[s]) *qualiter expulſis Monachis Coventrenſibus, ad cumulum omnium malorum Clericos introduxit. Ad cujus flagitii ſatisfactionem, aliud genus correctionis non invenit, niſi ut in eorum habitu vitam finiret. Et ſic in ſpe bona omnium aſſiſtentium fine inſperato quievit* Martii 27. 1199[t], in loco quem Betherlevinum noſtri nominant, et Cadomi ſepultus[u] eſt.

Anno 1193 dum ad Regem in vinculis agentem properaret, latrones neſcio qui prope Cantuariam, ſarcinas ejus ingenti pecunia onuſtas diripuerunt. Et paulo pòſt in exilium pulſus eſt[x], quod Joanni Regis fratri res novas molienti adhaeſerit; neque revocatus eſt, donec (quod ante monuimus) marcarum quinque millibus donatis, iratum Regem placaſſet.

---

[o] MINANT, *Weſtmon.* et *Florent.* de NONANT, *Annal. Burton.* A. Diaconus Lexovienſis. *MS. Hutton.* [p] Conſecratus eſt non ante 30 (31 potius) Januar. 1187. *Gervaſio* teſte in *Chron.* Col. 1520. [q] Et anno 1198 Hubertus Archiepiſcopus Cantuar. Clericis ejectis, Monachos iterum collocavit, authoritate Apoſtolica munitus. *Dicet. Ymag. Hoved.* f. 440. b. et *Weſtmon.* [r] P. 161. [s] Ibid. [t] Martii 27 die Paraſceves 1198, et in Eccleſia Becci Harlewini ſepultus eſt. *Annal. Winton.* Mar. 25. 1198. *Gervaſ. Chron.* Apr. 27. 1198. *Angl. Sacr.* [u] *Hoved.* f. 442. b. [x] *Hoved.* f. 419.

◆ ◆ ◆

XLI. GALFRIDUS DE MUSCHAMP.

HUGONE Epiſcopo defuncto, Coventrenſes Monachi rerum ſuarum ſatagentes, ejectores ejiciunt; Papa adjuvante, Clericos ſeculares curant ſummovendos, quos ibi collocârat Hugo praedictus, ſeque denuo reſtituendos. * 1198. Ric. I. 9. Qua re perfecta, Josbertum quendam ſibi aſciſcunt in Priorem, qui eo ipſo tempore tribus aliis Coenobiis Prior praefuit, Daventrenſi, Wenlocenſi et de Bermundeſeia: Nunc vero *Hubertus Archiepiſcopus* (inquit Pariſienſis[y]) *ut avaritiae ejus ſatisfaceret, tribus illis Prioratibus hunc quartum curavit adjiciendum. Neque illi hominem eminentis in ſecularibus prudentiae* (ut loquitur ille) rebus ita turbatis, gravate ſuſcipiunt. Sic dignum patella nacti operculum, ad Epiſcopi electionem ſe accingunt; hoc unice caventes, ne eum ſibi praeponant, qui bonis Monachis otium velit interturbare. Renunciatus eſt tandem Galfridus Muſchamp Archidiaconus Clivelandiae[z], qui conſecratus eſt Weſtmonaſterii (ut quidam[a]) Martii 15. 1199, vel ſecundum Pariſienſem, Cantuariae Julii 21[b] ejuſdem anni, quo tempore electum perhibet Weſtmonaſterienſis. Obiit anno[c] 1208 et Lichfeldiae conditus requieſcit.

◆ ◆ ◆

XLII. WALTERUS DE GRAY.

ANNO 1210 Walterus[d] de Gray in Epiſcopum hujus Eccleſiae conſecratus, Wigorniam anno 1214 transfertur, ac inde poſtea Eboracum.

◆ ◆ ◆

XLIII. GULIELMUS DE CORNHUL.

GULIELMUS DE CORNHUL[e] Archidiaconus Huntindonenſis conſecratus 25 Januarii[f] 1215, obiit 19 Junii 1223[g], et Lichfeldiae jacet ſepultus. * 1214. Joan. 16.

---

[y] P. 162.

[z] *Hoved.* f. 442. b.

[a] Ita *T. Cheſterf.*

[b] Conſecratus eſt Cantuariae 21 Jun. 1128. *Wharton* ex autographa ſubſcriptione in Archivis Eccleſiae Cantuar. Ita etiam *Gervaſius* in Chronico. *Weſtmonaſterienſis* electum refert. —— Conſecratus eſt certiſſimè ante 21 Jul. 1199, et ante Coronationem Joannis Regis (Junii ſc. 26.) cui interfuit. *Hoved.* f. 451 a.

[c] Oct. 6. *T. Cheſterf.*

[d] Electus eſt re vera à Canonicis Lichfeldenſibus A. 1210, ſed non à Monachis Coventriae; Ita et Josbertus eorum Prior à Monachis, invitis ſeu inſciis Canonicis. Communi denique utriuſque Capituli conſenſu electus eſt Gulielmus de Cornhul. *T. Cheſterf* ——Walterum etiam electum fuiſſe conſtat *Pat.* 15 Joh. m. 8. Sed huic Eccleſiae nunquam fuit conſecratus; Anno verò 1214 ſacratus eſt ad Epiſcopatum Wigorniae.

[e] Rector fuit de Maydenſtan, collat. per Regem 6 Auguſti. *Cart.* 7 Joh.

[f] Ita *Weſtmonaſt.* et *Annal. Wigorn.*

[g] Annum Weſtmonaſt. ponit, Diem 19 Auguſti *T. Cheſterf.* —— Anno 1662 inventus eſt hujuſce Epiſcopi loculus, hoc Elogio adornatus, ut extat in Chron. Rob. de Glouceſt. p. 631. *Anno ab Incarnatione Domini* MCCXXIII *obiit* WILHELMUS *Coventr. et Lichfeld. Epiſcopus* 13 *Kal. Septemb. Regni Regis* HENRICI *filii* JOHANNIS XII (VII forſan) *ſub* HONORIO *Papa* III. *et* STEPHANO *Cantuar. Archiepiſcopo. Rexit autem Eccleſiam iſtam* VIII *Annos*, I *Menſ.*

XLIV. ALEXANDER DE SAVENSBY[h].

1224. HEN. 3. 8. ALEXANDER DE SAVENSBY, quem Balaeus Alexander de Wendock videtur appellare, ex Academiarum in diverſis regionibus aditu, diſciplinas ita hauſit, ut multarum rerum cognitione plures ſui temporis tam Philoſophos, quam Theologos ſuperaſſe diceretur. Bononiae namque pluribus annis ſtuduit, atque in Tholoſano gymnaſio Theologorum ſcholas rexit. Interim viſiones neſcio quas nocturnas habuit et in ſomniis portentoſas oſtenſiones, quibus exurgentes fraterculorum ſectas in concionibus publicis approbabat. Scripſit Poſtillas in Pſalmos et alia nonnulla. Conſecratus eſt Romae in feſto Paſchatis 1224[i].

Illo ſedente[k], lis in Curia Romana diu agitata inter Monachos Coventrenſes et Canonicos Lichfeldenſes de jure eligendi Epiſcopum ſic terminata eſt, ut alternis vicibus eligerent, ſed ita, ut utrobique ſcilicet tam apud Lichfeldenſes quam ſuos, Prior Coventrenſis ſuffragium ferret, idque omnium primum. Huic Epiſcopo cum Comite [Mareſcalli] magna interceſſit familiaritas; unde res novas moliente Comite, Epiſcopi fidem Rex multum habuit ſuſpectam. Qua re cognita, ut ſe à tanti ſceleris ſuſpicione purgaret, hanc iniit rationem: Pontificalibus veſtibus indutus, omnes qui de prodendo Rege vel cogitarent, diris proſequutus eſt. Hinc placatus Rex, omnem ejuſce rei ſuſpicionem abjecit. Poſtquam Lichfeldiae ad Occaſum hibernum Coenobium condidiſſet Minoritis fratribus, Andoverae deceſſit viceſimo ſexto Decembris 1238[l], et Lichfeldiae ſepultus eſt in Eccleſia ſua.

XLV. HUGO DE PATESHUL.

1240. HEN. 3. 24. ALEXANDRO defuncto, Coventrenſes Monachi nemine impediente, elegerunt ſibi in Epiſcopum Gulielmum Raleyum[m], quem paulo poſtea Norwicenſes etiam ſibi poſtularunt, et obtinuerunt. Hinc nata eſt controverſia inter Coventrenſes et Lichfeldenſes; quorum iſti, ſibi jam competere jus electionis dicebant, electione jam ab illis celebrata; iſtis è contra contendentibus, omnia ſibi adhuc integra, donec electionis hujuſmodi ratione Epiſcopatu aliquis fuiſſet potitus. Quare Lichfeldenſes ſuum ſibi eligunt Decanum[n], Coventrenſes vero Nicolaum de Fernham, qui poſtea Dunelmenſis Epiſcopus factus eſt. Et Fernhamus accepto ejuſce rei nuncio electioni conſentire recuſavit. Decanus vero (homo bonus, ſed annoſus admodum) fama commotus Fernhami ſecundiſſima, et ideo conſenſum electioni eum non praebere exiſtimans quod litem inde orituram putaret: Suos Lichfeldenſes precibus non deſtitit obtundere, donec et illi ipſum elegiſſent. Fernhamus attamen in recuſatione perſtitit, dicens, Sacerdotii unius aut alterius ſibi modo onus videri tam grave, uti Epiſcopale munus, ut ſuſcipiat nullo pacto poſſit in animum inducere.

---

[h] De STAVENESSE. *Pariſ.*

[i] Die ſc. Aprilis 14. Et poſtea Rex aſſenſum praebuit ordinationi Domini Papae de Alexandro de Staveneby viceſimo Maii. *Pat.* 8 H. 3. m. 4.

[k] Anno 1229 Aprilis quinto inter alios miſſus eſt à Rege ad tractandum de pace inter ipſum et Ludovicum Franciae Regem. *Pat.* 13 H. 3. m. 8. Et anno 1234 miſſus eſt ad Curiam Romanam ſuper negotiis Regnum concernentibus. *Pat.* 18 H. 3.

[l] Ita omnes Hiſtorici, excepto Mailroſenſi, qui annum 1240 poſuit.

[m] Menſe Februar. electus eſt. *Weſtmon.* in A. 1238.

[n] Willelmum de Manceſtre.

Intercedente poſtea Rege, pars utraque conſenſu unanimi Epiſcopum declararunt Hugonem de Pateſhul Eccleſiae Paulinae Theſaurarium[o], qui Angliae fuerat et Theſaurarius[p] et Cancellarius, ac genitorem habuit Simonem de Pateſhul, Angliae quandoque Juſtitiarium ſummum[q]. Conſecratus eſt primo Julii 1241[r]; et cum nondum tres annos ſediſſet, aetate adhuc integra, immatura morte ſublatus eſt è medio ſeptimo Decembris 1243[s]. Homo vitae integerrimae et non indoctus, tamen apud Chronographos noſtros parum gratioſus, quod in illo parvo quo praefuit tempore in Canonicos Lichfeldenſes, quam Monachos Coventrenſes gratia magis propendere videretur.

XLVI. ROGERUS DE WESEHAM[t].

SEDE per mortem Hugonis Epiſcopi vacante, egit impenſe cum Coventrenſibus Rex, ut Richardum Eveſhamiae Abbatem, magni Angliae ſigilli cuſtodem illi ſubſtituerent. 1245. HEN. 3. 29. Et nonnulli ſane ſuffragia in eum contulerunt. Sed pars longe maxima Monachum quendam elegerunt Eccleſiae ſuae Praecentorem, Gulielmum de Monte-Peſſulano, hominem pium juxta ac eruditum. Abbas tamen largitione et Regis gratia eouſque profecit, ut conſecrari eum Papa mandaverit, quem in fatis non erat Epiſcopatu hoc potiri. Riolae ſiquidem (quae Vaſconiae civitas eſt) ante ſuſceptas infulas mortem obiit[u]. Defuncto illo, eligitur denuo, idque unanimi omnium Monachorum conſenſu, Gulielmus praedictus[x]. Rex vero magna vi ſe huic Monachorum conatui opponens, eas exhibuit electo moleſtias, ut fatigatus tandem ſuccubuerit, et jure per electionem acquiſito ſponte ceſſerit[y]. “ Quo cognito (inquit Pariſienſis[z]) diligentiſſime pro-“ curante primo et praecipue Epiſcopo Lincolnienſi, loco ipſius Gulielmi “ de Monte-Peſſulano praedicti, electus eſt et ſubrogatus in Epiſcopum “ Ceſtrenſem ſive Coventrenſem, magiſter Rogerus de Weſeham Deca-“ nus Eccleſiae Lincolnienſis, vir moribus et ſcientia eleganter inſignitus, “ Rege irrequiſito, ne et hanc electionem cavillatoriis (ut ſibi moris erat) “ exceptionibus impugnaret, et in laeſionem animae et famae ſuae am-“ plius impediret.” In hoc negotium eo ſtudioſius Lincolnienſis incubuit, quod cum conſueſſent ſaepe Decani Eccleſiae ſuae *ex Decanatus illius ubertate, cornua audaciae aſſumentes* (ut loquitur praedictus Pariſienſis) *contra Epiſcopum ſuum recalcitrare*; vacante jam Decanatui decreviſſet rectoriam Ayleſburienſem ſubtrahere. Ad Rogerum vero quod attinet, annuente Papa, conſecratus eſt Lugduni[a] anno 1245, antequam de electione ejus Rex quicquam reſciviſſet[b]. Cum annos ſediſſet undecim, grandaevus et valetudinarius ſponte abdicavit[c] primo Novembris[d] 1256: et paralyſi, qua diù laboravit, poſt biennium abſumptus, debitum naturae perſolvit[e].

---

[o] Nequaquam; Canonicus tantum ſive Prebendarius de Neaſdon in Eccleſia Paulina.

[p] Theſaurarius tantum, quod munus inierat 10 Junii 1234. *Pat.* 18 H. 3. m. 14.

[q] *Weſtmon.* A. 1234.

[r] Jul. 1. 1240. *Weſtmon.*

[s] Dec. 7. 1241. *Weſtmon.* et *Pariſ.* Dec. 8. *T. Cheſterf.* qui expreſſe aſſerit hunc Epiſc. pontificâſſe *anno uno et dimidio.*

[t] WESCHAM, *Weſtmon.*

[u] Dec. 8. 1242. *Weſtmon.*

[x] *Id.* ad A. 1243.

[y] Anno 1245.

[z] P. 580.

[a] In Concilio Lugdunenſi una cum Richardo Epiſcopo Ciceſtrenſi, et Bonifacio Archiepiſcopo Cantuariae. *M. Par.* p. 580.

[b] Attamen Rex reſtituit temporalia, licet praefectura ejus fuit in praejudicium dignitatis Regiae 25 Martii *Pat.* 30 H. 3. *MS. Anſtis.* Temporalia accepit primo Januarii 1246. *Wharton.*

XLVII. ROGERUS DE MOLEND[f].

1257. Hen. 3. 42. CEDENTE (ut diximus) Weſehamo, adlaboravit multum Rex, ut ſubſtitueretur illi Philippus Lovellus Theſaurarius ſuus. Monachi vero, qui ab illo (neſcio quam ob cauſam) animo erant alieniſſimo, ut [eum] poſſent amoliri, et ſimul Richardo Cornubiae Comiti, Regis fratri gratificari, qui id petebat enixe; Rogerum de Molend[g] elegerunt, qui et Regis et Comitis praedicti nepos[h] erat. Rege mox prompte annuente, conſecratus[i] eſt Martii 10. 1257. Natus hic et ab ineunte aetate in transmarinis regionibus educatus[k], idiomatis Anglicani expers fuit et omnino ignarus. Quam rem cauſatus, paſtoralis muneris omni cura abjecta, in patria ſua otioſus delituit; donec Joannes Peckamus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ob tantam ſocordiam homine acriter increpato, anno demum 1283 in ſua diœceſi invitum reſidere coegit[l]. Poſtquam annos duodequadraginta ſediſſet, grandaevus extinguitur 1295[m].

XLVIII. WALTERUS DE LANGTON.

1296. Edw. 1. 25. WALTERUS DE LANGTON[n] Angliae Theſaurarius[o] ſucceſſit, qui conſecratus eſt Decembris viceſimo ſecundo 1296[p]. Sub Edwardo primo magna gratia et authoritate floruit[q]. Edwardus vero ſecundus filius, plurimis eum contumeliis affecit et multimodis vexavit. Nam patre defuncto, Epiſcopo mandavit, ut funus Londinum deduceret à limite Scotico, ubi deceſſerat: Cujus tanti laboris hoc praemii tulit, ut quamprimum eo acceſſerit, à Joanne Feltono arcis Londinenſis Conneſtablio captus, in carcerem conjiceretur vir graviſſimus, quem pater Regis unice dilexerat, quemque teſtamenti praecipuum executorem conſtituerat. [r]Duos integros per annos, Londini primum, deinde Wallingfordae, ac

---

[c] Poſt reſignationem habet trecentas Marcas è redditibus Epiſcopatus durante vita. *Pat.* 40 H. 3. m. 2. [d] Reſignatio facta fuit apud Brewode 4 Dec. 1256. in praeſentia H. de Lexinton Epiſcopi Lincoln. ad haec à Papa deputati. *Ann. Burt.* p. 366. [e] Ob. 21 Maii 1257 apud Brewode, et ſepultus eſt die 25 apud Lichfeldiam à Fulcone Dublinenſi Archiepiſcopo. *Id.* p. 386. [f] MEULENG, *Annal. Burton.* MEYLAND, *Cheſterf.* MENLENT, *Chron. Wikes.* [g] Tempore electionis Subdiaconus tantum fuit et Canonicus Eccleſ. Lichfel. *Annal. Burton.* p. 367. [h] Filius erat tertius Willelmi de Longaſpata Sarisburiae Comitis, et Evae (Elae *MS. Gale*) uxoris, filiae et haeredis Willelmi Fitz-Patrick Comitis de Sarum. *Wharton.* [i] Electus eſt 22 Jan. 1257. *Annal. Burton.* p. 366. et conſecratus 10 Martii à Bonifacio Archiepiſcopo in Eccleſ. Cantuar. unà cum Waltero Exon. et Simone Norwic. Epiſcopis. *Regiſtr. Eccleſ. Cant.*—Regium habet aſſenſum ſeptimo Februarii. *Pat.* 41 H. 3. m. 17. [k] Tempore electionis Papae fuit Capellanus. [l] Et anno ſequenti Eliam Archidiaconum Derbiae coadjutorem dedit. *Regiſtr. Peckham.* [m] Obiit 16 Dec. et in Eccleſia ſua ſepulturae traditur. *Cheſterf.* Obiit 11 Dec. *Annal. Ceſtrenſes* [n] Natus apud Weſt-Langton in Com. Leiceſt. *Burton in Chorogr. Leiceſt.* p. 157. ubi etiam de benefactione ſua in eadem Villa. [o] Conſtitutus Theſaurarius 28 Sept. 1295. 23 E. 1. *MS. in Bibl. Reg. Cantab.* [p] Electus eſt 20 Feb. 1295. Regis habet aſſenſum 25 Apr. 1296, et reſtitutionem Temporalium 16 Jun. *Pat.* 24 E. 1. et conſecratus apud Cameracum 22 Dec. ſequentis à B. Cardinali Epiſcopo Albanenſi. *Weſtmonaſt.* [q] Excepto quod anno 1301 ſuſpenſus eſt ab Officio, graviſſimis accuſatus criminibus, (adulterio, ſymonia, et homicidio) à quodam Johanne Lovetot Milite. Pro ſuſpenſo Rex reſcribit Papae et Cardinalibus. Lit. dat. 24 Aug. 1302. *Rym. Foed.* T. 2. p. 907. qui (Papa ſcil.) certior factus de criminibus allegatis Epiſcopum in integrum reſtituit. Bullâ datâ Anagniae 6 Id. Junii 1303. Ib. p. 932. Famâ ita purgatâ, à Rege iterum conſtitutus eſt Theſaurarius, &c. [r] Rege Edwardo ſecundo Patrem ſuccedente, Epiſcopus noſter carcere compingitur, Temporalia ſeizita 20 Sept. 1307. *Rym. Foed.* T. 3. p. 11. Et Litera data eſt de procedendo contra Epiſc. 26 Mar. 1308. *Ib.* p. 71. Re tandem coram Judicibus Regiis ablata abſolvitur, et Temporalia reſtituta ſunt 3 Oct. 1308. *Ib.* p. 108. Iterum verò incarceratus eſt anno 1311, et extat litera Papalis pro ejuſdem liberatione; *Ib.* p. 286. Temporalia ad cuſtodiend. liberata ſunt 4 Nov. *Ib.* p. 287. et tandem reſtituta 23 Januar. ſequentis. *Ib.* 299. Excommunicatus eſt ab Archiepiſcopo Cantuar. eo quod Principi adhaeſit contra Barones. *Walſingh. Hiſt. Angl.* p. 72. In tam inſignis fidei praemium Theſaurarius Angliae tertio renunciatus

eſt

tandem Eboraci carceris ſquallorem pertulit; nec quiſquam erat qui Regem pro eo deprecari auſus fuerit, in tantum iracundia ejus exarſerat. Clero in ſynodo congregato id flagitante, ac de re qualibet decernere pertinaciſſime recuſante donec libertati is eſſet reſtitutus, emittitur tandem, ac in ſemigratiam Regis (ut loquitur Walſingamius) recipitur, bonis etiam omnibus quibus fuerat ſpoliatus, ſimul reſtitutis. Hujus vero iracundiae haec cauſa traditur à Walſingamio[s]: Vivente patre, Principem *de ſuis corripuit inſolentiis, et ſuperfluis compeſcuit ab expenſis.* Adjiciunt alii, haec adoleſcentem iniquo animo ferentem, praeterea quod Epiſcopum multis oneravit convitiis, in vivaria ejus irrupiſſe et ſepimentis dejectis, feras abegiſſe. Qua tanta injuria affectus cum Regi fuiſſet conqueſtus, aliquot dierum cuſtodia Principem ferunt caſtigatum. "Ex cauſis praemiſſis (inquit Walſingamius[t]) infenſus Epiſcopo effrenis juvenis, eum ſquallore carceris coarctavit, et omnibus bonis ſuis ſpoliavit, &c. Fecit inſuper Juſtitiarios inquirere de perſona ſua, ut ſi quicquam inordinatum reperiſſent, Rex proculdubio ab eo ultra poenas meritas exegiſſet. Rationem etiam Rex petiit ab eodem de officio Theſaurarii et tempore ſuae miniſtrationis. Sed à Pontifice ſemper congruis datis ad objecta reſponſis, nullo ſenſu poterat culpabilis inveniri. Sub id ipſum tempus, aut paulo fortaſſe citius, magnorum criminum reus fit apud Papam, ad cujus praeſentiam "citatus, in curia Romana (Weſtmonaſterienſem audis[u]) non modicam pecuniam exhauſit, quoniam noverant illum prae multis bovem valde pinguem, neque tamen multum profecit. Remiſſus namque fuit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, ut ipſe per certas perſonas purgationem ſumeret accuſati, et per eundem Walterum negotii certitudinem reſcriberet ſummo Pontifici quid geſtum fuerit, quidve factum. Quid plura? ſumpta purgatione per Archiepiſcopum, &c. ad Papam reverſus eſt. Papa autem intelligens purgationem Epiſcopi ſagacem et ordinatam per Archipraeſulem ſibi miſſam, Epiſcopum Walterum famae priſtinae reſtitutum cum uberiori gratia remiſit ad propria. Porro miles qui eum accuſaverat Joannes, poſt non multum temporis, et ipſe ſuper homicidio et aliis facinoribus accuſatur. Conſcius vero ſibi, vendicat jus Eccleſiae; qui etſi conjugatus, ait ſe diaconum fuiſſe antequam uxorem duxiſſet. Condemnatus tandem, carceri Epiſcopali mancipatur in quo per dies quinque nec amplius ſupervixet." Sumant hic juſtitiae divinae exemplum, quibus eſt pro ludo, verbi Dei miniſtros contumeliis et moleſtiis exagitare.

Tempeſtatibus hujuſmodi diu jactato Langtono, ſerenitas tandem affulſit exoptata eaque perennis; vitae deinceps reliquo in ſumma tranquillitate (quantum comperi) tranſacto, poſtquam aulae ſe ſubducens, muneri paſtorali curando licuit ipſi vacare. Eccleſiae ſuae Lichfeldenſis benefactor extitit munificentiſſimus. Capellae B. Mariae ibidem fundamenta jecit, ac moriens priuſquam extrueretur, pecuniam reliquit unde id fieret. Clauſtrum ejuſdem muro cinxit, et duo millia librarum impendit in theca, qua corpus ſancti Ceddae anteceſſoris ſui conderetur. Clauſum ſive praecinctum Eccleſiae et muro et foſſa circundedit, additis portis duabus, magna una vel potius magnifica ad Occidentem, et alia ſed

---

eſt 8 Mar. *Ib.* p. 310. Contra ſententiam Archiepiſcopi ad ſedem Romanam appellavit: et in illius favorem ad Papam ſcriptitat Edwardus, Literis datis 1 Maii, 3 Julii, 14 Sept. 30 Nov. 4 Feb. 1313. *Ib.* Quid plura; pace renovatâ inter Principem et Optimates, hic etiam à Papa abſolvitur.

[s] *Hiſt. Angliae* p. 68.

[t] *Ibid.*

[u] Ad A. 1301.

minore ad Auſtrum. Pontem conſtruxit majorem illum ſupra vineam Lichfeldenſem anno 1310. Aedes ſuas Epiſcopales dedit Vicariis choralibus ad inhabitandum, et novas ſibi ſucceſſoribuſque à fundamentis excitavit ad Orientalem partem clauſi. Refecit partim, partim novis aedificiis auxit arcem de Eccleſhall, manneria de Shoubrough et Heywood, cum palatio Londinenſi in ripa Thameſis ſito, in loco quem Strandam nuncupamus. Ad uſum ſacrorum dedit Eccleſiae ſuae praeter veſtimenta pretioſiſſima, unum calicem et duos ſcyphos ex auro ſolido, quod valebat non ultra viginti et quatuor libras, ſed gemmarum quibus fuerunt ornati, pretium ad ducentas libras aeſtimatum eſt. Vicariis choralibus craterem dedit ponderis quinque marcarum, et ſalarium annuum viginti ſolidorum. Denique et illis et Canonicis ſuis multa privilegia à Rege impetravit; et debitum tandem naturae perſolvit decimo ſexto Novembris 1321, cùm ſediſſet annos ferme 25. Humatus jacet in capella B. Mariae à ſe conſtructa.

* * *

XLIX. ROGERUS NORTHBROUGH.

1322. EDW. 2. 15. ANNO 1313 Rogerus Northbrough magni Angliae ſigilli tum cuſtos[x], in praelio à Scotis captus eſt. Cùm poſtea Clericus eſſet garderobae (ita nimirum vocatum[y] comperi) et Angliae Theſaurarius, Rege ita flagitante[z] ut à mandato petitio ejus vix quicquam differret, aegre tamen nec ſine magna difficultate electus à Capitulo ſe huic ſedi ingeſſit tandem, et viceſimo ſeptimo Junii 1322 conſecratus. Sedit annos 38, nec tamen in tam diuturno temporis ſpatio aliquid perpetravit memoria dignum (quod ſaltem ad meam notitiam pervenerit) niſi forte hoc ab illo recte factum dicamus quod mortuus eſt[a]. Obiiſſe traditur[b] decimo Decembris 1360.

◆◆◆

L. ROBERTUS STRETTON.

1360. EDW. 3. 34. PAULO poſt Epiſcopi prioris deceſſum, Robertus Stretton Canonicus Lichfeldenſis[c], Edwardi Walliae Principis ſacellanus, eodem Principe ſatagente, electus[d] eſt in Epiſcopum ejuſdem Eccleſiae. Homo illiteratus et tali munere uſquequaque indignus. Quod cum Pontifici innotuiſſet, mandato ſpeciali Archiepiſcopum ne electum conſecraret inhibuit. Electus igitur Romam properat, et Pontificis ipſius examen ſubit; qui nec auſus eum rejicere, in cujus gratiam tantus Princeps eum interpellaſſet, nec approbari à ſe poſſe videns ſine ſumma infamia; viam mediam ingreſſus, hominem ad Cantuarienſem Archiepiſcopum amandavit, rem integram illius judicio relinquens; qui nullo modo induci potuit ut conſecrationem illi impertiret. Huc res tandem rediit, ut Principe de importunitate nihil remittente, duo Epiſcopi à Pontifice fuerint deſignati (quinam ii fuerint non comperi[e]) qui hac de re conſtituerent. Et illi, quanquam aegre et quaſi inviti, conſecrandum decernunt, quod viceſimo ſexto Septembris[f] 1360 factum eſt. Qua de re, vide adhuc plura apud Thomam Lyld Elienſem. Praefuit huic Eccleſiae annos 25[g].

---

[x] De hoc ambigitur, à nemine enim ita nominatus. Poſtea verò Theſaurarius factus eſt 2 Martii 1 *Pat.* 2 E. 3. m. 17.

[y] *Rym. Foed.* T. 3. p. 920.

[z] Nequaquam; è contra pro Roberto Baldok Archidiacono Middleſexiae et Canonico Lichf. importunè ad Papam et Cardinales ſcriptitat Edwardus Rex, Literis datis 30 Nov. 22 Dec. 24 Dec. et 4 Jan. 1321. Eligitur à Monachis Coventrenſibus Henricus eorum Prior. Papali verò Oraculo huc praeficitur Rogerus. *Rym.* T. 3. p. 933.

[a] Inter Cancellarios et Benefactores Academiae Cantabrigienſis memoratur.

[b] Nov. 22. 1358. ſi *Regiſtris Cantuar.* et *Iſlip* f. 220. fides ſit adhibenda. *Walſinghamus* verò p. 167 diem obitus ponit in A. 1359.

[c] Juris utriuſque Doctor, et unus Auditorum Rotae in Curia Romana. *Whitlocke de Epiſc. Cov. et Lichf.*

[d] Temporalia habet reſtituta 19 Sept. 1360. 2 *Pat.* 34 E. 3. m. 13. poſtridie confirmatus eſt ab Archiepiſcopo; et viceſimo ſeptimo ejuſdem menſis conſecratus eſt. *Sexto Februarii ejuſdem anni* (ut habet *Whartonus* è Regiſtr.) *in Archiepiſcopi praeſentia apud Lamethам conſtitutus, obedientiam canonicam ipſi profeſſus eſt,* ALIO PROFESSIONEM LEGENTE, QUOD IPSE LEGERE NON POSSET.

LI. WALTERUS SKIRLAW.

WALTERUS SKIRLAW legum Doctor[h], conſecratus decimo quarto Januarii 1385[i]; ad Epiſcopatum Bathonenſem et Wellenſem anno ſequenti transfertur, et paulo pòſt Dunelmum. 1385. Ric. 2. 9.

LII. RICHARDUS SCROOPE.

RICHARDUS SCROPUS legum Doctor[k], [Frater Gulielmi Comitis Wiltonienſis et ſummi Angliae Theſaurarii,] ſexto Auguſti conſecratus 1386[l]; et cum ſediſſet annos decem Eboracum migravit[m]. Vitam igitur et exitum ejus funeſtum inter Eboracenſes lector ſi placet quaerat. 1386. Ric. 2. 10.

LIII. JOANNES BURGHILL[n].

JOANNES BURGHILLUS Dominicanus[o], ex Epiſcopo Landavenſi fit Lichfeldenſis Septembri menſe 1399[p]: et diem obiit ſub exitum Junii 1414[q]. *1398. Ric. 2. 22.

LIV. JOANNES KETERICH.

JOANNES KETERICH curiae Romanae Notarius et Archidiaconus Surreyenſis, conſecratus eſt in Epiſcopum Menevenſem anno 1414; *1414. Hen. 5. 3.

---

[e] Epiſcopi Londinenſis et Roffenſis.

[f] Dies 27 fuit Dominica.

[g] Obiit apud Heywode 28 Martii 1385; et ſepultus jacet in Capella S. Andreae in Eccleſ. ſua. *Whitlocke.*——Teſtamentum prob. 10 Apr. 1385. *Regiſtr. Courtn.* f. 211. Vacavit Epiſcopatus 10 Maii per mortem Roberti. 2 *Pat.* 8 R. 2. m. 11.

[h] Proviſus eſt à Papa, Bulla data 28 Jun. 1385. *Regiſtr. Courtn.* f. 320. Cuſtodiam habet Temporalium 27 Oct. 1 *Pat.* 9 R. 2. m. 26. Reſtituta ſunt 6 Jan. 2 *Pat.* 9 R. 2. m. 39.

[i] Ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, aſtantibus decem Epiſcopis, et praeſentibus Angliae et Armeniae Regibus. *Regiſtr. Courtn.* f. 320.

[k] In Academia Cantabrigienſi, cujus fuit Cancellarius anno 1378. Officialis fuit Epiſcopi Elienſis, et Cuſtos Capellae de Tykhil. *MS. Wren.* Decanus Ciceſtrenſis. 1 *Pat.* 10 R. 2. m. 8.——Proviſus eſt ab Urbano Papa 18 Aug. 1386. Pontif. nono. *Regiſtr. Courtn.* f. 321, et poſtridie conſecratus eſt ab eodem apud Januam.——Malè igitur Godwinus qui diem 6, et Whitlock qui 18 apponit, neuter enim Dominicus erat.

[l] Temporalia reſtituta ſunt 15 Nov. 1 *Pat.* 10 R. 2. m. 8.

[m] Eboracum tranſlatus eſt 2 Julii 1398.

[n] BOURGHULL. *Regiſtr. Cant.*

[o] Regis Richardi Capellanus.

[p] Anno 1398. *Walſingh.* p. 394. Ita etiam Godwinus ipſe inter Epiſcopos Landavenſes. Circa initium menſis Septembris. *Whitlocke.*

[q] Obiit menſe Maio 1414. Viceſimo enim quarto ejuſdem menſis Capitulus Cantuar. (Sede Cantuar. tunc vacante) Juriſdictionem Epiſcopatûs Lichſ. arripuit. *Regiſtr. Cant.* et 27 Maii probatum eſt illius teſtamentum. *Ib.*

et tranſlatus inde ad hanc Eccleſiam[r] Maio menſe 1415. Anno 1417 interfuit Concilio Conſtantienſi, ubi conſtitutus eſt unus ex triginta electoribus, qui Cardinalibus adjuncti, Pontificem deſignarunt Martinum quintum. Sedit hic loci annos plus minus quinque et Exoniam migravit[s].

LV. JACOBUS CARY.

BREVI admodum tempore Jacobus Careius huic Eccleſiae praefuit. Contigit eum Florentiae adeſſe, quando Pontifice illic agente, de Exonienſis Epiſcopi morte nuncium allatum eſt, et illius praeſulatum ab eo facile impetravit, cum Lichfeldenſem nuperrime eſſet adeptus. Sed vix alterutro potitus eſt; nam reverſurus in patriam, antequam ad profectionem ſe poſſet componere, in Italia diem clauſit extremum, ibique ſepulturam ſortitus eſt.

LVI. GULIELMUS HEIWORTH[t].

1420. HEN. 5. 8. GULIELMUS HEIWORTH[u] S. Albani Abbas, conſecratus[x] 28 Novembris 1420[y]. Sedit annos 27[z].

LVII. GULIELMUS BOOTHE.

1447. HEN. 6. 25. GULIELMUS BOOTHUS[a] conſecratus nono Julii 1447. Sedit annos ſex, et Eboracum tum tranſlatus eſt.

LVIII. NICOLAUS CLOSE.

1452. HEN. 6. 31. NICOLAUS CLOSUS unus erat ex ſex illis ſcholaribus, quos primos in Collegio ſuo Regio Cantabrigiae collocavit Henricus ſextus, et in ſtructura ejuſdem collegii operum praefectus. Creatus ibi poſtea S. Theologiae Doctor, factus eſt ejuſdem Academiae Cancellarius. Conſecratus in Epiſcopum Carleolenſem anno 1450, et huc tranſlatus[b] 1452: eodem ipſo anno vitam cum morte commutavit[c].

---

[r] Bullâ Papali datâ primo Febr. 1414. *Regiſtr. Chichl.* f. 8. ——Papa Johannem nuper Epiſcopum Menev. tranſtulerit, Rex conſiderans qualiter idem Johannes ex mandato Regis in ſuo ſervitio apud Conſtantiam per magnum tempus ſtetit &c. fidelitatem ipſius uſque reditum ſuum reſpectuavit et reſtituit temporalia 15 Maii. 1 *Pat.* 3 H. 5. m. 18.

[s] Bullâ tranſlationis datâ apud Florentiam 20 Nov. 1419. *Regiſtr. Chichl.* f. 8.

[t] "Quae de Jacobi Cary ſucceſſione et poſt "breve tempus Exon. tranſlatione Godwinus habet, rejicienda ſunt. Eodem enim die, quo Johannes Coventr. et Lichf. "Epiſcopus ad Eccleſiam Exon. tranſlatus eſt, ſc. 20 Nov. 1419, Papa Epiſcopatum Coventrenſem Willelmo Heyworth "contulit. *Eccleſiam Coventr. et Lichfeld.* (ipſiſſima ſunt Bullae verba) *ideo vacantem, quod nos hodie venerabilem fratrem* "*Johannem Exon. tunc Lichfeld. et Coventr. Epiſcopum, apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, ad Eccleſiam Exon. tunc vacan*"*tem duximus transferendum, contulimus Willelmo Abbati Monaſterii S. Albani.*" *Angl. Sacr.* V. 1. p. 452. Not. f.

[u] Electus Ceſtrenſis Cuſtodiam habet Temporalium 15 Apr. *Pat.* 8 H. 5. m. 27. Huc tranſlatus eſt ex Abbatia S. Albani Bulla Martini Papae 12 Kal. Dec. 1419. Et Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 28 Nov. 1420. (non conſecratus, ut ait Godwinus, Dies enim non fuit Dominica.) *Regiſtr. Chichl.* f. 30.

[x] Conſecratus in Capella D. Epiſcopi Londin. apud Fulham. *Whitlocke.*

[y] Anno 1434 ivit ad Concilium Baſilienſe. *Regiſtr. Chichl.*

[z] Obiit 13 Mar. 1446, et legavit Monaſterio S. Albani centum libras et ultra, viz. ad aedificationem clauſtri quadraginta libras, et pro cappis viginta, duo pelves argenti, duo candelabra, et magnum thuribulum de argento, et quadraginta marcas ad aedificationem duorum tenementorum in villa. *Monaſt. Anglic.* T. 1. p. 275.

[a] Licentia eligendi conceſſa eſt 28 Apr. 2 *Pat.* 25 H. 6. m. 30. Temporalia reſtituta ſunt 3 Junii. *Ib.* m. 29.——Canonicus Lond. et Rector Eccl. de Preſcott in Comitatu Lancaſtriae, proviſus eſt à Papa 26 Apr. 1447. *Regiſtr. Stafford.* f. 26.

[b] Tranſlatus à Carleol. 30 Aug. 1452; Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 15 Oct. 1452. *Regiſtr. Kemp.* f. 214. Temporalia ſunt reſtituta 6 Sept. 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 12.

[c] Menſe Octobri. *Angl. Sacr.* p. 453.

LIX. REGINALDUS BUTLER.

REGINALDUS BUTLERUS Abbas Gloceſtrenſis[d], Herefordenſis 1453. Hen. 6. 31. ſacratur Epiſcopus 1450, et tertio Aprilis 1453[e] huc transfertur, ubi ſedit annos ſex. Ex Butlerorum inſignibus gentilitiis, et Epitaphio quodam manco in marmore inciſis, quod reperi forte fortuna in medio Presbyterii Herefordenſis, ibi hunc Butlerum ſepultum conjicio[f].

LX. JOANNES HALSE vel HALES.

JOANNES HALSIUS[g] ſive Haleſius Collegii Orielenſis Oxoniae 1459. Hen. 6. 38. Praepoſitus, et ejuſdem egregius benefactor, menſe Novembri conſecratus[h] 1459, ſedit annos 31. Obiit[i] Sept. 30. 1490, et in ſua Eccleſia jacct tumulatus.

LXI. GULIELMUS SMITH.

GULIELMUS SMITH[k] conſecratus[l] 1492. Sedit annos quatuor *1493. Hen. 7. 8. et Lincolniam tranſlatus eſt[m].

LXII. JOANNES ARUNDELL.

JOANNES ARUNDELL, Oxonienſis, conſecratus 1496[n], et Exo- 1496. Hen. 7. 12. niam tranſlatus eſt 1502[o].

LXIII. GALFRIDUS BLYTHE.

GALFRIDUS BLITHUS[p] legum Doctor, Collegii Regii Canta- 1503. Hen. 7. 19. brigiae alumnus[q], conſecratus eſt ſeptimo Septembris[r] 1503. Anno

---

[d] Conceſſa eſt licentia eligendi 17 Dec. 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 12.

[e] Huc tranſlatus eſt à Nicolao Papa, Bullâ Proviſionis datâ 7 Febr. 1452. Profeſſionem fecit apud Fulham 4 Apr. 1453. *Regiſtr. Kemp.* f. 215. Bullâ tranſlationis pridiè receptâ. *Whitlocke.* Temporalia verò reſtituta fuere 26 Martii 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 4.

[f] In Eccleſia Lichfeldenſi ſepultus jacet; ut patet ex ultima voluntate ſive teſtamento dat. 23 Mar. 1458, et probat. 10 Apr. 1459. *Lib. Stokton.* qu. 124. *MSS. Anſtis* et *Br. Willis.*

[g] Reginaldo defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 21 Apr. 1 *Pat.* 37 H. 6. m. 2. Nihilominus proviſus eſt à Papa Joannes Haleſius è familia Haleſiorum de Kenedon Com. Devoniae.

[h] Conſecratus 25 Nov. 1459. Temporalibus à Rege prius reſtitutis 31 Oct. 2 *Pat.* 38 H. 6. m. 4.

[i] Obiit 30 Dec. 1490. *Regiſtr. Morton.*

[k] Decanus Capellae Regiae S. Stephani Weſtmonaſt. et Archidiaconus Surreiae, poſt electionem legitimam proviſus eſt, à Papa Alexandro ſexto, Octobris primo 1492. *Regiſtr. Morton.* f. 16. Praeficitur per Regem Henr. 7. Arthuri Principis Conciliariis.

[l] Licentiam habet conſecrationis extra Eccleſiam Cantuar. 30 Dec. 1492. *Regiſtr. Cant.* Temporalia reſtituta ſunt 29 Jan. ejuſdem anni. 1 *Pat.* 8 H. 7. m. 6. et conſecratus eſt 2 Apr. ſequentis.

[m] Anno 1495 exeunte.

[n] Nov. 6. *Regiſtr. Cant.* Rector fuit de Sutton-Courtney Comit. Bucks. Et Canonicus Windeſorae.——Temporalium habet cuſtodiam 14 Jun et reſtituta ſunt 18 Sept. 1496. *Rym. Foed.* T. 12. p. 631, 645.

[o] Jun. 29. 1502. *Regiſtr. Cant.*

[p] Joannis Epiſcopi Sarisburienſis frater, et Thomae Rotheram Archiepiſcopi Ebor. è Sorore nepos. Natus apud Norton Comit. Derbiae, plebeii filius. *MS. Coll. Jeſ. Cantabr.*

[q] Aulae Regiae apud Cantabr. Praefectus, quam ſimul cum Epiſcopatu tenuit. Canonicus et Decanus Eboracenſis; ad Ladiſlaum Hungariae Regem conſtitutus eſt Nuncius ſpecialis 27 Maii 1502. *Rym. Foed.* T. 13. p. 4.

[r] Conſecratus eſt menſe Septembri, ſed non ſeptimo die, dies enim ſeptimus non fuit dominicus, nec viceſimus ſeptimus quem poſuit Whitlocus. Hoc verò patet, è *Regiſtr. Cantuar.* licentiam conſecrandi conceſſam eſſe 28 Apr. 1503, et conſecratum eſſe Galfridum à Richardo Winton. Epiſcopo, Sede Cantuarienſi vacante. ——— Temporalia habet cuſtodienda 10 Apr. et reſtituta ſunt 26 Sept. 1503. *Rym. Foed.* T. 13. p. 56, 87.

1512 ab Henrico octavo conſtitutus eſt Walliae Praeſes; quod muneris adminiſtravit ad annum 1524[s]: quo tempore mortuus videtur[t]. Aedes pulchras is conſtruxit Choriſtis Eccleſiae ſuae[u]. Anno 1523 perduellionis [accuſatur] ſed foeliciter abſolutus[x].

LXIV. ROLANDUS LEE.

*1534. Hen. 8. 25. ROLANDUS LEE[y] legum Doctor Cantabrigienſis[z], conſecratur 19 Aprilis 1534[a]. Matrimonium is auſus eſt[b] celebrare inter Henricum octavum Regem et Annam Bolenam, Elizabethae Reginae matrem, Catharina Hiſpana (prima uxore) vivente, cùm divortium ejus à Rege Pontifex non probaſſet. Sed et hanc ob rem nomen ejus (apud noſtros praecipue Wallos) celebre eſt, quod ſub eo Praeſide, et illius fortaſſis magna ex parte opera, Wallia in eandem corporis compagem cum Anglia coaluit, iiſdem legibus gubernari coepta, eorundemque jurium uſquequaque facta particeps authoritate Parliamentaria: Quo vix quicquam foelicius huic genti contigiſſe confitemur. Walliae adhuc Praeſes[c] deceſſit anno 1545, et Salopiae tumulatus eſt.

LXV. RICHARDUS SAMPSON.

*1542. Hen. 8. 34. RICHARDUS SAMPSON legum Doctor[d] et Capellae Regiae Decanus[e], in Epiſcopum Ciceſtrenſem conſecratus eſt anno 1537. Inde Martii duodecimo 1543 Lichfeldiam transfertur[f]. Dum adulator pro aſſerendo Henrici Regis ſui primatu pauca voluit ſcriptitare, [Polum et] Cochlaeum in ſe concitavit. Scripſit etiam in quoſdam Pſalmos, et [in] Epiſtolas Pauli ad Romanos Corinthioſque Commentarios. Anno 1539 in Arcem Londinenſem conjectus eſt, quod pecuniâ juviſſe vinctos quoſdam, et eam ob cauſam carceri mancipatos, quod de primatu Regis haud recte ſentirent. Statim ut huc tranſlatus eſt, Walliae factus eſt Praeſes[g], eoque functus eſt munere ad ſecundum Edwardi ſexti; quo tempore (licet antea Pontificem impugnarat) Pontificiis partibus ſe addictum non diſſimulavit. Obiit apud Eccleſall Septembris 25. 1554.

LXVI. RADULPHUS BAINUS.

1554. Mar. 2. RADULPHUS BAINUS ſacrae Theologiae Doctor, patria Eboracenſis, et in Collegio Divi Joannis Cantabrigiae educatus (qui Hebraicae linguae reſtaurator egregius, et ejuſdem Lutetiae Profeſſor extitit

---

[s] Ita *MS. Moor,* num. 388 *in Biblioth. Regia Cantabr.*

[t] Obiit Londini, et Lichfeldiae ſepultus jacet. Hanc rexit Eccleſiam per 32 annos. *Whitlocke.* Adhuc in vivis menſe Maio 1531, et mortuus biennio nondum completo, *MS. Not. Br. Willis.*

[u] Nec non Capellam Nortonae, ubi parentibus tumulum ſtatuit alabaſtrinum, et Cantariam ordinavit. *MS. Jeſ.* ut ſupra.

[x] Literae patentes datae 18 Febr. 1508. 24 H. 7. pro pardonatione Galfridi Epiſc. Lichf. extant apud *Rym. Foed.* T. 13. p. 246.

[y] Filius Gulielmi Lee de Morpeth in Com. Northumb. *MS. Anſtis.*

[z] In Hoſpitio S. Nicolai educatus.

[a] Cuſtodiam habet Temporalium 18 Dec. Regium aſſenſum 19 Martii 1533. Temporalia reſtituta 6 Maii 1534. *Rym. Foed.* T. 14. p. 481, 485, 528.

[b] Non ita, ſi authori Antiquit. Britan. fides ſit adhibenda p. 492. *Rex nihilominus Dominam Annam Boleynam,* THOMA CRANMERO *ſacra miniſtrante, uxorem duxit.*

[c] Limitis Wallicae Praefectus fuit à 25 uſque ad 34 Henrici octavi, et in officio moritur. Ita *MS. Moor* ut ſupra. Obiit 24 Januarii anno Epiſcopatus decimo. *Whitlocke.*

[d] Cantabrigiae ex Aula Trinitatis 1512. *Regiſtr. Acad.*

[e] Decanus Eccleſ. D. Pauli Lond. nec non Lichfeldiae et Windeſor. conſecratus Epiſcopus Ciceſtr. undecimo Junii 1536. Decanatum London. in commendam tenuit.

[f] Electus eſt 19 Feb. et confirmatus 9 Martii 1542. *Regiſtr. Cranmer.* f. 278. Regium habet aſſenſum 3 Mar. et Temporalia reſtituta 14 ejuſdem menſis *Rym. Foed* T. 14. p. 767.

[g] Anno 35 Hen. octavi *MS. Moor.* num 388. in *Bibl. Reg. Cant.*

Regius [h], cùm ſub Franciſco primo bonae literae refloreſcerent) in Epiſcopum hujus ſedis conſecratus eſt anno praedicto 1554 [i] nondum evoluto. Cùm annos ſediſſet vix quinque ſub Elizabetha Regina exauthoratus eſt [k], et mox calculi doloribus excruciatus interiit [l]. Sepultus jacet Londini in Eccleſia S. Dunſtani.

* * *

LXVII. THOMAS BENTHAM.

THOMAS BENTHAM [m] in Collegio Magdalenenſi Oxoniae educatus [n], et conſecratus 24 Martii 1559 [o]. Obiit 21 Februarii 1578 [p]. 1559. ELIZ. 2.

* * *

LXVIII. GULIELMUS OVERTON.

GULIELMUS OVERTON ſacrae Theologiae Doctor, in praedicto *1580.
Magdalenenſi Collegio educatus ſucceſſit [q], et ſub initium Aprilis [r] ELIZ. 22.
1609 defunctus eſt.

* * *

LXIX. GEORGIUS ABBOT.

GEORGIUS ABBOT ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Wintonienſis (de quo inter Cantuarienſes plura) conſecratus tertio Decembris 1609 [s]. Londinum tranſlatus eſt [t] anno nondum circumacto, et paulo poſt Cantuariam [u]. 1609. JAC. 7.

* * *

LXX. RICHARDUS NEILE.

RICHARDUS NEILUS Epiſcopus Roffenſis ſucceſſit, huc tranſlatus ſub exitum Septembris [x] 1610, et hinc deinde poſt biennium Lincolniam migravit [y]. 1610. JAC. 8.

---

[h] Vide *Rami Schol. Mathemat*. p. 14. Edit. Baſ. 1569. [i] Die 18 Novembris, in aedibus Londin. Epiſc. apud Londinum. Licentiâ eligendi prius datâ 25 Oct. 1554. Regium etiam habuit aſſenſum 10 Nov. Temporalia reſtituta 6 Dec. *Rym. Foed*. T. 15. p. 407, 410. [k] Anno 1559. Spiritualia ſeiſita à Decano et Capitulo Cantuar. 24 Jun. 1559. *Regiſtr. Cant*. [l] Novemb. 18 Iſlingtoniae deceſſit juxta Londinum. *Whitlocus*. [m] Honeſtis parentibus natus in villa Sherborn in Com. Ebora. *Id*. [n] Londini creatus eſt S.T.P. una cum Joanne Parkhurſt Epiſc. Norwic. Gulielmo Downham Ceſtrenſi, Ric. Davys Menevenſi et Joanne Beſt Carleolenſi, per Laur. Humphredum S. T. P. et Joan. Kennall L. L. D. ab Univ. Oxon. ad id muneris deputat. 30 Oct. 1566. ut in *Regiſtr. K. K.* f. 36. b. *MS. Wood*. [o] *Regiſtr. Parker*. Vol. 1. f. 61. [p] Obiit apud Eccleſhall Comit. Stafford. et ſepultus in Cancello ejuſdem Eccleſiae.——— Regnante MARIA exul Baſiliae vixit; clanculum verò revertitur ſub finem illius Regiminis, et ab ELIZABETHA Regina factus eſt Epiſcopus anno regni ſecundo.——De Thoma noſtro ſic ſcribit *Whitlocus*; *Vir fuit in omni genere Doctrinae foeliciter educatus infra Academiam Oxonienſem, ibique Theologiam profeſſus, inque tranſmarinis Academiis per certos annos foeliciter in ſtudiis verſatus, Linguae Sanctae callentiſſimus, Graeci non minus quam Latini ſermonis peritus* &c. [q] Eccleſiae Ciceſtrenſis Theſaurarius, Conſecratus eſt 18 Sept. 1580. *Regiſtr. Grindall*. [r] Aprilis nono 1603. *Br. Willis*. [s] *Regiſtr. Bancr*. f. 96. [t] Januarii 20. 1609. *Ibid*. f. 103. [u] Aprilis nono 1611. *Regiſtr. Abbot*. f. 1. [x] Confirmatus eſt Dec. 6. 1610. *Regiſtr. Bancroft*. f. 116. [y] Febr. 18. 1613. *Regiſtr. Abbot*. f. 34. et poſtea Dunelmum, Winton. et Eborac.

LXXI. JOANNES OVERAL.

1614. Jac. 12. JOANNES OVERALL[z] ſacrae Theologiae Doctor, atque facultatis ejuſdem in Academia Cantabrigienſi publicus Profeſſor[a], Collegii ſanctae Trinitatis ibidem Socius aliquando, et Aulae S. Catharinae Praefectus, qui Alexandro Nowello viro graviſſimo et Theologo ſummo in Eccleſiae Paulinae Decanatu ſuccederet, habitus eſt digniſſimus; omnium bonorum ſumma cum gratulatione, in Epiſcopum Coventrenſem et Lichfeldenſem conſecratus eſt tertio Aprilis[b] 1614, et ad Eccleſiam Norwicenſem electionis legitima confirmatione tranſlatus eſt ab hac ſede triceſimo Septembris 1618.

LXXII. THOMAS MORTON.

1618. Jac. 16. THOMAS MORTON Epiſcopus Ceſtrenſis huc transfertur ſexto[c] Martii 1618: et anno 1632, Julii ſecundo, Dunelmum migravit.

* * *

LXXIII. ROBERTUS WRIGHT.

1632. Car. 1. 7. IN ipſius locum Robertus Wright Epiſcopus Briſtolienſis huc tranſlatus eſt viceſimo tertio Novembris 1632[d], jam pluſquam Septuagenarius ſenex, aliquando è Collegio Trinitatis Oxoniae, et deinde Collegii Wadhamenſis Cuſtos: in civiles tumultus incidit Epiſcopi aetas extrema: jurium et privilegiorum Epiſcopalium in ſuperiore Parliamenti domo propugnator cum duodecim fratribus cuſtodiae mandatur, per quatuor menſes Majeſtatis ſc. neſcio cujus laeſae inſimulatus. Inde liberatus, ſed omni officio et beneficio exutus, ad villam Epiſcopalem de Eccleſhall in agro Staffordienſi ſeceſſit, eamque contra perduelles ad extremum uſque defendit, obiit ſub exitum Auguſti 1643, ibique ſepultus jacet.

LXXIV. ACCEPTUS FREWEN.

1644. Car. 1. 19. SUCCESSOR à Rege illico nominatur Acceptus Frewen ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Eccleſiae Gloceſtrenſis, et Collegii Magdalenenſis Praeſes, quo tempore Oxonium à perduellibus arcta obſidione cingeretur, in Collegii ſui Capella conſecratus menſe Aprili 1644. Quod per temporum iniquitatem ſolum licuit, Epiſcopi exauctorati et indotati titulo gaudebat; verum aliquando tandem aliqua virtutum proemia reportavit, à Carolo reſtaurato ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus Octobris quarto 1660.

---

[z] Natus apud Hadleigh in Suffolcia. [a] Whitakero ſucceſſit anno 1596. Rector de Tharſeild et Clothal, opima beneficia in agro Hartfor. Interfuit collatione Hantonenſi. *MS. Ca.* p. 65. [b] *Regiſtr. Abbot.* f. 45. [c] *Regiſtr. Abbot.* p. 1. f. 144. [d] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f 53.

LXXV.

LXXV. JOANNES HACKET.

PER annum jam vacaverat Epiſcopatus, et expectatione publica deſignabatur ſucceſſor Richardus Baxter factionis Presbyterianae Coryphaeus, hac ſcilicet ſive mercede ſive honore in Eccleſiae gremium invitandus. 1661. CAR. 2. 13. Verum cum ille Epiſcopatum renuit, nominatur tandem à Rege Joannes Hacket ſacrae Theologiae Doctor, qui conſecrationis ritus accepit viceſimo ſecundo Decembris 1661 [e]. Collegii Trinitatis Cantabrigiae aliquando Socius, et D. Pauli London. Reſidentiarius: gliſcente bello civili ſancti Andreae de Holborn Rector, aliquot librarum millia collegerat, quibus impenſis reparari poſſet Eccleſia vetuſtate deformata et labefacta; verum iſthaec in honorem Dei donata in uſus militares et Regis optimi oppugnationem convertenda diripuerunt Parliamentarii. Duodecimo Maii 1641 [f], cum Eccleſiaſtica Politeia jam jam eſſet diſſolvenda, novumque neſcio quale regimen in Eccleſia per Presbyteros ſubſtituendum; ille è multis unus delegatus, Cleri Anglicani cauſam coram ſuperiore Parliamenti domo, et tanta quidem cum eloquentia et argumentorum pondere defendit, ut judicum animos mire flexerit, et tantum non à propoſito revocaverit.

Flagrante bello civili ad Rectoriam de Cheam in agro Surriae promotus eſt, quam pro ſingulari ſua clementia, certis ſub conditionibus retinere patiebantur Parliamentarii. Cum ad Dioeceſin Lichfeldenſem acceſſiſſet, in id praecipue operis ſtrenue incubuit, ut Eccleſiam Cathedralem, injuria temporis violatam et labefactatam, novo ſplendore donatam reficeret, et illud quidem ſplendide effectum in eum uſum impenſis circiter viginti millibus librarum. Novem annorum ſpatio, magna cum laude ſua et ſuorum omnium fructu, exacto, obiit viceſimo octavo Octobris 1670, Aetatis ſuae 79, in Eccleſia Cathedrali ſepultus, ubi extat marmor honorarium elogio magnifico inſcriptum.

LXXVI. THOMAS WOOD.

THOMAS WOOD ſacrae Theologiae Doctor Oxonienſis, Lichfeldenſis Decanus in defuncti locum ſufficitur: 1671. CAR. 2. 23. Aedis Chriſti fuit alumnus, quae munificentiae fructus uberes eſt experta. Durante anarchia in Eccleſia et Rep. Anglicana exteras provincias peragravit, ipſe majoribus exteris natus; et aliquot annos in Italia commoratus, paulo ante Carolum reſtauratum in patriam rediit; anno 1663 Decanus Lichfeldenſis conſtitutus, et Julii ſecundo 1671 [g] è Decano Epiſcopus conſecratus. Nihil porro memorabile reperio, niſi id quod memorare piget, ſcil. ob probroſum negligentiae exemplum, continuam non-reſidentiam, et omiſſam penitus Dioeceſeos adminiſtrandae curam, fuiſſe illum à Reverendiſſimo Archiepiſcopo Sandcroft eccleſiaſtico jure exutum. Obiit decimo octavo Aprilis 1692, ſepultus Uffordiae in agro Suffolcienſi.

[e] *Regiſtr. Juxon.* f. 275. [f] *Nalſon. Collect.* V. 2. p. 240. [g] *Regiſtr. Sheld.* f. 83.

LXXVII. GULIELMUS LLOYD.

1692. Gul. et Mar. 4. GULIELMUS LLOYD Epiſcopus Aſaphenſis huc tranſlatus eſt viceſimo Octobris 1692[h]. Poſt annos ſeptem Wigorniam migravit; quo ſub titulo plura de eo memorata reperies.

LXXVIII. JOANNES HOUGH.

1699. Gul. 3. 11. JOANNES HOUGH ab Epiſcopatu Oxonienſi ad Lichfeldenſem tranſlatus eſt quinto Auguſti 1699: et Deceſſoris veſtigia ſecutus ad Wigornienſem itidem migravit Septembris viceſimo octavo 1717: ubi de eo plura.

LXXIX. EDWARDUS CHANDLER.

1717. Geo. 1. 4. HUIC ſucceſſit Edwardus Chandler ſacrae Theologiae Doctor è Collegio Emmanueli Cantabrigiae, conſecratus decimo ſeptimo Novembris 1717; et anno 1730 ab hac Dioeceſi ad Dunelmenſem tranſlatus. Eccleſiae Dunelmenſi etiamnum hodie praeeſt.

LXXX. RICHARDUS SMALBROOK.

1730. Geo. 2. 4. SUCCESSIT Richardus Smalbrook, ab Epiſcopatu Menevenſi tranſlatus, viceſimo Februarii 1730.

---

[h] *Regiſtr. Tillots. f. 96.*

H. Gravelot inv. et delin.
Vivares Sculpsit

De EPISCOPIS SARISBURIENSIBUS.

I. ALDHELMUS[a].

POST mortem Headdae qui Epiſcoporum Wintonienſium fuit ordine quintus, Inae Occidentalium Saxonum Regi[b] viſum in Regione ſibi ſubjecta quae hucuſque unum duntaxat habuerat Epiſcopum, duos conſtituere; alterum nempe qui Wintoniae ſederet, videlicet Danielem; atque Sherbornae alium, qui Dorſetentibus praeeſſet, Somerſetenſibus, Wiltonienſibus, Devonienſibus et Cornubienſibus; quorum provincias Aldhelmo[c] commiſit regendas propinquo ſuo, qui nimirum erat (ſicuti traditur) ejus ex fratre nepos, ſi non (quod aſſerit Capgravius) filius. Hic etiamnum adoleſcens, plurimas Europae regiones peragravit, Galliam inprimis ac Italiam, in Academiis earum non modico temporis ſpatio abſumpto; unde doctiſſimus evaſit, ut multa ſcripſerit, tam Graece quam Latine, Muſices[d] ac Poëtices ſtudio in juventute plurimum delectatus; quarum tamen artium ſcientiae comparandae non adeo unice incubuit, ut inter ſummos ſui temporis Theologos non numeraretur. Reverſus in patriam, cucullum induit Malmesburiae; cujus Coenobii Abbas factus, eo munere functus eſt per annos triginta quatuor. 705.

---

[a] ALDELMUS, *Malmeſb. Huntin. Florent.*
[b] Viceſimo Regni anno. *Huntin.* L. 4 f. 193. b.
[c] *Beda* L. 5. c. 19
[d] *Florent.* p. 684.

Anno vero 705 Sherbornenſis conſecratur Antiſtes, idque (ut videtur) Romae[e]. Memoriae ſiquidem traditum, dum ibi loci haereret approbationem Pontificiam expectans, ſanctiſſimum illum patrem, verum jam patrem, nova prole auctum, et luxuriam hominis reprehendere coram auſum novitium hunc Epiſcopum. Eruditionis ſuae monumenta non pauca reliquit à Balaeo ac Beda commemorata, et vitam cum morte commutavit anno 709 Maii viceſimo quinto[f].

II. FORDHERE[g].

709. SUCCESSIT illi Fordherus, Bedae contemporaneus, *qui in Scripturarum ſacrarum ſtudio hominem bene verſatum tradit*[h]. Anno 738[i] Occidentalium Saxonum Reginam[k], Romam proficiſcentem, comitatus eſt[l].

III. HEREWALDUS[m].

* 739. HEREWALDUS interfuit Synodo[n] per Cuthbertum Cantuarienſem congregatae anno 747, et diploma confirmavit in quo Kinewolfus Occidentalium Saxonum Rex praedia quaedam contulit Eccleſiae Wellenſi anno 766[o].

IV. ETHELWOLDUS[p].

[755.] SUCCESSIT Ethelwoldus[q],

V. DENEFRITH.

[790.] ET illi Denefrith; de quibus praeter nuda nomina nihil comperi[r].

---

[e] A Brithwaldo Archiepiſcopo Dorobern. *Florent.*

[f] *Malmeſb. de Regi.* f. 7. Apud Dultinge in pago Somerſetenſi. *Id.* in Vita Aldelmi in *Angl. Sacr.* V. 2 p. 23.

[g] FORHERE, *Bromt.* FORDERE, *Malmeſb.* FORTHERE, *Beda. Dunelm. Huntin. Weſtmon. Florent.*

[h] L. 5. c. 19.

[i] Anno 737. *Florent.*

[k] Fridegiam. *Huntin.* L. 4. f. 195. et *Weſtmon.*

[l] Iſtius Fordheri Durotrigi vitam ſcripſit Pitſeus. p. 838.

[m] *Malmeſb.* et *Florent.* HERCHENWOLDUS, *Bromt.*

[n] Cloveſhovienſi. *Concil. Angl.* T. 1. p. 94. *Malmeſb. de Pontif.*

[o] *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 186. Sed de hiſce donationibus non eſt ut dubitemus, quin et genuina ſunt Monachorum figmenta.

[p] ETHELMOD, *Malmeſb.* AETHELMODUS, *Florent.*

[q] Succeſſit anno 755. *Iſaacſon.* qua verò authoritate nititur teſtimonium nondum comperi.

[r] Profeſſionem feciſſe videtur Athelardo Archiepiſcopo Cantuar. qui conſecratus eſt A. 793. *MS. Gale.* Electus verò anno 790. *Chròn. Saxon.* Utrum verò Denefrithus profeſſionem fecit electo vel conſecrato adhuc incertum eſt: Tabulis verò Chronologicis prior potius coincidit.

VI.

VI. WILBERTUS[s].

WILBERTUS[t] Romam profectus eſt cum Wulfredo Archiepiſcopo Cantuarienſi anno 815[u]. [798.]

VII. EALHSTANUS[x].

EALHSTANUS bellator fuit ſtrenuiſſimus. Elfrido[y] Regi ſubegit regna Cantiorum et Orientalium Saxonum[z]. Multa praelia foelici Marte depugnavit cum Danis; inter quae praecipue memoratur illud in quo vires eorum plane fregit, ad locum qui nunc Comagia vocatur, tunc vero temporis Pedredſmouth, multis eorum millibus interfectis, anno nimirum 845[a]. Ethelwolpho Rege Romam profecto, Ethelbaldo filio author fuit ut regnum occuparet[b], et reverſum patrem coegit ditionum ſuarum dimidium filio cedere. Deceſſit anno 867[c], cum Sherbonenſi ſedi praefuiſſet annos totos quinquaginta. Homo prudentiſſimus, fortiſſimus, patriae amantiſſimus, et egregie munificus, Eccleſiam ſuam valde locupletavit. * 834.

VIII. EADMUNDUS[d] alias HEAHMUNDUS.

EADMUNDUS, vel Heahmundus, à Danis in praelio occiſus eſt anno 872[f] Mereduni[g]. 868.

IX. ETHELEAGE[h].

DE ſucceſſore ejus Etheleagio nihil memoratur. 872.

X. ALFSY[i].

NEQUE de Alfſio qui illum ſequutus eſt. [875.]

---

[s] *Weſtmonaſt.* WIBERTUS, *Malmeſb.* WIBERTHUS, *Florent.* WIGBERT, *Conc. Angl.* [t] Interfuit Concilio Cloveſhov. A. 803. *Concil. Angl.* T. 1. p. 168. Et iterum anno 824. *Ib.* p. 175. [u] Romam ivit anno 812. *Chron. Saxon.* Et obiit anno 833. *Id.* Interfectus à Danis. *Antiqu. Brit.* p. 104. [x] ELSTANUS, *Hoved.* ALSTANUS, *Malmeſb. Florent.* ALFSTAN, *Huntin. Weſtmon.* ADELSTANUS, *Ingulf.* [y] EGBERTO. [z] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 141. [a] *Chron. Mailr.* [b] *Malmeſb. ib.* [c] *Weſtmonaſt.* Et in Eccleſia ſua ſepultus jacet. *Dunelm. Hoved.* f. 238. b. *Chron. Saxon.* [d] *Malmeſb.* [e] *Florent.* HAMUNDUS, *Weſtmon.* EDMUNDUS, *Huntin.* ALCHMUNDUS, *Mailr.* [f] Anno 871. *Weſtm.* et *Mailroſ.* [g] *Huntin.* L. 5. f. 200. b. MORIDUNUM potius, nunc SEATON. Com. Devon. [h] ETHELEGUS, *Malmeſb.* AETHELHEGUS, *Florileg.* AETHELHEAGUS, *Florent.* [i] ALFSIUS. *Florent.* ALSIUS, *Malmeſb.* Succeſſiſſe dicitur anno 875. *Iſaacſon.*

XI. ASSER.

INTER multa alia ab Aſſerio opuſcula conſcripta, extare dicitur de rebus Britannicis hiſtoria; in qua Cambrobritanni illius celeberrimi Joannis ſe narrat diſcipulum extitiſſe, qui cum Athenis longo tempore bonis literis operam navaſſet, in patriam revertens, Alfredo Regi author fuit, ut Oxoniae Academiam ſive conderet, ſive reſtauraret. Nam ante id temporis, liberalium artium diſciplinas ibi loci viguiſſe ſunt qui contendant, quam vere, mei non eſt inſtituti diſceptare. Dicit etiamnum Amanuenſem ſe fuiſſe vel Cancellarium Aſſerio Menevenſi Archiepiſcopo propinquo ſuo, qui à Regulo quodam in illis regionibus multum potenti nomine Hemeyd exagitatus, magnas ſuſtinuit aerumnas. Cujus rei ratione, patriae ſuae pertaeſus hic noſter Aſſerius, in Angliam venit ad Alfredum Regem, qui liberos ſuos illi tradidit inſtituendos; ac tandem defuncto Alſſio Sherbornenſi Epiſcopo, ſucceſſorem illi ſubſtituit. Ingulfus[k] vero author eſt, Bangorenſem interea Abbatem extitiſſe. Huic Antiſtiti Rex antedictus dedit manneria de Wellington, Buckland et Lidyard in Comitatu Somerſetenſi, quae poſtea, Epiſcopo in Wellenſi Eccleſia collocato, eidem ſunt attributa; quorum mannerium de Buckland ſacrilegium adhuc non ſurripuit. Iſtius porro Praeſulis hortatu, multa Rex contulit Academiae Oxonienſi, unde bonarum artium profeſſoribus ſalaria penderentur. Obiit [l] anno 883, et in Eccleſia ſua Sherbornenſi ſepultus eſt.

SWITHELMUS[m], alias SIGELMUS.

SWITHELMUS[n], vel Sigelmus in ultimam uſque Indiam peregrinatione longiſſima ſuſcepta, ad locum penetravit, in quo conditum perhibetur corpus D. Thomae Apoſtoli; et illuc neſcio quid pecuniae detulit Alfredi Regis nomine pauperibus illius gentis diſtribuendum. Reverſus in patriam, gemmas multas reportavit valde pretioſas.

---

[k] In Ann. 874.

[l] Diem obitus non ante annum 909 ponendum eſſe conſtat. Vid. *Caium de Antiq. Cant. Acad.* L. 1. p. 218. et *Voſſium de Hiſtoricis Latinis* L. 2. c. 39. nec non Cl. *Whartonum in Angl. Sacr.* V. 1. p. 554. *Chron. Saxon.* in annum 910 ponit.—— De ſeptem Epiſcopis uno eodemque die conſecratis à Plegmundo Archiepiſcopo controverſia ab Aſſerii morte decernitur. Quomodo verò, Whartoni verbis narrare fas eſt. "Edwardus Rex et Plegmundus Archiepiſcopus communi conſilio atque authoritate Synodum anno 904 vel ſequenti coegerunt; et in eadem decreverunt, ut tres novi Epiſcopatus in Weſtſaxonia inſtituerentur. Iſti ex parochiis Epiſcoporum Wintonienſis et Scirubernenſis aſſumendi erant. Horum autem Epiſcopatus ipſis viventibus mutilare iniquum duxerunt; praeſertim cum eorum uterque de Rege et Rep. egregie meruiſſet. Rem itaque conficiendam decreverunt, quamprimum hos Epiſcopos è vivis excedere contigerit. Sic etiam olim integra Weſtſaxonia, quae ad Epiſcopi Winton. ditionem ſpectabat, poſt Heddae Epiſcopi obitum anno 703 in duas Dioeceſes diviſa fuerat; atque aliae parochiarum diviſiones ſede Epiſcopali vacante fieri ſolebant. Anno autem 909 commodum accidit, quod uterque Epiſcopus tam Wintonienſis quam Scireburnenſis obierunt. Mercia itidem Auſtralis in Edwardi ditionem anno 906 redacta Epiſcopo carebat; quinetiam Suthſaxonia eodem tempore Paſtore ſuo viduata eſt. Tribus igitur novis Epiſcopatibus in Weſtſaxonia inſtitutis, et Epiſcopis ad quatuor antiquas ſedes tunc vacantes à Rege nominatis, Plegmundus ſeptem ſimul Epiſcopos anno 909 conſecravit."

[m] *Florent.* SIGHELMUS, *Malmeſb.* SWITHELINUS, *Bromt.*

[n] Diſcrepant inter ſe Hiſtorici de Swithelmo. Ad Indiam peregrinaſſe non eſt ut dubitemus; utrum verò Epiſcopus necne nondum conſtat. *Godwinus* conſecratum eſſe dicit anno 883: *Dicetenſis* anno 887: *Tabulae Chron.* ad finem Parkeri annum 884 ponunt —— A *Florentii Continuatore* Swithelmus inter Epiſcopos non numeratur; et è nota ſuperiore conjicere licet eum Eccleſiam Sariſburienſem nunquam rexiſſe.

XII. ETHELWALDUS, al. ETHELWARDUS.

ETHELWALDUS[o], vel Ethelwardus, Oxoniae educatus, unus fuit ex filiis Alfredi Regis natu minoribus. Obiit anno 898.

Poſt Ethelwaldum, ſedes Sherbornenſis propter turbas Danicas ſeptem per annos vacavit. Anno Chriſti 905 Plegmundus Archiepiſcopus, uno eodemque tempore ſeptem ordinavit Epiſcopos, ſicut antea apud Cantuarienſes enarravimus. Ex his vero ſeptem, tres fuerunt quibus novae ſedes aſſignatae, in regionibus à Sherbornenſi ereptis, unus nempe Cornubienſibus praepoſitus, alius Devonienſibus, ac Somerſetenſibus denique tertius. Sed et quartus porro inter Wiltonienſes brevi poſtea collocatus, qui cathedram habuit Wiltoniae nonnunquam, nonnunquam etiam Ramsburiae et Sunningae. De horum ſingulis ſuo loco ſigillatim. Ad Wiltonienſes vero quod attinet, quoniam eo denique tanquam poſtliminio illa Dioeceſis rediit unde primum orta eſt; Epiſcoporum illius ſeriem mox ſubjungam, quamprimum Sherbornenſes expediero.

XIII. WERSTANUS[p].

WERSTANUS[q] à Danis in praelio caeſus occubuit anno 918. * 909.

XIV. ETHELBALDUS[r].

DE Ethelbaldo, qui ſucceſſit, nihil traditur[s]. 918.

XV. SIGELMUS[t].

AUTHOR eſt Florilegus, Sigelmum quendam Sherbornenſem Epiſcopum à Danis praelio caeſum anno 834; quod alicubi mendoſe ſcriptum reperiſſe auguror, ubi reponendum erat 934.

---

[o] Etiam et de Ethelwaldo ambigitur. Diviſionem Epiſcopatus factam eſſe, Aſſerio non Ethelwaldo Epiſcopante, clariſſime conſtat, ſeu potius Aſſerio modo defuncto: Mihi igitur placet conjectura, (Swithelmo et Ethelwaldo rejectis) Werſtanum Aſſerio ſucceſſiſſe, et conſecratum eſſe immediatè poſt diviſionem Provinciae, Anno ſcil. 909.

[p] *Malmeſb.* et *Florent.* WESTANUS, *Dicet.*

[q] Succeſſit et conſecratus fuit à Plegmundo anno 909, et à Danis occiſus 918. *Malmeſb. de Pontif.* L. 2.

[r] *Malmeſb. Weſtmon.* AETHELBALDUS, *Florent.*

[s] Lib. Abendon. f. 22. in Charta Aethelſtani Senatoris de Offentuna——Ego Aethelſtan Senator ſcripto inſerui iſtam terram de Uffentune ad Eccleſiam S. Mariae de Abenduna in diebus Athelſtani Regis: et fuit teſtimonio Kynſii Epiſcopi de Berrucſcyre et Wulfhelmi Archiepiſcopi et Roduardi Epiſcopi et multorum aliorum Epiſcoporum Abbatumque atque Principum qui ibi congregati erant ubi iſta Villa ad Eccleſiam S. Mariae de Abendona conceſſa fuit. Et hoc fuit ſub Aethelſtano Rege circa A. D. 931. uti ex illo libro apparet.——Atque iterum in ſubſcriptione metarum villae de Dumeltun conceſſa ab Ethelſtano Rege Monaſterio de Abendon, ita——*Cynſiʒe Biſcup cum Aelfrico conſenſi et ſubſcripſi.* Kinſius iſte Epiſcopus hic omittitur. *MSS. Wood* et *Barlow.*

[t] Omittitur à Malmesburienſe.

XVI. ALFREDUS[u].

OBIIT Alfredus anno 940[x].

XVII. WULFSINUS[y].

* 966. WULFSINUS Abbas Weſtmonaſterienſis Dunſtani tum Londinenſis Epiſcopi opera creatus[z], ad hanc Eccleſiam ordinatus, Clericos ſeculares inde mox ejecit, et Monachos introduxit. Quae res magnam illi gratiam apud hiſtoricos noſtros comparavit, qui ubique ut hominem ſanctiſſimum magnis laudibus efferunt, ac inter caetera memorant, animam agentem exclamaſſe cum Stephano protomartyre, *video coelos apertos et filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei*, tumque illico expiraſſe, anno videlicet 958.

XVIII. ALFWOLDUS.

OBIIT Alfwoldus 978 et Sherbornae ſepultus eſt.

XIX. ETHELRICUS.

XX. ETHELSIUS.

DE his nihil traditum reperi.

---

[u] *Malmeſb. Florent.* AELFREDUS, *Floril.*

[x] *Weſtmon.* Anno 941. *Florent.*

[y] WILFSINUS, *Malmeſb.* ALSSIUS, *Florent.* ULSIUS, *Weſtmon.* WLSINUS, *Ingulp.*

[z] Dunſtanus fit Epiſcopus Londinenſis anno 958, eodemque anno Wulfſinum noſtrum Abbatem conſtituit Weſtmonaſt. *M. Weſtmon.* Mortuo tum Alfredo Epiſcopus fit Sarisburienſis, ſed hoc non ante annum 966; eo enim anno ſubſcripſit Chartae Edgari Regis hoc modo *Ego Wulſius Abbas S. Petri Weſtmonaſterii extra London ſubnotavi. Ingulp.* f. 501. b. Ponamus igitur conſecrationem hoc in anno; ſed quam diu hanc rexit Eccleſiam maxima eſt inter Hiſtoricos diſcrepantia. Extant enim, ſi genuinae ſint, Conſtitutiones ejus editae anno 998, in *Bibl. Cotton. Otho.* A. 18. Et ſi non ante annum 1004 mortem obierit, quod vult *Dart in vit. Abbatum Weſtmon.* p. 7. hanc rexit Eccleſiam 38 annos. Sed quid tum cum Alfwoldo, Ethelrico, Ethelſio, Brithwino, Elmero, Brinwino et Elfwoldo ſucceſſoribus, de quibus nil niſi nomina refert Godwinus? *Eadmerus* verò p. 160. ALFWOLDUM teſtem producit chartae Edgari Regis Monaſterio Winton. conceſſae anno 966; et qui obiit A. 978, *Florentio* referente. ETHELSIUS obiit anno 980, et Abendoniae ſepultus jacet. *Hiſt. Abend. Coenob.* BRITHWINUS obiit anno 1009. *Weſtmon.* Et ſi ita, neceſſe eſt WULFSINUM obiiſſe ante tempus ſuperius deſignatum. Nihilominus placet conjectura, etſi Hiſtoricis paululum contradicit. HERMANNUS Epiſcopus Wiltoniae hoc ſucceſſit Epiſcopatu anno 1058; ideoque infra ſpatium 52 annorum ſeptem rexerunt Epiſcopi, ordine quo refert Godwinus; tempora verò adminiſtrationum, mihi ſaltem, penitus ignota.

XXI. BRITHWINUS, alias BRITHRICUS.

BRITHWINUS, ſive Brithricus obiit anno 1009.

XXII. ELMERUS.

XXIII. BRINWIN, alias BRITHWYN.

DE quibus praeter nuda nomina nihil habeo quod perſcribam.

XXIV. ELFWOLDUS[a].

ELFWOLDUS, anteceſſoris frater, vir fuit frugalitate et temperantia inſignis, adeo ut ob eam rem in ſeculo tam luxurioſo multum fuerit celebratus. Poſt ejus mortem, Wiltonienſis dioecesis Sherbornenſi, unde fuerat exempta, adjecta iterum et reſtituta eſt[b]. Ibi interim qui ſequuntur ſederunt antiſtites.

I. ETHELSTANUS[c] Wiltonienſis Comitatus Epiſcopus, ſedem habuit [909.]
Cathedralem Ramsburiae[d].

II. ODO[e] Ramsburiae quoque conſedit, unde Cantuariam tranſlatus eſt anno 934[f].

III. OSULFUS Wiltonae cathedram habuit, qui deceſſit anno 970, et [941.]
ibidem jacet ſepultus.

IV. ALFSTANUS[g] Abbas Abindonenſis obiit 981, et Abindonae fuit tumulatus.

V. ALFGARUS, vel WOLFGARUS[h].

VI. SIRICIUS, ad Cantuarienſem Archipraeſulatum tranſlatus eſt anno 989[i].

VII. ALFRICUS vel ALURICIUS, anteceſſori tam Cantuariae quam hic ſucceſſit, tranſlatus anno 995.

VIII. BRITHWOLDUS[k] Monachus Glaſtonienſis [ſucceſſit,[l]] Coenobii Glaſtonienſis et Malmesburienſis benefactor egregius. Obiit anno 1045[m], et Glaſtoniae extitit tumulatus. De illo nonnihil habes apud Brithwoldum Wintonienſem.

---

[a] AELFWOLDUS, *Florent.* ALFWOLDUS, *Malmeſb.*

[b] Tempore Regis Edwardi ab Hermanno Epiſcopo, qui et ſedem Epiſcopalem Saresburiam tranſtulit.

[c] *Malmeſb.* AETHELSTANUS, *Florent.* et *Weſtmon.*

[d] Sunningae [juxta Reading] potius ut docet *Lelandus in Cyg. Cant.* p. 135. Et Sunningae iſti novem conſedunt Epiſcopi, ut illic ex Lelando conſtat.

[e] Ex Dânica ſtirpe progenitus. *Bromt.* p. 838.

[f] Anno 941. vide ſupra p. 50. Aliquanto tempore ſub Edwardo Rege militavit hic Epiſcopus. *Weſtmon.*

[g] Hic inter Abbates Abendoniae non occurrit, niſi nomine Aethelwoldi, qui obiit anno 980 et Abendoniae ſepultus eſt. *Hiſt. Coenob. Abendon.*

[h] Succeſſit anno 981. *Florent.* Sed et *Malmeſb.* et *Florilegus* quartum locum ALGARO aſſignant, quintum ELSTANO.

[i] Vide ſupra p. 53.

[k] *Malmeſb.* BRICTWOLDUS, *Hoved.* BRITHWALDUS, *Mailr.*

[l] Succeſſit, ſed non ante annum 1006, ſi *Chron. Saxon.* fides ſit adhibenda.

[m] Ob. 1045. *Dunelm. Malmeſb. de Pontif.* L. 2. p. 142. *Hoved.* f. 252. *Weſtmon. Mailr.* et *Florent.*

IX. Hermannus è Flandria oriundus, Edwardi Confeſſoris ſacellanus[n], ultimus fuit Epiſcoporum hujus dioecaeſulae, cujus cathedram Malmesburiae collocare magno ſed irrito molimine anniſus eſt; Monachis, poſtquam Rex jam annuiſſet, totis viribus repugnantibus[o]. Quam repulſam ferens aegerrime, relicto Epiſcopatu indignabundus, cucullum induit Bertini in Gallia[p]. Paulo vero poſtea, nunciata Elfwoldi Sherbornenſis Epiſcopi interitu, munus nuper derelictum repetens; non ſine magno labore has duas ſedes uniri, denuoque conjungi curavit[q]. Sed neque tum quieſcens; cum ſedes Epiſcopales Gulielmus Normannus à locis obſcuris ad urbes celebriores transferri juberet; occaſionem arripuit vir mobili (ut videtur) ingenio praeditus, Sarisburiam migrandi[r]. De Epiſcopis igitur Sherbornenſibus et Wiltonienſibus haec hactenus: Et ad Sarisburienſes enarrandos jam accingimur.

SARISBURIENSES
EPISCOPI.

I. HERMANNUS.

[1058.] HANC ſcenam primus ingreditur, ſed nova ſumpta perſona, ille ipſe qui modo poſtremus egreſſus eſt, Hermannus[s], qui ſedem fixit Sarisburiae. Eum locum ſi vis deſcriptum habere, his verbis à Malmesburienſi depingitur[t]: “ Vice civitatis caſtellum eſt, locatum inedito, muro “ vallatum non exiguo, caeteris commeatibus utcunque valens, aquae penuria laborans adeo, ut miſerabili commercio ibi aqua vaeneat. Unde ſic luſit illorum temporum Poeta quidam,

“ Eſt ibi defectus aquae, ſed copia cretae,
“ Saevit ibi ventus, ſed Philomela ſilet.

Et iterum,

“ Quid Domini Domus in caſtro? niſi foederis arca
“ In templo Baalim; carcer uterque locus.

“ Illic tamen Hermannus inchoata novi operis Eccleſia, morte ſenili tempus dedicationis praevenit[u].

II. OSMUNDUS[x].

[1078.] Gul. I. 12. SED et de ſucceſſore ejus ejuſdem ſcriptoris verba quid ni uſurpem? “ Succedente (inquit ille[y]) Oſmundo viro probatiſſimo, Eccleſia “ ad ſummam deducta, et caetera quae competebant adaucta. Clerici

---

[n] *Bromt. Hoved. Floril. Dunelm.* [o] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. p. 142. [p] Anno 1055, et tribus annis in ipſo Monaſterio habitavit. *Weſtmon. Florent.* Sedem hoc modo viduatam adminiſtravit Aldredus Epiſcopus Wigorn. *Bromt. Stubbs.* Recuperavit verò Hermannus anno 1058. *Wigorn. Stubbs.* [q] *Bromt.* 946. *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. p. 142. [r] *Malmeſb.* ib. [s] Romam ivit anno 1050, una cum Aldredo Wigorn. Epiſcopo. *Dunelm.* et *Mailr.* In hoc verò Epiſcopatu ſucceſſit anno 1058. *Dunelm.* [t] *De Pontif.* L. 2. f. 142. b. [u] De tempore mortis hujus Epiſcopi hoc modo diſcrepant Hiſtorici. Deceſſit anno 1076. *Bromt.* 1077. *Wykes. Chron. Saxon.* 1078. *Chron. S. Crucis.* [x] Osmer, *Malmeſb.* ——Epiſcopus fuit Sarisburienſis anno 1078, quo oſſa Aldhelmi primi hujus Dioeceſeos Epiſcopi tranſlata fuere. Ita *W. Malmeſb. in vita Aldhelmi.* [y] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 142. b.

“ undecunque literis inſignes venientes, non ſolum libenter retenti, ſed et
“ liberaliter coacti ut remanerent. Denique emicabat ibi magis quam
“ alias canonicorum claritas cantibus et literatura juxta nobilium. Libro-
“ rum copia conquiſita, cùm Epiſcopus ipſe nec ſcribere, nec ſcriptos
“ ligare faſtidiret, caſtitate praeminens, de cujus virtute mentiri erubeſ-
“ ceret famae volubilitas. Unde fiebat, ut poenitentibus aſperior aequo
“ videretur, dum quod in ſe non inveniret, in aliis durius vindicaret:
“ Ambitionis immunis, ſua ſtulte non perdere, aliena non quaerere, Ab-
“ batias intra dioeceſim ſuam ſitas nulla penſione gravi emungere. Ve-
“ runtamen quaeque mundiali labe contracta, creditur patientia ſua lu-
“ iſſe, diuturno morbo ante mortem tabefactus.

Miror tacuiſſe quae ab aliis abunde teſtata ſubjungam, Oſmundum iſtum ortu Normannum et Sagienſis[z] urbis Gubernatorem, in Angliam cum Gulielmo ſeniore trajicientem Dorſetiae Comitem creatum, ac (ut nonnulli[a] tradunt) Angliae Cancellarium; in numerum etiam illorum, propter ſummam prudentiam, aſcitum qui ipſi ab arcanis et intimis eſſent conſiliis. Eccleſiam ſuam dedicavit anno 1092[b], una cum Walkelino Wintonienſi et Joanne Bathonenſi Epiſcopis, ſed infauſtis avibus: Nam poſtridie, ejuſdem Eccleſiae campanile fulmine tactum conflagravit, quod ab eodem Oſmundo primo quoque tempore ſtudioſe reparatum eſt. Septimo poſt anno vitam ille cum morte commutavit, nimirum tertio[c] Decembris 1099[d], et in Eccleſia ſua ſepultus eſt; qua poſt annos ducentos ad locum commodiorem tranſlata, oſſa etiam illius ibi condita ſunt, in medio videlicet capellae beatae Mariae, ubi ſaxo marmoreo haec paucula vidimus inſcripta, Anno MXCIX. Hoc vero ſilentio praetereundum non eſt, quod inter alia à ſe conſcripta opuſcula, praeter vitam ſancti Aldelmi, primi Sherbornenſis Epiſcopi (non D. Anſelmi, qui decem annis ipſi ſupervixit, quod à Baronio errante falſo traditum) primus fuit author Ordinalis ſecundum uſum Sarum[e]. Poſt mortem, Sanctorum catalogo aſcriptus eſt, et Decembris dies tertius antedictus illius memoriae ſacratus[f].

****

III. ROGERUS.

1107. HEN. 1. 8.

HENRICUM Principem (qui poſtea Rex fuit) fratri Gulielmo ſecundo militantem, contigit in Eccleſiam quandam divertere in ſuburbiis ſitam civitatis Cadomenſis, ut ibi una cum commilitonibus ſacris intereſſet. Rogerus, qui poſtea Sariſburienſem Epiſcopatum et ſummum potentiae locum ſub Henrico antedicto conſequutus eſt, curae ejuſdem Eccleſiae id temporis deſerviebat, exiguo conductus ſalariolo. Hic non ignarus, ſacra militibus quam eſſent cordi, tanta celeritate negotium expedivit, ut miſſificandi finem fecerit pene priuſquam exorſum nonnulli praeſentium ſuſpicarentur. Acclamarunt omnes, militibus tam commodum ſacerdotem nuſquam poſſe reperiri. Unde Princeps leviter et fere jocantis more, caſtra ſua ſequeretur hortatus eſt; id quod ille libentiſſime ſecit. Hic primus homini aditus ad ſummos illos honores quos poſtea conſequutus eſt.

---

[z] Comes Suzae in Normannia. *Vincent. in York.* f. 167. [a] *Bromton.* p. 976. [b] *Hoved.* f. 262. b. Aprilis quinto *Dunelm.* et *Florent.* Charta ejus data apud Haſtings anno 1091. Indictione 14 et quarto Willielmi Rufi. 2 *Pat.* 5 R. 2. m. 27 [c] Quarto. vid. infra not. f. [d] Ita *Chron. Petrob. Dunelm. Florent.* et *Paris.* [e] *H. Knighton de Event. Angl.* L. 2. c. 3. col. 2351. [f] S. Oſmundus poſt 350 annos canonizatus eſt per Calixtum Papam. Bulla data Romae 6 Kal. Mai 1457, et quartus Decembris viz. dies obitus ejus tanquam feſtus in perpetuum obſervatur. Ita in Litera Papae directa Archiepiſcopo Eboracenſi ad obſervandum iſtum diem et obſervari faciend. Sic in *Regiſtr. W. Booth.* Ebor. Archiep.

Quanquam enim literarum vix ullo praeſidio adjutus; animum tamen Principis aſtuta adulatione brevi temporis ſpatio ſic occupavit, homo ſubdolus et in rebus gerendis dexteritatis eximiae, ut ſolus apud illum omnia potuerit. Sed haec ſuis verbis narrabit Malmesburienſis[g] Rogeri contemporaneus. "Inſinuatus eſt primo Comiti Henrico pro prudentia res domeſticas adminiſtrandi, et luxum familiae cohibendi. Fuit enim Henricus ante regnum in expenſis parci animi et frugi, penuria ſcilicet rei familiaris aſtrictus, fratribus Gulielmo et Roberto arroganter eum tractantibus. Cujus cognitis moribus, Rogerus ita eum tempore inopiae demeruit, ut cum ille ſolium regni aſcendiſſet, nihil ei aut parum negaret, quod ipſe petendum putaſſet: Largiri praedia, Eccleſias, Praebendas clericorum, Abbatias integras monachorum; ipſum poſtremo regnum fidei ejus committere. Cancellarium in initio regni, nec multo poſt Epiſcopum Sariſburiae fecit. Rogerus ergo agebat cauſas, ipſe moderabatur expenſas, ipſe ſervabat gazas. Hoc quando Rex erat in Anglia; hoc ſine ſocio et teſte quando (quod crebro et diu accidit) morabatur in Normannia." Sic in *Hiſtoria Novella*. De *Regibus* libro quinto ſic deinde[h]: "Sategit iſta fieri Henricus non neſcius, quod fideliter ſua commoda tractaret Rogerus: Nec defuit ille ſpei Regiae; ſed tanta integritate, tantaque agebat induſtria, ut nulla contra eum conflaretur invidia. Denique Rex plerunque triennio, nonnunquam quadriennio et amplius in Normannia moratus, illius fidei regni gubernacula reliquit, et eum totius Angliae Juſtitiarium[i] conſtituit."

Haec tanta potentia facultatem illi dedit et ſe et amicos pro libitu locupletandi. Filium ſuum nothum nomine Rogerum, De Paupere-cenſu cognominatum, Angliae fecit Cancellarium[k]: et nepotes ex fratre duos Alexandrum[l] ac Nigellum, Elienſem hunc, Lincolnienſem vero illum Epiſcopum creari curavit[m]. Ob haec tanta beneficia, domino debitam gratitudinem non exhibuit. Gulielmo ſiquidem Henrici Regis unico filio naufragio pereunte; quando, cui ditiones ſuas moriens relinqueret, is aliam prolem non haberet quam Matildem Imperatricem; conſultum ipſi viſum, cunctos regni proceres et optimates ad ſacramentum filiae praeſtandum adigere. Rogerus autem hic noſter, cum non ſolum ipſe in Matildis verba juraſſet, ſed pro munere quo exequebatur, alios permultos non nimium properantes juramentum ſuſcipere coegiſſet: Is tamen, nec pietatis in Deum, nec gratitudinis erga patronum, nec officii erga legitimam principem memor; primus omnium, Henrico Rege mortuo, de Stephano ad regnum evehendo coepit rationes inire, qui illo ſuaſore rem primum aggreſſus, eodem conſultore ex animi ſententia tandem confecit. *Adeoque non eſt veritus incurrere perjurium, ut aliis inſigne pejerandi praeſtruxerit exemplum.*

Quo tempore Henricus vitam cum morte commutavit, Matildem contigit extra regnum cum patre in Normannia moram trahere. Quod ambitioni Stephani magnam feneſtram aperuit. Hinc enim opportunitas data eſt Sariſburienſi et Wintonienſi Epiſcopis (quorum hic Stephani erat

[g] *Hiſt. Nov.* L. 2. f. 104. b.

[h] f. 91. a.

[i] Iſte plurimum ſolicitatus à Rege Henrico primo, non ſe permiſit prius inſtitui Regni Juſtitiarium, quam authoritas ſummi Pontificis, aſſenſus et beneplacitum Anſelmi et aliorum Epiſcoporum ad ſubeundum hoc onus eum impellerent. *MS. Gale.*——*Hunting.* L. 7. f. 219. a.

[k] *Dugd. Catal. Malmeſb.* f. 91.

[l] Alexandrum fratrem Rogeri appellat *T. Wikes in Chron.* ad A. 1123.

[m] *Hunting.* f. 219. a.

frater et Pontificis Legatus, ille vero ſummus Angliae Cancellarius) in ſolio regio collocandi Stephanum, qui ad regnum juris, praeterquam quod umbratica neſcio qua electione acquiſierat, nihil omnino potuit obtendere. Nam ſi propinquitatem ſanguinis ſpectarent; ut de Matilde et filio ejus nihil dicam, Theobaldus Bleſenſis Comes, Stephani frater erat natu grandior. Praeſules tamen, qui ea tempeſtate omnia pro libitu agebant, ſuam potentiam confirmandi cupidi, non alium volebant quam illum imperare; exiſtimantes (ut par erat credere) ſi illius capiti diadema imponerent cui de jure id minime competeret, illum tanto beneficio obſtrictum, ipſorum ornandorum et amplificandorum cauſa nihil non facturum. Quod ad ſacramentum attinet Matildi praeſtitum; poſtquam ſine procerum conſenſu extero illa nupſiſſet, eo jam amplius non teneri contendebat hic bonus Epiſcopus. Quantumvis mortalium oculis caliginem offundere potuit hujuſmodi excuſatio, Deum certe immortalem non fefellit, qui has iſtorum molitiones, illorum plurimis vertit in perniciem.

In ipſis regni primordiis Stephanus, ut ſe contra vim externam muniret, facultatem dedit omnibus qui vellent arces conſtruendi: Unde factum eſt, ut ſub paucorum annorum tum proxime ſequentium curriculo, arces per Angliam novae conderentur (quod mirere) 1117. Epiſcopi vero (ac inprimis quidem iſte noſter Rogerus) ſtructurarum ſuarum ſplendore et magnificentia, alios cunctos multis paraſangis anteivere. Ut de caeteris ſuo loco agamus, (prout partim jamdudum egimus) tantum pecuniae hic profudit in unius Diviſenſis arcis ſtructura, ut qui hodie parietinas ejus contempletur, non miretur hercle, quod ab illorum temporum ſcriptoribus pro aedificio celebretur, univerſae Europae ea tempeſtate magnificentiſſimo. Praeter illam vero, duas extruxit alias, Malmesburiae unam et Sherbornae alteram, quae ceu firmitatem ſpectes, ceu ſplendorem et ornatum, Diviſenſi illi vix cedebant[n]. Multum porro impendit etiam in Sarisburienſi ſuo caſtro reficiendo, ac novo muro circumdando. "Fecit "his in locis (inquit Malmesburienſis[o]) aedificia ſpatio diffuſa, numero "pecuniarum ſumptuoſa, ſpecie formoſiſſima: Ita juſte compoſito ordi"ne lapidum, ut junctura perſtringat intuitum, et tota maceria unum "mentiatur eſſe ſaxum." "Ad tollendam ejus extructionis invidiam (ut "loquitur Newbrigenſis*) et quaſi expiandam maculam, duo inſtituit coe"nobia et collegis religioſis implevit." Quaenam vero ea fuerint, à nemine opinor traditum eſt. "Sed deinde Eccleſiam etiam ſuam Sarisbu"rienſem (Malmesburienſem audis[p]) et novam fecit, et ornamentis exco"luit, ut nulli in Anglia ceſſerit, ſed multas praeceſſerit."

Verum infirmiora erant haec ſacrorum aedificiorum antidota, quam ut adverſus invidiae venenum eum potuerint tueri. Siquidem non deerant permulti, quibus inviſa erat tanta hominis potentia et foelicitas, qui ſugillarent eum apud Regem (credulum adverſus eum cui tam multum debebat) tanquam animo in hoſtem ejus Imperatricem propenſiori; ejuſque protegendae cauſa has munitiones tantis operibus firmatas voluerunt credere. Alii vero de inopia ſua eum ſubmonentes, haud alio pacto rectius eam ſublevandam contendebant, quam loculos deripiendo deliri ſacerdotis, qui jam prae aetate ſuis rebus uti non poſſet. Sive metus et de fidelitate Epiſcopi dubitatio hoc effecerit; ſive avaritia et divitiarum ejus cupiditas; ſive ut inſigni atrociſſimaque injuria beneficii non penſabilis debitum exolueret: Homini de ſe tam praeclare merito, eripuit certe per vim, et arces tanto ſumptu à ſe nuper extructas, et pecuniam et ſupellectilem omnem, ipſamque adeo denique libertatem, et in carcerem (ad tempus ſaltem) eum conjecit. De Scotis et Gallis, necnon de Imperatrice, nonnullas nuper reportarat victorias; et inde, ſolium ſuum ab initio nutabundum, jam ſatis firmatum ac ſtabilitum exiſtimans; ſuis viribus confiſus, tali amico tantam injuriam inferre non eſt veritus; id quod illi tam magnam conflavit invidiam, ut parum abfuerit quin exitii ipſi cauſa extiterit, ſicuti Annales noſtros evolventi facile patebit.

---

[n] *Huntin.* L. 8. f. 223. [o] *De Regib.* L. 5. f. 91. a. * Lib. 1. p. 20. [p] *Ib.*

Oxoniae Concilium indicitur, quo Epiſcopos omnes (ac hunc noſtrum inprimis) accerſitos venire oportuit. Is vero quaſi mala futura praeſagiret, invaletudinem cauſatus ac infirmitatem propter aetatem ſenilem, aliquandiu tergiverſatus eſt. « Audivi ipſe (inquit Malmesburienſis[q]) verba « eum dicentem in hanc ſententiam: *Per Dominam meam S. Mariam,* « *neſcio quo pacto reluctatur mens mea huic itineri. Hoc ſcio, quod ejus* « *utilitatis ero incuria, cujus eſt equinus pullus in pugna.*" Sed erat omnino in fatis, ut erga patronum tam beneficum ingrato, ultor contingeret ille, qui ipſius ingratitudinem ſua puniret, ille inquam ipſe qui regnum eo quaſi donante acceperat. Quid fit igitur? excuſatio non admittitur, venire oportet. Difficilia eſſe tempora, res magnas tractandas, ipſi multum rerum uſum, nec quenquam omnium exiſtere in cujus conſilio Rex potius velit acquieſcere. Et hoc certe verum eſt, omnia hucuſque ejus nutu libenter Regem feciſſe. Nam ex propinquis ejus alterum conſtituit Theſaurarium, alterum vero Angliae Cancellarium et ipſi petenti burgum contulit de Malmesburia; ſolitus quandoque dicere, (ut habet Malmesburienſis) *per naſcentiam Dei, medietatem Angliae darem ei ſi peteret, donec tempus pertranſeat: Ante deficiet ipſe in petendo quam ego in dando.* Nuper ſane ab aula ſe videbatur neſcio quo modo ſubduxiſſe, corpus invalidum et ſenecta debile aulicis laboribus impar dictitans. Et Rex, alienati à ſe animi id interpretabatur indicium. Cui rei viſa aſtipulari aemulatio, vel potius dixerim ſimultas inter illum et Wintonienſem Regis fratrem exorta.

Quapropter ut cunctantem et cautum ſenem in retia pertraheret, honorificis verbis per nuncios compellat abſentem, et blandiſſimis excipit venientem; ſed clanculum concitari curat tumultum inter famulos Epiſcoporum et Alani Comitis Britanniae. Convitiis et maledictis res primo geritur, mox gladiis. Satellites Alani fugati, cum, ſemeſis epulis relictis, ſe omnes proriperent Epiſcopi familiares, qui numero (ut videtur) Alanianos multum ſuperabant: attamen victoriam incruentam non reportarunt, multis ſauciatis et uno etiam ſuorum occiſo[r]. Rex jam occaſionem nactus ſperatam, Rogerum accerſit, nepotes item Epiſcopos et filium ejus. Mandato parent caeteri. Elienſis, quo haec tenderent ſubodoratus, profugit et arci Diviſenſi ſe includit[s]. Sarisburienſis interim, Lincolnienſis, et Rogerus Epiſcopi filius, arctiſſimae protinus traduntur cuſtodiae[t]. Tum arces jubentur reddere; quod quantumvis inviti, prompte tamen fecerunt. Solus Elienſis, Diviſenſis caſtelli deditionem facere abnuit[u]. Qua re nunciata, advolat continuo Rex, vinctos ſecum ducens Epiſcopos et Rogerum nuper (neſcio etiam an non et tunc temporis) Cancellarium. Et quid tum facit? In conſpectu Elienſis patibulum erigitur, Rogerus producitur antedictus, Epiſcopi filius; in quem patre coram, mortis ſertur ſententia, niſi mandato Regio ab Elienſi mos continuo geratur[x]. Ille vero, ſive quod ſibi metueret à Rege ſi deditionem faceret; ſive ſperaret Regem ſuapte natura ſatis clementem (neque enim legitur in tam diuturno bello civili, procerum quenquam morte multaſſe) in juvenem inſontem tanta crudelitate jam non graſſaturum; Sariſburienſi patruo quantumvis obſecrante ut conſobrini in tanto periculo conſtituti vellet miſereri; pertinaciter nihilo ſecius in contumacia perſiſtit. Quare patibulum miſer plectendus jubetur conſcendere, cervici reſtis feralis aptatur, et ad mortem ſe jamjam dejiciendus componit, quando pater, qui maluit potius millies perire, quam filium videre ab infoelici arbore pendentem; ut bona fide ſe agere demonſtraret Regi, qui ſimulate cum nepote rem gerentem colludere Sariſburienſem voluit ſuſpicari; juramento ſe obſtringit, nihil poſthac ſe guſtaturum, donec Regi arx dedatur; ſed inedia periturum (Regi ita ſi viſum fuerit) ab immerita filii nece modo vellet temperare. Placet haec conditio, et à patibulo juvenis deducitur. Sed tridui jejunio patruum macerari, paſſus eſt nepos inexorabilis, donec tandem quamvis aegre et multum invitus manus dat[y].

---

[q] *Hiſt. Nov.* L. 2. f. 102. b. [r] *Malmeſb. Ib.* [s] *Florent.* ad annum 1139. [t] *Hoved.* f. 277. b. et *Malmeſb. ib.*
[u] *Gervaſ. vit. Archiepiſc.*

Direpta arce, inventa ſunt ibi repoſita pecuniae numeratae quadraginta millia marcarum*, praeter auri, argenti caelati, et gemmarum, immenſam copiam. "Quo facto claruit (inquit Neubrigenſis) ex vi doloris, quantum ejus cor infecerit mundani virus amoris. Nam juxta veraciſſimam beati Gregorii ſententiam, quantum cum habentur temporalia haeret amor, tantum cum ſubtrahuntur urit dolor. Grandaevus Epiſcopus, ex eorum amiſſione in quorum extructione vel congeſtione Dominum vehementer offenderat, vi doloris abſorptus, atque in amentiam verſus, ita ut indecentia vel faceret vel diceret; perſpicuo Dei judicio, vitam longo tempore ſplendidiſſimam, infoeliciſſimo fine concluſit." Sive ex moerore, ſive ex inedia tam longa, in quartanam certe febrim (morbum ſenibus funeſtum) incidit adulta jam aeſtate, unde ad quartum uſque Decembris contabeſcens, extinctus eſt. Inter tot clades nihil gravius tuliſſe viſus quam hoc; quod cum morti ſe vicinum ſentiens, quicquid uſquam nummorum, aut argenti caelati reliquum haberet, id totum deſtinatum ad Eccleſiae ſuae ſtructuram perficiendam, ſuper altare Eccleſiae praedictae collocaſſet; id etiam ereptum et aſportatum audiverit.

Ad Rogerum quod attinet filium ejus, in carcere longum is tempus peregit, et libertate propoſita ſi Regiis partibus vellet ſe addicere, conſtantiſſime recuſavit. Magni tandem muneris loco multis precibus impetravit, ut in exilium pelleretur. Sed abſolvamus tandem hunc Epiſcopum, qui electus decimo tertio Aprilis[z] 1102, et conſecratus undecimo Auguſti[a] 1107 una cum aliquot aliis, obiit quarto Decembris[b] 1139. Ita ut â prima electione ad mortem, triginta et octo ferme anni interceſſerint.

---

[x] *Huntin*. L. 8. f. 223.

[y] *Gerv. vit. Archiep.*

* *Bromt*. p. 1027.

[z] Anno 1102. *Florent. Dunelm. Annal. Margan.* In feſto S. Michaelis. *Hoved*. f. 269. a. *Eadm*. p. 66. Decimo tertio Aprilis, *Weſtmon.*

[a] Conſecratus eſt ab Anſelmo Cantuar. Archiepiſcopo undecimo Auguſti 1107. ita plerique omnes, excepto *Malmeſb.* qui decimum aſſignat: undecima verò fuit dies dominica.

[b] Obiit anno 1139. *Hoved*. f. 277. b. *Chron. Petrob. Johan. Haguſt. Pariſ.* Decembris quarto. *Florent. Gerv. vit. Archiep.* undecimo die. *Malmeſb. Hiſt. Nov.* L. 2. f. 104. Et in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

IV. JOCELINUS[c].

[1142.] STEPH. 7. ROGERO defunctو, Rex annisus eſt Philippum[d] quendam ſufficere, Cancellarium ſuum[e]. Sed tam Legato Pontificio quam Clero Sariſburienſi renitentibus, deſtitit ab incoepto, et Philippo antedicto Baionenſem Epiſcopatum deferri curavit. Tum multos per annos Praeſule haec ſedes caruiſſe viſa, niſi forte (cujus rei tenue reperi veſtigium) Galfridus quidam hac tempeſtate ea eſt potitus. Verum quia fidenter aſſerentibus aequum eſt aſſentiar, niſi certi aliquid poſſem afferre; Rogero proximus ſucceſſor (quanquam longo ut videtur intervallo) eſt conſtituendus Jocelinus[f] patria Longobardus, qui cum annos quamplurimos Eccleſiae huic praefuiſſet, obiit anno 1184, Monachi Ciſtercienſis habitu prius ſuſcepto[g]. Huic filius erat nomine Reginaldus, Bathonenſis et Wellenſis primum, ac Cantuarienſis deinde (quanquam exiguo ſane tempore) Antiſtes.

V. HUBERTUS WALTERUS.

1189. RIC. 1. 1. NOVEMBRIS primo[h] 1189 Hubertus cognomento Walterus Eboracenſis Decanus in Epiſcopum Sariſburienſem conſecratus eſt. Richardum primum Regem in celeberrima illa expeditione adverſus Saracenos anno 1191 ſuſcepta comitatus eſt. Qua de re vide plura apud Cantuarienſes[i]. Cantuariam nempe is tranſlatus eſt anno 1193.

VI. HEREBERTUS PAUPER.

[1194.] RIC. 1. 5. HEREBERTUS cognomento Pauper conſecratus eſt[k] anno 1194, nonnullis ut videtur Robertus nuncupatus, de quo, praeterea quod Archidiaconus fuerit Cantuarienſis, nihil comperi memoratum[l].

---

[c] Praeceſſit Innocentius quidam, teſtis adhibitus inſtrumento, una cum Roberto Bathonienſi, Roberto Exonienſi, Gilberto Herefordenſi et Nicolao Landavenſi Epiſcopis; ut apparet è *Regiſtr. magn. albo apud Ebor.* f. 67. perperam verò producitur hoc inſtrumentum; Gilbertus enim Heref. Epiſc. non conſecratus eſt ante annum 1147, quo tempore Jocelinus multos per annos hanc rexiſſet Eccleſiam.

[d] Philippus de Harecourt Lincoln. Decanus. *Neuſtria pia.* p. 233.

[e] *Florent.* A. 1140.

[f] Joſcelinus de Bailul Archidiaconus Wintonienſis conſecratus eſt A. 1142. *Annal. Marg. Annales verò veteres MS.* à Wood laudat. annum 1141 aſſignant.—— Unus fuit ex iis quos Archiepiſcopus Becketus anathemate mulctavit anno 1166. *M. Paris* ad annum. Iterumque excommunicatus eſt ab eodem anno 1170, quod coronationi Henrici Junioris aſſenſum praebuiſſet in praejudicium Eccleſiae Cantuarienſis. *Bromt.* col. 1062. Seu potiùs ab ipſo Papa. *Hoved.* f. 296. b.

[g] Epiſcopatu dimiſſo anno 1184, factus eſt Monachus Ciſtercienſis. *Annal. Waverl.* Et eodem anno fatis ceſſit decimo octavo Novembris. *Obituar. Cantuar.*

[h] Ita *Weſtmonaſt.* in annum. *Dicetenſis* vero in *Ymag.* dicit, et rectè, Hubertum electum eſſe 15 Septembris 1189, et conſecratum in Capella S. Catherinae apud Weſtmon. 22 Octobris 1189. dies fuit dominica, prima Novembris non ita.

[i] P. 83, &c.

[k] Presbyter factus eſt Apr. 29 die Pentecoſtes, et ſequenti Dominica conſecratus eſt Epiſcopus ab Huberto Archiepiſcopo Cantuar. in Capella S. Catharinae Weſtmon. et inthronizatus Junii 13 *Dicet. Ymag.*

[l] Obiit ante 9 Maii 1217, eo enim die Rex commiſit cuſtodiam Epiſcopatus Richardo Epiſcopo Ciceſtrenſi. *Pat.* 1 H. 3. m. 8.—Anno 1216 (exeunte ſcil.) *Annal. Waverl.*——Unus fuit è Juſticiariis regiis anno 1196. *Dugd. Orig. Jurid.* Sepultus jacet in Eccl. Wilton.

VII. RICHARDUS POORE.

RICHARDUS cognomine Poore (quod pauperem ſonat) Sarisburienſis Decanus, in Epiſcopum Ciceſtrenſem conſecratus eſt anno[m] 1215; et Sarisburiam tranſlatus 1217[n]. 1217. HEN. 3. 1. Hic Praeſul magno ſed memorabili auſu, Eccleſiam ſuam cathedralem, à loco multis de cauſis incommodo, illuc tranſtulit ubi nunc ſitam cernimus[o]. Veterem illam conſtruxerat (ſicut antea retulimus) Hermannus, primus ibi loci Epiſcopus; et ab illo vix perfectam abſolvit Oſmundus; auxit vero in tantum et ornavit magnus ille Rogerus, ut novam condidiſſe videatur, et inter ſplendidiſſimas Angliae Baſilicas numerandam Malmesburienſis, ea tempeſtate vivens, cenſuerit. Iſte vero inſolentiam pertaeſus praeſidiarii militis arcis vicinae, ſimul ac penuriam aquae, nec non coeli intemperiem in colle et excelſo, et glabro: tam civibus quam clero author fuit, ut migrantes inde novam ſibi ſedem conſtituerent, nova ſimul et Civitate et Eccleſia condita, in prato quodam, unico milliari diſſito, quod flumine irrigatum, propter amoenitatem *Mery-field* vocari conſuevit, quaſi dicas agrum laetum[p]. Quare accitis undique etiam è longinquo nobiliſſimis qui uſquam poterant reperiri opificibus, Eccleſiae jecit fundamenta quae inter pulcherrimas totius Angliae hodie jure cenſetur. Pandulphus Pontificis Legatus quinque primos poſuit lapides; Unum pro Papa, alium pro Rege, tertium pro Comite Sarisburienſi, quartum pro Comitiſſa, ac quintum denique pro Epiſcopo. " Ad hoc opus (inquit Pariſienſis[q]) promovendum, " non tantum Epiſcopus, imo Rex et cum eo multi magnates manum " porrexerunt adjutricem. Unde quidam,

" Rex largitur opes, fert Praeſul opem, lapicidae
" Dant operam: tribus his, eſt opus ut ſtet opus.

Sed elegantius alius, poeta itidem vetuſtus,

" Regis enim virtus templo ſpectabitur iſto,
" Praeſulis affectus artificumque fides.

Quanquam vero multis adjutus praeſidiis ſumma diligentia operi inſtaret; adeo tamen procul erat ipſe ut ultimam manum impoſuerit, uti anno demum poſt illius diſceſſum trigeſimo vix abſolveretur. Cives clericorum diligentiam aemulati, unuſquiſque ſibi habitaculum juxta Eccleſiam molientes, Sarisburiam veterem deſolatam reliquerunt, niſi quod in arce Comites adhuc haud bono jure reſiderent. Emptam namque ab Henrico primò per Rogerum, eripuit Stephanus, à quo ad Comites pervenit. Sed et illi poſt annum ducenteſimum ab Epiſcopo ejecti ſunt (ut poſt dicetur) qui ruere permiſerunt. Concidit ita civitas antiquiſſima, Ptolomaeo Sorbiodunum, Saxonibus Searisbyrig, vulgo Latinorum Sarum et Sarisburia, et ita jam evanuit, ut praeter caſtri parietinas nonnullas, illius vix hodie ſuperſit veſtigium. Sed nedum tamen periiſſe viſa, ex cinere illius nova Sarisburia exorta, quae matrem ſuam multis ut auguror gradibus ſuperat, ſi vel civitatis elegantiam ſpectes, vel templi, egregiâ ſtructurâ auguſtiſſimi, et praecelſa pyramide, duplicique tranſepto ſacra quadam majeſtate venerabilis[r]. Caeterum Danielis Rogers de hoc templo carmen quid ni aſcribam?

---

[m] A. 1214. Feb. 22. *Weſtmon.*

[n] Cuſtodiam habet Epiſcopatus Ciceſtr. ſibi commiſſam 27 Jun. 1217, tunc Epiſcopus Sarisburiae. *Pat.* 1 H. 3. m. 5.

[o] *Walſingh.* p. 57.

[p] *Cambd. Britan.* V. 1. p. 115, 116.

[q] P. 370.

« Mira canam, ſoles, quod continet annus, in una
« Tam numeroſa (ferunt) aede, feneſtra micat.
« Marmoreaſque capit fuſas tot ab arte columnas,
« Comprenſas horas quot vagus annus habet.
« Totque patent portae quot menſibus annus abundat.
« Res mira, at vera res celebrata fide.

Quomodo facinoris tam egregii author (ſi non potius inceptorem dixerim) Dunelmum anno 1228 tranſlatus ſit[s], aut (ut aliqui habent) 1225: et quid ibi praeſtiterit ac denique quo modo ibi mortem obierit, ſuo loco, Deo volente, narrabitur.

VIII. ROBERTUS BINGHAM.

1229. Hen. 3. 13. CANONICI Sariſburienſes elegerunt[t] tum ſibi in Epiſcopum Robertum Bingham[u], unum è ſuis, qui anno 1229 conſecratus eſt[x]. Hic magna ſedulitate operi incubuit ab anteceſſore ſuo inchoato, neque tamen potuit abſolvere, quanquam viginti annis Eccleſiae praefuerit. Grandaevus obiit tertio Novembris 1246[y], vir magna et eruditione et pietate. Eccleſiam ſuam aere alieno relinquens oneratam ad ſummam 1700 marcarum. Tumulatus jacet ab una parte praesbyterii, et ſucceſſor ab altera.

IX. GULIELMUS EBORACENSIS.

1247. Hen. 3. 31. « CANONICI Sariſburienſes (inquit Pariſienſis[z]) comperientes nullum « fore acceptum Domino Regi niſi aulicum et curialem, praecaventeſque Eccleſiae ſuae periculo et Regiam captantes benevolentiam; « Gulielmum de Eboraco[a], Domini Regis clericum familiariſſimum, et « legum regni peritiſſimum, Beverlaci Praepoſitum, in Epiſcopum et « animarum ſuarum paſtorem unanimiter elegerunt. Quae quia electio « Deo placuit (ut credebatur) et Domino Regi fuit accepta, ſine morae « diſpendio confirmata eſt." Conſecrationem ſuſcepit Wiltoniae à Fulcone Londinenſi Epiſcopo pridie Idus Julii 1247. « Iſte Gulielmus (prout « poſtea idem Pariſienſis[b]) ab adoleſcentia curiae alumnus, per quam « etiam promotus fuerat in Epiſcopatum. Inter alia ſecularia quibus de« ditus extitit, quandam pro lege conſuetudinem peſſimam in regno ſuſ« citavit, ut ſcilicet pro quantulocunque tenemento *ſequelam curiae etiam* « *invitus* faciat tenens et ſubjectus ſuo ſuperiori à quo tenet, in magnum « ſubditorum damnum et detrimentum, et ſuperiorum parvum vel nul« lum emolumentum. Unde qui nunquam hoc fecerant, mirabantur ſe

---

[r] In tabella in Sacello S. Mariae ſic ſcriptum legimus, « Orate pro Anima Ric. Poure quondam Sarum Epiſcopi; qui « Eccleſiam hanc inchoari fecit in quodam fundo, ubi nunc fundata eſt, ex antiquo nomine Miryfelde in honore B. V. « Mariae 3 Kal. Maii in Feſto S. Vitalis Martyris A. D. 1219, regnante tunc Rege Richardo poſt Conq. primo. Fuitque « Eccleſia haec aedificando per ſpatium 40 annorum, et conſummata eſt 8 Kal. Apr. A. D. 1260. Obiit 15 Apr. A. D. « 1237 et 21 H. 3." *Leland. Itinera.* f. 62.

[s] Bulla Papali data 14 Maii.

[t] Circa Nativitatem Domini 1228. *Weſtmon.*

[u] Filium Radulphi Bingham Militis. *Clauſ.* 33 H. 3.

[x] Apud Wilton. per J. Bathon. et W. Wigorn. *Regiſtr. Cant.* Apud Septoniam *Weſtmon.* Menſe Maio 1229. Dies verò aſſignata ſcil. 22 non fuit Dominica.

[y] *Weſtmon.*

[z] P. 627.

[a] Rector fuit Eccleſiae de Eton Comitatu Bedfordiae anno 1244. *Regiſtr. Groſthead.*

[b] P. 792.

« ad hoc fuiſſe coactos. Tranſiit autem idem Epiſcopus ab his curis et « ſollicitudinibus mundialibus, ad pericula quae ſeculares et curiales cre- « duntur ſubituri (opera enim eorum ſequuntur eos) ſecundo Cal. Feb- « ruarii[c] (plurimi habent Aprilis) 1256." Ut Eccleſiae ſuae ſtructuram promoveret, omnia pro virili praeſtitit, et è regione anteceſſoris in presbyterio humatus eſt[d].

X. AEGIDIUS DE BRIDPORT.

1256. HEN. 3. 41. AEGIDIUS DE BRIDPORT, aliis de Bridlesford, Pariſienſi de Bredelef, Decanus Wellenſis, conſecratus[e] anno 1256, facultatem à Papa impetravit Decanatum ſimul cum Epiſcopatu retinendi. Eccleſiae ſtructura jam tandem abſoluta, per Bonifacium Archiepiſcopum Cantuarienſem ea dedicata eſt triceſimo Septembris 1258[f]; Rege et proceribus magno numero praeſentibus, qui omnes epulis inſtructiſſimis ab hoc Epiſcopo excepti ſunt. Obiit menſe Decembri 1262[g], et conditus jacet in tumulo marmoreo ab Auſtrali parte chori[h].

XI. WALTERUS DE LA WYLE.

1263. HEN. 3. 47. WALTERUS DE LA WYLE Sariſburienſis Succentor[i], temporalibus hujus ſedis reſtitutus dicitur Aprilis 10 Henrici tertii Regis anno 47. Conſecratus Maii 27 ſequenti, et mortem obiiſſe tertio Januarii 1270[k].

XII. ROBERTUS DE WIKHAMPTON.

1274. EDW. 1. 2. ROBERTUS DE WIKHAMPTON Decanus Sariſburienſis, mox ut Walterus exceſſit, electus à Canonicis[l], et à Monachorum Cantuarienſium conventu, Archipraeſulatu vacante, confirmatus eſt. Quam rem graviter ferentes Epiſcopi Cantuarienſis provinciae, qui confirmandi jus ad ſe pertinere contendebant; non ſolum conſecrare electum omnes recuſarunt, ſed provocatione interpoſita (Papatu tum vacante) ad Collegium Cardinalium appellarunt, probare ſatagentes, parum legitimam extitiſſe hujuſmodi Monachorum confirmationem. Poſtquam ibi per trium aut quatuor annorum ſpatium lis fuiſſet agitata; pro electo et Monachis ſententia lata, anno 1474 conſecrationis ritibus inauguratur[m]. Deceſſit anno 1284 Aprilis viceſimo quarto[n].

---

[c] Vacat 5 Febr. 1256. *Clauſ.* 40 H. 3. m. 18.

[d] Ad altare S. Joannis ſepultus jacet in tumba deaurata. *MS. Symonds.*

[e] Martii undecimo 1256 (anno exeunte) *Annal. Winton.*

[f] *Weſtmon.*

[g] *Weſtmon. Annal. Winton.* Decimo tertio die. *Antiqu. Sariſb. Eccl.*

[h] Collegium, *de Valle* ſive *Vaulx* appellatum, fundavit Sariſburiae A. 1260. *Leland. Itin.* V. 2. f. 67.

[i] Subdecanus. *Annal. Winton.*

[k] *Annal. Winton.* In Eccleſia ſua ſepultus jacet.——Collegium et ipſe fundavit Sariſburiae S. Edmundi nuncupatum. *Leland. Itiner.* V. 2. f. 67.

[l] Regium habet aſſenſum ſexto Martii 1270. *Pat.* 55 H. 3.

[m] Rob. de Wickehampton nuper Decanus Sarum et jam electus in Epiſcopum habet Temporalia reſtit. 15 Aug. *Pat.* 2 E. 1. m. 12.——Caecus erat, et Coadjutorem habuit A. 1278.

[n] Roberto defuncto Licentia eligendi conceſſa eſt 23 Maii *Pat.* 12 E. 1.

XIII. WALTERUS SCAMMEL.

1284. Edw. I. 12. SUB annorum jam [ſeptem] curriculo, Eccleſia Sarisburienſis quinque habuit Epiſcopos, quorum [tamen nemo ad aliam Sedem tranſlatus eſt. Iſtorum numero ſecundus] Walterus Scammel[o], ejuſdem Eccleſiae Decanus, conſecratus [eſt] Sunningae viceſimo ſecundo Octobris 1284: poſt annum deinde unum aut alterum mortuus eſt[p].

XIV. HENRICUS DE BRAUNDSTON.

1287. Edw. I. 15. HENRICUS DE BRAUNDSTON tertius erit, ejuſdem itidem Eccleſiae Decanus, vel (ſicut à nonnullis traditur) Dorſetenſis Archidiaconus, qui conſecratus eſt Cantuariae in feſto Trinitatis 1287[q]. "Qui "anno Pontificatus ſui unico nondum plane conſummato (ut loquitur "Chronicon Oſneienſe) deceſſit[r] circa feſtum cathedrae S. Petri, ut nec "de eo ſaltem dici poſſet, quod erat Pontifex anni illius."

XV. GULIELMUS DE LA CORNER.

1289. Edw. I. 17. IN archivis Eccleſiae Sarisburienſis, mentio habetur Laurentii cujuſdam de Hawkburn tanquam Epiſcopi conſecrati. Quid vero ea de re ſit exiſtimandum, me nuper docuit Chronicon Oſneienſe, quod ſic habet: "Canonici Sarum per mortem Henrici de Braunſton paſtoris ſolatio de- "ſtituti, de ſubſtituendo ſibi Pontifice cogitantes, die Lunae proxime "poſt aſcenſionem Domini corporibus non animis adunati, ad electio- "nem faciendam pariter convenerunt; habitaque inter electores ſciſ- "ſura, major pars et ſanior, (ut dicebatur) Laurentium de Hakeburn "ejuſdem Eccleſiae Canonicum (quanquam fuiſſet unus de minoribus) "elegit in Epiſcopum. Pars altera (quae minor reputabatur) in M. Wil- "lielmum de la Corner magnae authoritatis virum, tunc D. Regis con- "ſiliarium vota ſua direxit. Laurentius ſtatim ad partes tranſmarinas "(ubi Rex tunc temporis morabatur) pro obtinendo aſſenſu Regio direxit "greſſus ſuos. A quo ſtatim admiſſus (electione repudiata M. Willielmi, "licet de jure ſibi competenti potenter et publice proteſtaretur, nec pro- "ficeret) rediit in Angliam à D. Cantuarienſi confirmationis gratiam pe- "titurus. Et cum eſſet Cantuariae, confirmationis beneficio non obtento, "gravi morbo correptus, carnis debitum ſolvit, fortunae fallibilis volubi- "litatem expertus. Corpus ejus in eadem civitate in feſto S. Laurentii hu- "manae traditum eſt ſepulturae. Canonici Sarum ſtatim transfretaverunt, "proficiſcentes ad Regem petituri licentiam iterum eligendi. Tunc in "craſtino S. Clementis convenerunt, futurum ſibi Pontificem electuri, et

---

[o] W. Scamel Decanus Sarum in Epiſcopum electus, Temporalia habet reſtituta 10 Aug. *Pat.* 12 E. 1. [p] Ob. 25 Sept. 1286. *Faſt. Eccl. Angl.* [q] Temporalia reſtituta ſunt 15 Martii. *Pat.* 15 E. 1. Vid. *Prin. Collect.* V. 3. p. 359. [r] Obiit undecimo Februarii 1287. *Faſt. Eccleſ. Angl.*——Vacavit 12 Feb. *Pat.* 16 E. 1.

« votis concorditer adunatis, providum virum M. Willielmum de la « Corner (qui diù ante ad honorem aſpiraverat) elegerunt." Deinde poſt « pauca, " Anno D. 1289 octavo Idus Maii conſecratus eſt M. Gulielmus « de la Corner in Epiſcopum Sarum apud Cantuariam à D. Joanne Cantuariae Archiepiſcopo &c." [s].

XVI. NICOLAUS DE LONGESPE.

NICOLAUS DE LONGESPE ſive Longa-ſpata, Henrici ſecundi 1291.
Regis nepos ex Gulielmo Sariſburiae Comite filio ſuo notho [t], homo Edw. 1. 20.
jam grandaevus et Eccleſiae ejuſdem Canonicus [u], conſecratus 1291, et mortuus 1297 [x], prope patrem jacet ſepultus, juxta ingreſſum capellae beatae Mariae, ſaxo ingenti marmoreo contectus laminis aereis et familiae ſuae inſignibus affabre ornato.

XVII. SIMON DE GANDAVO.

SUCCESSIT [y] illi Simon, dictus quidem Gandavenſis, ſed Londini *1297.
natus [z], Theologus magnus, qui ſtatuta edidit complurima quibus Edw. 1. 25.
Eccleſia Sariſburienſis etiamnum hodie magna ex parte regitur. Illius deinde licentia cives urbem Sariſburienſem foſſa moenibuſque munierunt [a].

XVIII. ROGERUS DE MORTIVAL.

ROGERUS [b] DE MORTIVAL Decanus Lincolnienſis conſecratus [c] 1315.
anno 1315. Deceſſit 1329 circa medium quadrageſimae *. Edw. 2. 9.

XIX. ROBERTUS WIVIL.

REGINAE petenti gratificaturus, Epiſcopatum hunc Papa contulit 1329.
Roberto Wivil [d], homini non tantum inerudito, ſed aſpectu tam turpi Edw. 3. 3.
et deformi, ut ſi eum Papa vel vidiſſet tantum, nunquam tali dignitate ornaviſſet, ut loquitur Walſingamius [e]. Tempore praefuit admodum diu-

---

[s] Temporalia ſunt reſtituta 26 Feb. *Pat.* 17 E. 1. m. 20.

[t] Matrem habuit Elam de Longeſpe foeminam nobilitate claram; ſc. filiam Gul. Fitz-Patrick Comitis Sariſbur.

[u] Theſaurarius fuit Eccleſiae Sariſburienſis cui reſtituta ſunt temporalia 16 Dec. *Pat.* 20 E. 1. m. 29. et conſecratus Cantuariae 16 Martii ſequentis.

[x] Certif. de morte ejus dat. die Sabbati proxime ante feſtum S. Dunſtani 1297. *Regiſtr. Winchelſ.*

[y] Electus fuit Epiſcopus ſecundo Auguſti 1297. *Lib. Vacat.* f. 9. in Officio Conſiſtor. —— Confirmatus ab Archiepiſcopo 4 Aug. *Regiſtr. Winchelſ.* —— Regium habet aſſenſum 31 Jul. et Temporalia reſtituta 10 Aug. 2 *Pat.* 25 E. 1. m. 14. —— Conſecratus die Dominica prox. poſt feſtum S. Lucae apud Cantuar. *Regiſtr. Cantuar.* et *Regiſtr. Sutton.* Ep. Linc.

[z] *Weſtmon.*

[a] Fuit in vivis 24 Oct. 1314. *Clauſ.* 8 E. 2 m. 29. *in dorſo.* et menſe Decembris ejuſdem anni *Regiſtr. Drokens. Epiſc. B. et W.* Et obiiſſe dicitur 31 Maii 1315. *Faſt. Eccleſ. Angl.*

[b] Filius Ankelini de Martevall Dom. de Noweſley in agro Leiceſt. ubi forſan iſte Rogerus natus erat; et ubi fundavit Capellam annexam Eccleſiae circ. A. 31. E. 1. *MS. Wood.*

[c] Conceſſa eſt licentia eligendi undecimo Junii. 2 *Pat.* 8 E. 2. m. 6. Reſtitutionem habet temporalium 18 Jul. 1. *Pat.* 9 E. 2. Et conſecratus 28 Sept. 1315. *Regiſtr. Mortiv.*

* *Walſingh.* p. 112.

[d] Natus eſt apud Stanton Wivil in Comit. Leiceſt. *Burton.*

[e] P. 112.

turno, annis nempe pluſquam 45. Si tanto temporis ſpatio nihil praeſtiterit memoratu dignum, mirum videatur. Anno circiter 1355 Gulielmo Montacuto Sariſburienſi Comiti litem intentavit, de caſtro Sariſburienſi veteri illo et jam paulo minus deſerto. Quae lis cum difficilis adeo judicatu videretur ut aliter non potuerit terminari, duello dijudicanda decernitur. Unde tempore conſtituto, Epiſcopus athletam ſuum ad cancellos ubi erat depugnandum produxit, candidis indutum veſtibus, niſi quod ſuprema depicta habuit Epiſcopi inſignia. Comes ſuum etiam ſimiliter exhibuit. Et uterque ſe jam ad congrediendum accingebat, quando Regiis literis allatis, res in aliud tempus rejecta eſt. Et paulo pòſt amicorum interceſſione lis compoſita, ita ut Comes Epiſcopo et ſucceſſoribus caſtrum cederet, numeratis illi 2500 marcis. Eccleſiae porro ſuae deinde aſſeruit ſaltum de Beere, necnon arcem Sherbornenſem, qua anteceſſores ſui privati fuerant jam inde ab eo tempore quo Rogero eam eripuit Stephanus Rex, ſpatio nimirum ducentorum annorum. Obiit anno à conſecratione ſua quadrageſimo ſexto, Septembris quarto 1375, et ſepultus jacet in choro Eccleſiae ſuae, lapide tectus marmoreo prope cathedram Epiſcopalem[d].

XX. RADULPHUS ERGHUM[e].

1375. EDW. 3. 49. RADULPHUS ERGHUM legum Doctor, conſecratus eſt Brugis in Flandria nono Decembris 1375; et tranſlatus eſt ad Eccleſiam Bathonenſem ac Wellenſem 14 Septembris[f] 1388. Hic (ni fallor) Noſocomium S. Michaelis prope Sariſburiam condidit, quod apud rationes fiſcales valere dicitur [annuatim] 25 libras, duo ſolidos totidemque denarios[g].

XXI. JOANNES WALTHAM.

1388. RIC. 2. 12. JOANNES WALTHAMUS Rotulorum Praefectus[h], et privati ſigilli cuſtos ſucceſſit[i], conſecratus viceſimo Septembris 1388. Anno 1391 conſtitutus eſt Angliae Theſaurarius[k], eoque munere functus eſt quamdiu vixit[l]. Apud Richardum ſecundum Regem admodum fuit gratioſus, qui mortem ejus graviſſime tulit, et in amoris teſtimonium, defuncti corpus Weſtmonaſterii inter Reges tumulandum[m] praecepit[n]; id quod Epitaphium ejus quamvis mutilum etiamnum hodie teſtatur. Obiit anno

---

[d] Memoratur hic Robertus in miſſa Benefactorum Acad. Cantabr.

[e] Mortuo Roberto, Magiſt. Joannes de Wormenhall hujus Eccleſ. Canonicus electus eſt in Epiſcopum, et Regium habet aſſenſum 12 Nov. 1375. 2 *Pat.* 49 E. 3. m. 8. Papali verò Oraculo huc promotus eſt Rad. Erghum, Bullâ datâ 12 Oct. 1375. *Regiſtr. Sudbur.* Cujus proviſioni Rex conſentit, et reſtituit temporalia 28 Dec. 2 *Pat.* 49 E. 3. m. 5.

[f] Bulla data 3 Apr. 1388. *Regiſtr. Courtn.* f. 322.

[g] *Monaſt. Anglic.* V. 1. p. 1045.

[h] Hic Angliae Cancellarius primus introduxit braevia de *ſub-poenis*, et *certis de cauſis* in Cancellaria et Scaccario, et aliae curiae ejus exemplum ſecutae ſunt. Contra hoc Communes tempore Henrici quinti Billam propoſuere, ſed Rex aſſenſum non praebuit. *Parl.* H. 5. par. 1. m. 2. n. 46. vid. *Rot. Parl.* 15 H. 6. n. 25. 2 H. 2. Art. 69. H. 4 et H. 6. E collectione immunitatum Dom. Procerum. Ita *MS. Gale.* —— Conſtitutus eſt Angliae Cancellarius 20 Maii 1391. 2 *Pat.* 14 R. 2. m. 4.

[i] Proviſus eſt ab Urbano Aprilis tertio anno Pontif. 10. Conſecratus in Eccleſia de Bernwell juxta Cantabr. 20 Sept. 1388. *Regiſtr. Courtn.* f. 322. —— Temporalia reſtituta ſunt 13 Sept. 1 *Pat.* 12 R. 2. m. 22. —— Excommunicatus eſt 12 Jul. 1390 ab Archiepiſcopo ob recuſatam viſitationem Metropoliticam; ſubmiſit verò et viſitationem ſubiit 14 Jul. 1390. *Regiſtr. Courtn.*

[k] 2 *Pat.* 14 R. 2. m. 20.

[l] Teſtamentum ejus fact. 2 Sept. 1395. probat 26 Sept. 1395. extat in libro Rous. *MS. Anſtis.*

[m] Ex aſſenſu et voluntate Regis, corpus Joannis de Waltham Epiſcopi Sarum ſepelitur infra Regiam ſepulturam, et Abbas et Conventus Weſtmon. obligant ſe ad exequias in anniverſario Epiſcopi cum exequiis in regalibus fieri conſuetis et ibidem expreſſis. *Clauſ.* 14 H. 4. m. 13 dors. *MS. Anſtis.*

[n] *Walſing.* p. 389.

1395, et juxta monumentum Edwardi primi Regis jacet humatus. Quomodo Courtneio Cantuarienſi Archiepiſcopo dioeceſin ejus viſitanti reſtiterit, et quid inde provenerit, ſupra enarratum eſt.

XXII. RICHARDUS METFORD.

IN Parliamento quod Mirificum vulgò appellatum eſt, eo quod multa 1395.
praeter expectationem vulgi effeciſſet, ex iis qui apud Regem gratio- Ric. 2. 19.
ſiſſimi extiterunt, quamplurimi comprehenſi; quorum, qui clerici non erant, morte plerique mulctabantur; illi autem carceribus mancipati. Inter illos numeratur Richardus Metford[o], qui in arcem Briſtolienſem conjectus, ibi loci diu jacuit incarceratus. Sed altera tandem factione emergente, non ſolum liberatus eſt, ſed ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem provectus, et anno 1395 ad Sarisburienſem tranſlatus[p], ubi ſedit annos plus minus duodecim, et anno demum 1407[q] debitum naturae perſolvit[r].

XXIII. NICOLAUS BUBWITH.

NICOLAUS BUBWITH Epiſcopus Londinenſis et Angliae Theſau- 1407.
rarius, Sarisburiam tranſlatus eſt anno[s] 1407; et inde ſub ejuſdem Hen. 4. 8.
anni curriculum, ad Eccleſiam Bathonenſem et Wellenſem.

XXIV. ROBERTUS HALAM.

POST Bubwithi tranſlationem, Robertus Halam[t] Archidiaconus Can- *1407.
tuarienſis, Oxonienſis Academiae alumnus, et ejuſdem anno 1403 Hen. 4. 9.
Cancellarius, Epiſcopus Sarisburienſis mox conſtitutus eſt[u]. Junii deinde ſexto 1411[x] Cardinalium albo aſcriptus. Una cum Cantuarienſi Chichleio[y], et Keterichio Menevenſi praeſulibus ad Concilium Piſanum miſſus eſt anno 1413. Poſtea vero cum Concilio Conſtantienſi intereſſet anno 1417, in arce Gotliebenſi vitam cum morte commutavit[z] Septembris quarto anno praedicto.

---

[o] Canonicus Windeſoriae.

[p] Joanne defuncto, Licentia eligendi conceſſa eſt 29 Sept. 1 *Pat.* 19 R. 2. m. 13. et temporalia habet reſtituta 30 Jan. ſequentis. 2 *Pat.* 19 R. 2. m. 34.

[q] *Walſing.* p. 418.

[r] Teſtamentum condit 29 Apr. 1407. probatum eſt 11 Maii 1407. *Regiſtr. Arundell.* f. 238.

[s] Conceſſa eſt licentia eligendi 9 Maii 2 *Pat.* 8 H. 4. m. 18. Papa verò ex plenitudine poteſtatis Nicolaum Epiſcopum Londin. huic Eccleſ. praefecit Bullâ datâ 10 Kal. Jul. *Regiſtr. Arund.* f. 37. Cui Rex reſtituit temporalia 13 Aug. 2 *Pat.* 8 H. 4. m. 20. Et ſeptimo Octobris ejuſdem anni Papali authoritate Bathoniam tranſlatus eſt. *Regiſtr. Arund.* f. 40.

[t] Regia natus fuit proſapiâ teſte Onuphrio.

[u] Promotus fuit per Papam ad Archiepiſcopatum Eboracenſem, poſtea verò mutatâ ſententiâ ad hanc Eccleſiam ab eodem praeficitur 1407, cui Rex reſtituit temporalia 1 Dec. 1 *Pat.* 9 H. 4. m. 20.——Tranſlatus à Gregorio Pontifice 7 Oct. Profeſſionem fecit Archiepiſcopo apud Maydenſton 28 Martii 1408. *Regiſtr. Arund.* f. 41.

[x] *Ciacon. vit. Pontiff. et Card.* T. 2. coll. 803.

[y] Nec Chichleius nec Keterichius Concilio Piſano interfuere; Concilium enim celebratum erat anno 1409; et Chichleius Archiepiſcopale ſolium non conſcendit, nec Keterichius Epiſcopale ante annum 1414.

[z] Obiit quarto Septembris 1417. *Regiſtr. Chichl.* f. 181. et ſepultus eſt in Eccleſ. Cathedr. Conſtant. Sept. 13. praeſente Caeſare, &c. Vid. *Vonder Hard.* T. 4. p. 1418.

XXV. JOANNES CHAUNDLER.

1417. Hen. 5. 5. NONDUM fuerat electus in ſummum Pontificem Martinus quintus, quando de Halami morte nunciatum eſt. Quapropter, vacante quodammodo Papatu, ut de proviſionibus Pontificiis nullus jam ſubeſſet metus; liberrimae electionis opportunitatem nacti [a] Sarisburienſes Canonici, Epiſcopum deſignarunt Joannem Chaundler Decanum ſuum, Collegii olim Wickamici Oxoniae alumnum, qui conſecratus eſt duodecimo Decembris 1417, et huic ſedi praefuit annos circiter decem [b].

XXVI. ROBERTUS NEVILL.

1427. Hen. 6. 6. ROBERTUS NEVILLUS [c] Praepoſitus Beverlacenſis, Oxonienſis Academiae alumnus [d], conſecratus eſt viceſimo ſexto Octobris 1427 [e], et Dunelmum tranſlatus 1438 [f]. Traditum reperi, praecipuum interea fundatorem extitiſſe coenobii Sunningenſis, cujus annui cenſus tempore ſuppreſſionis numerabantur 682 libras, quatuordecim ſolidos, denarios ſeptem, obolumque.

XXVII. GULIELMUS AISCOTH.

1438. Hen. 6. 16. GULIELMUS AISCOTH [g] (quem etiam Hacliff nominatum comperi) legum Doctor [h], et Conſiliariis Regiis ab Epiſtolis, [i] conſecratus eſt in capella Windeſorenſi viceſimo Julii 1438: et Regi mox à confeſſionibus conſtitutus, cùm hactenus viſum non fuiſſet (Thoma Gaſcoyn [k] authore) Epiſcopo cuilibet id muneris demandari. Annos poſtquam ſediſſet duodecim à ruſticis tumultus ingens excitatus eſt, qui ducem ſibi praepoſuerunt Joannem Cadum Mortimeri nomen uſurpantem. His ſe volentes aggregare quidam ex infima plebe, quorum plerique iſtius Epiſcopi clientes erant, ex illius praediis victitantes; Edendonam venerunt viceſimo nono Junii 1450, ubi loci Epiſcopus tunc temporis ſacris operabatur. Illi quam ob cauſam infenſi non habeo compertum; Pontificalibus indutum veſtibus; ab ipſo altari ad collem vicinum vi pertrahunt, et in genua procumbenti cerebrum diſpergunt, et ſpoliatum cadaver nudum relinquunt, cruentam interulam in fruſta dilacerantes, ut in praeclari facinoris memoriam aſſervarent. Haec ut diximus viceſimo nono Junii, cùm pridie illius diei impedimenta ejus diripuiſſent, et pecuniae numeratae decem millia marcarum ſuſtuliſſent.

---

[a] Defuncto Roberto, eligendi licentia conceſſa eſt Canonicis 11 Oct. Rex aſſentit Electioni 22 Nov. et Temporalia reſtituta ſunt. 8 Jan. 1417.

[b] Obiit menſe Julio 1426, et in Eccleſia Sarisburienſi ſepultus jacet.

[c] Filius Radulphi Nevill Comitis Weſtmorlandiae. *Vincent in Brocum.* f. 587.

[d] Simon hujus Eccleſ. Decanus eligitur; ſed Rob. Nevill proviſus eſt à Martino Papa 7 Id. Jul. Pontif. decimo. *Regiſtr. Chichl.* f. 47.

[e] Temporalia reſtituta ſunt 10 Octobr. 1 *Pat.* 6 H. 6. m. 33.

[f] Januar. 27. 1437. Vid. inter Epiſc. Dunelm.

[g] Filius Roberti ASCOCHE, ſive ASCOUGH, vel AYSCUGH, de Potgrange. Com. Ebor.

[h] Cantabrigienſis, et Domus ſive Hoſpitii S. Michaelis Cuſtos.

[i] Proviſus eſt à Papa, et temporaſia habet reſtituta 13 Jul. 1438. 2 *Pat.* 16 H. 6. m. 18.

[k] In *Diction. Theologico* verbo *Papa* ſic ſcribit. "Dominus Will. Haſtku Epiſcopus Sarum et tunc Confeſſor Regis Henrici ſexti occiſus fuit per proprios ſuos Dioeceſanos poſt Miſſam ſuam quam celebravit in die S. Apoſtolorum Petri et Pauli, et devote accepit mortem ſuam, ut dicebatur, et male tractabatur à ſuis Dioeceſanis propriis, qui eum occidebant et bona ſua rapiebant, dicentes *iſte manſit ſemper cum Rege et fuit ejus Confeſſor, et non manſit in ſua Dioeceſi Sarum nobiſcum, nec tenuit hoſpitalitatem, ideo occiditur*, et ſic verberabant eum, cum inſtrumentis horribilibus vulnerantes graviter et occidentes poſt extractionem ejus extra Eccleſiam, poſtquam in eadem miſſam celebraſſet, et ipſum nudum jacere in campo fecerunt poſt occiſionem ſuam."

XXVIII. RICHARDUS BEAUCHAMP.

SUCCESSIT illi [l] Richardus Beauchamp, legum Doctor, Epiſcopus 1450.
Herefordenſis, et [m] Walteri Baronis de ſancto Amando frater [n]. Ca- HEN. 6. 28.
pellam is magno ſumptu conſtruxit ſpecioſiſſimam ab Auſtrali parte capellae beatae Mariae, et ibidem jacet in tumulo conditus marmoreo. Ordinis Garterii militum hic Cancellarius [o] fuiſſe memoratur [primus [p].]

XXIX. LEONELLUS WOODVILL.

LEONELLUS WOODVILL [q] conſecratus anno 1482, filius erat 1482.
Richardi Comitis Riverii, et Elizabethae frater, quae conjux fuit EDW. 4. 22.
Edwardi quarti Regis; necnon Academiae Oxonienſis ad tempus Cancellarius. Accepi à quodam, qui ſe ferebat hujus Epiſcopi propinquum, Stephanum Gardinerum [r] Wintonienſem Epiſcopum ab illo genitum; qui ut impudicitiae dedecus à ſe poſſet amoliri, pellicem jam gravidam Gardinero cuidam deſponſavit famulo ſuo, qui inde Pater ejus habitus eſt. Quando vel quo pacto hanc ſedem iſte reliquerit, non habeo compertum. Anno 1485 Henricus Buckinghamiae Dux qui ſororem ejus duxerat, Sariſburiae ſecuri percuſſus eſt, Richardi tyranni mandato, qui etiam praeter Edwardum quintum Regem et fratrem ejus, iſtius Epiſcopi propinquos quamplurimos trucidarat. Si tot amicorum clades moerore hominem confecerint, haud mirer [s].

XXX. THOMAS LANGTON.

THOMAS LANGTON legum Doctor in Menevenſem Epiſcopum *1484.
conſecratus 1483, huc fertur tranſlatus [t] 1485, et hinc Wintoniam RIC. 3. 2.
1493.

---

[l] Licentia eligendi conceſſa eſt 10 Jul. 2 *Pat.* 28 H. 6. m. 19. Nihilominus Papa ex plenitudine poteſtatis huc tranſtulit Epiſcopum Hereford. Bulla data 14 Aug. 1450. *Regiſtr. Stafford.* f. 35. Cui Rex reſtituit temporalia primo Octobris. 1 *Pat.* 29 H. 6. m. 19.

[m] Filius Walteri de Bello-campo Milite, et frater Willelmi Baronis de S. Amando. *Cambd.*

[n] Huc tranſlatus eſt anno 1450, et anno 1477 Martii quarto 17 E. 4. inſtallatus eſt Decanus Windeſorae.

[o] Quod Epiſcopi Sarum et ſucceſſores ſint Cancellarii Ordinis Garterii. 3 *Pat.* 15 E. 4. m. 18.

[p] Sepultus jacet apud Windſor. *Ex Epitaph.*——Teſtam. ejus fact. 16 Oct. 1481 probat. 8 Febr. ſequentis. extat in Lib. Logg. in Cur. Praer. Cantuar. p. 31. *MS. Anſtis.*—— Mortuus eſt ante 4 Nov. 1481. eo enim die Capitulum de electione ſucceſſoris deliberabant. *MS. Tanner.*

[q] WYDEVISLE. Sacrorum Canonicorum Inceptor. *Regiſtr. Cantu.* Ante electionem ad hunc Epiſcopatum Decanus fuit Exonienſis, ſc. anno 1479.———Temporalia reſtituta ſunt 28 Martii 1482. 1 *Pat.* 22 E. 4. m. 16. —— Licentia Conſecrationis extra Eccleſ. Cant. 17 Apr. *Regiſtr. Cantu.*

[r] Vid. inter Epiſcopos Wintonienſes, p. 298.

[s] Ob. anno 1484, et in Eccleſ. ſua ſepultus jacet.

[t] Huc tranſlatus Papali authoritate 9 Febr. 1484. Profeſſionem fecit apud Knoll 25 Apr. 1485. *Regiſtr. Morton.*

XXXI. JOANNES BLITHUS.

1493. Hen. 7. 9. JOANNES BLITHUS[u] Rotulorum Praefectus, conſecratus viceſimo tertio Februarii 1493, obiit 23 Auguſti 1499, cum anno 1494 Academiae Cantabrigienſis factus fuiſſet Cancellarius[x]. Tumulo conditus eſt non ineleganti pone ſummum altare, ſed qui contra receptum morem, non ab Occidente in Orientem, verùm ab Auſtro in Septentrionem protenditur[y].

XXXII. HENRICUS DEANE.

1500. Hen. 7. 16. HENRICUS DEANUS S. Theologiae Doctor, ex Abbate Lanthonienſi et Hiberniae Cancellario, Bangorenſis Epiſcopus creatus, huc transfertur anno 1500[z], et hinc poſt annum unum aut alterum Cantuariam[*].

XXXIII. EDMUNDUS AUDLEY.

1502. Hen. 7. 17. EDMUNDUS AUDLEIUS, ex honoratiſſima Baronum de Audley familia oriundus, Oxonienſis Academiae alumnus[a], Epiſcopus Roffenſis renunciatus eſt anno 1480. Inde Herefordiam tranſlatus eſt 1493[b], et ab illa ad hanc Eccleſiam 1502. Oxoniae (ubi fuerat educatus) Eccleſiae beatae Mariae chorum de novo conſtrui curavit, et organis hydraulicis ſuo ſumptu inſtruxit[c]. Ramsburiae decedens 23 Auguſti 1524, in capella tumulatus eſt à ſe condita, ab Auſtrali[d] parte ſummi altaris, ubi etiam miſſificaturis pro anima ſua ſacerdotibus cantariam fundaſſe perhibetur[e].

XXXIV. LAURENTIUS CAMPEGIUS.

1524. Hen. 8. 16. LAURENTIUS CAMPEGIUS Bononienſis [poſt obitum uxoris (nam conjugatus fuit[f]) ex Academia Bononienſi (ubi patri juris conſulto ſucceſſerat) Romam avocatur; mox auditor factus Rotae et] Feltriorum

---

[u] Filius natu ſecundus Willelmi Blyth de Norton, filii Willelmi Blyth de Leeds Ebora. et frater Galfridi Epiſcopi Lichf. *MS. Anſtis.*

[x] A. 1488. Cuſtos fuit Aulae Regiae, et A. 1494 Academ. Cancellarius. *Archiv. Coll. et Acad.*

[y] Teſtament. fact. 23 Aug. 1499 et probat. 20 Sept. 1499. in Curia Praerog. Cant. *MS. Anſtis.*——Obiiſſe dicitur 23 Aug. 1499. *Faſt. Eccleſ. Angl.* è Regiſtro.

[z] Cuſtodiam habet temporalium 7 Dec. et reſtituta ſunt 22 Martii 1500. *Rym. Foed.* T. 12. p. 735, 748.

[*] Defuncto Joanne Morton Archiepiſcopo Cantuar. et Cardinale, Dom. Rex Henr. ſeptimus 13 Octob. apud Woodſtock liberavit magnum Sigillum Angliae Henrico Deane Epiſcopo Sarum A. 1501; qui quidem Henricus paulo poſt factus eſt Archiepiſcopus Cantuar. *Clauſ.* 16 H. 7. *in dorſo. Dugd. Catal.*

[a] Canonicus fit Windeſorae anno 1472.

[b] Tranſlatus ab Innoc. 10 Kal. Jul. 1492. *Regiſtr. Morton.* f. 16.

[c] Hoc non ab Epiſcopo noſtro ſed a Gul. Grey Archidiacono Bercheriae factum eſt, ut apparet in teſtamento ejuſdem probato in curia de Arcubus A. 1523.——Legavit 20 marcas communi Ciſtae Academiae, quatuor marcas ad feneſtras Eccleſiae B. Mariae reparandas, et quatuor libras ad coemenda nova Organa Hydraulica ibique collocanda ſolennibus temporibus pulſanda.

[d] Aquilonari. *MS. Symonds.*

[e] Teſtamentum Edmundi Epiſcopi Sarum fact. 11 Junii 1523. probat. 3 Dec. 1524. in Lib. *Bodſyld* in offic. praerogat. *MS. Anſtis.* Obiit 23 Auguſti 1524. *Faſt. Eccl. Angl.*

[f] *Ciacon. vit. Pontif.* T. 3. fol. 384.

Epiſcopus, Cardinalis creatus titulo ſanctae Thomae (poſteaque S. Anaſtaſiae) 27 Junii[g] 1517. Epiſcopatus Sarisburienſis Adminiſtrator ſive Commendatarius factus eſt anno[h] 1524: Regia verò authoritate exauthoratus 1535[i]. Anno 1528 ipſe, una cum Wolſaeo Cardinali, delegati conſtituti ſunt à Pontifice, ut coram illis agitaretur cauſa divortii Regii à Catharina Hiſpana conjuge ſua. Hanc litem cum Rex vehementer cuperet terminari; quod negotium illi ex ſententia non expediiſſent, facultate ad eam rem (ut aſſerebant) deſtituti; utriſque admodum iratus, iſtum paulo poſt Epiſcopatu Sarisburienſi exturbavit; et Wolſaeum quo modo tractaverit ſuo loco dicetur. Epiſcopus Cardinalis Praeneſtinus Romae deceſſit Auguſto[k] menſe 1539, et in Eccleſia beatae Mariae Tranſtiberina ſepultus eſt[l].

XXXV. NICOLAUS SHAXTON.

NICOLAUS SHAXTONUS ſacrae Theologiae Doctor[m], et Aulae Gonvellianae Cantabrigiae Praeſes, exauthorato Campegio ſufficitur[n], et ſedit annos quatuor. Julii deinde quarto 1539 abdicare coactus una cum Latimero, eademque de cauſa; ſed eidem animi conſtantia impar, quo tempore Anna Askew ob verae religionis profeſſionem ignis ſupplicium pertulit, habita concione palinodiam cecinit[o]. 1535. Hen. 8. 26.

XXXVI. JOANNES SALCOT, alias CAPON.

JOANNES SALCOT, aliàs dictus Capon, legum Doctor Cantabrigienſis[p], Hydenſis Abbas, in Bangorenſem Epiſcopum conſecratus decimo nono Aprilis[q] 1534. Sarisburiam tranſlatus eſt decimo quarto[r] Auguſti 1539[s]. Ex ſaxo polito tumulum habet ab Auſtrali parte chori pone cathedram Epiſcopalem. 1539. Hen. 8. 31.

---

[g] Primo Julii. *Id. ib.* col. 346.

[h] Proviſus à Clemente Papa, Bulla data 4 Non. Dec. 1524. *Regiſtr. Warham* f. 26. Extat etiam apud *Rymer*. T. 14. p. 29, 30.

[i] Viceſimo primo Martii 25 H. 8. Billa à Domo Communi tranſmiſſa concernens deprivationem Epiſcoporum Sarum et Wigorn. à ſuis Epiſcopatibus tertio lecta et aſſentita per Dominos. *MS. Anſtis.*

[k] Jul. 19. *Sigon. de Epiſc. Bononien.* Jul. 19 vel 25 *Ciacon.* ut ſupra, col. 386. Aetat. 67.

[l] Filium hic habuit Alexandrum, à Julio tertio in Cardinalium album aſcriptum 13 Kal. Januar. 1551. *Id. ib.* col. 774.—Pro Patre et Filio extat tumulum in Eccleſ. B. Mariae, hoc inſcripto elogio, LAURENTII *Tituli S. Mariae Tranſtyberim Patris: Et* ALEXANDRI *S. Luciae in Silice Filii ex legitimo matrimonio ante Sacerdotium ſuſcepti, ex nobili* CAMPEGIORUM *Bononienſium familia S. R. E. Cardinalium oſſa ex eminenti loco Anno ſalutis* MDLXXI *huc tranſlata in unum requieſcunt.*

[m] Guardianus fuit ſive Magiſter Hoſpitii S. Aegidii Norwici, quod et alienavit Edwardi 6. primo. *Act. Parliam.* 39 Eliz. c. 22. et Cok. Inſtit. par. 4. p. 256.

[n] Temporalia habet reſtituta 1 Apr. 1535. *Rym. Foed.* T. 14. p. 550. Et (tunc Theſaurarius Sarum) conſecratus eſt 11 Apr. 1535. in Capella S. Steph. Weſtmon. *Regiſtr. Cranmer.* f. 172.

[o] *Regiſtr. Bonner* f. 100. Poſtea Epiſcopo Elienſi Suffraganus fuit, et obiit Cantabrigiae quarto Aug. 1556, et ſepultus in Capella Aulae Gonv. *Ibid.*

[p] A. 1515. *Regiſtr. Acad.*

[q] *Regiſtr. Cranm.* f. 162.

[r] Hoc die confirmata eſt electio. *Ib.* f. 229. Temporalia prius reſtituta 31 Jul. *Rym. Foed.* T. 14. p. 642.

[s] Ob. ſexto Octobr. 1557, et in Eccl. ſua ſepultus jacet.

* * *

XXXVII. JOANNES JEWELLUS.

1559. Eliz. 2. PAULUS quartus Papa, Polo Cardinali infenſus propter cauſas à me jam antè explicatas, ut illi aegre faceret, Petrum quendam Petoum Franciſcanum, nobili familia in Anglia oriundum, Cardinalem ſimul creavit[t], et Epiſcopum renunciavit Sarisburienſem; tumque in Angliam hominem amandavit, habens quidem in animo Legatum etiam ſuum eum deſignare, Polo poteſtate Legatina abrogata. Maria verò Regina, Polo propinquo ſuo talem contumeliam inferri non paſſa à Pontifice, quem Gallo hoſti ſuo ſtudere compererat; non ſolum Epiſcopatu, ſed regno etiam novitium hunc arcet Cardinalem. Rebus ſic pendentibus, contigit primum, Petoum rebus nondum compoſitis è vita migrare (menſe videlicet Aprili 1558[u],) et deinde Novembri ſequente, uno eodemque die et Polum et Mariam ipſam Reginam. Elizabetha regnum adepta, nihil habuit prius aut antiquius, quam Eccleſiam noſtram à faecibus Papiſticis, quibus eam Maria ſoror turpiter inquinarat, primo quoque tempore repurgatam reddere, reformatione repetita ſub Edwardo ſexto jam olim inſtituta. Ad eam rem efficiendam, commodiſſimum viſum, eruditione pietateque praeſtantiſſimos viros Eccleſiis praeficere. Ac ad Sarisburienſem quidem deſtinavit Joannem cognomento Jewellum, quod Anglicè ſonat gemmam, vel potius monile gemmis conſertum. Et certe qui in illo viro inſignes animi dotes, quibus tanquam immenſi pretii gemmis ornatus [fuit,] ſpectaverit; fateatur neceſſe eſt, raró cuiquam nominis ſignificata aptius conveniſſe. Sed ego quo feror? qui de hujus noſtrae aetatis Pontificibus jamdudum mihi ſilentium indixi, niſi quatenus alieno ore loqui liceat. Pietatem igitur vitaeque ejus integritatem teſtentur, imo inviti teſtantur Pontificii, qui hominem exoſi cane pejus et angue, tanquam veritatis propugnatorem inſuperabilem, tamen criminis, ne leviſſimi quidem labe eum unquam auſi ſunt aſpergere. Eruditionem vero incomparabilem loquuntur, et loquentur ſemper, nunquam intermoritura literarum monumenta ab eo edita, ac illa inprimis Eccleſiae Anglicanae Apologia, orationis elegantia, nervorum ſoliditate, ſententiarum pondere mirabilis, qua reformationem hic inſtitutam ſugillantium ora conatus eſt obturare. Quanquam vero calumniatorum nemo unquam foelicius impetum retuderit: non defuit tamen Dares qui hunc Entellum provocaret, Hardingus quidam, tanto certamini quam impar facile dijudicabunt, qui utriuſque hinc inde ſcripta perlegerint, Anglice quidem edita, ſed in Latinum ſermonem poſtea transfuſa. Tam ſtolide ferox ille, cum athleta tali in arenam deſcendere, quem magnus ille Hookerus (à magno Theologo *Literarum Oxonium* appellatus) *Theologorum quos orbis Chriſtianus per aliquot annorum centenarios produxit maximum*, vero encomio pronunciavit. Neque enim Apologiam ſolam Hardingus impugnavit: alia etiam de re certatum inter eos, quam ſilentio non duxi praetermittendam. In concione ad crucem Paulinam habita, enunciarat fidenter Jewellus, multa eſſe dogmatum Pontificiorum capita, quae nullo vel ſacrae Scripturae teſtimonio poſſent comprobari, vel Patrum aut Conciliorum, ſexcenteſimo Chriſti anno non recentiorum: pollicitus deinde fuerat, ſe partibus adverſariorum continuo acceſſurum, ſimul ac vel unicum hujuſmodi teſtimonium produxiſſent. Capita erant ſeptem ſupra viginti, quorum praecipua leviter attingam: de Miſſa privata; de ſacra Synaxi ſub una ſpecie; de linguae non intellectae uſu in precibus; de primatu Pontificis; de tranſubſtantiatione; de imaginum cultu; de ſcripturarum lectione; &c. Dici non poteſt quantum haec res Pontificiorum apud nos vires fregerit, exiſtimationem minuerit; ac praeſertim poſtquam Hardingi frigida reſponſione, errorum ab illo recenſitorum novitas patuit.

---

[t] 19 Kal. Jul. 1557. *Ciac. vit. Pont.* T. 3. col. 865.

[u] Eo mortuo nominatus eſt Franciſcus Mallet Decanus Lincoln. et Cuſtodiam habet Temporalium 14 Oct. 1558. *Rym. Foed.* T. 15. p. 488. Mortua verò Maria, ab Elizabetha ejicitur.

Natus eſt hic tantus vir in comitatu Devonienſi apud Berinarber[x], educatus Oxoniae, in Mertonenſi Collegio primum, mox in illo Corporis Chriſti; unde Pontificiorum factione ejectus ſub Maria Regina[y], in Germaniam profugit, ibique per quadriennium exulavit. Reverſus inde, multis Epiſcopatibus dignus, in hujus Eccleſiae Praeſulem conſecratur viceſimo primo Januarii 1559. Cum annos ſediſſet ferme duodecim, apud Monktonfarley animam piam Deo reddidit quinquagenarius viceſimo tertio Septembris 1571[z], et in chori meditullio marmoreo lapide jacet coopertus, extructa prius juxta Eccleſiam ſuam Bibliotheca pulcherrima, quam libris inſtruxit Gheaſtus qui illi mox ſucceſſit, ſicuti inſcriptio teſtatur ibi legenda, his verbis exarata;

“ Haec Bibliotheca extructa eſt ſumptibus R. P. ac D. D. Joannis
“ Jewelli quondam Sarum Epiſcopi, inſtructa vero libris à R. in Chriſto
“ P. D. Edmundo Gheaſt, olim ejuſdem Eccleſiae Epiſcopo quorum me-
“ moria in benedictione erit.” Qui plura de hoc tam egregio viro ſcire volet, petat hiſtoriam vitae ejus nuper Anglicè perſcriptam eleganter, et operibus ejus praefixam; aut qui mavult, eandem à doctiſſimo Theologo Laurentio Humphredo Latine ante multos annos editam.

XXXVIII. Edmundus Gheast.

1571. Eliz. 14.

EDMUNDUS GHEAST ſacrae Theologiae Doctor[a], Collegii Regii in Academia Cantabrigienſi aliquando ſocius[b], conſecratus eſt in Epiſcopum Roffenſem viceſimo primo Januarii[c] 1559, et ſimul munere ornatus Eleëmoſynarii Regii. Inde Sariſburiam tranſlatus viceſimo quarto Decembris[d] 1571, poſt ſeptennium deceſſit, Februarii nimirum viceſimo octavo 1578[e], aetatis anno climacterico, et juxta Wivillum humatus eſt, qui medius inter ipſum Jewellumque tumulatur. Multa ab hoc Epiſcopo edita ſunt opuſcula, quae Balaeus ſigillatim recenſet.

---

[x] Maii 24. 1522. *Vit.*

[y] *Fuller. Hiſtor. Eccleſ.* L. 8. p. 8.

[z] Certifica. vacationis dat. 24 Sept. 1571. *Regiſtr. Parker.* f. 48.

[a] Natus apud Afferton in Comita. Ebor. *MS. Luſkin:*

[b] Quinto Decembris conceſſa eſt Licent. eligendi. *Rym. Foed.* T. 15. p. 694. Regium habet aſſenſum et Temporalia reſtituta 25 die ejuſdem menſis. *Ib.* p. 699.

[c] Mart. 24. 1559. una cum Epiſcopis Bathon. et Lichfel. *Regiſtr. Parker.*

[d] Menſe Mar. 1571.

[e] 1576 potius. Teſtam. enim fact. Feb. 28. 1576 et prob. Apr. 10. 1577. extat in Libro Daughty in Offic. Praerog. Cant.

XXXIX. Joannes Piers.

*1577. Eliz. 20. JOANNES PIERS, S. Theologiae Doctor, aedis Chriſti Oxoniae Decanus, ſed Magdalenenſis olim Collegii ſocius, Gheaſto in Eccleſia tam Roffenſi [f] quam Sarisburienſi ſucceſſit [g]. Sedit hic annos decem, et toto eo tempore Eleëmoſynarii Regii functus officio, Eboracum tranſlatus eſt anno 1588.

XL. Joannes Coldwell.

1591. Eliz. 34. CUM tres per annos haec Eccleſia vacaſſet, Joannes Coldwell, Medicinae Doctor, Roffenſis Decanus, in Collegio S. Joannis Cantabrigiae educatus, conſecratur tandem in Epiſcopum ejuſdem viceſimo ſexto Decembris 1591 [h]. Obiit menſe Octobri 1596, et juxta Jewellum tumulatus eſt, eodem prope loco ubi olim Wivillus. Omnium Epiſcoporum Sarisburienſium conjugatus hic primus extitit. Nam Jewellum, Gheaſtum et Pierſium, coelibem ſemper vitam duxiſſe conſtat.

XLI. Henricus Cotton.

1598. Eliz. 40. HENRICUS COTTONUS [i], Elizabethae Reginae ſacellanus, in Collegio Magdalenenſi Oxoniae educatus, in Epiſcopum Sarisburienſem conſecratur una cum Exonienſi, Gloceſtrenſi et Bangorenſi nuper deſignatis Epiſcopis duodecimo Novembris [k] 1598, cum per biennium ſedes vacaſſet. Hic ortu non minus quam eruditione caeteriſque Epiſcopalibus virtutibus nobilis, filius fuit Richardi Cottoni Equitis aurati, qui Regiae [familiae] ſub Edwardo ſexto Cenſor et ipſi fuit ab arcanis conſiliis. Ceſſit naturae ſeptuagenario minor ſeptimo Maii 1615.

XLII. Robertus Abbot.

1615. Jac. I. 13. ROBERTUS ABBOT, Theologiae verè Doctor, ejuſdemque facultatis in Academia Oxonienſi Profeſſor Regius, ac Collegii Balliolenſis ibidem Praefectus, poſt errores Pontificios ab eodem nervoſe (ſcriptis editis) confutatos, in Epiſcopum Sarisburienſem conſecratus tertio Decembris [l] 1615. In hoc Seffridi Ciceſtrenſis foelicitatem aequavit, quod Epiſcopus ipſe, fratrem videre contigerit Archiepiſcopum Cantuarienſem. Nondum ſexagenarius vitam cum morte commutavit, cùm ſediſſet ſupra annos duos menſes tres. Martii videlicet circiter 2. 1617.

---

[f] Non immediate, Edm. enim Freake conſecratus fuit in Epiſc. Roffenſem A. 1571 et Piers A. 1576.

[g] Licent. eligendi conceſſa eſt 29 Apr. 1577.——Regium habet Aſſenſum 27 Nov. et Temporalia reſtituta 23 Dec. *Rym. Foed.* T. 15. p. 776, 783.——Prius confirmatus ab Archiepiſcopo 2 Dec. *Regiſtr. Grind.*

[h] *Regiſtr. Whitg.* f. 79.

[i] Natus apud Warblington in Comitatu Hantoniae, *Fuller in Com. Hant.*

[k] *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 24.

[l] *Regiſtr. Abbot.* f. 58.

XLIII. MARTINUS FOTHERBY.

1618. JAC. 1. 16.

SUCCESSIT illi Martinus Fotherby, ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus decimo nono[m] Aprilis 1618. Temporis diuturnitate quo praefuit anteceſſore nihilo foelicior, nondum biennio completo, debitum naturae perſolvit menſe Martio ſub finem anni 1619. Caetera pro me narrabit Epitaphium frontiſpicio tumuli inſcriptum, in Eccleſia Omnium Sanctorum viſendum Londini, in vico vulgo Lombard-Street nuncupato.

DEPOSITUM

“ R. in Chriſto Patris ac D. D. Martini Fotherby, olim Sariſburienſis Epiſcopi, qui ex antiqua et vere generoſa de Grimſley magna in Comitatu Lincolnienſi familia oriundus; Cantabrigiam inde accitus, et Collegii S. Trinitatis Socius meritiſſimè cooptatus, ſingulis atque ordine ſummis Academiae gradibus eſt inſignitus. Hic poſtquam celebris, Eccleſiae Cathedralis ac Metropoliticae Chriſti Cantuarienſis Praebendarius annos 22 perduraſſet; tandem per ſereniſſimum Regem Jacobum (cui et à Sacris erat) ad Epiſcopatum Sarum evectus eſt. Vixit, omni ſcientiarum humanarum, divinarum genere vir inſtructiſſimus; concionator idem diſertiſſimus; haereſin et hypocriſin validiſſime peroſus; vitaeque ac morum tum gravitate tum ſuavitate eximius; exteriori corporis decore ſpectabilis; politiori ſermonis eligantia praeſtans; potioribus animi dotibus adornatus, memoria nempe fideli, ingenio foelici, judicio acri, et in rerum adminiſtratione prudentia admirabili; omnibus ſane numeris quos humana capit conditio adeo conſummatus, ut vel primariis viris facile exaequandus, nullis exuperandus eſſet. Adverſus Atheos doctiſſimum opus inſtituit; cujus auſpicium, et quaſi veſtibulum, Londini (heu moriens) typis mandandum reliquit. Corpus hic Sepulchro donari petiit ſub beata reſurrectionis ſpe. Spiritum ipſe ſuum immortalem, Patri ſpirituum pie placideque reddidit undecimo Martii anno aerae Chriſtianae 1619, aetatis ſuae 60.”

XLIV. ROBERTUS TOUNSON.

1620. JAC. 1. 18.

JULII nono[n] 1620 conſecratus eſt in Epiſcopum hujus Eccleſiae Robertus Tounſon[o], ſacrae Theologiae Doctor et Weſtmonaſterienſis

---

[m] *Regiſtr. Abbot.* f. 119.

[n] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 49.

[o] Natus in Parochia S. Botolphi Cantabr. Collegii Regalis ibidem Socius, et Regis Jacobi Capellanus.

Decanus. Hic etiam exiguo tempore conſecrationi ſuae ſuperſtes, anno nimirum nondum circumacto, ab hac luce ſubtractus eſt, circa medium menſis[p] Maii proxime ſequentis.

XLV. JOANNES DAVENANT.

1621. Jac. I. 19. DECIMO octavo[q] Novembris 1621 Joannes Davenant[r] ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Reginenſis Cantabrigiae Praeſes, Praelector Theologicus D. Margaretae, ad hanc ſedem eſt conſecratus una cum Exonienſi et Menevenſi electis. Sic annis nondum ſeptem tranſactis, quinque viderunt Sariſburienſes Eccleſiae ſuae Epiſcopos, qui omnes eadem in ſede defuncti ſunt, praeter hunc qui hodie praeeſt. Hic unus fuit ex Theologis illis noſtratibus, qui Synodo Dordrechtanae annis 1618 et 1619 interfuerunt.

* * *

Summae fuit eruditionis, et magni nominis Theologus. Anno 1629 coram Rege Carolo cùm concionem habens controverſiam, ut vocabatur, quinquarticularem, vehementius quam par erat, agitaret, audientium animos offendebat[s]. Phthiſi conſumptus obiit viceſimo Aprilis 1641, tempore ſane opportuno, cum atrociſſima illa quae brevi Eccleſiam atque Remp. oppreſſerunt mala nec videre nec pati contigerit. In Eccleſia Cathedrali ſepultus jacet, ubi marmor honorarium extat ipſius memoriae ſacrum.

XLVI. BRIANUS DUPPA.

1641. Car. I. 17. UTCUNQUE per tumultus Civiles Epiſcopalis authoritas pene extincta jaceret, ne tamen ordo ipſe et ſucceſſio intercideret cavit uſque Rex pius, et proinde à Dioeceſi Ciceſtrenſi ad hanc Sariſburienſem transferri voluit Brianum Duppa A. 1641: Qui titulo quidem illo, ſed ſterili et indotato, ad uſque Carolum reſtauratum gaudebat, tum verò ad Wintonienſem illico tranſlatus.

XLVII. HUMPHREDUS HENCHMAN.

1660. Car. 2. 12. HUMPHREDUS HENCHMAN Eccleſiae Sariſburienſis Praecentor, qui Carolum ſecundum fatali illo prope Wigorniam praelio victum, et de vita periclitantem, magna fide, conſilio et fortitudine adjuvit, à Rege beneficiorum haud immemori in Epiſcopum hujus Dioeceſeos conſecratus eſt viceſimo octavo Octobris 1660. Ad ſedem Londinenſem tranſlatus Septembris decimo quinto 1663.

---

[p] Maii decimo quinto 1621 Weſtmonaſterii, et in Abbatia Weſtmonaſterienſi ſepultus jacet.

[q] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 69.

[r] Natus Londini in Parochia Omnium Sanctorum in vico dicto ***Watlin Street***. Ex antiqua Davenantium in Com. Eſſexiae familia oriundus.

[s] *Collier. Dict. Hiſtor.* V. 2 p. 750.

XLVIII. JOANNES EARLE.

SUCCESSIT Joannes Earle à Dioeceſi Wigornienſi tranſlatus, Collegii Mertonenſis Oxon. aliquando Socius, et Eccleſiae Sarisburienſis Cancellarius, vir ingenii perelegantis et acuti. 1663. CAR. 2. 15. Cum in ea Rep. ubi Hierarchia et Monarchia extinctae jacebant ſibi vivendum non eſſe ſentiret, ad Antwerpiam migravit generoſus exul, ibi diu commoratus; aliquando tandem Carolum reſtauratum fortunae melioris comes in patriam ſecutus, illico Weſtmonaſterienſis Eccleſiae Decanus eſt conſtitutus; anno 1662 Epiſcopus fit Wigornienſis, et Septembris viceſimo ſexto 1663[t] ad Epiſcopatum Sarisburienſem tranſlatus. Calculi doloribus confectus Oxonii obiit decimo ſeptimo Novembris 1665. Aet. 65, et juxta altare in capella Collegii Mertonenſis ſepultus ubi marmor extat honorarium, hoc elogio inſcriptum.

“ Amice, ſi quis hic ſepultus eſt, roges: Ille, qui nec meruit unquam,
“ nec quod majus eſt, habuit inimicum; Qui potuit in Aula vivere et
“ mundum ſpernere, Concionator educatus inter Principes, et ipſe facile
“ Princeps inter Concionatores: Evangeliſta indefeſſus, Epiſcopus pientiſſimus;
“ Ille qui unà cum Sacratiſſimo Rege, cujus et juvenilium
“ ſtudiorum, et animae Deo charae curam à beatiſſimo Patre demandatam
“ geſſit, nobile ac religioſum exilium eſt paſſus; Ille qui HOOKERI
“ ingentis *Politiam Eccleſiaſticam*, Ille qui CAROLI Martyris Εἰκόνα Βασιλικήν
“ (volumen quo poſt Apocalypſin divinius nullum) legavit orbi ſic Latinè
“ redditas, ut uterque unius Fidei Defenſor, patriam adhuc retineat
“ Majeſtatem; Si nomen ejus necdum tibi ſuboleat, Lector, nomen
“ ejus ut unguenta pretioſa; JOANNES EARLE *Eboracenſis*, ſereniſſimo
“ CAROLO ſecundo Regii oratorii Clericus, Eccleſiae aliquando *Weſtmonaſterienſis*
“ Decanus, deinde *Wigornienſis*, tandem *Sarisburienſis*, et
“ nunc *triumphantis* Angelus. Obiit Oxonii Novembr. 17. A.D. 1665,
“ Aetatis ſuae 65. Voluitque in hoc, ubi olim floruerat Collegio, ex
“ Aede Chriſti huc in Socium aſcitus, Ver magnum, ut refloreſcat, expectare.”

---

[t] *Regiſtr. Juxon.* f. 353.

XLIX. ALEXANDER HYDE.

1665. Car. 2. 17. CUM eſſet alicujus inſtar meriti eum virum quo neque Eccleſia Anglicana, nec Reſp. patronum unquam nacta eſt meliorem, cognatione attigiſſe, Alexander Hyde [u] L. L. D. aliquando Collegii Novi Oxon. Socius, deinde Decanus Wintonienſis, Edwardi Comitis de Clarendon commendatione adjutus ad Epiſcopatum Sarisburienſem eſt evectus, Oxon. conſecratus tertio Decembris 1665: et eo quidem vix per biennium potitus obiit Auguſti viceſimo ſecundo 1667: in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet.

L. SETH WARD.

1667. Car. 2. 19. IN Dioeceſin, per viginti ſolum dies vacantem, ſufficitur Seth Ward Collegii Sidneienſis Cantabrigiae aliquando Socius, inde à perduellibus ejectus anno 1643: verum temporibus ſervire doctus ſuique memor, ab iiſdem jam victoribus in Academia Oxonienſi Aſtronomiae Profeſſor Savilianus conſtituitur, et Collegii Trinitatis ibidem Praeſes. Idem poſtmodo temporibus mutatis obſequio facili ſe accommodavit, et anno 1661 Decanus, deinde Epiſcopus Exonienſis nominatur, ad Sarisburiam tranſlatus duodecimo Septembris 1667 [x]. Anno 1669 libellum ſupplicem Regi exhibuit, poſtulans ut Cancellariatus Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidis titulus et jus, jam olim ab Epiſcopis Sarisburienſibus ad Laicos Proceres tranſlatus, ſibi et ſucceſſoribus ſuis poſtliminio reſtitueretur; quod quidem Regis et Sociorum, ea de cauſa conventum capitularem celebrantium, conſenſu unanimi fuit impetratum et effectum [y]. Aetate in ſenium vergente, ea erat animi atque corporis imbecillitas, ut vita illi non amplius vitalis eſſet, ut in eodem homine conſpici poſſet, quantum laudis aſſequi potuit humani ingenii vis, quantum dedecoris pati mortalis conditio. Collegio Sidneienſi Suſſ. mille libras donavit, et juxta Eccleſiam Sarisburienſem Ptochotrophium erexit in alimoniam viduarum è reverendo grege pauperiorum, alterum apud Buntingford natale ſolium: et Cantabrigiae, in Collegio Chriſti ſex Scholares in perpetuum fundavit. Obiit ſexto Januarii 1688, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

---

[u] Filius Laurentii Militis, in civitate Sariſburienſi natus.

[x] *Regiſtr Juxon* f. 302.

[y] *Hiſtor. Angl.* V. 3. p. 278.

LI. GILBERTUS BURNET.

1689. GUL. et MAR. 1. CUM diadema Regale de Jacobi capite excuſſum populo Anglicano plaudente ad Gulielmum tertium tranſferretur, nihil prius habuit Rex recens conſtitutus quam ut Gilbertum Burnet, cujus opera in rebus dubiis trepidiſque feliciter erat uſus, ad Epiſcopatum Sarisburienſem tum vacantem eveheret, qui conſecratus eſt triceſimo primo Martii 1689. De eo quidem, cum temporis ſui hiſtoriam ipſe conſcripſerit, ſui non parcus laudator, parcius erit à me dicendum.

In Civitate Edinburgenſi natus, in Academia Aberdenenſi educatus, et anno aetatis 26 Theologiae in Academia Glaſcovienſi Profeſſor erat conſtitutus; ingenii certe praefervidi et praecoſis: rebus politicis ſe penitus immiſcuit; aliquid uſque moliens, et magna ſibi arrogans ſupra quam credi poſſit: nimium placere vel diſplicere ſedulus, aliquando in gratiam, ſaepius in odium incidit. Exteras provincias ſaepius peragravit, et aliquando exul in Hollandia conſedit, non tam hoſpes quam civis: Ibi Principi Auriaco in familiaritatem admiſſus, ea cum ipſo communicavit conſilia, quae aliquando populo Anglicano ad libertatem recuperandam viam patefecerunt. Verum re jam effecta et in melius conſtituta, non amplius in negotiis publicis adminiſtrandis hominis, nova quaedam et magna molientis, autoritas valebat, quo tempore, ad conciliandos hominum animos, conſiliis opus erat moderatioribus. Itaque ergo ad Dioeceſeos curam ſe contulit; laudabili exemplo oſtendens, quid Epiſcopi efficere potuit et debuit autoritas. Obiit decimo ſeptimo Martii 1714, Aetatis 72, in Eccleſia D. Jacobi Clerkenwell Londinum juxta ſepultus.

LII. GULIELMUS TALBOT.

1715. GEO. 1. 1. IN defuncti locum ſucceſſit Gulielmus Talbot, à Dioeceſi Oxonienſi tranſlatus viceſimo tertio Aprilis 1715, et cum circiter ſex annos ſedem Sarisburienſem tenuiſſet, Dunelmum migravit; ubi de eo plura.

LIII. RICHARDUS WILLIS.

1721. GEO. 1. 8. NOVEMBRIS viceſimo primo 1721 Richardus Willis à regimine Gloceſtrenſis Eccleſiae huc tranſlatus eſt, et duobus poſtea annis Wintoniam migravit.

LIV. BENJAMIN HOADLY.

1723. Geo.1.10. HUIC ſucceſſit Benjamin Hoadly à ſede Herefordenſi tranſlatus viceſimo nono Octobris 1723, et anno 1734, deceſſoris veſtigia ſecutus, ad Wintonienſem itidem migravit.

LV. THOMAS SHERLOCK.

1734. Geo.2.8. A DIOECESI Bangorenſi ad Sarisburienſem regendam evocatur Thomas Sherlock, ſacrae Theologiae Profeſſor, octavo Novembris 1734, vir tum de Rep. tum Eccleſia Anglicana optime meritus, ingenio, ſcriptis, autoritate, beneficentia, quorum fructus poſteris ad quos pervenerint praedicandos relinquo.


HONI SOIT QUI MAL Y PENSE



De EPISCOPIS BATHONENSIBUS ET WELLENSIBUS.

CIVITAS Wellenſis[a] (quod ex charta quadam Edwardi Confeſſoris didici) Tidintona olim appellata eſt. Haec (ut videtur) haud antiquam repetit originem. Neque enim mentionem ejus uſquam reperi factam, ante tempora Inae Viſiſaxonum, ſeu mavis Occidentalium Saxonum Regis, qui Eccleſiam ibi loci dicitur conſtruxiſſe, D. Andreae dedicatam honori, anno Chriſti 704. Anno poſt id temporis plus minus ſexageſimo, Kenulphus Viſiſaxonum ſimiliter Rex, ad alimenta miniſtrorum qui ſacris in antedicta Eccleſia operarentur, praedia contulit circumjacentia, prout in diplomate ſubſequenti patebit, quod cum propter antiquitatem tum alias forte ob cauſas, adſcribere operae pretium duxi.

“ In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cum conſtet omnibus Ca-
“ tholicis et recte credentibus in Domino, quod tempora hujus temporalis
“ vitae longe lateque per orbem incertis ac diverſis cauſis quotidie tran-
“ ſeunt, necnon homines ſubitanea aegritudine praeventi, ſtatim vitam

---

[a] Villa à copia fonticulorum ſic dicta.

“ finiendo deſerunt, ſimulque omnia fugitiva amittunt: Beneficia Do-
“ mini ſine aliqua tarditate pauperibus hic tribuendo erogemus, ut illic
“ fructum mercedis in aeterna patria ſine fine cum Domino foeliciter
“ accipiamus. Quapropter, ego Cynewlphus Occidentalium Saxonum
“ Rex, aliquam terrae partem pro amore Dei, et pro expiatione delicto-
“ rum meorum, necnon (quod verbo dolendum eſt) pro aliqua vexatione
“ inimicorum noſtrorum, Cornubiorum gentis, cum conſenſu Epiſcopo-
“ rum atque Satraparum meorum, Dei Apoſtolo atque miniſtro Sancto
“ Andreae humiliter aſcribendo donabo: Hoc eſt, undecim manentium
“ prope fluvium qui dicitur [b] *Welwe* ad augmentum Monaſterii quod ſi-
“ tum eſt juxta fontem magnum quem vocitant *Wielea* (ut eo diligentius
“ in Eccleſia Sancti Andreae Apoſtoli, Deo ſoli deſerviant) hiis territoriis
“ circumſcriptam: A Meridie de valle quae dicitur *Aſancumb*; in Oc-
“ cidentali plaga, in unum fontem qui appellatur *Diornanwiel*, deinde
“ in collem quem incolae appellant *Dornhil*; deinde in deſertum *on*
“ *picelon dorn*, et tunc ultra flumen *Welwe* in fontem *Holanwiell*, et
“ inde in deſertum in unam foſſam quae eſt juxta fontem rivuli quem
“ incolae vocitant *Sealtbroc*, et tunc in eundem rivulum uſque flumen
“ *Welwe*; deinde in ripam fluminis uſque vadum *Welwe*; et tunc in
“ viam publicam uſque *Sambucin* quem vocitant *Ellentrow*, et inde in
“ torrentem lutoſum, in vadum Orientalem, inde ſurſum per campeſtria
“ inter duas petroſas vias ad ſupra nominatum vallem *Aſancumb*. Siquis
“ haec infringere vel imminuere auſus ſit; ſciat ſe coram Chriſto et ſan-
“ ctis Angelis ejus in ultimo examine rationem redditurum. Scripta eſt
“ haec ſyngrapha anno Dominicae incarnationis 766, indictione 12.

“ Ego Cynewlfus Gewiſorum Rex, hanc meam donationem cum
“ ſignaculo ſanctae crucis roboravi.

“ Ego Herewaldus Epiſcopus, hujus munificentiae chartulam pro-
“ pria manu ſignavi.

“ Ego Ernehardus Epiſcopus huic largitati conſenſi et ſubſcripſi.

Cathedra Epiſcopalis ibi loci adhuc non erat collocata, ſed Collegium ſolum, ſeu mavis Coenobium inſtitutum. Plegmundus tandem Cantuarienſis, cum anno 905 ſeptem ſimul ordinaret Epiſcopos (qua de re ſupra) quorum tres in ſedibus novis tunc erectis per Edwardum ſeniorem Regem ſunt collocati: Adelmus Abbas Glaſtonienſis in Epiſcopum Wellenſem conſecratus eſt.

I. [c] ADELMUS igitur Epiſcoporum Wellenſium primus fuit, qui cum annos ſediſſet decem, ad Archipraeſulatum Cantuarienſem hinc tranſlatus eſt [d].

II. [e] WIFELINUS, alias dictus Wlfhelmus, Adelmo tam Cantuariae quam Welliae ſucceſſit, ubi novem tranſegit annos; *homo* (ut Pol. Virgilius [f]) *doctrina et ſanctitate clarus*.

III. [g] ELFETH, aliis etiam Elphegus et Alphegus.

IV. [h] WULFHELMUS. Nuda nomina hii duo, ſine aliqua rerum geſtarum memoria, ad poſteros tranſmiſerunt.

---

[b] Lat. Belga.

[c] ATHELMUS, *Malmeſb. Diceto.* AETHELMUS, *Flor. Wigorn.* Conſecratus eſt a Phlegmundo Archiepiſcopo, unà cum ſex aliis A. 905. *Concil. Angl.* Tom. 1. p. 200. Hoc factum eſt non anno 905 ſed 909 poſt obitum Epiſcoporum Wintoniae et Scirebur. Et quod dictum eſt de Bulla Formoſi Papae falſum eſſe ex eo conſtat, quod mortem obiit Formoſus anno 895.

[d] Circa A. 923.

[e] Succeſſit A. 923 vel 924. poſt Athelmi Tranſlationem, et A. 928 Cantuariam migravit.

[f] Lib. 6.

[g] ALPHEAGUS, *Flor. Wigorn.* AELFEGUS, *Weſtm.* ELFEH. *Malmeſb.* ELFECHE, *Can. Wellen.*

[h] Subſcripſit Chartae Edmundi Regis ad Monaſterium Glaſton. A. 944. *MS. Wood.*

[958.] V. [i] **Brithelmus**, Monachus Glaſtonienſis, Wellenſis Epiſcopus creatus eſt anno 958. Coenobio Glaſtonienſi hic conceſſit juriſdictionem regionis vicinae, et Archidiaconum à Monachis et è Monachis annuatim eligendum ordinavit, qui illam adminiſtraret. Anno 959 in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus eſt[k]; quod muneris cur repudiaverit ſupra demonſtravimus[l]. Obiit anno 973[m].

VI. [n] **Kinewardus** vel **Kinewoldus**, Abbas Middeltonenſis[o], Epiſcopus Wellenſis factus anno ſequenti, ſedit annos 11 et anno demum 985 deceſſit, ſi non (quod Wigornienſis habet) 975[p], mendoſe vero ut opinor.

[975.] VII. **Sigarus**[q], Abbas Glaſtonienſis[r] annos ſimiliter ſedens 11 obiit 995.

[997.] VIII. [s] **Alwynus** ſucceſſit[t], aliis dictus Adelwinus, atque aliis itidem Ealſwinus.

IX. [u] **Burwoldus**. Illius nomine inſcriptum monumentum viſitur ab Auſtrali parte chori Wellenſis.

X. [x] **Leoningus**, Cantuariam tranſlatus anno 1012[y].

[1013.] XI. [z] **Ethelwinus**, Epiſcopatu ejectus per Brithwinum, reſtitutus; brevi poſt mortem obiit.

XII. **Brithwinus**, defuncti Ethelwini ſede, nemine jam repugnante, occupata, adverſario tredecim tantum dies ſuperſtes interiit.

[1027.] XIII. [a] **Merewith**, Abbas Glaſtonienſis ſucceſſit.

*1033. XIV. [b] **Dudoca**, nonnullis Bodeca, è Saxonia Germaniae oriundus, aut (ut quibuſdam placet[c]) è Lotharingia, Edwardi Confeſſoris dono accepit manneria de Congresburia et Banwel. Conſecratus eſt anno 1031[d], ſeditque annos 27 menſes 7 dieſque itidem ſeptem, et ab Auſtrali parte ſummi altaris dicitur humatus. Veterum monumentorum quae inter columnas viſuntur hodie extra chorum, ſupremum illud, ab Auſtrali latere, hujus Dudocae fuiſſe crediderim; in tantum nimirum poſterioribus ſeculis aucta Eccleſiae fabrica, ut non procul ab hoc tumulo ſitum olim fuiſſe ſummum altare facile quis ſuſpicetur.

◆ ◆ ◆

XV. GISO.

1059. GISO, qui patria Lotharingus, natus perhibetur in villa quadam ruſticana S. Trudonis dicta, in territorio Haſbanenſi; Romam miſſus

---

[i] *Malmeſb.*

[k] *Hoved.* f. 244. *Mailr.*

[l] Apud Cantuarienſes.

[m] Maii 15 *Hiſtor. Glaſton.* 973, et Welliae ſepultus eſt. *Flor. Wigorn.*

[n] *Malmeſb. et Florent.* Kinewaldus, *Weſtm.* Cyneweardus, *Chron. Saxon.*

[o] *Wigorn.*

[p] Jul. 8. 975. *Chron. Saxon.*

[q] Succeſſit anno 975. Subſcripſit Chartae Ethelredi Regis A. 995. et obiit 997. *MS. Coll. Trin. Cant.* Junii 28 die *Hiſt. Glaſton. in Monaſt. Anglic.* T. 1. p. 9.

[r] *M. Weſtm.* et *Malmeſb.*

[s] Elwinus, *Malmeſb.* Aelfwinus, *Weſtmon.* Alfwinus, *Flor. Wigorn.*

[t] A. 997. *Weſtm.* De quo adeo nihil memoratur, ut ne nomen quidem niſi varietate iſta obſcuratum habeamus; ita Godw. ipſe in *MS. Trin.* Obiiſſe videtur circa annum milleſimum.

[u] Sedem breviſſimo tempore tenuiſſe cenſeri poteſt. Unde factum eſt, ut de illo altum ſit inter alios ſilentium. *Wharton.* V. 1. p. 557.

[x] De hoc Epiſcopo, qui ſucceſſiſſe videtur A. 1001, ita diſſerit Author ipſe *in MS. laudato*, p. 8. “ Elphego per Danos interempto ſucceſſor datus eſt in Eccleſia Cantuarienſi anno 1012. Quo tempore Danicis furoribus Anglia univerſa aeſtuabat. Hic igitur poſtquam è carcere liberatus eſt, in quo Daci nequiſſimi eum ſeptem menſes detenuerant, in exilium abiit ſponte, nec ante rediit, quam Swani Regis morte in patria omnia pacata audivit, et bellicos tumultus conquieviſſe, Ethelredum Regem rediiſſe rerumque iterum potiri: Quo brevi mortuo, Edmundum (qui ob egregiam fortitudinem Ferreum-latus dictus eſt) Regio inſignivit Diademate: Illoque per inſidias perfidi Ducis Edrici Streonae ſublato, Canutum Swani Dacorum Regis filium Regiis ſimiliter inſignibus inveſtivit. Sedit in Eccleſia Cantuarienſi paulo plus quam 7 annos, et tandem obiit in pace anno 1020.”

[y] 1013. *Wigorn.*

[z] Inter hunc et Brithwinum quotidiana fuerat contentio, alter alterum ejiciendo, *Malmeſbur.* L. 2. p. 144. Brithwinus verò ſupervixit diebus 13, *Canon. Wellenſ.* p. 558. deceſſit circa Annum 1026.

[a] Mervith et Merewitt natione Lotharingus. *Malmeſb. de geſt. Pont.* L. 2. f. 144. b. Merethwith, *Diceto.* Birthwius, *Floren.* Succeſſit 1027. Obiit anno 1034, et ſepultus jacet in Aquilonari porticu. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 9.

[b] *Flor. Wigorn.* Dudocus, *id.* Dudeca, *Rad. Dicet.*

[c] *Hoved.* f. 255.

[d] A. 1033. Obiit enim A. 1060, teſtibus *Weſtmonaſt. Florentio, Dunelm.* et *Hovedeno*, poſtquam hanc gubernaſſet Eccleſiam annos 27 et menſes 7.

Legatus ad Pontificem per Edwardum Confeſſorem [e], ut ipſum de rebus nonnullis ad religionis cultum ſpectantibus conſuleret; in Wellenſem Epiſcopum abſens eligitur, et Romae conſecratus eſt Aprilis quarto [f] in ipſo Paſchatis feſto die, una cum Aldredo Eboracenſi et Waltero Herefordenſi Praeſulibus. In patriam reverſus, Eccleſiae ſuae ſtatum vehementer perturbatum offendit. Haraldus Reginae frater, qui poſtea regno ad tempus potitus,

> (“ Quid domini facient audent qui talia ſervi ?)

neſcio unde ſumpta occaſione, Eccleſiam omnibus ornamentis ſpoliaverat, Canonicos inde ejecerat, et praedia illorum occupando, ſui juris fecerat: Ita ut Canonici, qui metu non diffugerant (hii tantum quinque fuiſſe perhibentur) ſtipem oſtiatim emendicare cogerentur. Quare apud Regem, Sanctum illum Edwardum, de tam atroci injuria Epiſcopus graviſſimam querimoniam deponit; à quo tamen (quantumvis Sancto) ſive potentiam Haraldi, ſive offenſam uxoris verito, nihil profecto impetrat. Regina vero de ſuo patrimonio duo manneria Epiſcopo largita eſt, Marcam et Modeſleiam. Defuncto Rege, in exilium ſponte Giſo profugit, neque rediit, donec Haraldo ſuperato, Eccleſiae noſtrae [g] vaſtatore, regnum ejus aſſeruiſſet ſibi Gulielmus Normannus; qui omnia nobis erepta reſtituit illico, praeter agelli nonnihil quod ad Coenobium Glouceſtrenſe, neſcio quo pacto, pervenerat. Cujus tamen loco contulit nobis mannerium et Eccleſiam de Yatton; et Ealſium quendam coegit mannerium de Winſham reſtituere, quod haud bono jure jam diu uſurpaſſe videbatur. His rebus ex animi ſententia confectis, omnem tamen diligentiam adhibuit Giſo, quo alia ab aliis ſubtracta, reddenda nobis curaret; in acquirendo deinde quae deeſſe videbantur multum ſudavit, et acquiſita diplomatis Regiis confirmando. Ab aulico quodam, Arſero nomine, mannerium comparavit de Wormiſter, Litton, atque Comba Sancti Nicolai. Et quae privilegia à Rege impetrarit, longum eſſet commemorare. Auctis ita Eccleſiae opibus, augere etiam viſum Canonicorum numerum; atque ut commodius victitarent, clauſtrum illis extruere ubi ambulare, refectorium ubi cibum ſumere, ac dormitorium ubi omnes poſſent quieſcere. Conſtituit denique qui praeeſſet illis Iſaacum nomine, et hunc Praepoſitum voluit appellari. Ceſſit tandem naturae, cum ſediſſet in hac Eccleſia annos 28, et ſepultus eſt ab Aquilonari parte loci ubi ſummum altare tunc temporis ſitum erat, è regione Dudocae [h]. Nec mihi dubium eſt, ex vetuſtis illis tumulis quos ab Aquilonari parte chori videmus collocatos, ſupremum ad hunc Giſonem ſpectare; virum à nobis propter multa in Eccleſiam noſtram collata beneficia, cum omni gratitudine celebrandum.

XVI. JOANNES DE VILLULA.

1088. Gul. 2. 2. QUI ſucceſſit, Joannes de Villula, patria Turonenſis fuit [i], arte medicus, ex eorum genere quos Empiricos hodie appellamus, *uſu non*

---

[e] Cui Capellanus erat. *Hoved.* f. 255.

[f] Aprilis 15 ipſo die Paſchali A. 1061. *Weſtmon.* vid. inter Archiepiſcopos Eborac. Lanfrancum Archiepiſc. ſacravit A. 1070, et interfuit Synodo Londinenſi A. 1075. *Concil. Angl.* T. 1. p. 364. et à nonnullis obiiſſe dicitur A. 1088. *Annal. Winton.* ab aliis vero 1087. *MS. Jeſ.*

[g] Author hic Canonicus quandoque fuit Eccleſiae Wellenſis.

[h] Dudoca in Auſtrali parte, hic in Aquilonari.

[i] Et ejuſdem Eccleſiae Presbyter.

literis medicus probatus, ut verbis utar Malmeſburienſis[k] qui hominem novit. Hic adeo nihil curavit facere quo Eccleſiam et Canonicos ſuos ornaret ac amplificaret; ut è contra, quo pacto utriſque officeret, omnem operam adhibuiſſe videatur. Nam clauſtrum, caeteraque aedificia quae per Giſonem extructa memoravi, demolitus eſt, et eorum loco ſibi ſucceſſoribuſque palatium condidit; Canonicis ad oppidanos amandatis, ut inter illos habitacula quaererent. Sed levis haec injuria prae illa quam mox commemorabo. “ Minoris gloriae putans (inquit Malmeſburienſis[l]) “ ſi in villa reſideret inglorius, transferre thronum in Bathoniam (Canonicis ſuis et inconſultis et invitis) animo intendit. Sed cum id inaniter “ vivente Gulielmo patre[m] cogitaſſet, tempore Gulielmi filii effecit. Nec “ eo contentus, totam etiam civitatem in ſuos et ſuorum uſus tranſtulit, “ ab Henrico Rege quingentis libris argenti mercatus urbem in qua “ balnearum calidarum latex exurgit.—Ibi Rex Offa monaſterium poſuerat: Et Edgarus, ſicut pleraque alia more ſuo auxerat, delectatus “ loci magnificentia, et quod ibi coronam regni ſuſceperat. Hanc ergo “ Abbatiam Joannes à Rege non gravate obtinuit.—Multa ibi nobiliter “ per eum incepta et conſummata in ornamentis et libris, maximeque “ Monachorum congregatione, qui erant ſcientia literarum et ſedulitate “ officiorum juxta praedicabiles.—Literatorum contubernio gaudebat, ut “ eorum ſocietate aliquid ſibi laudis adſciſceret. Salſioris tamen in obloquentes dicacitatis, quam gradus ejus intereſſe deberet. Valetudinis “ bonae, dapſilis cum in ſe tum in alios. Obiit grandaevus nono Decembris 1122[n], cum annos ſediſſet 34, et ſepultus eſt in Eccleſia S. Petri “ quam à fundamentis erexerat, magno et elaborato parietum ambitu. “ Ceſſit enim Andreas Simoni fratri, frater major minori.” Haec ille. Quibus adjiciendum, Offam quidem Merciorum Regem Coenobium Bathoniae primum poſuiſſe anno 775, quod à Danis incenſum ac deletum funditus, Edgarus aliquantulum fortaſſis refecit; ſed reſtituit plane Elphegus, qui ex Abbate ejuſdem, Wintonienſis anno 984, et Cantuarienſis 1006[o], factus eſt Antiſtes. Sed nec ab illo aedificata diu ſtetere. Et Coenobium et Civitas univerſa, incendio abſumpta anno 1087, ut huic Epiſcopo ſedem ibi poſituro, à fundamentis novum excitare fuerit neceſſe; quod magnifice adeo praeſtitit, praediis etiam (quae antea perquam erant exilia) ad eam copiam et affluentiam adauctis, ut ejuſdem haud injuria fundator fortaſſis dici mereatur. Atque haec de Joanne, Bathonenſis Eccleſiae Epiſcopo primo, qui ibi, conatu tantum non irrito, cathedram ſedis ſuae ſtabilire ſatagebat. Nam in fatis non erat ut Wellenſes eo honore prorſus exciderent, ſicuti poſtea Deo volente demonſtrabimus.

---

[k] *De Regib.* L. 4. f. 72. b. [l] *De Pontif.* L. 2. f. 144. b. [m] Willelmo Patre regnante nondum erat Epiſcopus.—Apud Wellas à tempore Regis Edwardi ſenioris uſque ad tempus W. Rufi, Epiſcopi ſedebant. [n] Anno 1122 obiiſſe patet ex fide *Flor. Wigorn. Pariſienſis, Florilegi, Hunting. et Hovedeni. Chron. verò S. Crucis* annum 1123 aſſignat. *Florent. Wigorn. Continuator* diem eſſe 29 Decemb. narrat; *Simeon Dunelm.* Decemb. 26. *in die Natali Domini ſubito poſt prandium dolore cordis correptus, ſequenti die moritur.* [o] 1005. vid. ſupr. p. 54. Not. [u].

XVII. GODEFRIDUS.

1123. Hen. I. 23. SATAGENTE Regina, Godefridus quidam [p], patria Belga, ad hunc evectus eſt Praeſulatum, Londini conſecratus [in Eccleſia Divi Pauli] Auguſti viceſimo ſexto [q] 1123. Reginae olim à ſacris, et Angliae quandoque ſub Henrico primo fuit Cancellarius. Cum ſediſſet annos duodecim debitum naturae perſolvit decimo ſexto Auguſti [r] 1135, et Bathoniae jacet humatus.

XVIII. ROBERTUS.

*1135. Steph. I. SUCCESSIT illi Robertus quidam Monachus Lewenſis, qui in Normannia quidem, ſed parentibus Flandris natus [s] [Henrici Wintonienſis Epiſcopi opera ad hunc Praeſulatum evectus eſt.] Vix dum plane conſederat, quando Eccleſia ſua Bathonenſis, per Joannem nuper conſtructa, iterum conflagravit [t]. Hanc priſtino ſplendori iſte reſtituit, ornamentis porro additis non paucis. In civilis belli ſub Stephano Rege tumultu, incommoda paſſus eſt permagna, Galfridum Talbot Matildianarum partium ducem captivum ceperat, Bathoniam clanculum pro exploratore ingreſſum. Hunc Briſtowenſes (qui Matildi ſtudebant) in libertatem volentes vindicare, manu facta, Bathoniam improviſi advolant, et de tam audaci facinore, ne per ſomnium quidem cogitantem, Epiſcopum in media civitate comprehendunt, et antequam ſubveniri poſſet, abreptum in carcere Briſtoliae condunt. Quare, ut ſe jam captum redimat, Talbotum coactus eſt vinculis expedire; id quod Rex tulit aegerrimè, ex compoſito haec ita geſta ſuſpicatus, quaſi non invitus captus fuerit Epiſcopus, quò (largitione corruptus) hoſtem Regis capitalem, magnaeque potentiae virum, liberandi haberet praetextum. Poſt multas minas et cuſtodiam haud nimis (credo) arctam, à clementiſſimo Rege liber tandem dimiſſus eſt et in gratiam receptus. Exorta eſt interea, de ſede Epiſcopali, inter Bathonenſes et Wellenſes ingens diſcordia. Rem per compromiſſum ad Epiſcopi arbitrium delatam, ille ſic ordinavit, ut illius dioeceſis Antiſtites, nec Wellenſes dicerentur ut olim, nec Bathonenſes ut nuper; ſed ab utraque Eccleſia nomenclaturam mutuantes, nuncuparentur in poſterum Bathonenſes et Wellenſes Epiſcopi. Conſtituit etiam, ut ſede vacante, ab utraque Eccleſia pari numero delegati, ſuis ſuffragiis novum Praeſulem deſignarent, quem oportuit utrobique et Bathoniae nimirum et Welliae inſtallari. In Eccleſia Wellenſi Praepoſitum quendam collocarat Joannem de Villula, propinquum ſuum, qui muneris hujuſmodi praetextu, fructus omnes praediorum ipſe ſolitus percipere, exiguam tantummodo partem Canonicis impertiri conſuevit. Hunc morem Robertus correxit, ac ut à ſimili incommodo poſteros etiam liberaret, hanc iniit rationem: Eccleſiae poſſeſſiones in duas partes diviſit, quarum unam, publicis Eccleſiae uſibus addixit, communi Canonicorum omnium conſilio in Capitulo diſponendam: Ex altera vero, ſingulis Canonicis portionem aſſignavit, nomine Praebendae. Deinde Ivonem quendam conſtituit Decanum, ut corpori capitulari tanquam caput praeeſſet; Subdecanum etiam ordinavit, qui abſentis vicem ſuppleret; Praecentorem, qui cantum Eccleſiaſticum regeret; et illi etiam abſenti qui ſuccenturiaret Succentorem; Deinde Cancellarium, qui juniores Canonicos inſtitueret; necnon Theſaurarium, qui ornamenta Eccleſiae curaret ac ſervaret[u]. Decanatum abſorpſit ſacrilegium, Edwardo ſexto regnante; et Succentoratus una cum Praepoſitura, lata tum lege ſupprimuntur, quo ex praediis ad illa munera ſpectantibus Decanatus poſſet conſarcinari novus, veteri illo non paulo exilior. Sed nihil libentius commemorarim, quam Eccleſiae fabricam ab Ina Rege primum excitatam, jam vero vetuſtate fatiſcentem, ut ruinam quotidie minitaretur; demolitam partim ab hoc Epiſcopo, ejuſque liberalitate conditam de novo, partim refectam et reparatam, ut non ſolum ſarta tecta, ſed multò et magnitudine laxiorem reddiderit, et ſpecie pulchriorem: Ita tamen, ut Jocelino aliiſque ſucceſſoribus omnem piae munificentiae materiam non praeripuerit. Praefuit huic dioeceſi annos 29[x], menſeſque quatuor, et in Eccleſia Bathonenſi (quod miror) Eccleſiae Wellenſis tantus benefactor, voluit tumulari.

---

[p] Reginae et à Sacris, et Cancellarius, *Pariſ. Huntin.* L. 7. f. 219 *Bromt.* nec non *Rob. Montenſis in Chron.* f. 128. qui cum illa de Teutoniâ venerat in Angliam *Sime. Dunelm.* Nominatus eſt à Rege tempore Paſchali. *Hunting. ibid. Hoved.* f. 273. b. [q] In Eccleſia S. Pauli à Willelmo Archiepiſc. Cantuar. *Flor. Wigorn.* Secundus et ultimus Epiſcopus Bathoniae. Hoc in loco ſic diſſerit Godwinus ipſe in *MS. praedict. Coll. Trin.* p. 18. "Operae pretium fuerit hic obiter animadvertere, horum temporum omnes Epiſcopos, per annos fere ducentos extraneos fuiſſe. Quod ſi quis miretur unde factum ſit, habeat à Gulielmo Malmeſburienſi hanc rationem, *Laicorum potentiâ ſubrutâ, ſtabili firmavit edicto Gulielmus Conqueſtor, ut nullum Anglicae gentis Monachum vel Clericum, ad aliquam dignitatem conari pateretur.*" [r] Ita plerique omnes. *Florentii vero Continuator* ait hoc contigiſſe annis et 1134 et 1135. [s] Anno 1135. *Canonic. Wellenſis in Angl. Sacr.* V. 1. p. 561. et *Flor. Wigorn.* [t] Jul. 29. 1137.

* * *

XIX. REGINALDUS FITZJOCELINUS.

NOVEM fere per annos poſt Roberti obitum vacavit ſedes, cui tum tandem praeficitur Reginaldus, ideo dictus Fitz-Jocelinus, quod Jocelini Longobardi filius extiterit Sariſburienſis Epiſcopi, qui eum Archidiaconatu ejuſdem Eccleſiae donavit[y]. Conſecratus eſt in oppido S. Joannis in Sabaudia[z], [intra valles Morianae], per Richardum Archiepiſcopum Cantuarienſem, cum aetatis annum non exceſſiſſet adhuc triceſimum tertium ut quidam, aut ut alius, ne quartum quidem et viceſimum[a]. A Richardo primo Rege in ſacram militiam proficiſcente, Capitulo ſuo impetravit (ſumma ejuſdem hodie praeſidia) manneria de Curry, Wrentich, et Hatch. Xenodochium porro ſive hoſpitale ſancti Joannis pauperibus condidit, cujus cenſus ad [b] 22^{l}. 19^{s}. 6^{d}. ob. aeſtimatur: Et Praebandas aliquot adjecit illis quas Robertus conſtituerat[c]. Cives etiam Wellenſes in unam corporis compagem adunavit, privilegiis indultis quibus etiamnum hodie fruuntur. Anno 1191[d] ad ſedem Archiepiſcopalem Cantuarienſem tranſlatus eſt; qua vix conſcenſa, mortem obiit, et Bathoniae tumulatur.

1174.
HEN. 2. 20.

---

[u] *Canonic. Wellen.*

[x] Praefuit annos 31. Obiit enim anno 1166. *Annal. Winton. et Annal. Burtonen*; nec non *Annal. Margan.*

[y] A. 1173. *Weſtmon.*

[z] *Benedic. Abbas Petro. in vita* H. 2. p. 85. *Bromt.* p. 1096. *Hoved.* f. 308. b. Conſecratus eſt die 23 Junii A. 1174, et inthronizatus Nov. 24. praeſente Archiepiſcopo Dorobern. *Diceto* p. 585.

[a] Praeſens fuit Archiepiſcopus Tarentaſiae; et accepit hic noſter Epiſcopus juramentum ante conſecrationem, quod mortem B. Thomae nullo pacto procuraſſet. Et alii jurabant quod, ſicut opinabantur, conceptus fuit, priuſquam pater ejus Jocelinus ad gradum Sacerdotii provideretur; et ſic cum Archiepiſcopo rediit in Angliam. *MS. Gale.*

[b] Lib. 22. 16. 9. ob. *Mon. Angl.* V. 1. p. 1044.

[c] A. 1179 ad Concilium Lateranenſe profectus eſt, unà cum tribus aliis Epiſcopis, *Hoved.* f. 332.

[d] Electus eſt Nov. 27. 1191, et electioni conſentit Dec. 2. *Weſtmonaſt.* ad annum. Sed nondum conſecratus obiit Dec. 26.—Dec. 25 apud Dogmersfield. *MS. Trin.* p. 24. Die 29 poſt nominationem ad Eccleſiam Cantuar. Sepultus Dec. 29 prope majus altare in Eccleſia Bathon. *Dicet.* p. 667.

XX. SAVARICUS.

1192. Ric. 1. 4. SAVARICUS[e] Archidiaconus Northamtonienſis in Epiſcopum hujus dioeceſis ſacratus fertur Romae in feſto ſancti Michaelis 1192[f]. Cumque brevi poſtea contingeret Richardum Regem, dum à bello Hieroſolymitano reverteretur capi, et in vinculis apud Leopoldum Auſtriae Ducem detineri; redemptionis legibus hoc adjici curavit Imperator, ut in gratiam Epiſcopi antedicti (quem Imperatori ſanguine ferunt propinquum) Abbatiam Glaſtonienſem[g] tunc vacantem, Epiſcopatui Bathonenſi et Wellenſi adjungendam ſponderet[h]. Et hanc rem ut libentius Rex efficeret, reddidit ei Savaricus civitatem Bathonenſem, quam quingentis marcis Joannem de Villula ab Henrico primo emiſſe perhibent. Quapropter, voti jam compos factus, ſedem placuit Epiſcopalem Glaſtoniam transferre; atque ita mutato ſtilo, Glaſtonienſem Epiſcopum ſe tum poſtea appellavit. Moram interea diuturnam fecit in Germania, ubi obſidum unus relictus eſt, quibus fides facta de lytro Regio ſecundum pacta perſolvendo. Neque vero illicò ut liberatus eſt in Angliam rediit, Burgundiae factus Cancellarius; quo munere ad annum 1197 dicitur perfunctus; quando in aegritudinem incidens lethalem Imperator, miſit eum in Angliam nunciatum, remiſiſſe illum ac condonaſſe Regi quicquid pecuniarum adhuc ſupereſſet inſolutum, ex lytro illo tam injuſte extorto. Sic Hovedenus[i]. Imperatore tum mox mortuo, in Anglia tandem remanſit. Sedit annos ferme tredecim, quo toto temporis ſpatio nullam rem geſſit memorabilem, niſi memoratu dignum hoc putemus, quod Eccleſias appropriavit de Ilmiſter et Longſutton[k]; quas Praebendas Eccleſiae ſuae Wellenſis conſtituit, ea lege, ut unius ſemper Praebendarius exiſteret Abbas qui pro tempore fuerit Athelneyenſis, alterius vero Abbas Muchelneyenſis. Ac Praebenda quidem de Ilmiſter, una cum Abbatia evanuit. Illa vero de Longſutton, Mariae Reginae gratia quodammodo revixit, rectoria de Longſutton Eccleſiae noſtrae reſtituta. Diem clauſit extremum hic praeſul octavo Auguſti[l] 1205; Bathoniae ſepultus cum hoc Epitaphio,

" Hoſpes erat mundo, per mundum ſemper eundo.
" Sic ſuprema dies fit ſibi prima quies.

De illo, et ingenti aere alieno ab eo contracto, aliquid habetur in Decretalib. Greg. lib. 3. tit. *Novit ille.*

---

[e] " Savaricus Barlowinwac cognominatus, generis nobilitate clarus, at animi dotibus (ni fallor) haud perinde ornatus. " Nam honores et in appetendo immodicus, et in gerendo fuit parum idoneus. Ita nimirum fit plerunque ut animi qui " ſunt anguſtiſſimi auguſtiſſima loca aucupentur, et infimi meriti homines excelſa virtutum praemia honores vehementiſ- " ſimè concupiſcant. Hoc porrò ſemper habuit haec noſtra Anglia, ut exoticorum hominum ſeu virtutes, ſeu ſpecies et " umbras virtutum facile admiraretur. Illa verò aetate inprimis, quaſi ſuis Noverca, privignis mater, vix aliis quàm " peregrinis honores (eccleſiaſticos praeſertim) largita eſt." Ita author in *MS. Trin.* p. 24.

[f] Theſaurarius Eccleſiae Sarum, electus eſt à Monachis Bathonenſibus, Wellenſibus Clericis reclamantibus. Romam adiens, mandato Papae Preſbyter ordinatus eſt ab Albano Albanenſi Epiſcopo Sept. 19. 1192. *Dicet. Imagin.* p. 668. et poſtridie, ni fallor, conſecratus, dies enim erat Dominica.

[g] De hoc negotio vide Decretalem Epiſtolam Innocentii tertii Priori et Conventui Glaſton. L. 3. *Decret.* Tit. 9. c. 1.

[h] Anno vero 1199 Conſilio Archiepiſcopi Rex eam abſtulit, et dedit Willelmo la Pie. *Hoved.* f. 449. b.

[i] f. 440. a.

[k] *Canon. Wellen.*

[l] *M. Weſtmon.* apud Scienes la vielle. *Wharton* ex annalibus Prioratûs de Suthwerk.

XXI. JOCELINUS DE WELLES.

* 1206. JOAN. 8.

SAVARICO defuncto, magna contentione flagitarunt à Pontifice monachi Glaſtonienſes, ut Abbatis regimini denuo ſubderentur: Id quod occaſionem dedit decreti in curia Romana ſanciendi, *Vacante ſede, nihil in Epiſcopatu innovandum eſſe.* Ante exitum anni 1205 Redingae conſecratus eſt in Epiſcopum hujus dioeceſis Jocelinus[m], Canonicus Wellenſis, qui etiam (ſicuti multis indiciis mihi videor comperiſſe) Welliae natus eſt et magna ex parte educatus. Glaſtonienſes illicò rerum ſuarum ſatagunt, et poſt longam necnon cruentam dimicationem, vincunt tandem, ſed ita, ut ſuccubuiſſe forſitan praeſtitiſſet; magna poſſeſſionum ſuarum jactura empta victoria. Jocelino et ſucceſſoribus manneria cedunt ſubſequentia, Winſcomb, Puckelchurch, Blackford, et Cranmer, praeter jus patronatus in Eccleſiis de Winſcomb, Puckelchurch, Aſhbery, Chriſt-Malford, Buckland et Blackford. Sic Glaſtonienſes, Abbate aſſumpto, ad priſtinam politiam reverſi; et Jocelinus ſtilum repetiit à duobus anteceſſoribus (Roberto et Reginaldo) uſurpatum; dictus jam poſthac, non Glaſtonienſis (ſicut primis conſecrationis annis) ſed Bathonenſis et Wellenſis Epiſcopus; quo etiam omnes deinceps ſucceſſores conſtanter uſi ſunt. Paulo poſt hanc litem terminatam, in exilium profugere coactus eſt Jocelinus, ac in Gallia extorris quinque per annos degere. Cujus rei cauſam, ſupra apud S. Langtonum Cantuarienſem fuſius enarravimus[n]. Poſt reditum, in hoc totus incubuit, ut Eccleſiam ſuam Wellenſem quoquo modo ornaret ac amplificaret. Praebendas aliquot de novo erexit. Ad uſum capituli Eccleſias nonnullas appropriavit; et contulit illis de ſuo, mannerium de Winſcomb. Dignitatibus (quas appellamus) ejuſdem Eccleſiae, redditus antea perexiles multum auxit. Vicarios chorales primus ordinavit, qui Canonicorum vices in canendo et ſacris operando peragerent. Sedi Epiſcopali contulit manneria de Congresbury, Chedder et Axbridge. Et cum Hugone Lincolnienſi Epiſcopo collata ſtipe, Hoſpitale S. Joannis Welliae fundavit; quod authoritate Parliamentaria ſuppreſſum, Comiti ceſſit Southamtonienſi, qui cum Clerco Epiſcopo illud permutavit pro mannerio de Dogmersfeld[o]. Sic ab Epiſcopo profectum, in Epiſcopum denuo recidit, à quo tamen paulo poſt ereptum eſt. Sed ad Jocelinum redeamus, qui non minus in ſtructuris magnificus, quam largitionibus munificus, capellas duas condidit, in palatio Owkienſi unam, in Wellenſi vero aliam, eamque ſpecioſiſſimam, quam ſitu corruptam et ruderibus multos per annos obrutam, priſtino nitori reſtituit, plurimis porro additis ornamentis, Jacobus Mountagu Epiſcopus hodiernus. Eccleſiam deinde ipſam Wellenſem jamjam collapſuram (quamvis in ejus reparatione ingentes non ita pridem ſumptus fecerat Robertus Epiſcopus) egregie refecit ac reſtituit, vel potius novam condidit. Nam partem multo maximam, quicquid nimirum presbyterio eſt ab Occidente, demolitus eſt, ut cum ampliorem tum pulchriorem redderet, ſtructura excitata ex polito lapide affabre inſculpto, auguſtiſſima et ſpectatu digniſſima. Triennio antequam excederet, Eccleſiam jam abſolutam dedicavit[p] Octobris viceſimo tertio 1239. Sedit annos plus minus 37, et naturae tandem debitum perſolvit decimo nono Novembris[q] 1242. Humatus jacet in medio chori à ſe conſtructi, tumulo conditus marmoreo, aerea quondam imagine ornato, quo erepto, marmor porro mutilum et effractum, tanti benefactoris monumento imminens (quod nollem) exitium videtur minitari[r].

---

[m] "Primus noſtrae Gentis poſt Merewitum Pontificem, ſed nec Anglus ſolum, verum Wellenſis etiam." *MS. Trin.* p. 27. TROTEMAN dictus; Conſecratus eſt A. 1206. *Annal. Margan.* per Willelmum Epiſcopum London. *Florileg.* Apud Radyngam à Joanne Florentino Apoſtolicae Sedis Legato. *Chron. Petrob.* Maii 28, die S. Trinitatis. *Annal. Waverl.* et *Regiſtr. Cantuar.* Electum eſſe ante 8 Maii etiam ante 20 Apr. 1205 patet ex tabulis publicis in Turr. Lond. viz. *Pat.* 7 Joan. m. 7. 15. Vocatur Bathon. et Glaſton. Epiſc. *Clauſ.* 16 Jo. m. 5, 9. et Sedis Bath. et Glaſton. et Bath. et Wellen (unione factâ) 2 Maii. *Clauſ.* 16 Jo. m. 3. *in dorſo.* Diſſolula verò eſt haec unio Maii 17. 1218. 2 H. 3.

[n] P. 124.

[o] "A quo et ſucceſſore Knighto poſſeſſum accepimus, et amiſſum poſtea, quando fatalem calamitatem ſubiit haec Sedes." *MS. Trin.* p. 28.

XXII. ROGERUS.

1244. Hen. 3. 28. MONACHI Bathonenſes pactorum jam pertaeſi, quae authore Roberto Epiſcopo cum Wellenſibus Canonicis inierant, de Epiſcoporum electionibus: Illis inconſultis, Rogerum ſuis ſuffragiis deſignant Epiſcopum, Sariſburienſis Eccleſiae Praecentorem[s], cui (Papa praecipiente) undecimo Septembris 1244[t] conſecrationis ſolennia ſine mora impenduntur, propterea quod Praecentoriae antedictae munus, affini cuidam Pontificis conferendum erat[u]. Diuturno certamine lis hac de re Romae agitata, hunc tandem habuit exitum, ut Wellenſes hujus injuriae gratiam facerent Bathonenſibus, ea lege, ut fidem ii facerent, ordinationem à Roberto editam ſe poſthac inviolabiliter ſervaturos[x]. Caeterum Epiſcopus (cujus interceſſione res ſic compoſita) exiguo poſt tempore ſuperſtes, ab hac luce migravit decimo tertio Januarii[y] 1247, cum ſupra tres annos, non ultra quatuor menſes huic ſedi praefuiſſet. Qua temporis brevitate, omnium qui hic jam per ſexcentos annos ultimò elapſos ſederunt, infoeliciſſimus fuit; cum jam inde à Merewitho ſatis conſtet, Epiſcoporum hujus Eccleſiae nullum è vita exceſſiſſe, niſi ſexto poſt ſuſceptas hic inſulas anno tranſacto. Antiſtitum noſtrorum poſtremus Bathoniae hic extitit tumulatus.

XXIII. GULIELMUS BITTON al. BUTTON.

*1248. Hen. 3. 32. PROMISSI memores Bathonenſes, cum Wellenſibus noſtris jam tandem congreſſi, conſpirantibus ſuffragiis Epiſcopum renunciarunt Gulielmum Bittonum, vel Buttonum, Wellenſem quondam Subdecanum, ac mox Archidiaconum[z]. Huic multum fuit negotii cum Glaſtonienſibus, de praediis quae Abbatiam relicturus, extorſerat illis Jocelinus. Et licet in obſequio Regis, multum temporis, pecuniae ac laboris impenderat, Legati ſaepe functus officio, ſemel vero univerſa fere Hiſpania peragrata[a]: Monachorum tamen cauſam, omni qua poterat ratione fovebat Rex ac promovebat. Epiſcopi morte (quam obiit ſub initium anni 1264[b]) lis finita eſt, cum interea propinquis ſuis ac ſanguine junctis praecipua hujus Eccleſiae munia obeunda demandaſſet. Comperi ſiquidem, Gulielmum quendam Buttonum hujus Epiſcopi ex fratre nepotem, his temporibus Archidiaconum fuiſſe Wellenſem, ac poſtea Epiſcopum; Richardum Buttonum, Praecentorem; Nicolaum Buttonum Epiſcopi fratrem, Theſaurarium; Joannem Buttonum, fratrem itidem, Praepoſitum de Comba et Rectorem de Aſhbury; cui defuncto ſucceſſit in Praepoſitura Thomas Button; quendam denique Thomam Buttonum (alium an hunc ipſum neſcio) poſt Gulielmum Buttonum praedictum, Archidiaconum factum Wellenſem, ac poſtea Decanum, et tandem (anno nimirum 1292) Exonienſem Epiſcopum. Qui Thomas Button (ut obiter id annotemus) pro anima hujus Epiſcopi (Gulielmi inquam Buttoni) Eccleſiae noſtrae contulit campanam illam qua in advocandis concionibus uti ſolemus, prout in elogio didici eidem Gallicè inſcripto. Conditus jacet hic praeſul, in tumulo marmoreo, quem in medio capellae beatae Mariae ſitum videmus[c].

---

[p] Die S^ti Romani menſe Novemb. 1289. *Regiſtr. Wellen.* ita *MS. Ox.* [q] *Wharton è Regiſtr. Well. et Annal. Bruton.* Dec. 1. 1242. *Florileg.* Ob. A. 1240. *Chron. Mailroſ.* Vacat Epiſcopatus 23 Oct. *Clauſ.* et *Pat.* 27 et 28 H. 3. m. 1, 21. et Jan. 9. A^o. 27. [r] Palatium emit in Suburbiis Londini, viz. in Parochiâ S. Clementis, et Epiſcopis Wellenſibus in perpetuum ceſſit, dono à Rege Henrico 3° confirmato literis patentibus dat. 3 Sept. anno Regni 16. Hodie vocatur Domus Arundel, in vico vulgo le *Strand* vocato. Ante adeptum Epiſcopatum conſtitutus fuit Juſticiarius Placit. Com. vel ſaltem unus eorum coram quibus Fines ſunt levati; viz. die Mercur. proxime poſt feſtum decollat. Jo. Baptiſtae, Anno Johannis Regis ſexto. *MS. Gale.* [s] Capitu. Wellenſe licentiam habet eligendi ſibi Epiſcopum 12 Mar. 2 *Pat.* 27 et 28 H. 3. m. 14, 21. Interea verò electus eſt Rogerus circa Feb. initium cui Rex reſtituit Temporalia 1243. 10 Maii. *Pat.* 28 H. 3. m. 6. A. 1243 circa purificationem confirmata fuit electio Rogeri in Epiſcopum Bathon. per D. Papam. Anno 1244. conſecratus fuit apud Rading die Dominica poſt Natale B. Mariae. Ita *author MS. incertus Chronographus in Libr. ſuo de Statu et Antiquit. Coenobii Glaſton.* qui floruit A. 1259. *MS. Wood.* [t] *Weſtmon.* [u] *M. Paris.* [x] *Canoni. Wellen.* [y] Circa Feſtum S. Hilarii 1247, Anno exeunte. *Weſtmon.* et *Paris.* [z] Rectorem etiam Eccleſ. de Sowy. Electus eſt 1248 et conſecratus Jun. 14 *Angl. Sacr.* V. 1. p. 565. Conſecratus et confirmatus fuit Lugduni circa Pentecoſten. Ita *Author MS. incertus.*

XXIV. WALTERUS GIFFARD.

WALTERUS GIFFARD Canonicus Wellenſis, Papae capellanus, 1264.
electus eſt in Epiſcopum viceſimo ſecundo Maii 1264, et brevi HEN. 3. 49.
poſt conſecratus[d] ab Epiſcopo Pariſienſi, in abſentia Bonifacii Cantuarienſis. Cùm annos ſediſſet duos, Eboracum tranſlatus eſt[e].

XXV. GULIELMUS BUTTON ſecundus.

GULIELMUS BUTTON Archidiaconus Wellenſis[f], Gulielmi But- 1267.
toni ſupradicti ex fratre nepos, hujus ſedis cathedram conſcendit HEN. 3. 51.
anno 1267, et temporalia ejuſdem accepit à Rege quarto die Martii Henrici tertii 51. Tantae vir ſanctitatis (quod Pariſienſis teſtatur) ut cùm Roberto Kilwardby Cantuarienſi electo concederet Papa, uti à quovis Catholico Epiſcopo conſecraretur, quem ad hoc duxerit eligendum; hunc potiſſimum elegerit, *quod fama ſanctitatis inter caeteros multum efflorebat*[g]. Multa condidit ſtatuta, quibus Eccleſia noſtra Wellenſis etiamnum regitur. Ordinavit vero inter caetera, conſilio hercle ſaluberrimo, gravioris momenti nihil, quod moram pati poſſet, in Capitulo conſtituendum, niſi

---

[a] A. 1253. Legatus ad Ferdinandum Hiſpaniae Regem, Alianoram Hiſpani filiam Edwardo Henrici Primogenito nuptam dari impetravit. *M. Weſtm.* Patet etiam ex Literis Regiis ei directis 24 Maii 1253. *Rym.* Tom. 1. p. 491.

[b] Aprilis tertio.

[c] Vid. Praef. ad *Ada. de Domerh. Hiſt.* p. 27.

[d] Elect. ſed non conſecratus Dec. 14. 1264. *Dugdal.* Conſecr. verò (à Petro Epiſc. Hereford *A. S.* p. 566.) 1 Feb. 1264, ut colligere licet ex Regiſtr. ejus quod ſervatur inter Regiſtr. Archiepiſc. Ebor. *MSS. Baker* et *Hutton*. Cancellarius Angliae renuntiatus eſt 10 Aug. *Liberate de A.* 49 H. 3. m. 2. *MS. Gale.*

[e] 1265. Die enim 21 Dec. ſic ſcribit ad Priorem et Conventum Bath. Walterus Gyffard electus Ebor. &c. Vobis denunciamus nos ceſſiſſe, et curam Ebor. Eccleſiae recepiſſe. *Cart. Bathon. in Bibl. Hoſpit. Linc.* p. 96.

[f] *M. Par.*

[g] *M. Par. Continua.* p. 108.

quatuor ſtatis anni temporibus. Obiit menſe Novembri[h] 1274. Monumentum ejus ſitum eſt inter duas columnas ab Auſtrali parte chori, ubi marmor videmus Pontificis imaginem habens inſculptam, ſuperſtitioſe coli ſolitam (ut accepimus) ab imperita plebe, ac illis praeſertim quibus dentes dolerent. Contulit is Eccleſiae noſtrae (quod ſilentio non eſt praetereundum) mannerium de Bicknaller.

XXVI. ROBERTUS BURNEL.

*1275. EDW. 1. 3. JANUARIO tum proxime ſequenti, in Epiſcopum electus eſt Robertus Burnell[i], qui Roberti fuit filius, Hugonis frater, Baronum de Burnell, quique magna potentia et authoritate ea tempeſtate praepollebat, Edwardo primo Regi ſemper à ſanctioribus conſiliis, et Angliae primum Theſaurarius conſtitutus, poſteaque Cancellarius[k]. Ex publicis his muneribus, magnas congeſſit opes, quarum bonam partem in ſtructuris impendit. Nam inter caetera, aulam illam condidit magnam ac ſpecioſam palatii Wellenſis, ante annos ſexaginta dirutam à Joanne Gateſio Equite aurato, qui juſto Dei judicio, ſacrilegii mercedem uno aut altero pòſt anno accepit, capitis truncationem, ob perduellionis crimen ſub Maria Regina condemnatus. Fratribus vero et propinquis ditandis ſupra modum ſtuduit hic praeſul. In rebus Wallicis ejus opera Rex plurimum eſt uſus, quas dum procuravit, Rege non abnuente, Cancellariae curiam tenuit ad tempus Briſtoliae. Et ſunt qui exiſtiment caſtrum de Acton-Burnel in comitatu Salopienſi eodem tempore ab illo conſtructum. Praefuit annos 18, et menſe Octobri[l] 1292 in finitimis Scotiae partibus defunctus, longiſſimo itinere Welliam delatus, in medio navis Eccleſiae Cathedralis ibidem ſepultus eſt, ſub lapide marmoreo, paulo infra ſuggeſtum.

XXVII. GULIELMUS DE MARCHIA.

*1293. EDW. 1. 21. DEFUNCTO Burnello, ſucceſſit illico[m] Gulielmus de Marchia Theſaurarius Angliae[n], qui temporalibus reſtitutus dicitur Martii decimo nono Edwardi primi viceſimo primo. In Archivis Eccleſiæ noſtrae Wellenſis, formulas vidi Epiſtolarum aliquot, à Rege, proceribus, et praelatis non paucis ad Pontificem partim, partim vero Cardinales nonnullos conſcriptas, in quibus tantis laudibus Marchiani iſtius ſanctitatem evehunt, miraculis plurimis (uti perhibent) teſtatam; ut Sanctorum catalogo eum aſcribi multis cum precibus impenſe flagitarint. Id quod mirum videatur, legenti, quae de eo tradidit, praeter Weſtmonaſterienſem[o], Polydorus

---

[h] Dec. 4. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 566. Mortuus certè ante 25 Dec. *Fin.* 3. E. 1. m. 37.

[i] Canonicus fuit Wellenſis et Archidiaconus Eboracenſis. Conſecratus eſt ab Archiepiſcopo in Eccleſia de Merton. Apr. 7. 1275.

[k] Cancellarius conſtitutus Sept. 21. 1274. *Libera.* 2 E. 1. m. 4. *Pat.* 2 E. 1. m. 8. *Clauſ.* 2 E. 1. m. 1. idque munus adminiſtravit uſque ad obitum. *Dugd. Catalog.* Eo recedente verſus Acton-Burnell, Sigillum liberavit Hugoni de Kendal et Waltero de Odyham cuſtodiendum, die Martis in feſto S. Jacobi Apoſt. *Pat.* 12 E. 1. m. 7.—Anno 1286 transfretavit cum Rege et Sigillum ſecum aſportavit, neque rediit uſque ad annum 1289. *MS. Gale.*

[l] Obiit Oct. 25 die S. Criſpini et Criſpiani. *Regiſtr. Wellenſ. MS. Baker* ſic diem denotat, Die Sabbati proximè ante feſtum Apoſt. Simonis et Judae apud Berewik obiit Rob. Burnell; quod eodem redit. Inter Benefactores Academiae Cantabrigienſis commemoratur.

[m] Electus Jan. 30. 1292; Conſecra. die Penticoſtes ſc. 17 Maii 1293. Regium habet aſſenſum 1 Martii; Temporalia reſtituta ſunt 19 die ejuſdem Menſis. *Pat.* 21 E. 1.

[n] Theſaurarius ab anno 1290 ad 1295. *M. Weſtm.* Conſtituitur Theſaurar. *eodem modo quo Joannes quondam Elienſis Epiſcopus*, *Pat.* 18 E. 1. m. 33.

[o] Ad annum 1294.

Virgilius[p], in his verbis: “Erat per bella continua jam vacuum aerarium Regium. Quod malum Gulielmus Marchianus Quaeſtor, unus omnium alieno detrimento ſanandum ſtatuit. Is enim noverat, cum in coenobiis tum in templis pecunias eſſe depoſitas, quas ſi juberet tolli, non utique ſe ſcelus, ſed operae pretium facturum ducebat, ſi pecunia promeretur foras ad uſum populi, perinde quaſi omnia eſſent communia, quo ſic pecuniam militi ſuppeditaret, praeſentemque curaret. Itaque praefecti militum, quibus ille ſacrilegii patrandi negotium dederat, diſpoſitis paſſim per Regnum militibus, uno tempore quicquid pecuniarum in locis ſacris reconditum fuerat, omnibus veſtigiis indagatum ad Regem afferunt, gemente paſſim populo, quod Princeps non putaret manum abſtinendam à pecuniis, quibus ſacrae aedes reficiendae eſſent. Rex autem pecuniae egens, rem diſſimulavit.” Sic Polydorus. Ille vero de hac re utcunque pronunciet; non deerat certe huic Principi, vel animus vel ingenium, ad hujuſmodi facinus excogitandum et ſic deinde patrandum, ut in alium quemlibet omnem culpae labem conjiceret. Satis tamen probabile eſt, hujuſmodi infamiae notam, quantumvis immerenti inuſtam, ex Calendario Pontificio illum excluſiſſe. Sedit annos plus minus decem[q], et monumento conditur in Auſtrali muro tranſepti, prope oſtium qua ingreſſus patet ad clauſtra, eoque ex polito lapide ſatis eleganti.

XXVIII. WALTERUS HASELSHAW.

ELECTUS[r] in Epiſcopum Walterus Haſelſhaw, Decanus Wellenſis, 1302.
aſſenſus Regii confirmationem habuit decimo tertio Auguſti Ed- EDW. I. 30.
wardi primi triceſimo. Praefuit annos novem[s], et ingenti marmore contectus jacet in navi Eccleſiae verſus Aquilonem, prope capellam Bubwithi. Partim Decanus, partim vero Epiſcopus, multa condidit ſtatuta, quorum pars magna nondum antiquata, etiamnum hodie viget[t].

XXIX. JOANNES DROKENSFORD.

JOANNES DROKENSFORD[u], quo tempore in Epiſcopum hujus *1309.
Eccleſiae electus eſt, Regiarum veſtium à nonnullis, à nonnullis vero EDW. 2. 3.
magni Angliae ſigilli[x], cuſtos appellatur. Neque vero deſunt qui Angliae ſummum Theſaurarium fuiſſe contendant. Conſecratum comperi ante decimum ſeptimum Maii[y] Edwardi ſecundi tertio. Anteceſſoris ſui veſtigiis hic inſiſtens, in aedium ſuarum ſtructuris nonnihil impendit et

---

[p] Lib. 17. p. 332.

[q] Deceſſit Junii 11. A. 1302.

[r] Licentia eligendi 29 Jun. et Walter de Heſtelſhagh Decanus ibidem habet Regis aſſenſum 31 Aug. et Temporalia reſtituta ſunt 12 Sept. *Pat.* 30 E. 1. m. 9. Electus Aug. 7. conſecratus 4 Novem. apud Cantuariam. *Wharton.* V. 1. p. 567. *è Regiſtr. Eccleſ. Cantuar.* Oct. vero 28 juxta *Annal. Wigorn.* et una et altera fuit dies Dominica.

[s] Obiit 3 Id. Dec. 1308 et ſepultus erat apud Wellis die dominica ſequente 18 Kal. Jan. cum ſediſſet annos 6. *Annal. Bruton.*

[t] Quibus etiamnum hodie regimur. *MS. Trin.*

[u] Waltero defuncto Licentia eligendi data eſt 25 Dec. et Joan. Drokensford Canonicus Wellenſis et Domini Papae Capellanus habet Regis aſſenſum 23 Feb. Temporalia reſtituta 15 Maii. 1 *Pat.* 2. E. 2.

[x] Cancellarium, ſeu Cuſtodem Sigilli fuiſſe neutiquam reperio. Die verò 22 Octobr. J. de Drokenesford Cuſtos Garderobae R. conſtitutus eſt locum-tenens Theſaurarii ad curiam Romanam profectus. *Com. de term. Michael. Ed.* 1. *Rot.* 7. *in dorſo. MS. Gale.*

[y] Non conſecratus Aug. 15. 1309. vid. *Rym.* T. 3. p. 160. Sed paulo poſt, viz. 9 Nov. apud Cantuariam. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 568. Conſecratum reperi Menſe Auguſto 1309. in *Regiſtr. Henr. Woodlock* Epiſc. Winton.—A. 1312 Rege in Galliam profecto, totius Angliae praefecturam ſibi commiſſam vice Regis geſſit: et poſteà Reginae fautoribus adhaeſit contra Maritum. *Rym.* T. 3. p. 989.

privilegiis ſedi ſuae comparandis, ſed plus multo in conſanguineis ditandis. Magna et diuturna lite inter illum et Canonicos ſuos certatum eſt, cujus rei hiſtoria in libro ſtatutorum videre eſt. Poſtquam annos ſediſſet novendecim defunctus[z], tumulo infertur ſpecioſo in Capella ſanctae Catharinae, quae petentibus capellam beatae Mariae à dextris ſita eſt.

XXX. RADULPHUS DE SALOPIA.

1329. Edw.3.3. UNANIMI omnium conſenſu tam à Bathonenſibus quam Wellenſibus Epiſcopus tum renunciatur, Radulphus de Salopia[a]; qui auſu periculoſo (ut ea fuerunt tempora) Papa inconſulto conſecrationem ſuſcipere non eſt veritus. Tanti criminis reatum, ingenti pecuniae ſumma (teſte Walſingamo[b]) oportuit eum redimere. Multum hic à Wellenſibus noſtris celebratur, quod Collegii Vicariorum primus extiterit fundator. Cujus beneficii memoriam pictura haud nimium eleganti expreſſam videmus ſupra portam aditum praebentem ad gradus quibus ad aulam conſcenditur. Ibi vicarii in genua procumbentes coram Epiſcopo in ſolio ſedente, eum his verbis affari videntur;

"Per vicos poſiti villae, pater alme rogamus,
"Ut ſimul uniti, te dante domos maneamus.

Quibus ille ſic reſpondet;

"Veſtra petunt merita, quod ſint conceſſa petita:
"Ut maneatis ita, loca fecimus hic ſtabilita.

Collegium hoc à Bekintono poſtea multum auctum, ante viginti annos jam tranſactos, ſacrilegi quidam ſpe devoraverant, quando Elizabetha Regina facinus tam indignum non ferendum exiſtimans, de novo fundavit, tam hoc Collegium quam Eccleſiam ipſam Cathedralem, id quod illorum temporum Vicarii, pictura quadam operis egregii, in aula ipſorum hodie viſenda, poſterorum memoriae voluerunt commendari, carmine addito hujuſmodi.

"Quas primus ſtruxit ſumma pietate Radulphus,
  "Diſperſis nobis hoſpitioque dedit
"Aedes, conſimili ſtudio pia facta ſequutus,
  "Bekintonus eas auxit honore, bonis.
"Regali tandem firmavit ſingula nobis
  "Aſſenſu, Princeps Elizabetha ſuo.
"Elizabetha bonis nunquam contraria coeptis,
  "Aſpirans ſtudiis Elizabetha bonis.
"His nos ornati donis, Regina precamur,
  "Septra tenens vivas Elizabetha diù.

Caeterum ad Radulphum redeamus, qui abſolutis hujuſce Collegii aedificiis, contulit eidem mannerium de Welſleigh, et ſtipendium aſſignavit ſex librarum, tredecim ſolidorum et denariorum quatuor, à Vicario de Chew annuatim pendendum. Pueris etiam ſacras cantiones modulari conſuetis (qui Choriſtae vulgo appellantur) necnon eorum informatori, habitaculum conſtruxit ab Occidentali parte clauſtri, commodum ſane et elegans. Eccleſiam praeterea condidit de Winſcomb, aedes apud Claverton et cameram perpulchram apud Evercrich. Sed et alibi in aedibus Epiſcopalibus multa extruxit. Palatium ſuum Wellenſe moenibus cinxit praealtis et foſsâ latiſſimâ, cui fluvium praeterlabentem immiſit. Eccleſiae ſuae multa dedit; quorum nihil opinor jam ſupereſt, niſi arca quaedam praegrandis ferro uſquequaque munita, et neſcio quot ſeris (capitularis ſigilli hodie cuſtos) quae tamen latronum neſcio quorum ingenio (me primum Canonico ibidem) aperta eſt, et omnia quae ibi repoſita ſervabantur, una cum capitulari ſigillo, furto ſublata. Ut multa denique praetermittam de hoc Praeſule memoratu forſitan non indigna, hoc ſilentio praetereundum non eſt, quod foreſtam de Mendip, feris ad venatum paſcendis hucuſque deſtinatam, magno illius regionis incolarum bono, deafforeſtari (ut loquimur) haud levi ſumptu curaverit; hoc eſt, armentis et gregibus (feris deſtructis) permitti. Vitam cum morte commutavit apud Wiveleſcomb Auguſti decimo quarto 1363[c], cum ſediſſet annos 34. Tumulo fertur conditus alabaſtrino, cancellis ferreis cincto, in medio Preſbyterii; ſed ante annos plus minus ſexaginta ad Aquilonare latus ejuſdem amotum, id et cancellis ferreis tum ſpoliatum. Imago tumulo ſuperincumbens (egregii alicujus artificis opus) vivos viventis vultus vividiſſime exprimit, ut in archivis Eccleſiae ſcriptum reperi. Cujas fuerit, ubi, aut quibus parentibus oriundus, ubi loci educatus, quaeve munera ante praeſulatum geſſerit, nulla potui indagine reperire.

---

[z] Apud Dogmersfeld 9 Maii 1329. *Regiſtr. Rad. de Salopia* Fol. 313.

[a] Electus Jun. 2. Conſecratus Dec. 3. 1329. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 568. Conſecratus Menſe Sept. *MS. Trin:* p. 42. è Walſinghamio.

[b] P. 112.

XXXI. JOANNES BARNET.

JOANNES BARNET ſucceſſit, à Wigornia huc tranſlatus[d], unde poſt 1363.
biennium ad Elienſem ſedem migravit[e]. Edw. 3. 37.

XXXII. JOANNES HAREWEL.

EDWARDUS Walliae Princeps, (qui Niger vulgo cognominatur) Capellano cuidam ſuo, Vaſconiae Cancellario, hunc Epiſcopatum tunc impetravit, Joanni Harewell[f]. Burdegalae conſecratus eſt Martii ſeptimo 1366, per civitatis illius Archipraeſulem[g]. Ex duabus turribus, ad Occidentalem Eccleſiae partem ſitis, contulit ad ſtructuram illius quae Occaſum ſpectat hibernum, cunctorum ſumptuum partem tertiam. Ut huic vicina feneſtra magna vitro obduceretur, centum marcas numeravit: Et campanile praedictum (ſive mavis turrim appellare) duabus nolis inſtruxit praegrandibus, quarum una me Canonico quinquies fracta, quinto nuper (utinam tandem bonis avibus) conflata eſt. Homo, ſi credimus imagini tumulo impoſitae (quam patet excellentiſſimi artificis manu efformatam)

1366. Edw. 3. 41

---

[c] Obiit die Lunae in vigilia aſſumptionis S. Mariae (viz. Aug. 14.) 1363 apud Wyveleſcombe. *Regiſtr. Iſlip.* f. 242. et *Walſingh.*

[d] Buſlâ Papali dat. Nov. 24. 1363. Temporalia verò reſtituta ſunt Apr. 6. 1364. 1 *Pat.* 38 E. 3. m. 33.

[e] Ejuſdem Papae Proviſione Dec. 15. 1365. *Regiſtr. Langham.* f. 89.

[f] *Walſingh.* p. 175. Archidiaconus fuit Bercherien. et Legum Baccalaureus. Bulla proviſionis data fuit Dec. 15. 1365. *Regiſtr. Langham.* f. 90. A. 1366 potiùs, ut habet *Rym.* Tom. 6. p. 540.

[g] Eliam, aſcitis duobus aliis Epiſcopis, in Eccleſia Collegiata S. Severini. A. 1366. *Canon. Wellenſ.* p. 570. Rex conſentit promotioni Joannis 20 Feb. 1267. et temporalia reſervantur ei à 29 Apr. ult. praeterit. quo die Rex commiſit temporalia praed. cuſtodiend. 1 *Pat.* 42 E. 3. m. 24. Et Temporalia plenarie reſtituta ſunt 6 Martii 1 *Pat.* 43 E. 3. m. 26.

praepinguis et obeſus admodum; exceſſit è vivis ſub initium Julii[h] 1386, cum annos ſediſſet novendecim, et è regione Burwoldi monumento conditur alabaſtrino ſpecioſiſſimo profecto, [donec] quorundam ſcelere laceratum id et ornamentis ſuis eſt ſpoliatum.

XXXIII. Walterus Skirlaw[i].

1386. Ric.2.10. WALTERUS SKIRLAW Coventrenſis et Lichfeldenſis Epiſcopus ſucceſſit, et poſt biennium Dunelmum eſt tranſlatus[k].

XXXIV. Radulphus Erghum.

1388. Ric.2.11. RADULPHUS ERGHUM legum Doctor Oxonienſis, conſecratus in Epiſcopum Sariſburienſem Brugis in Flandria nono Decembris 1375, et huc inde tranſlatus decimo quarto Septembris[l] 1388; mortem obiit decimo Aprilis 1401[m]. Eccleſiae Wellenſis Capitulo rectoriam appropriavit de Pucklechurch, et aedes quaſdam in urbe Wellenſi contulit eis, videlicet, hoſpitium quoddam publicum ſive diverſorium, quod ea tempeſtate propter inſigne foribus appenſum, Georgii nomen praetulit. Dedit etiam ornamenta ſacrorum, valentia centum et quadraginta libras. Sacerdotibus porro quatuordecim Collegium fundavit Welliae, ad exitum vici qui inde COLLEDGE LANE appellatur. Sepultus jacet extra Capellam magno pulpito contiguam ad Septentrionem, ubi lapidem adoleſcens vidi marmoreum quo tegitur, quod ipſum ſedilia nunc ſuperſtructura operuerunt.

XXXV. Henricus Bowet.

1401. Hen.4.3. EPISCOPATUM ſic vacantem, Papa per proviſionem contulit Richardo Clifford Archidiacono Cantuarienſi, cui Rex temporalia reddere recuſavit; ideoque locum ceſſit Henrico Bowetto[n] legum Doctori, Wellenſi Canonico, tam à Bathonenſibus quam Wellenſibus ſuis legitime electo[o]. Qua de re vide (ſi placet) plura apud eundem R. Clifford, Londinenſem poſtea Epiſcopum. Conſecratus eſt Bowettus decimo ſexto Novembris[p] 1401, Rege, Procerumque plurimis praeſentibus, et Eboracum

[h] Teſtamentum condit 29 Jun. 1386; probat. 20 Aug. 1386. *Regiſtr. Courtn.* f. 218.

[i] Joanne defuncto Licentia eligendi data eſt 16 Jul. 1 *Pat.* 10 R. 2. m. 35: et Aug. 15 Richardus Medeford, Canon. et Preb. in Eccleſia Wellenſi, in Epiſcopum electus Regium habet aſſenſum, et Literae directae ſunt ſummo Pontifici, 1 *Pat.* 10 R. 2. m. 32. Richardo etiam Temporalia reſtituta ſunt 3 Nov. 1 *Pat.* 10 R. 2. m. 9. Papâ verò renuente ſucceſſit Walterus Bullâ datâ 18 Aug. 1386. *Regiſtr. Courtn.* f. 321. et Tempor. huic tradita ſunt. 13 Sept. 1 *Pat.* 12 R. 2. m. 22.

[k] Bullâ datâ Apr. 3. 1388. *Dunelm. Monachi Hiſtor.*

[l] Ab Urbano 6°, Bullâ Proviſionis datâ Apr. 3. 1388. Profeſſionem fecit Archiepiſcopo apud Cantabrigiam Sept. 14. *Regiſtr. Courtn.* f. 322. Temporalia accipit 13 Sept. 1 *Pat.* 12 R. 2. m. 22. Senio tandem confractus pardonatur de non veniendo ad Parliamenta Nov. 9. ita 1 *Pat.* 19 H. 2. m. 11.

[m] 1400. *Walſingh.* p. 405. *Cambd.* V. 1. p. 86. Hoc etiam ex Teſtamento patet, factum enim eſt 31 Jan. 1398, et probatum 19 Apr. 1400. *Regiſtr. Arund.* f. 169. Vacavit Epiſcopatus Sept. 1. 8 *Pat.* 1 H. 4. m. 12.

[n] Illi commiſſa eſt Cuſtodia temporalium Epiſcopatus 20 Apr. 3 *Pat.* 2 H. 4. m. 30.

[o] Papa verò ex plenitudine poteſtatis, caſſatâ electione, proviſionis nomine Henrico contulit Aug. 19, cui Rex reſtituit temporalia 21 Sept. 4 *Pat.* 2 H. 4. m. 5.

[p] *In Eccleſia S. Pauli London. in praeſentia Regis Angliae Henrici in Feſto S. Edmundi Regis* 1401. *viz.* 20 *Nov.* ſic *Regiſtrum Bowet* in Archiv. Eccl. Wellen. Ita etiam *Regiſtr. Arundel.* f. 13. Dies 16 non fuit dominica.

tranſlatus primo Decembris[q] 1407, ſi archivis Wellenſibus credimus. Archiva vero Archiepiſcopalia perhibent Bubwithum illi ſucceſſorem huc tranſlatum Octobris quinto anno praedicto. Filiam Regis Henrici quarti, matrimonio jungendam Danorum Regi, in Daniam comitatus eſt anno 1406. Ejuſdemque Henrici anno tertio et quarto Theſaurarium[r] Angliae extitiſſe comperi.

XXXVI. NICOLAUS BUBWITH.

NICOLAUS BUBWITH Epiſcopus Londinenſis et Angliae Theſaurarius, qui haec tam honorata munia relinquere non eſt gravatus, ut Sariſburienſi Epiſcopatu poſſet potiri; illum etiam reliquit libenter, ad Bathonenſem et Wellenſem transferendus[s]. Hic cum concilio Conſtantienſi intereſſet, unus fuit ex illis triginta qui concilii mandato Cardinalibus adjuncti ſunt in electione Martini quinti Papae. Reverſus in patriam, Ptochotrophium conſtruxit et dotavit, ab Aquilonari parte Eccleſiae parochialis S. Cuthberti Welliae, quod multum auxit quidam Storthwaytus, et nonnihil etiam (de quo poſtea) G. Bourn olim Epiſcopus, et Jacobus Mountagu qui [ab hâc ſede Wintoniam poſtea tranſlatus eſt.] Alit hodie viginti et quatuor egenos homines, partim viros, partim mulieres. Appropriavit etiam hic praeſul Eccleſiae noſtrae rectoriam de Buckland-Abbatis[t]; Bibliothecam pulcherrimam conſtruxit ſupra Orientalem partem clauſtri; et capellam elegantiſſimam inter duas columnas in navi Eccleſiae, è regione ſuggeſtus, in qua ſepultus eſt, atque ſacerdoti pro anima ejus ibi miſſificaturo ſalarium aſſignavit. Creditur porro magnam pecuniam eum elargitum ad ſtructuram campanilis quod Occaſum ſpectat aeſtivum, inde ſumpta conjectura, quod inſignia ejus eidem inciſa aliquot in locis oſtenduntur. Non deſunt etiam qui mannerium de Bicknaller Capitulo illum contuliſſe contendant, quod donum fuiſſe conſtat W. Button Epiſcopi, ſicuti ſuperiùs à me demonſtratum eſt. Obiit viceſimo ſeptimo Octobris 1424[u].

* 1407. HEN. 4. 9.

XXXVII. JOANNES STAFFORD.

PER proviſionem Pontificiam Joannes Stafford[x], vir nobilitate ſumma, eruditione etiam pluſquam mediocri, anno 1425[y] ad Eccleſiae noſtrae praeſulatum evectus eſt, quem tenuit annos octodecim; Auguſti vero viceſimo tertio[z] 1443 Cantuariam tranſlatus eſt.

1425. HEN. 6. 3.

---

[q] Proviſus eſt Oct. 7. 1407. [r] Theſaurarius Conſtitutus 27 Feb. 1401. *Pat.* 3 H. 4. p. 1. m. 11. *MS. Gale.* [s] Succeſſit proviſione Papali Oct. 7. 1407. *Regiſtr. Arund.* f. 40. Cui Rex reſtituit Temporalia 1 Apr. 2 *Pat.* 9 H. 4. m. 31. [t] Antea ad Epiſcopatum Sarum pertinuerat haec Rectoria. [u] Ita *Regiſtrum Bubwith*, et conceſſa eſt licentia eligendi 14 Nov. 1 *Pat.* 3 H. 6. m. 17. [x] LL.D. [y] Conſecratus in Eccleſ. Fratrum Praedicatorum London Maii 27 in feſto Pentecoſtes; et ita ex Decano fit Epiſc. Wellenſis. Dominus Rex aſſenſum praebuit 26 Dec. 1 *Pat.* 3 H. 6. m. 8. Profeſſionem fecit Maii 9. 1425. *Regiſtr. Chichl.* f. 38. [z] Bulla proviſionis data fuit Maii 13. 1443. Pontif. 13°. *Regiſtr. Stafford.* f. 1. à Rege verò admiſſus Aug. 6. *Whart.* V. 1. p. 572. De eo vide plura inter Archiepiſc. Cantuarienſes.

XXXVIII. THOMAS DE BEKINTON.

1443. Hen. 6. 21. THOMAS DE BEKINTONA[a] legum Doctor et Arcuatae Curiae Londini Decanus, (qui ab adoleſcentia ad maturos annos Oxonienſes ſcholas foeliciter celebravit) praeter alia ab eo edita opuſcula, de Regum noſtrorum in Galliae regnum jure, quod repudiata (non ſine judicio) lege Salica, ratiſſimum eſſe voluit, libellum doctiſſime conſcripſit. Quae res multum illi gratiae peperit apud pium illum Regem Henricum ſextum, et mox magnos honores; Principalis Secretarii munus, privati ſigilli cuſtodiam, ac tandem Eccleſiae hujuſce Praeſulatum, ad quem conſecratus eſt decimo tertio Octobris[b] 1443, in Capella nondum abſoluta Collegii Etonenſis, in qua, eo ipſo tempore dedicata, primam ipſe miſſam celebravit[c]. Seriem illam domorum NOVA OPERA hodie nuncupata (quae videlicet à foro Wellenſi ad portam exteriorem pertingit palatii Epiſcopalis) et conſtruxit ille, et conſtructam Capitulo ſuo Wellenſi contulit. In medio foro ibidem, aquaeductum condidit ad uſum civium, à fonte dicto S. Andreae aqua derivata, quae ibi perpetuo ſcaturiret. Latus Occidentale clauſtrorum ab eo extructum, teſtantur inſignia ejus laqueari aliquot in locis infixa. Collegium Lincolnienſe, quod immatura morte praereptus Flemmingus perficere non potuit, abſolvit ille auxitque plurimum; et contra oblivionem, beneficiorum hoſtem, muris ibidem affigi curavit nominis ſui Symbolum, ſpeculam incenſam, quam Anglicè BEKEN appellamus, et dolium, quod apud nos TONN dicitur. In aedibus vero Epiſcopalibus quid praeſtiterit, ut non ſit neceſſe ſingula enumerare, commemoraſſe ſufficiat, in teſtamento ſuo illum profiteri ſex millia marcarum in earum ſtructura et ornatu à ſe impenſa et erogata. Cum jam aetate eſſet ingraveſcenti et valetudinarius, teſtamentum viſum condere. Et quoniam Henrico ſexto (cui tam multum debebat) ſemper fideliſſimus extiterat; Non ſine cauſa verebatur, ne Edwardus jam Rex, qui dictum Henricum regno ejecerat, in demortui opes involaret. Magno igitur ſumptu impetravit, ut legata à ſe omnia, rata ille haberet, ac ſub magno Angliae ſigillo teſtamentum confirmaret, quod tertio Novembris 1464 factum eſt[d]. Sed ecce legata quae ſigillatim aſcribere non pigebit. Eccleſiae ſuae Wellenſi reliquit viginti libras ad fabricam Eccleſiae reficiendam; quatuor ad uſum ſacrorum veſtimenta (ut appellant) pretioſiſſima; deinde quadringentas libras unde cappae emerentur; et vas argenteum ad aquam luſtralem capiendam, decem ponderis librarum; crucem argenteam partim deauratam ejuſdem ponderis; cathedram (adhuc illa ſupereſt) qua Epiſcopus in Eccleſia uteretur; pulvinaria nonnulla et alia quaedam ornamenta. Bathonenſi Eccleſiae calicem legavit, thuribulum, et pixidem argenteam, ponderis unciarum triginta, praeter cappas triginta et alia veſtimenta.

---

[a] Textoris filius. *MS. Baker*, ex *Itiner. Gul. Worceſtr.* p. 274. Beckhamptoniae in Pago Somerſetenſi natus, in Schola Wintonienſi literis inſtructus; deinde Collegii Novi Oxon. Socius; et tandem Academiae Cancellarius. *Antiqu. Oxon.* p. 132, 134. Praeſedit domo inferiori Convocationis Anno 1433. *Regiſtr. Chich.* p. 2. f. 94.

[b] Bulla proviſionis data fuit 13 Maii 1443; et Spiritualia liberata 15 Oct. *Regiſtr. Stafford.* f. 9. Temporalia verò 24 Sept. 1 *Pat.* 22 H. 6. m. 33.

[c] "Epiſcopatum adeptus, Regiis negotiis et conſiliis non deſiit. Suffraganeum enim ſibi Epiſcopum conſtituit 1443. 24 "Nov. Jacobum Achadenſem Epiſcopum; ipſoque ad Sedem Bangorenſem tranſlato, Joannem (vel Thomam Corniſh) "Tinenſem Epiſcopum 17 Oct. 1459 ſibi ſuffraganeum aſcivit." *Wharton in Angl. Sacr.* V. 1. p. 574.

[d] Conditum eſt Teſtamentum Nov. 12, et probat. Jan. 23. 1464. et habetur in Cur. Prerog. Cantuar. *libro Godyng.* p. 51.

CollegioWiccamico Oxoniae ubi educatus eſt[e] (ſi non, quod etiam traditum reperi, in Mertonenſi) crucem argenteam ponderis decem librarum; ſacra Biblia in quatuor voluminibus pulcherrimè deſcripta; pelvem argenteam, ponderis decem librarum; cappas nonnullas et alia minoris momenti. Collegio Wiccamico Wintonienſi crucem argenteam deauratam ponderis novem librarum et decem unciarum; duo candelabra argentea ejuſdem ponderis, et veſtimenta ſacra quamplurima. Hoſpitali ſanctae Catharinae Londini, cui fuerat Praefectus, quinquaginta ſolidos. Eccleſiae parochiali de Sutton Courtney, (cujus olim Rector extiterat) veſtimenta neſcio quot et pecuniae numeratae quinque libras, pauperibus ibidem diſtribuendas; et pauperibus apud Bedwin (cujus Eccleſiae dicitur fuiſſe Praebendarius) ſummam conſimilem; ac denique (praeter veſtimenta quaedam) pauperibus de Bekinton tantundem, ubi loci natum illum nonnulli augurantur et inde ſumpſiſſe cognomen; Id quod mihi nullo modo probatur. Quis enim crediderit beneficentiam erga ſolum natale tam anguſtis terminis coercendam? Sed pergo. Auguſtinenſibus Fratribus Briſtoliae contulit viginti ſolidos; Minoritis de Bridgewater tantundem; Decem ſacerdotibus miſſificaturis pro anima ejus, parentum ac benefactorum ſuorum, ac praecipue Humfredi Gloceſtriae Ducis, Gulielmi Wiccami Epiſcopi Wintonienſis, Joannis Elmer et Walteri Thurſton, ſingulis quinque libras; et decem tenuioris fortunae ſtudioſis, hebdomadatim decem denarios, unicuique pro quinque annorum termino ſolvendos, ut inde in Academia alerentur. Famulorum ſuorum qui eſſent melioris notae, ſingulis quinque libras; reliquorum, quinque marcas, praeter pueros quos oportebat accipere ſingulos quadraginta ſolidos. Omnibus deinde ſuis non habentibus quo ſe reciperent, victum exhiberi, et conſuetum ſalarium numerari per tres menſes poſt obitum ſuum, mandavit. Succeſſori voluit offerri centum libras, ea lege tradendas, ut de aedificiorum reparatione litem non intentaret teſtamenti executoribus; expendendas verò in defenſione juſtitiae (ut ipſius verbis utar) ſi moleſtus eſſe voluerit. Denique executoribus praedictis non plus quam viginti libras ſingulis largitus, reliqua omnia in pios uſus expendenda praecipit. Quinam vero fuerint hii executores (cum fide eximia munus ſibi demandatum obierint) juvat commemorare. Primo nomen Richardi Swann, qui Praepoſitus fuit Wellenſis et Rector de Yevelton, ac jam ante in teſtamento Richardi Prateii Ciceſtrenſis Epiſcopi, ſimili ratione haeres extiterat fiduciarius conſtitutus. In foro Wellenſi domicilium hic habuit prope portam palatii. Hugo Sugar, ſecundus appellatus eſt, legum Doctor, qui Capellam elegantem ex polito lapide ſuis ſumptibus conſtruxit, magno pulpito contiguam, ubi loci lignea jam olim fuerat poſita. Habitavit ille in domo, quae media eſt inter duas alias, praedio Epiſcopali contermina, Cambraia nuncupato et ab annis jam triginta mea eſt. Tertius fuit Joannes Pope, Theologiae Doctor, Praebendarius ſancti Decumani et Rector Eccleſiae de Shyre. Jacent iſti ſimul tumulati (ſicuti à ſenioribus audivi) in medio navis Eccleſiae, è regione pulpiti, ubi tres videmus lapides marmoreos ſibi mutuo tam ſimiles quam ovum ovo. Opes ab Epiſcopo relictas impenderunt iſti univerſas, in Collegio augendo Vicariorum Choralium; quod omnium totius Angliae ejus generis ſpecioſiſſimum reddiderunt. Diem clauſit extremum hic tam egregius Eccleſiae noſtrae benefactor decimo quarto Januarii

---

[e] Educatus fuit in Collegio Novo Oxon. in quo fuit et Socius et Cuſtos.

(ſtilo Anglicano) 1464, et tumulo conditus eſt elegantiſſimo, à ſe dum viveret extructo[f], ab Auſtrali parte Praesbyterii ſito. Atque hic jam finem feciſſem de hoc Praeſule verba faciendi, niſi è re futurum exiſtimaſſem oſtendere, quomodo coelibes iſti, propinquorum tamen curam non abjecerint. Elocavit ille ad multos annos, Thomae Dawbridgecourt armigero, qui Beatricem duxerat in uxorem affinem ejus, (ſicuti ex formula conceſſionis à me perlecta didici) praedia quaedam Epiſcopalia appellata Greencaſtell, Forsbuts, Garſlade, Bolehurſt et Frogmere; profeſſus in eodem ſcripto, Agnetem Rabeyam, Radulphi Erghum anteceſſoris ſui ſororem, primum, ac poſtea Joannis Staffordi (cui ipſe ſucceſſit) matrem Emmam, et ſororem Agnetem Bradleyam, eadem praedia ex ſimili conceſſione tenuiſſe.

XXXIX. ROBERTUS STILLINGTON.

1465. EDW. 4. 5. DEFUNCTO Bekintono, in ſucceſſorem electus eſt quidam Joannes Phreas[g] Balliolenſis Collegii Oxoniae alumnus, qui ante conſecrationem è vivis exceſſit[h]. Tum Robertus Stillington legum Doctor Oxonienſis[i], Archidiaconus Tauntonenſis, privati primum ſigilli cuſtos, et Angliae deinde Cancellarius, et eligitur canonice in Epiſcopum, et menſe Aprili 1465 conſecratur[k]. Sub variis hic Principibus, varia fortuna uſus eſt. Edwardo quarto charus fuit, et plurimis legationibus ſub eo functus, quarum una neſcio an ipſi fuerit exitialis. Henricus Richmondiae Comes (qui poſtea regnavit) in Britannia exulabat. Hunc (qui ſolus fere ex Lancaſtrenſi familia ſupererat) à Duce Britannorum dedi ſibi Edwardus poſtulavit, Stillingtoni ea in re uſus miniſterio. Qui parum gnarus, ſeſe, dum apud Regem praeſentem vult gratiam inire, futuri odium capitale incurrere; nihil reliqui ſibi fecit ad ſummam diligentiam, ut innoxium adoleſcentem comprehenſum ad Edwardum, tanquam agnum ad lupum laniandum devorandumque deduceret. Richardum tertium (licet liberorum patroni ſui parricidam) multum coluit, et temporibus ſub initia principatus ſerviens, tyranno latus texit in coronatione. Poſtea vero quum res novas moliri Richmondanum inaudivit, hominem à ſe tam graviter laeſum, Richardi rebus ſerio et ex animo ſtuduit. Bis ita peccatum, nec tamen cecidiſſet, (ut reor) niſi tertio impingens, crimine eo graviori quo turpiori, Regis jam placati iracundiam extimulaſſet. Quomodo Lambertus quidam, ex infima plebe adoleſcens, perſonam ſumpſerit Comitis Warwicenſis in vinculis agentis, et bello Regem Henricum laceſſere auſus fuerit, ſupra in Warhamo[l] enarravimus. Hunc Pſeudo-Warwicum foviſſe videtur, et aliquo pacto juvaſſe Stillingtonus noſter. Quod ſi eo fecerit conſilio, ut verum Warwicenſem ad regnum eveheret, qui Edwardo quarto nepos fuit ex fratre Georgio, Ejuſdem certe erroris impetu ferri viſus, quo Margareta Burgundiae Duciſſa Edwardi ſoror; quae iniquiſſime ferens Henricum Lancaſtrenſem regno potiri (licet fratris Edwardi filiam natu maximam is duxerat uxorem) quaſi familiam Eboracenſem everſam funditus aeſtimaret, niſi Warwicenſis (qui ſolus è maribus ejuſce ſtirpis ſupererat) Henrico Lancaſtrenſi exturbato, ſibi regnum aſſereret: Ad hanc rem efficiendam duos ſcenicos principes adverſus eum excitavit, Warbecum et hunc Lambertum, quorum opera, moleſtiae plurimum Henrico eſt exhibitum, ſicut in Annalibus videre eſt. Statim ut Lambertus devictus et captus omnia amicorum conſilia aperuiſſet; Stillingtono perduellionis crimen intentatum. Caetera narrabit pro me Twynus in Apologia ſua Antiquitatis Academiae Oxonienſis[m]. "Stillingtonus, criminis laeſae majeſtatis poſtulatus, ad Academiam Oxonienſem latitandi "cauſa ſe contulit. Rex audito Oxoniae eum commorari; per Edwardum "Willoughby Sacellanum ſuum ſcholaribus mandavit, ut Epiſcopum "poteſtati ſuae permitterent, praeſertim cum ſatis conſtaret, eum non ut "ſcholarem Oxoniae agere, ſed tantum rebus novis et incendiis in Rep. "excitandis vacare. Oxonienſes vero literis reſpondent, ſe, niſi juramentis "ſuſceptis et privilegiis Academiae violatis, nihil in Epiſcopum, ſtudiorum gratia apud eos commorantem, poſſe ſtatuere; multoque minus "permiſſuros aliquem è ſuis ad judicium trahi extra Academica ſpatia, "reclamantibus privilegiis, de quorum obſervatione juramentis ipſorum "cautum eſſet: Adjicientes, vel eam ſolam ob cauſam quod Clericus "eſſet, Eccleſiaſticae cenſurae metu, nullam ipſi vim auderent intentare. "Rex tamen infinita praemiorum ac privilegiorum ſpe propoſita, Oxonienſes in ſuam ſententiam pertrahere conatur. Neque ſubticuit, ſe "Oxonienſium privilegia evolviſſe; quae etſi magna et multiplicia inveniſſet, in nullum tamen incidiſſe, quod iis patrocinaretur qui laeſae "majeſtatis rei haberentur. Tandem poſt multas hinc illinc altercationes, "viſum eſt ſcholaribus Epiſcopum Regi tradere, non tamen comprehendendo, ſed Regiis miniſtris permittendo. Rex igitur miſſo Willoughbeyo "ſacellano ſuo, una cum Edmundo Hamden et Jacobo Parker corpori "ſuo à cuſtodiis; Epiſcopum Oxoniae captum Windeſoram curavit mittendum menſe Octobri 1487," ubi ad obitum uſque manſit in cuſtodia. Deceſſit vero ſub exitum Junii[n] 1491; constructa interim capella ſpecioſiſſima juxta clauſtra (in qua conditus eſt) ſed avibus haudquaquam fauſtis. Nam una cum Aula palatii Epiſcopalis, à Gateſio antea[o] commemorato, diruta eſt, ut ex divendito plumbo quo haec aedificia operiebantur pecuniam corraderet. Et haec ſive plumbi ſive auri ſitis effecit, ut iidem homines, qui adoleſcentes Epiſcopum viderant viventem florere, et mortuum tumulari, non ſolum capellam quam à fundamentis ab eo excitatam quoque viderant, everſam, ſed tumulum disjectum et miſeras hominis reliquias plumbo excuſſas, quo fuerant involutae, aetate poſtea provectiores conſpexerint.

---

[f] Et conſecrato, iiſdem indutus ornamentis, in quibus ſepeliri voluit. [g] Free, Colleg. Balliolenſis Praefectus, proviſus eſt à Papa ob eximiam Linguarum ſcientiam. [h] Romae deceſſit, non ſine veneni ſuſpicione. *Balc. Cent.* 8. p. 614. [i] Collegii Omnium Animarum alumnus, *Leland. Itin.* V. 3. p. 87. et poſtea Decanus liberae Capellae Regiae S. Martini London. *MS. Baker.* Privati Sigilli Cuſtos 1461. Edw. 4ti. 1°. *Liber niger Windſ.* 127. A.—Cancellarius Angliae 8 Jun. 1468. *Clauſ.* 7 E. 4. m. 12. *dorſ.* et ſucceſſorem non habuit ante 20 Sept. 1473. *Dugd. Catal. Cancellar.* p. 22. [k] A Georgio Archiepiſcopo Eboracenſi apud Weſtmonaſterium in Hoſpitio Ebor. Mar. 16. 1465. *Regiſtr. Stillingt. in Angl Sacr.* V. 1. p. 574. [l] P. 134.

---

[m] P. 263.

[n] Ante 15 Maii, ipſo enim die Canonici Wellenſes petebant licentiam ad exequendum officium circa ſepulturam Roberti Epiſcopi Bath. et Wellen. nuper defuncti. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 574. è *Libro Rubro.* Eccleſ. Wellen.

[o] P. 374.

XL. RICHARDUS FOX.

1491. Hen.7.7. ILLI defuncto mox ſufficitur, Richardus Foxus Epiſcopus Exonienſis, qui huc tranſlatus eſt menſe Februario[p] 1491, et poſt triennium[q] Dunelmum.

XLI. OLIVERUS KING.

1495. Hen.7.11. OLIVERUS KING legum Doctor[r], Collegii Regii Cantabrigiae aliquando ſocius, Amanuenſium Regiorum princeps, ſive (ut loquimur) ſummus Secretarius, in Epiſcopum Exonienſem anno 1492 conſecratus, Foxo tam hic quam Exoniae ſucceſſit, tranſlatus ſexto Novembris 1495. Eccleſiae ſuae Bathonenſis fabrica veteri [diruta] novam egregii operis exorſus, quo minus perficeret, morte fuit interpellatus. Opus deinde aliquantulum promovit Hadrianus qui ipſi ſucceſſit. Sed et hic etiam imperfectum reliquit. Gulielmus Bird Priorum coenobii poſtremus, aliorum beneficentia adjutus, extremam brevi manum videbatur impoſiturus, quando coenobii ruina templum quoque involvit. Ut à ferreo ſeculo ad deterius, plumbeum nimirum nos recidiſſe cognoſcas; plumbi eadem cupiditas quae capellam beatae Mariae et aulam Epiſcopalem Welliae evertit, Bathonenſem quoque Eccleſiam tantum non peſſum dedit. Operimentum plumbeum abripitur, et materia ad fabricam perficiendam parata, divenditur. Nec ſpes erat caetera quae adhuc relicta erant non peritura, donec bonorum virorum conſilio, ex ſtipe emendicata, pro plumbo ablato tegulae reponerentur. Eadem etiam ratione, vitro paulatim feneſtrae obducuntur, et pars choro deſtinata quodammodo perfecta, opera praecipue Billetti cujuſdam, qui ab Angliae Neſtore Cecilio moriente, pecuniam ferebatur accepiſſe magnam in pios uſus impendendam. Sed procul adhuc erat ut abſolveretur Eccleſia, donec egregia [Montacuti] praeſulis liberalitas omnes tandem defectus ſupplevit; qua de re ſuo loco. Exceſſit è vivis Oliverus viceſimo quarto Januarii[s] 1503, et ſepultus creditur à nonnullis (quod tamen mihi non eſt veriſimile) in capella quadam ab Auſtrali parte chori Windeſorenſis; è regione cujus capellae, imagines depictas videmus Henrici ſexti et Edwardi Principis filii ejus, Edwardi itidem quarti et Henrici ſeptimi cum hoc elogio.

"Orate pro D. Olivero King juris profeſſore, ac illuſtris Edwardi (primogeniti Henrici ſexti) et ſereniſſimorum Regum Edwardi quarti, "Edwardi quinti, et Henrici ſeptimi principali Secretario, digniſſimi "ordinis Garterii Regiſtrario, et hujus ſancti Collegii Canonico anno "Domini 1489, et poſtea per dictum illuſtriſſimum Regem Henricum "ſeptimum anno 1492 ad ſedem Exonienſem commendato.

---

[p] Bullâ datâ Feb. 8. *Regiſtr. Morton.* [q] Sub exitum anni 1494. [r] Archidiaconus Tauntoniae Jul. 12. 1490. *Le Neve.* Huc tranſlatus eſt Bullâ Papali Nov. 6. 1495. Spiritualia liberata Jan. 8. et inthronizatus eſt Mar. 12. (Mar. 9. *MS. Trin.* p. 78.) *Wharton.* è Regiſtr. Morton. [s] Teſtamentum ejus fact. probat. 24 Oct. 1503 in libro Blamye, in Curia praerogativ. Cantuar. ubi legat corpus ad ſepeliendum in choro novae Eccleſiae Bathon. juxta Archam primam partis Borealis prox. Altari ſummo. *MS. Baker.*

XLII. HADRIANUS DE CASTELLO.

* 1504. HEN. 7. 19. INNOCENTIUS octavus Papa, propter ſeditionem quandam in Scotia excitatam, miſit illuc Hadrianum quendam de Caſtello[t], quem propter [prudentiam] aliaſque animi virtutes, ad res ibi componendas aptiſſimum judicavit. Is Londinum uſque progreſſus, certior ibi fit, Scotorum Regem à ſuis praelio caeſum occubuiſſe. Dum ibi ſe pauliſper reficeret, in familiaritatem pervenit Joannis Mortoni Cantuarienſis Archiepiſcopi; qui hominis egregias animi dotes exoſculatus, eruditionem inprimis eximiam cum prudentia non vulgari conjunctam; Regi author fuit, ut negotia illius omnia in Romana curia expedienda, ipſi committeret curanda. Quod munus ea geſſit ſolertia fidelitateque, ut anno 1503* Epiſcopatu Herefordenſi vacante, eo praeſulatu labores ejus remunerandos Rex cenſuerit; unde anno unico tranſacto, ad hanc noſtram ſedem transferendum eum curavit[u]. Interea vero Alexander ſextus Papa paulo ante tranſlationem ejus, in Cardinalium collegium eum cooptavit[x], cum jam antea ſupremus illius Quaeſtor fuiſſet et Secretariorum ſive Amanuenſium primarius. Ea dum obiret munia, opes ſibi comparavit affluentiſſimas; quibus inhians bonus ille Pontifex praedictus, hominem decrevit veneno tollere, una cum aliis aliquot Cardinalibus, qui divitiis itidem abundare noſcebantur. Hujus rei exequendae gratia, ad umbroſium Vaticani ruris fontem convivium apparari placet opiparum, ubi medicata Falerni vini lagena pocillatoris errore commutata, quam dira fraude ad Cardinalium antedictorum, qui convivio aderant, exitium honoris ſpecie paraviſſet; fatali pincernae errore, ſibi mortem comparavit, et filio ſuo Caeſari (omnium bipedum, uno patre excepto, nequiſſimo) ſupremam calamitatem. Hic enim qui dilutius biberat exquiſitis antidotis, vel ipſo juventutis robore veneni vim ſuſtinente, atrociſſimo quidem, ſed non lethali morbo correptus eſt; Sic, ut magnis ſtipatus copiis dux acer, ſibi uſui eſſe nequierit, et dilabente milite, duos veteres hoſtes pauciſſimis diebus Pontifices creatos viderit. At Pater Pontifex jam ſenio gravis, cum veneni vim diù ferre non poſſet, animam ſceleratiſſimam exhalavit. Hoc mortis genere extinctus eſt Alexander ſextus, ſui ſaeculi monſtrum. Et ſic potentia excidit tam exquiſitis artibus, tantis ſudoribus, totque ſceleribus comparata Valentinus ille, cujus prudentiam Machiavellus, Atheorum Apollo, tantis laudibus concelebrat. Guicciardinus[y] (qui inter alios haec tradidit) author porro eſt, “ et patris et filii frequentem fuiſſe conſuetu-
“ dinem, ut veneno non modo adverſus hoſtes ultionis vel metus gratia
“ uterentur; verum etiam nefaria divitum propriis facultatibus ſpoliandi
“ cupiditate, in Cardinales et alios aulicos, etiamſi nullam unquam ab
“ iis injuriam accepiſſent; cujuſmodi fuit ditiſſimus ille S. Angeli Car-
“ dinalis: quin etiam amiciſſimos conjunctiſſimoſque eodem modo ac-
“ ceperunt, ut Capuanum et Mutinenſem Cardinales, qui eis utiliſſimi

---

[t] Patriâ fuit Thuſcus, natus in oppido Corneti quod antiquitus Neocaſtrum dictum eſt. *MS. Trin.* p. 79.

* 1502 Godwinus ipſe inter Epiſc. Heref.

[u] Papali authoritate, Bullâ datâ Aug. 9. 1504. *Regiſtr. Warham.* fol 9. Et inthronizatus eſt in Eccleſia Wellen. in perſona Polidori Virgilii Papae ſubcollectoris in Anglia 20 Oct. 1504. *Regiſtr. Well.* et obedientiam praeſtitit ſub ejuſdem perſona. *Regiſtr. Warham.* f. 9.

[x] Titulo S. Chriſogoni, anno 1503. Pontificatûs anno undecimo 30 die Maii, vel ut alii Junii. *Ciacon. de Vit. Pontif.* T 3 p. 206.

[y] *Hiſt. Ital.* Lib. 6. p. 201.

“ fidiſſimique miniſtri fuerant.” Sed redeamus ad Hadrianum noſtrum; qui cum huic ſedi annos duodecim praefuiſſet, hoc praeſulatu et caeteris omnibus Eccleſiaſticis promotionibus hac ratione excidit. Alphonſus Petruccius Cardinalis, Pandulphi Senenſium reguli filius, qui Leoni decimo in electione ad Papatum ſuffragium inter promptiſſimos detulerat, aegerrimè ferens Borgeſium fratrem ſuum à regno paterno depulſum, idque per eum cujus dignitatem ipſe tam ſedulò promoviſſet; fratris ulturus injuriam, ſibique male redditam gratiam, in [caput] praedicti Leonis, una cum Hadriano hoc noſtro et aliquot aliis Cardinalibus conjurat [necem ei per venenum molientes. Horum] Petruccius, conjuratione detecta[z], poenam capite luit, carnificis Orlandi manu in mole Hadriani ſtrangulatus. Caeteris veniam promiſit Leo, modo crimen admiſſum liberè et ingenuè vellent confiteri; quod cum feciſſent omnes, interque eos Hadrianus, fidem nihil fefellit, nam injuriae gratiam fecit et condonatos dimiſit[a]. Hadrianus tamen, ſive pudore et ignominia tanti facinoris, ſive metu adductus, haud ſinceram fore hanc gratiam; habitu mutato ex urbe clam aufugit, et latebris ſe occultavit tam fidis, ut nunquam poſtea agnitus aut uſpiam viſus, ubi vixerit aut interierit à nemine unquam mortalium fando ſit auditum[b]. Quaenam cauſa hominem ab initio permoverit ad haec tam periculoſa conſilia, à me nondum expoſitum eſt. Hanc reddit P. Jovius in vita Leonis[c], idque his fere verbis: “ Erant in
“ Leonem caeteri conjurati, alii alias atque alias ob cauſas infenſis animis.
“ Hadrianus nulla animi malevolentia, ſed vana regnandi cupidine inductus,
“ ejus interitum avide expectabat. Certam enim ſpem adipiſcendi
“ Pontificatus conceperat ex oraculo fatidicae mulieris, quae cum pleraque
“ jampridem interroganti de ſua et publica rerum fortuna exactiſſime
“ praedixiſſet, conſtanter etiam affirmavit fore, ut Leoni immatura
“ morte ſublato, ſuccederet vir ſenex nomine Hadrianus, obſcuro natus
“ loco, literarum ſtudiis inſignis, qui ſacros honores ſola nixus virtute
“ ſine ulla majorum commendatione meruiſſet. Haec omnia ſibi uni
“ aperte congruere videbantur. Nam Corneto infami Tuſcorum oppido
“ ortus, familia tenui et prope ſordida, uno bonarum literarum beneficio
“ ſingulas ſacrorum ordinum dignitates fuerat conſequutus. Neque vetulae
“ oraculum fidem fefellit: Nam Hadrianns ſenex Batavus, egeni opificis
“ (cerviſiae coctoris) filius, doctrina illuſtris, poſt Leonem, prodigioſa
“ foelicitate Pontificatum adeptus eſt[d].

❖ ❖ ❖

XLIII. THOMAS WOOLSEY.

1518. Hen. 8. 10. THOMAS WOOLSAEUS Cardinalis et Eboracenſis Archiepiſcopus, Eccleſiae Bathonenſis et Wellenſis (exauthorato Hadriano) fuit commendatarius[e], donec anno 1518[f] ſponte abdicavit, ut hunc Epiſcopatum pro opulentiori, nempe Dunelmenſi permutaret.

---

[z] *Jovius in Vit. Leonis* Lib. 4. p. 75.

[a] Gravi tamen pecunia mulctati ſunt, et Cardinalitiâ dignitate exuti 2 Julii 1518.

[b] De obitu Hadriani ſic diſſerit *Continuator Ciaconii* Tom. 3. p. 206. “ Quo verò tempore Hadrianus hic “ noſter obierit, incertum; circa annum 1518 è vita migraſſe ſcribit Ciaconius: die 16 Januarii anno 1526 illum jam “ fato ceſſiſſe affirmat Contelorius: ferunt in Thraciam, Conſtantinopolim uſque, necis metu perterritum fugiſſe, ibique “ obſcurum, ac latentem clauſiſſe diem extremum.”

[c] Lib. 4. p. 77.

[d] Hadriani in Epiſcopatu Bathonienſi poſt Thomae Tinenſis obitum Suffraganei erant Thomas Lacedaemonenſis, Thomas Solubrienſis, et Johannes Majorenſis Epiſcopi *Angl. Sacr.* V. 1. p. 577.

[e] Bulla Proviſionis data Jul. 30. 1518. *Regiſtr. Warham.* Temporalia hujus Epiſcopatus tradita ſunt 28 Aug. 1 *Pat.* 10 H. 8.

[f] Menſe Februario 1522. ita *MS. Trin.* p. 86.

XLIV. JOANNES CLERK.

JOANNES CLERK ſacrae Theologiae Doctor[g] Cantabrigienſis, et 1523.
Rotulorum Praefectus, conſecratur anno 1523. Ejus opera in legationibus multum uſus eſt Henricus octavus; qui cùm Lutherum ſcripto libello oppugnaſſet, huic librum praedictum Pontifici exhibendum tradidit. Oratio ab illo habita in Cardinalium conſiſtorio hac de re, ſane non inelegans, edita eſt una cum libro. Legatio illa dignitatem Epiſcopalem illi peperiſſe viſa, ſed alia mortem. Ad Clivenſem Ducem anno 1540 miſſus, ut rationem redderet, cur Annam ſororem ejus Rex repudiaſſet, ingrati nuncii ingratam tulit mercedem, veneno infectus[h] (ut perhibent) in Germania; unde magna cum difficultate reverſus, obiit menſe Februarii 1540, cum ſediſſet annos octodecim, et in Monialium Coenobio ſepultus eſt, quod Mineryes Londini appellatur[i]. HEN. 8. 15.

XLV. GULIELMUS KNIGHT.

GULIELMUS KNIGHT[k] legum Doctor et Collegii Wickamici 1541.
Oxoniae aliquando ſocius[l], qui etiam ſub Henrico octavo multas Legationes obivit, conſecratus viceſimo nono Maii 1541[m], ſedit ſupra ſex annos, menſes quatuor, et viceſimo nono Septembris 1547 defunctus[n], ibi jacet humatus, ubi ſuggeſtum in navi Eccleſiae conſtruendum moriturus ordinavit. In foro urbis Wellenſis crucem habemus opere exquiſito fornicatam et [o] octodecim columnis ſuſpenſam. Quatenus illius author et conditor fuerit hic Antiſtes, elogium eidem inciſum indicabit, cujus haec eſt ſententia: HEN. 8. 33.

“ Ad honorem Dei Omnipotentis, et commodum pauperum, mercatum
“ Welliae frequentantium, impenſis Gulielmi Knight Epiſcopi, et Ri-
“ chardi Wooleman hujus Eccleſiae Cathedralis olim Decani, hic locus
“ erectus eſt. Laus Deo, pax vivis, requies defunctis. Amen. A. D. 1542.

XLVI. GULIELMUS BARLOW.

GULIELMUS BARLOW ſacrae Theologiae Doctor, apud S. Oſithae * 1548.
olim Canonicus, in Epiſcopum Aſſaphenſem conſecratus eſt ſub EDW. 6. 3
exitum anni 1535. Meneviam deinde Aprili ſequente tranſlatus, ſedit

---

[g] LL. D. in Academiâ Bonon. Cantabrigienſi verò literis inſtitutus, Windeſorienſis Decanus, Papali proviſione praeficitur, Bullâ datâ Mar. 26. 1523. *Regiſtr. Warham.* fol. 25. [h] Veneno cum ſuis omnibus infectus (quo famuli plerique ſtatim perierunt) Londinum aegre reverſus, poſt paucos dies interierit. *MS. Trin.* p. 89. Epitaphium in Eccleſia S. Botolphi juxta Algate London. ita ſe habet apud *Weaver* p. 426. *Hic jacet Johannes Epiſc. Bathon. et Wellenſis, qui cum plures inſignes Legationes* ——— *tandem obiit in Legatione Clevenſis* ——— *Januar.* MCCCCCXL. *cujus animae propitietur Altiſſimus.* [i] Multis negotiis detentus, Suffraganeos conſtituit Willelmum Abbatem de Bruton Majorenſem Epiſcopum, et Thomam Abbatem de Monteacuto Solubrienſem Epiſcopum; et poſtea Willelmum Finch, Priorem de Bremar, titulo Epiſcopi Tauntonenſis. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 577. è Regiſtr. Clerk et Cranmer. [k] Natus eſt in Civitate London. *Regiſtr. Coll. Nov. Oxon.* [l] Decanus fuit Eccleſiae Collegiatae Novi Operis Leyceſtr. 1515. *Regiſtr. Atwater Epiſc. Linc.*. et Archidiaconus Hunting. 1523. *Regiſtr. Longland.* [m] Confirmatus eſt Maii 19, conſecratus Maii 29. 1541 *Regiſtr. Cranmer.* fol. 261, 269. [n] Obiit apud Wiveleſcomb, ibique ſepultus jacet. *MS. Trin.* p. 90. [o] Quindecim. *MS. Trin.*

ibi loci annos tredecim, donec videlicet Knighto defuncto, ſucceſſor in hac Eccleſia deſignatur [p]. Ad regnum evectâ Mariâ, in Germaniam profugit, ibique exul inopem vitam ut potuit toleravit, donec rerum potita Elizabetha, revocatum, Ciceſtrenſi praefecit Eccleſiae, quam decem annos rexit, annoque 1569 ab hac denique luce migravit, et in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

* * *

XLVII. GILBERTUS BOURN.

1554. MAR. 1. IN exilium pulſo Barloo, ſubſtituitur à Maria Regina, Gilbertus Bourn [q], ſacrae Theologiae Doctor [r], Archidiaconus Londinenſis, et olim Collegii Omnium Animarum Oxoniae ſocius, quae Walliae porro Praeſidem eum conſtituit [s]. Cum in Edwardo ſexto Rege indoles, quantumvis praeclara in tam tenera aetate, ſacrilegorum manus ita non poſſet cohibere, ut praediorum Epiſcopalium partem pluſquam dimidiam ubique fere non abſtulerint; Everſa (quantum auguror) periiſſet funditus haec ſedes, niſi opportunitatem nactus ex quorundam interitu Barlous, ex pietate vero Reginae Mariae Bournus, ea retinuiſſent, et tanquam bolum à ſacrilegis jamjam devorandum eripuiſſent, quaecunque hodie vel ad Epiſcopum, vel Archidiaconum Wellenſem quovis modo ſpectant, necnon rectorias de Dulverton et Long-ſutton, quae Capitulo à Regina praedicta reſtitutae ſunt. Hic porro ſi diutius paulo perſtitiſſet, multa putatur alia retracturus, de quibus jam ſpes ſupereſt exigua. Xenodochio à Bubwitho conſtructo, neſcio quid praediorum Epiſcopalium vili pretio elocavit, ut pauperum ibidem inopiam ſublevaret, et Vicariorum choralium benefactor extitit. Dicitur eum Collegium neſcio quod molitum, quod ibi loci inſtituere decreverat, ubi prope portam exteriorem palatii Epiſcopalis, Canonicalis domus cernitur. Sed irritum reddidit hoc conſilium Reginae mors, vel ſua potius ipſius pervicacia, qui cum juramentum ſuſcipere recuſaret de ſuprema Regum poteſtate, exauthoratus eſt (una cum pleriſque aliis illorum temporum Epiſcopis) et in cuſtodia libera habitus apud Decanum Exonienſem. Silvertonae obiit decimo Septembris 1569, et in Eccleſia Parochiali ibidem ab Auſtrali parte altaris jacet tumulatus [t].

* * *

XLVIII. GILBERTUS BARKLEY.

1559. ELIZ. 2. GILBERTO ſucceſſit Gilbertus, Barkleius Bourno [u], in Norfolcia quidem natus, ex familia tamen (quod inſignia tumulo ejus à faecialibus appenſa videntur atteſtari) antiquiſſima illa juxta ac nobiliſſima Baronum de Barkley [x]. Conſecratus eſt in Epiſcopum hujus ſedis ultimo die anni 1559, hoc eſt, Martii viceſimo quarto, et cum annos praefuiſſet pene 22, jam octogenarius, Lethargicus obiit [y] ſecundo Novembris 1581, et ab Aquilonari parte ſummi altaris tumulo conditus eſt è polito lapide haud nimium ſumptuoſo.

---

[p] Vigore Literarum patentium Edwardi ſexti Feb. 3. 1548. de aviſamento Ducis Somerſetenſis, *Rym*. Tom. 15. p. 169. In cujus gratiam, opulenta quaedam Manneria ab hac ſede divulſa ſunt eodem anno; nec non Palatium Epiſcopale in Civitate Wellenſi. De hac Temporalium alienatione ſic diſſerit Author ipſe in *MS. Coll. Trin*. p. 92. “Hac una in re in- “foelix hic Praeſul exiſtimandus eſt, quod ipſo Epiſcopante, cladem acceperit graviſſimam haec ſua ſedes, amiſſis uno “eodemque tempore omnibus vectigalibus et redditibus ad eam ſpectantibus. Ita nimirum voluerunt qui tunc temporis “omnia potuerunt.”

[q] Religionis Pontificiae propugnator et acerrimus et parum acerbus; neminem tamen eam ob cauſam laedere voluit quod aliter ac ipſe de Religione ſentiret. *MS. Trin*. p. 93. Licentia eligendi data eſt 3 Martii. 9 *Pat*. 1 Mar. m. 24. Regium habet aſſenſum 28 Martii 1554. *Rym*. Tom. 15. p. 376.

[r] S. T. B. tantum in Academ. Oxon. *MS. Wood*.

[s] Sexto Mariae uſque ad mortem Reginae. *MS. Moor Num*. 388. *in Bibl. Reg. Cantabr.*

[t] De eo nulla in Eccleſia ſuperſunt veſtigia.

[u] Poſt deprivationem Gilb. Bourne, conceſſa eſt licentia eligendi Jan. 11. 1559. Reginae habet aſſenſum 20 Martii. Temporalia reſtituta. 10 Jul. 1560.

* * *

XLIX. THOMAS GODWIN.

1584. Eliz. 26. THOMAS GODWINUS, genitor mihi multis nominibus reverendus, Okinghamiae ortum habuit in comitatu Berkenſi, in cujus oppidi ſchola prima literarum rudimenta percepit. Adoleſcentiam ingreſſus, ad Academiam ſe contulit Oxonienſem, ibique in numerum ſociorum cooptatus eſt Collegii Magdalenenſis, et liberalitate adjutus (quoad is vixit) Laytoni Decani Eboracenſis (quod gratitudinis ergo libenter memoro) bonis literis operam dedit, donec Artium magiſter creatus, Pontificiorum factione (qui reformationis ſtudioſum quoviſmodo amoliri ſatagebant) neſcio quid praedioli oblatum eſt, modo ſcholae [Brackleyenſis] moderationem vellet ſuſcipere, abdicata Magdalenenſi ſocietate. Quam conditionem libenter accepit ſub exitum regni Edwardi ſexti, et ducta in uxorem Iſabella, Nicolai Pureſeii de Shalſton in Comitatu Buckingamenſi Armigeri filia, quod temporis à docendi munere vacuum nactus eſſet, in ſtudio impendit Theologiae partim, partim etiam artis medicae [z], unde, cum temporibus Marianis ab inſtitutione puerorum ſibi commiſſorum arceretur, victum ſibi ſuiſque honeſtum comparavit, quanquam à Bonero Londinenſi Epiſcopo perquiſitus ſubinde, ad latebras confugere, et habitationis loca ſaepe cogeretur commutare. Ordines primos accepit à Bullingamo Lincolnienſi primum, mox Wigornienſi Epiſcopo (cui fuit à ſacris) Elizabetha primum regnante. Huic vero Principi in tantum placuit erudita facundia in homine quem corporis proceritas et formae ſumma dignitas commendabat, ut inter eos qui ſolennes conciones Quadrageſimales pro more in regia habebant, octodecim per annos nunquam non fuerit aſcitus. Reginae interim antedictae deſignatione Decanus factus Aedis Chriſti Oxoniae anno Regni ſeptimo, inde poſt ſeſquiannum [a] ad Decanatum Cantuarienſem vocatus eſt. Id muneris cùm adminiſtraſſet annos decem et octo, ad Praeſulatum hujus Eccleſiae, poſt vacationem triennalem, conſecratus eſt [b] decimo tertio Septembris 1584, ſeditque annos ſex menſes duos et dies inſuper ſex. Quo tempore exacto, annos natus 73 decimo nono Novembris 1590, eo ipſo in oppido (ita caſus tulit) vitam finiit mortalem immortalem accepturus, in quo primum vivere coepiſſet; ibique ſepultura eſt conditus in Auſtrali latere Cancelli, prope monumentum in muro fixum, tenuitati ejus qui illud ſtatuit, quam tanti viri virtutibus congruentius. Id qualecunque ſit haec habet verba inſcripta:

---

[x] Tabulae Matt. Parker aiunt natum fuiſſe in Comitatu Lincoln. S. T. B [in Acad. Cant.] et Canonicus Regularis. *MS. Wood.*

[y] In Palatio ſuo Wellenſi.

[z] Medicinae etiam (unde Marianis temporibus victitavit) Baccalaureus. *MS. Trin.*

[a] Viz. ſub finem anni 1566.

[b] Confirmatus eſt Sep. 11. 1584, et Conſecratus Sept. 13. *Regiſtr. Whitg.* f. 13, 18. Mannerium de Wivelſcomb à ſeipſo et ſucceſſoribus, jubente aliquo, alienavit.

M. S.

“ Parentis chariſſimi, patris verè reverendi, Thomae Godwyni, ſacrae
“ Theologiae Doctoris, aedis Chriſti Oxon. primum, ac deinde Cantua-
“ rien. Decani, Bathon. demum ac Wellen. Epiſcopi, qui hoc in oppido
“ natus, hic etiam (dum valetudinis recuperandae gratia ex medicorum
“ ſententia huc ſecedit) quartana febre confectus, mortalitatem exuit No-
“ vemb. 19. 1590. conſ. ſuae anno ſeptimo, et hic jacet expectans adven-
“ tum magni Dei.

P.

F. Franc. Godwin Exon. Subdecanus.

L. JOANNES STIL.

1592. Eliz. 35. POST luctuoſum parentis mei obitum, vacavit per biennium ſedes: Ad quam conſecratus eſt tandem Joannes Stil ſacrae Theologiae Doctor[c], et Collegii ſanctae Trinitatis Cantabrigiae Praeſes, menſe Februario 1592. Obiit viceſimo ſexto Februarii 1607, et per teſtamentum legavit ad Ptochotrophium in civitate Wellenſi condendum quingentas libras, id quod à filio teſtamenti executore optima fide praeſtitum audio[d]. Tumulo jacet alabaſtrino conditus, elegantiſſimo ſane, è regione Barkleii.

LI. JACOBUS MOUNTAGU.

1608. Jac. 6. JACOBUS MOUNTAGU ſacrae Theologiae Doctor, Wigornienſis olim, hodie vero Capellae Regiae Decanus, conſecrationis ritibus inauguratus eſt decimo ſeptimo Aprilis 1608[e]. Ex Montacutorum hic ortus familia (qui Comites Sariſburienſes per aliquot ſecula floruerunt, inter quos Thomas, Margaretâ matre natus eſt, Edwardi primi Regis nepte ex filia ejus Joanna quae Ptolemaïde in lucem edita eſt, patre Rege antedicto Saracenos ibidem oppugnante) genitorem habuit Edwardum Mountagu de Boughton in Comitatu Northamptonenſi Equitem auratum. Virtutibus tamen iſte quam natalibus vel tantis nobilior (quod nemo niſi invidus negaverit) in Collegio Chriſti Cantabrigiae bonarum literarum ſtudio incubuit, donec gubernaculo admotus eſt Collegii Sidneiani tum primum inſtituti; in cujus ſtructura multum ab eo laboris ac ſollicitudinis ſuſceptum eſt, quodque plurimum et auxit et ornavit. Nam praedia illi contulit viginti marcas annuatim pendentia: Inferioris partis Capellae ibidem parietes, aſſeribus affabre compoſitis obduxit: Et Academicis author fuit aquam vivam ſalientemque Cantabrigiam deducendi, ſic ut ad Collegium praedictum perveniret (quod negotium centum ipſi libris conſtituit.) Ac denique multis aliis rationibus Collegii commodis proſpexit. Welliam poſtquam venit, magnam inſumpſit pecuniam in aedibus Epiſcopalibus

---

[c] Lincolnienſis, Collegiorum Chriſti Socius, S. Joannis et SS. Trinitatis Magiſter; Theologiae Profeſſor Margaretanus; Rect. de Hadleigh in Com. Suffol. nec non Archidiaconus de Sudbury. Electus eſt Jan. 3. 1592. Confirmatus Feb. 10. et poſtridie conſecratus. *Regiſtr. Whitg.* par. 2 f. 9.

[d] Collegium etiam S. Trin. donavit centum marcis ad expenſa aedificiorum, et pelvi argenteâ, cum infundibulo undique deauratis.

[e] Electus eſt Mar. 29. 1608. Confirm. Apr. 15. Conſecra. Apr. 17. *Regiſtr. Bancroft.* fol. 68.

reſireficiendis ornandiſque tam Banwellenſibus quam Wellenſibus. Ac Welliae quidem capellam illam à Jocelino Epiſcopo conſtructam, ſed Epiſcopatu ad paupertatem redacto, neglectam per annos jam elapſos ſexaginta, maximo haud dubie ſumptu curavit purgandam, reficiendam, organis muſicis aliiſque ornamentis inſtruendam, ſic ut pulchritudine et magnificentia pauciſſimis Angliae capellis hodie cedat, à me ſaltem hactenus viſis. Ptochotrophii deinde pauperes ſua multum juvit beneficentia: Et (quod inter facinora noſtri ſeculi pulcherrima numerandum duco) ad Eccleſiam Bathonenſem perficiendam (quam ante centum annos coeperat conſtruere Oliverus King Epiſcopus) hic Praeſul noſter mille contulit libras noſtrates, hoc eſt aureorum Gallicorum 3333, et praeterea, ſumptu non levi, ſuggeſtum ibidem excitavit ex polito lapide [ſpecioſiſſimum.] Octobris quarto 1616 Wintoniam tranſlatus eſt.

LII. ARTHURUS LAKE.

AD ſedem Wintonienſem tranſlato Jacobo Mountagu quarto Octobris 1616. 1616, Arthurus Lake Theologiae Doctor, Wigornienſis Decanus, JAC. 1. 14. et Collegii ſive Ptochodochii ſanctae Crucis Wintoniae Praefectus, conſecratus eſt in hujus Eccleſiae Antiſtitem, una cum electo Bangorenſi, octavo Decembris 1616.

* * *

Filius Almerici et frater Thomae Lake Militis, qui Regi Jacobo fuit à ſecretis; natus apud Clauſentum, Collegii Novi Oxoniae aliquando Cuſtos, deinde Eccleſiae Wigornienſis Decanus, ad hanc Dioeceſin eſt evocatus, quam ſane magna cum laude ſua et ſuorum fructu adminiſtravit. Maii quarto 1626, anno aetatis 59, decedens ingens ſui deſiderium reliquit, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet. Munificentiae et pietatis ea, quae exceperunt, loca adhuc recognoſcunt monumenta: in Collegio Novo Bibliothecam libris auxit; et praelectiones binas in uſum juventutis inſtitutas dotavit, aliam ſc. in lingua Hebraea, aliam in ſcientia Mathematica: in Eccleſia Cathedrali Wigorn. Organum erexit et Bibliothecam, qualem alteram poſtmodo erexit in Eccleſia Wellenſi.

LIII. GULIELMUS LAUD.

MORTUO Arthuro ſufficitur Gulielmus Laud, ab Epiſcopatu Mene- 1626. venſi tranſlatus, decimo octavo Septembris 1626,[f] et biennio non- CAR. 1. 2. dum exacto Londinum migravit, et inde Cantuariam.

---

[f] *Regiſtr. Abbot.* p. 2. f. 97.

LIV. Leonardus Mawe.

1628. Car. 1. 4. Leonardus Mawe ſacrae Theologiae Profeſſor ſucceſſit, Collegii ſive Domus D. Petri Cantabrigiae aliquando Magiſter, Carolo Principi Walliae à ſacris domeſticis aſſiſtens, in Hiſpaniam una eſt profectus, domum reverſus Collegii Trinitatis Magiſter à Rege conſtituitur; ubi opera et conſilio ſuo effecit ut Georgius Buckinghamiae Dux Academiae Cantabrigienſis Cancellarius renunciaretur? cujus viciſſim apud Regem gratia ad Dioeceſin Bathonio-Wellenſem eſt promotus, conſecratus ſeptimo Septembris 1628. Anno nondum expleto obiit apud Chiſwick Septembris ſecundo, et in Eccleſia illa Parochiali ſepultus jacet.

LV. Walterus Curle.

1629. Car. 1. 5. In defuncti locum ſucceſſit Walterus Curle Epiſcopus Roffenſis quarto Decembris 1629;[g] et ab hac dioeceſi ad Wintonienſem migravit 1632: ubi de eo plura.

LVI. Gulielmus Pierce.

1632. Car. 1. 8. Gulielmus Pierce aliquando Ædis Chriſti Oxon. alumnus dein Canonicus, Eccleſiae Petroburgenſis et Decanus et Epiſcopus; unde ad hanc tranſlatus decimo tertio Decembris 1632.[h] Gliſcente bello civili Regiarum partium ſtrenuus propugnator, ab inferiori Parliamenti domo importune exagitatus, Monarchiae et Hierarchiae excidium vidit, et (diu ſuperſtes) earundem cum Carolo ſecundo gloriam poſtliminio reſtitutam. Obiit menſe Aprili 1670 apud Walthamſtow in agro Eſſexienſi, ibidemque ſepultus jacet.

LVII. Robertus Creighton.

1670. Car. 2. 22. Succeſſit Robertus Creighton ſacrae Theologiae Profeſſor, Scotus gente, aliquando Collegii Trinitatis Cantabrigiae Socius, Academiae Orator publicus et Graecae linguae Profeſſor Regius. Ardente bello beneficiis omnibus exutus, ad Carolum jam Oxoniae commorantem confugit; deinde Carolum ſecundum exulem in Galliam ſecutus, ab eodem reſtaurato Eccleſiae Wellenſis Decanus conſtituitur, et Junii decimo nono 1670 Epiſcopus eſt conſecratus, jam tum ſeptimum ſupra ſeptuageſimum annum aetatis agens. Novembris vigeſimo primo 1672 mortem obiit, et in Eccleſia ſua Cathedrali, cujus in ornamentum et decorem multa impenderat, ſepultus.

---

[g] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f. 6.

[h] *Regiſtr. Abbot* par. 3. f 69.

LVIII. PETRUS MEWS.

FEBRUARII nono[i] inſequente Petrus Mews legum Doctor Eccleſiae 1672. Roffenſis Decanus ad hanc Dioeceſin fuit evocatus, unde ad Win- Car. 2. 24. tonienſem migravit menſe Novembri 1684.

LIX. THOMAS KENN.

SUCCESSIT Thomas Kenn ſacrae Theologiae Profeſſor, Collegii Novi 1684. Oxoniae Socius, perelegantis ingenii vir et pietatis verè Chriſtianae. Car. 2. 36. Anno 1675 Italiam peragravit, inde reverſus Principiſſam Auriacam à ſacris domeſticis conſtitutus in Hollandiam comitabatur. Conſecratus eſt Epiſcopus Bathonio-Wellenſis viceſimo quinto Januarii 1684[k]. Quarto dehinc anno cum Archiepiſcopo una, ob cauſam quam Sandcrofti hiſtoriam proſecuti ſupra memoravimus, in arce Londinenſi incarceratus: et 1690 cùm imperatum à Gulielmo Rege fidelitatis juramentum praeſtare recuſaſſet, officio et beneficio Epiſcopali exutus, è publica celebritate hominum receſſit. A. 1703 comperimus penſionem annuam ad valorem ducentarum librarum ab Anna Regina ad uſque terminum vitae fuiſſe illi conceſſam, qui quidem accidit 1710 Martii decimo nono, aetatis anno 75, in oppido vocato Long-Leate, et ſepultus in Coemeterio Parochiali de Frome-Zelwood in Comitatu Somerſetenſi.

LX. RICHARDUS KIDDER.

CUM Epiſcopatum, eo quo diximus modo vacantem, ſibi oblatum 1691. ſingulari fere abſtinentiae exemplo Gulielmus Beveridge recuſaſſet, Gul. et Mar. 3. aliquando ad Richardum Kidder ſacrae Theologiae Profeſſorem, jam tum Eccleſiae Petroburgenſis Decanum, nominatio devenit: qui cum eſſet Collegii Emmanuelis Cantabrigiae Socius, et in eo Puritanorum domicilio dogmata hauſiſſet regimini tum Politico tum etiam Eccleſiaſtico repugnantia, anno 1662 officio et beneficio erat exutus. Nihilominus re poſtmodo accuratius penſitata, ita mores conformavit ut ad beneficia Eccleſiaſtica non amplius ſibi praecludi viam pateretur. Anno itaque 1681 ad Decanatum Petroburgenſem evectus, et inde ad Dioeceſin Bathonio-Wellenſem Auguſti triceſimo 1691.[l] Die (ſeu potius nocte inter 26 et 27 Novembris 1703) cum ſaeviret illa poſt hominum memoriam tempeſtas turbulentiſſima, dum aedibus Epiſcopalibus in lecto ad ſomnum compoſitus jaceret, caminorum cum tecto una corruentium ſtrage oppreſſus interiit, et in Eccleſia Wellenſi jacet ſepultus.

---

[i] *Regiſtr. Sheld.* f. 108.

[k] *Regiſtr. Sandcr.* f. 116.

[l] *Regiſtr. Tillots.* f. 75.

LXI. GEORGIUS HOOPER.

1703. ANNAE.2. EO defuncto ſucceſſit Georgius Hooper Ædis Chriſti Oxon. aliquando alumnus, vir multifaria eruditione juxta ac modeſtia et pietate clariſſimus; Principiſſam Auriacam novam nuptam in Hollandiam comitabatur, cum ei ab Eleemoſynis aſſiſteret: apud eandem jam Reginam ea gratia valebat, ut ad Eccleſiae Cantuarienſis Decanatum, nulla ambitione ſua quaeſitum, promoveretur. Anno 1701 inferioris Cleri convocati Prolocutor eſt electus, et triceſimo primo Octobris 1703 conſecratus Epiſcopus Aſaphenſis: die decimo quarto Martii inſequentis ad hanc Eccleſiam eſt evocatus. Hic demum pedem figere gaudebat, curae Epiſcopali ſtudiiſque ſeverioribus unice intentus; Nonagenarius ſenex vitam cum morte commutavit ſexto Septembris 1727. In Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus, ubi marmor extat ipſius memoriae ſacrum.

XLII. JOANNES WYNNE.

1727. GEO.2.1. JOANNES WYNNE ſacrae Theologiae Profeſſor ſucceſſit, à Dioeceſi Aſaphenſi tranſlatus undecimo Novembris 1727.





De EPISCOPIS EXONIENSIBUS.

POSTQUAM ad Chriſtianam religionem Comitatus Devonienſis et Cornubienſis populi converſi ſunt; Epiſcoporum qui Occidentalium Saxonum dicti ſunt juriſdictioni aliquandiù ſuberant, quorum ſedes Dorceſtriae non procul Oxonia primum eſt conſtituta. Cathedrâ poſtea Wintoniae etiam collocatâ circa annum Domini 660, omnes inde regiones in Occaſum vergentes, Antiſtitis novae ſedis commiſſae ſunt regimini, cui parebant, donec anno 705 Sherbornenſe Monaſterium in Eccleſiam Cathedralem commutatum eſt, et inter alias, hae quoque regiones dioeceſi ejus incluſae. Poſt annos deinde ducentos, anno nimirum 905[a], Plegmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ad Regis mandatum (qua de re ſupra pluribus diſſeruimus) ſedes Cathedrales tres novas erexit; Welliae in Comitatu Somerſetenſi unam; in Cornubia aliam, ac tertiam denique in Devonia. Athelſtano Cornubienſi Antiſtiti [à Plegmundo Archiepiſcopo ſacrato] (ut de Wellenſibus hic nihil à me dicatur, de quibus abunde ſupra) ſedes Cathedralis in Eccleſia ſancti Petroci primum conſtituta eſt Bodminae, poſtea vero ad ſancti Germani tranſlata[b]. Werſtanus vero Devonienſibus Praeſul deſignatus, Tawtonae primum conſedit, mox Creditonam migravit, quae hodie vulgo Kirton. Athelſtani ſucceſſores, Cornubiorum Epiſcopi, hii traduntur extitiſſe:

---

[a] Vid. p. 307. Not. [a]. ubi fuſius tractatur haec Epiſcopatuum diviſio.

[b] *Weſtmon.* ad Ann.

CONANUS.
RUYDOCUS.
ALDREDUS[c].
BRITWINUS[d].
ATHELSTANUS ſecundus[e], qui vixit anno 966.
WOLFI[f].
WORONUS.
WOLOCUS[g].
STIDIO.
ADELREDUS.
BURWOLDUS[h].

Circa annum Chriſti 1040, aut non multo poſt, Eccleſia ſancti Petri Exoniae (his dioeceſibus in unam coaleſcentibus) utrique communis ſedes conſtituta, prout jam inde ab eo tempore ſemper habita eſt. De cujus Eccleſiae ſtructura, haec traduntur. Intra praecinctum ejus loci qui hodie dicitur Clauſum ſive territorium ſancti Petri[i], fuerunt antiquitus coenobia tria; unum ſanctimonialium, ubi aedes Decani nunc ſitae ſunt; alterum, Monachis (uti creditur) ab Ethelredo Ethelwolfi Regis filio conſtructum circa annum Chriſti 868; ac tertium Benedictinis poſitum ab Athelſtano Rege anno 932, ibi fere ubi Orientalis pars Eccleſiae Cathedralis nunc eſt, de quo apud Hookerum neſcio quis ſic ſcriptum reliquit: "Hanc "urbem primus Rex Athelſtanus in poteſtatem Anglorum, effugatis Bri-"tonibus, redactam, turribus munivit et muro ex quadratis lapidibus "cinxit, ac antiquitus vocatam Monkton, nunc Exeter appellari voluit; "ac ibi ſedens manſum quoddam dedit ad fundandum Monaſterium "pro Monachis Deo et ſancto Petro famulantibus, &c." Atenim praeter ſumptus ſtructurae, praediis etiam dotavit hoc coenobium, quorum praecipue memorantur Morſhut[k] et Treasbeare quae hodie ad Theſaurarium Eccleſiae Cathedralis noſcuntur pertinere. Danis vero univerſam hanc regionem populantibus, et igni ac ferro magna cum crudelitate ubique ſaevientibus, Monachi omnes aufugerunt, et coenobium, habitatoribus vacuum, deſertum jacuit ad tempora uſque Edgari Regis, qui ad civitatem accedens, ut Ordgarum Devoniae Comitem inviſeret ſocerum ſuum, aedificia refecit deſtructa, ac Monachos ibi collocavit, quibus Abbatem praefecit Sidemannum, Epiſcopum poſtea Criditonenſem. Poſt reſtaurationem hujuſmodi, anni jam effluxerant vix quinquaginta, quando Swanus Danorum Rex obſidione cinctam civitatem cepit anno 1019, et captam incendit, coenobio etiam ſancti Petri eodem incendio abſumpto ac deleto. Brevi tamen pòſt, Canutus filius ejus, paterna ſcelera cupiens expiare; Coenobium, intercedente Procerum ſuorum quodam cui nomen Atheldredi, reſtauravit iterum, et reſtauratum Athelwoldo Abbati tradidit, necnon et unà omnia praedia antiquitus ad illud pertinentia; confecto inde diplomate anno 1019. Poſt annos tum triginta Edwardus Confeſſor Exoniam veniens, Leofrici Creditonenſis Epiſcopi conſilio, qui multum apud illum poterat; amandatis Weſtmonaſterium Monachis, ſedem Cathedralem illius Dioeceſis illuc transfert. Qua re confecta, Leofricus,

---

[c] Vixit A. 793. *Ingul.*

[d] SERTO Dorovernenſis, qui floruit A. D. 960, factus erat Epiſcopus Cornubienſis ut teſtantur Balaeus et Pitſius in illius Sertoris vita.

[e] In MS. perantiquo inter Archivos Eccleſ. Exon. non numeratur *Le Neve.*

[f] Claruit 1051. *Ingulf.*

[g] Et hic etiam omittitur in MS. ſupra laudato.

[h] Inter teſtes Chartae Canuti Regis, quâ Portam de Sandwico Civibus Cantuar. conceditur, enumeratur Byrhtwoldus Corvinienſis Epiſcopus. Prior et Conventus S. Martini Dovor. in Chirographo ſigillato teſtantur ſe codicillum Canuti Regis vidiſſe A. 1239 *MS. Anſtis.*

[i] Vid. *Acta Sanctorum Ordinis ſancti Benedicti* Sec. 3. par. 2. p. 6.

[k] Morchard

Coenobia vicina antedicta diruit, ut novis incolis (Canonicis) locum faceret. Anno deinde 1112 Gulielmus Warelwaſt, Eccleſiam ſuam, quae tunc temporis amplior non erat quam capella beatae Mariae, amplificare aggreſſus, fundamenta jecit chori, quem aedificatum navem Eccleſiae conſtituit, veteri Eccleſia in chorum converſa. Tum poſt annos ferme ducentos, Petrus Quivil, navem Eccleſiae coepit conſtruere; cui Joannes Grandiſſonus binos ab utroque latere arcus adjecit, et è polito ſaxo teſtudine univerſam aedem cooperuit. Edmundus Lacy anno 1450 domum Capitularem ſuis ſumptibus extruxit; Decanus vero et Capitulum clauſtra circa id ipſum tempus. Hinc patet (quod perpendenti mirum videatur) Eccleſiae hujus ſtructuram ab Athelſtano Rege coeptam, quingenteſimo pòſt anno vix perfectam: Quae tamen eam habet elegantiam et omnium partium ſymmetriam aptamque inter ſe proportionem, ut quicunque eam ſpectarit, ab uno eodemque homine inchoatam primùm ac denique abſolutam facile crediderit. Ad Epiſcopos nunc accedamus Devonienſes, qui apud Northtawton[l] primo conſederunt (uti diximus) et poſtea Creditonam ac inde Exoniam migraverunt.

I. EADULPHUS.

EADULPHUS, Hookero (ſed perperam) Werſtanus, primus Devonienſium Epiſcopus conſecratus (uti ſupra retulimus) anno 905; cum annum unicum ſediſſet extinctus fertur et in Eccleſia ſua ſepultus.

II. PUTTA.

PUTTA (ſicut anteceſſor) Tawtoniae ſedem habuit. Creditonam profectus, Regi obſequium exhibiturus; aut (ut nonnulli habent) Uffam inviſurus procuratorem Regium, à famulis Uffae praedicti in via obtruncatus eſt. Quae res occaſionem dediſſe putatur, ſedem Creditonam transferendi[m].

III. EADULFUS.

EADULFUS[n] Alfſii frater, Comitis vel Ducis (ut volunt) Devonienſis, in Epiſcopum hujus dioeceſis conſecratus, Creditonae inſtallatus eſt, ubi annos 22 Praeſulatum tenuit. Obiit anno 932, et in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Illo ſedente, Edwardus ſenior Rex contulit ſedi huic manneria tria, videlicet Polton, Celing et Lanwitham, idque (ut habet liber Wintonienſis) "uti ſingulis annis Epiſcopus viſitaret gentem Cornubienſem ad exprimendos eorum errores. Nam antea (inquit ille) in quantum potuerunt veritati reſiſtebant, et decretis Apoſtolicis non obediebant." [909.]

[l] Non apud Northtawton ſed Tawton Epiſcopi juxta Barum.

[m] Eadulphi primi et Puttae ne nomina quidem extant inter Hiſtoricos.

[n] Eadulphus hic conſecratus fuit anno 909 à Plegmundo una cum ſex aliis Epiſcopis. Vid. ſupra p. 332 in Aſſerio Not.[l]. Hanc rexit Eccleſiam per 22 annos, et (Florentio teſte) deceſſit A. 931.

IV. ETHELGARUS[o].

932. SUCCESSIT Eadulfo Ethelgarus anno 932; qui cum annos ſediſſet decem deceſſit, et in Eccleſia ſua Creditonenſi fertur humatus.

V. ALGARUS[p].

ALGARUS annos ſimiliter decem praefuit, et anno 942, vitam cum morte quando commutaſſet, in Eccleſia praedicta tumulatus eſt.

VI. ALFWOLDUS[q].

[953.] ALFWOLDUS (ſecundum Weſtmonaſterienſem) Algaro ſucceſſit, Dunſtani opera Epiſcopus deſignatus anno 952[r]. Sedit annos viginti, et anno 972 juxta anteceſſores ſepultus eſt[s].

VII. ALWOLFUS.

972. ALWOLFUS conſecratus anno 972, poſt novennium deceſſit et in Eccleſia ſua ſepelitur.

VIII. SIDEMANNUS.

ABBAS Monaſterii D. Petri Exoniae ſucceſſit nomine Sidemannus. Quo ſedente, Dani univerſam Devoniam necnon et Cornubiam populati, Bodminam et Eccleſiam Cathedralem ſancti Petroci una cum aedibus Epiſcopalibus ibidem incenderunt. Quae res occaſionem dedit, ſedem ad S. Germani transferendi; unde non migravit, donec Cornubiâ cum Devonia unitâ, Exoniae utriſque ſedes conſtituta eſt. Obiit Sidemannus anno 990[t], et Creditonae tumulatus eſt[u].

---

[o] AETHELGARUS, *Floren.* ADELGAU, *MS. Gale.* EDELGAR, *Malmeſb.*

[p] Idem cum Ethelgaro, ſic enim ſcribit Florentius, *Aethelgarus viceſimo primo accepti Epiſcopatus anno,* (A. ſc. 953) *vitam in Chriſto finivit, et in Eccleſia Credionenſi ſepultus eſt. Pro quo beati Dunſtani conſilio, vir venerandus Alfwoldus functus eſt praeſulatus officio.* Ita etiam Weſtmonaſterienſis.

[q] AELFWOLDUS, *Ingulf.* ELFWOD, *Malmeſb.*

[r] 953. *Florentius* ut ſupra.

[s] Ob. Id. Febr. *Hiſt. Glaſton.* p. 9.

[t] Obiit 2 Kal. Maii 977. Vid. Acta Synodi Kyrtlington. *Concil. Angl.* T. 1. p. 262.——Kal. Maii. *Obituar. Elienſ. Claud.* A. 8.

[u] Ita quidem ipſe praeceperat, è mandato verò Regis et Dunſtani, ſepulturae traditur in Monaſterio Abendonenſi in parte Eccleſiae Boreali, in porticu S. Pauli. *Chron. Saxon.*

IX. ALFREDUS.

ALFREDUS (Diceto Alfricus) Abbas Malmeſburienſis, tum proxime [978.] conſecratus, vir doctus habebatur, et ſcriptos reliquit libellos duos, *De rebus coenobii ſui*, et *De rerum naturis*. Obiit anno 999[x], cùm ſediſſet annos novem.

X. ALFWOLDUS.

ALFWOLDUS[y] (ſecundum Dicetum) Alfredo vel Alfrico ſuccedens [989.] praefuit annos quindecim.

XI. EADNOTHUS.

ALFWOLDO, Malmeſburienſis et Florentius Wigornienſis (ſcriptores [1004.] his temporibus vicini) ſubjiciunt Eadnothum, ab Hookero et aliis omiſſum. Verum quia et in aliis ab eo diſſentiunt, eorum Catalogum ſubjungam.

EADULPHUS.
AETHELGARUS.
ALFWOLDUS.
SIDEMANNUS.
ALFRICUS.
ALFWOLDUS.
EADNOTHUS, al. WINE.

XII. LIVINGUS.

DE Livingo non ambigitur, quem ex Abbate Taviſtokenſi Epiſcopum 1032. Creditonenſem anno 1032 conſecratum omnes conſentiunt. Hic nepos Brithwoldi ſive Burwoldi Cornubienſium Epiſcopi, illo mortuo, praeſulatum ejus ſuo conjungendum curavit[z]; nec eo contentus, Wigornienſem etiam aſſumpſit, et unus omnes rexit quoad vixit. De illo ſupra fuſius inter Wigornienſes.

---

[x] Obiit A. 988. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 8. 5 Id. Jan. *Obituar. Elienſ.* ut ſupr.

[y] Subſcripſit Chartae Ethelredi Regis datae Coenob. Sceptonien. A. 1001. Indict. 14. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 217. nec non aliae dat. Eccleſ. Roffenſi A. 995. *Text. Roffen.* f. 154. Et ſi praefuit tantum per quindecim annos, Eadnothus, quem et Weſtmonaſterienſis Wigornienſis ſubjiciunt, hanc Eccleſiam rexiſſe videtur per triginta ferè annorum ſpatium.

[z] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 145. b.

EXONIENSES EPISCOPI.

I. LEOFRICUS[a].

EPISCOPORUM hujus dioeceſis qui Exoniae ſedem habuerunt, omnium primus extitit Leofricus; vir nobili proſapia in Burgundia natus, nec minus eruditione ac prudentia quam nobilitate clarus, qui Edwardo Confeſſori ab arcanis, necnon (ut à quibuſdam[b] traditur, perperam credo) Angliae ſub eo Cancellarius, Epiſcopus hic loci conſtitutus, cathedram Epiſcopalem à Creditona Exoniam[c] tranſtulit circa annum Domini 1049[d], et eodem Rege authore (qui huc una cum Regina id temporis acceſſerat) monachos Exonienſes Weſtmonaſterium coëgit migrare, ut Canonicos eorum loco collocaret. Traditum eſt memoriae, Regem ipſum, manu Epiſcopi dextra prehenſa, Regina vero ſiniſtra, ad thronum illi praeparatum deduxiſſe eum, et ibidem collocaſſe. Hic poſtquam praedia multa et privilegia ab eodem Rege impetraſſet; Canonicis ſuis leges quaſdam praeſcripſit et ſtatuta ordinavit quibus regerentur; ac inter caetera (ut Malmesburienſis[e]) “contra morem Anglorum ad formam Lotharingorum, uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent. Tranſmiſſa eſt hujuſcemodi regula (inquit ille) ad poſteros, quamvis pro luxu temporum nonnulla jam ex parte deciderit: Habentque clerici Oeconomum ab Epiſcopo conſtitutum, qui eis diatim neceſſaria victui, annuatim amictui commoda ſuggerat.” Sic ille. Noſtro verò ſeculo ne umbra quidem aut veſtigium hujus inſtitutionis apparet. Nam hodie, ex Canonicis quatuor ſupra viginti, illi qui Reſidentes appellantur, ſibi unuſquiſque domum habet amplam, eaque laxitate, ut amicos et hoſpites ſplendide ſatis honorificeque (ſi aliunde ſuppetant facultates) poſſint accipere. Hic enimvero praeſul (cum annos ſediſſet plus minus 23) è vivis exceſſit anno 1073[f], et in coemiterio humatus, ſaxo dicitur tectus marmoreo, in loco ubi Eccleſia poſtmodum aucta, campanile ſitum eſt illud quod Meridiem ſpectat. Qua de re cum Canonicos monuiſſet bonus ille ſenex Hookerus (è cujus ſcriptis plurima me hauſiſſe confiteor, quae de hac Eccleſia ſum traditurus) monumentum ibidem concinnarunt, quod etiamnum viſitur ibidem, et praeſulis de Eccleſia tam praeclare meriti memoriae conſecrarunt.

---

[a] *Dunelm. Weſtmon. Florent.* LEFRICUS, *Malmeſb.* [b] *Dunelm. Weſtmon.* [c] Hanc urbem primus Athelſtanus, fugatis Britonibus, in poteſtatem Anglorum redegit. [d] 1046. *MS. Gale.* [e] *De Pontif.* L. 2. f. 145. b. [f] *Anno 1073 die decimo Februarii obiit Leofricus primus hujus Eccleſiae Epiſcopus.* Chron. Brev. inter Regiſt. Eccl. Exon. Miſſale verò perantiquus in Bibl. Bodl. Ox. ita refert. *A. D.* 1071 *Epiſcopatus ſui anno* 26 *ex hac aerumnoſa vita ſubtractus* 4 *Id. Febr.*

II. OSBERNUS.

* 1072. Gul. 1. 6.

“SUCCESSIT Leofrico Osbernus (Malmesburienſem[g] audis) Regis Gulielmi tempore, natione Normannus, frater Gulielmi praecellentiſſimi Comitis, in Anglia ſub Edwardo Rege liberaliter et domeſtice converſatus; quippe qui cognationem Regiam vicino attingeret gradu. Unde in victualibus et caeteris rebus ad Anglicos mores pronior, parum Normannorum pompam ſuſpiciebat, conſuetudines Domini ſui Regis Edwardi efferens, et cum per alios exhiberentur, cum aſſidentibus manu et geſtu adgaudens. Ita pro more antiquorum praeſulum, veteribus contentus aedificiis, liberalis animo et caſtus habebatur corpore. Vixit ad quartum annum Regis Henrici. Imminente ſenio, non paucis annis lumine captus.” Malmesburienſis hactenus. Silentio hic minime duxi praetereundum, Huntindonium[h] alioſque qui illum ſequuti ſunt, mentionem facere Galfridi cujuſdam, quem his temporibus Exonienſem volunt (ſi diis placet) Epiſcopum. Ille vero Galfridus quem is dicit res novas molitum una cum Odone Cantii Comite aliiſque, Conſtantienſis fuit non Exonienſis Epiſcopus. Nam Osbernus anno 1074[i] conſecratus, non ante annum 1103 deceſſit, poſtquam annos ſediſſet triginta, in Eccleſia ſua tumulatus.

III. GULIELMUS WARELWAST[k].

1107. Hen. 1. 8.

GULIELMUS WARELWAST[l], patria Normannus, qui Gulielmo utrique ac deinde Henrico Regibus fuerat à ſacris, vir admodum diſertus ac prudens, et in rebus gerendis dexteritatis eximiae; poſt multas obitas legationes, ac praeſertim ad Paſchalem ſecundum Pontificem, dum inter eum et Henricum Regem de Eccleſiarum inveſtituris certamen illud diuturnum agitaretur, (de quo pluribus in vita Anſelmi Cantuarienſis) ejuſdem Regis beneficio ad hunc praeſulatum evectus eſt, et conſecratus una cum aliis aliquot menſe Auguſto 1107[m]. Hic (uti ſupra monuimus) Eccleſiam ſuam amplificare primus omnium aggreſſus eſt, et pro ea qua valebat apud Regem gratia, impetravit ab eo haec manneria, Plimptonam, Bramptonam, et ſancti Stephani in urbe Exonienſe ſitum. Bramptonam Eccleſiae ſuae Canonicis contulit, et illi Decanatui (paulo poſt erecto) adjecerunt. Illud ſancti Stephani, ſibi ac ſucceſſoribus reſervavit; quos inde Barones Parliamentarios factos ſomniat Hookerus; quaſi jam inde ab eo tempore quo Parliamenta primum in Anglia extiterunt, omnes Epiſcopi ejuſdem, eo ipſo quod Epiſcopi fuerint, non fuerint etiam è praecipuis Parliamenti membris; et in omni publica adminiſtratione, eorum opera non gererentur pleraque, etiam antea quam vel Comitum, vel Baronum, vel equitum auratorum, vel Parliamentorum vocabula in Anglia ſint audita. Sed quae tunc haud dubie nimia fuerunt, ad nihilum brevi redigentur, ſi barbaris quorundam novitatibus, tanquam Apollinis Pythii oraculis, neceſſario ſemper ſit credendum. Ad Plimptonam quod attinet, condidit in eo Coenobium hic antiſtes Canonicis regularibus: et ingraveſcente aetate oculis captus (ſicut anteceſſor) abdicato praeſulatu cum annos ſediſſet viginti, Canonicus inter Plimptonenſes ſuos factus, animam paulo poſtea exhalavit, et ibidem jacet ſepultus. Memorabile eſt (ſi verum) quod perhibet de illo Hookerus; luminibus orbum, Romam à Rege Legatum profectum; ac ſimultate inter Pontificem atque Regem orta, pacem prudenter compoſuiſſe, et negotia denique omnia ex animi ſententia confeciſſe [n].

---

[g] Ut ſupra.

[h] L. 6. f. 212. b.

[i] Subſcripſit Oſbernus Exonienſis Epiſcopus in Concilio Windleſhorenſi anno 1072. *Concil. Angl.* T. 1. p. 325. Atque iterum Chartae Herberti Epiſcopi Norwic. dat. apud Windeſor menſe Septembri 1101. *Monaſt. Anglic.* T. 1. p. 410.

[k] WARLEWAST, *Malmeſb.* WARAWAST, *Wigorn.*

[l] Filius fuit Sororis Gulielmi Conqueſtoris. *MS. Anſtis.*

[m] Conſecratus undecimo Auguſti 1107. *Paris. Dunelm.* Malè *Malmeſbur.* Aug. 10. dies enim non fuit Dominica.

IV. ROBERTUS CHICHESTER.

*1138. STEPH. 4. ROBERTUS CHICHESTER Decanus Sariſburienſis, anno 1128 [o] conſecrationem accepit, familia ortus nobili (quae in Comitatu Devonienſi adhuc floret) et ob pietatem à ſcriptoribus multum celebratur; quam merito judicet lector, cum (niſi quod in Eccleſiae ſtructura et ornatu multum pecuniae impenderit) aliud ab iis laudatum non videam, quam peregrinationes religionis ergo Romam et neſcio quo ſuſceptas; unde reverſus, quod reliquiarum nonnihil ſecum reportare conſueverit, pro magnifico habetur. Cùm annos praefuiſſet viginti et duo diem clauſit extremum [p], et in Eccleſia ſua ſepultus eſt, idque (ut fas credere) ab Auſtrali parte ſummi altaris, ubi tumulum videmus Epiſcopi cujuſdam. Et Chicheſteri hunc eſſe inde colligo, quia adjunctum habet monumentum, (nempe è regione januae quae ducit ad palatium Epiſcopale) nobilis cujuſdam ex Chicheſterorum familia, prout inſignia in clypeo depicta ſatis demonſtrant.

V. ROBERTUS WARELWAST.

*1155. HEN. 2. 1. CHICHESTERO ſucceſſit utrobique, et in Decanatu nimirum Sariſburienſi, et Exonienſi Epiſcopatu, Robertus Warelwaſt, Gulielmi Warelwaſt ſupramemorati ex fratre nepos, qui per conſecrationem Epiſcopalibus ſacris initiatus eſt anno 1150 [q]. Poſtquam ſediſſet annos plus minus novem, diem clauſit extremum 1159 [r], et Plimptonae juxta patruum jacet conditus.

---

[n] Ob. anno 1136. *M. Par.* p. 63. [o] "Rex Anglorum Stephanus, in octavis Paſchae, quod erat 4 Id. Aprilis 1138, "tenuit Concilium Northamtoniae; in quo, quorundam electione, Exonienſi Eccleſiae jam paſtorali cura deſtitutae, de "medio facti praeſulis Gulielmi de Warawaſt, Archidiaconus nomine Robertus paſtorali curae praeficitur." *Continua. Floren.* Et conſecratus eſt 16 Kal. Jan. ſequentis. *Id.* [p] Anno 1150. *Godwin.* et *Le Neve* ex *Annal. Eccleſ. Exon.* Hiſtorici verò antiqui omnes annum 1155 ponunt et obitûs Roberti, et conſecrationis Rob. Warelwaſt. viz. *Weſtmon. Annal. Winton. Chron. Petrob. Gervaſ.* et *Dicetenſis*; quibus non poſſum non conſentire. [q] A. 1155. Vid. Not. poſtr. Conſecratus eſt 5 Jun. 1155 à Theobaldo, aſtantibus Hilario Ciceſtr. Jocelino Sariſb. Nigello Helien. et Waltero Roſſen. *Gervaſ. Chron.* [r] A. 1160. *Nic. Trivet.* et *Annal. Winton.*

VI. BARTHOLOMAEUS ISCANUS.

ANNO 1161 Bartholomaeus, qui, quod in lucem editus eſſet Exoniae (quae civitas antiquitus Iſca dicitur appellata) Iſcanus eſt cognominatus, in Exonienſem Epiſcopum conſecratus fuit[s]; in utraque philoſophia, tam humana ſcilicet quam divina, vir non mediocriter eruditus. Baldwino Abbati Fordenſi, ac poſtea Cantuarienſi Archiepiſcopo, intima familiaritate conjunctus, ab eo itidem magnopere colebatur. Unde alter alterum immortalitati conſecrans, opera quaedam mutuò ac viciſſim ſibi dedicarunt. Joannes etiam Sariſburienſis, Carnotenſis Epiſcopi, Epiſtolae aliquot extant ad iſtum conſcriptae. Quae vero Bartholomaeus ediderit, Balaeum ſi placet conſulas. Hominem etiam ſanctum fuiſſe noſtri perhibent hiſtorici. Viſionem quandam admirabilem ab eo conſpectam narrat Pariſienſis, dum dioeceſin viſitaret. Libuiſſe illis hoc credere, ſatis miror, cùm inter eos numeretur Epiſcopos, qui Becketti inſolentem pervicaciam inſectati ſunt. Annos cùm praefuiſſet quatuordecim è vivis exceſſit[t]. Ubi vero loci obierit, aut tumulatus fuerit, à nemine traditum reperi. 1161. HEN. 2. 7.

VII. JOANNES.

ECCLESIAE Exonienſis Praecentor, et Sariſburienſis Subdecanus, Joannes, conſecrationem accepit 1186[u]. Dum Eccleſiae ſtructurae ſtrenuè incumberet, morte immatura abreptus 1191[x], nihil magni potuit praeſtare. Sed neque de mortis aut ſepulturae ejus loco à quoquam quicquam commemoratur. 1186. HEN. 2. 32.

VIII. HENRICUS MARSHALL.

HENRICUS MARESCALLUS, Oxonienſis Academiae alumnus, Staffordienſis Archidiaconus, et Eboracenſis Decanus, Gulielmi Comitis Mareſcalli frater[y], in Eccleſiae Exonienſis Epiſcopum conſecratus eſt per Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum 1191[z]. Structuram ab anteceſſore inchoatam is perfecit: Et cùm ab Albemarlo quodam pretio comparaſſet mannerium de Woodbery, una cum jure patronatus rectoriae ejuſdem; rectoriam quidem appropriavit, et tam mannerium quam rectoriam vicariis contulit choralibus, qui ab illo (uti auguror) tum primum ſunt inſtituti, quò in ſacris peragendis, Canonicorum (plerunque abſentium) vices ſupplerent. Deceſſit anno 1206[a], cùm ſediſſet duodecim annos, et tumulo conditus eſt marmoreo ab Aquilonari parte presbyterii. * 1194. RIC. 1. 5.

---

[s] Conſecratus fuit à Waltero Epiſcopo Roffenſi 1161, ſede Cantuar. vacante. *Gerv.* et *Diceto*. Archidiaconus fuit Exon. *Domit.* A. 8. nec non Decanus Ciceſtrenſis. *MS. Anſtis.*

[t] Ob. 15 Dec. 1184. *Martyl. Eccl. Exon.* et *Hoved.* L. 2. f. 355. b.

[u] Creatus Epiſcopus à Baldwino 4 Oct. 1186. *Dicet. Ymag.* col. 631. Confirmatum eſſe intelligo die quarto et poſtridie conſecratum, dies enim 5 fuit dominica. Hookerus verò conſecratum eſſe aſſerit A. 1184.

[x] *Annal. Margan.* Jun. 1. *Martyl. Eccl. Exon.*

[y] Filius Gilberti Mareſcalli; et frater Walteri. *Weſtmon.* ad A. 1194.

[z] Error ſane; Hubertus enim non fuit Archiepiſcopus ante annum 1193. Henricum verò *Hovedenus* tantum electum vocat 10 Feb. 1193 (anno ſc. exeunte) f. 418. b. et paulo poſt conſecratum eſſe videtur, initio anni 1194.

[a] Menſe Octob. *Annal. Wigorn.* Novembris primo, *H. Whart.* ex *Annal. Anonim. à Bruto* ad A. 1242.

IX. SIMON DE APULIA.

*1214. Joan. 16. SIMON DE APULIA, Decanus itidem Eboracenſis, anno 1206[b] conſecratur, *eximiae et prudentiae et literaturae vir*, inquit Matth. Weſtmonaſterienſis. Hoc ſedente (anno videlicet 1222) civitatem Exonienſem in parochias memorant diſtributam. Cum ſediſſet annos ſedecim, circa medium Septembris[c] 1223 vitam cum morte commutavit, et in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

X. GULIELMUS BREWER.

1224. Hen. 3. 8. IN ipſo feſto[d] Paſchali tum proxime inſequenti, Gulielmus Brewer conſecratus eſt, Gulielmi filius[e] equitis aurati, qui duxerat in uxorem, filiam et haeredum unam Gulielmi de Verona Comitis Devonienſis, Coenobiorum de Tor, Hartland, necnon et aliorum conditoris. Hic vero Gulielmus noſter, Henrico tertio Regi ab arcanis conſiliis, magna apud eum gratia et authoritate pollebat. Anno 1235 in Germaniam profectus, Iſabellam, Regis ſororem, Frederico Imperatori matrimonio jungendam, comitatus eſt. Et paulo poſtea eundem Imperatorem, qui adverſus Saracenos expeditionem ſuſceperat, ad terram uſque ſanctam eſt ſequutus[f]. Reverſus in patriam, Decanum in ſua Eccleſia primus inſtituit; et praedia comparavit, ex quibus viginti et quatuor Praebendas, Canonicis ſuis aſſignaret, unicuique videlicet quatuor libras. Decanatui vero adjunxit (uti antea diximus) Bramptonam, ac deinde etiam Coliton-Rawley. Annos praefuit novendecim, et anno Chriſti 1244[g] defunctus, in presbyterio eſt tumulatus, non procul à Cathedra Epiſcopali, et marmoreo lapide contectus[h].

XI. RICHARDUS BLONDY.

1245. Hen. 3. 30. ANNO 1245[i] Richardus Blondy[k] in Epiſcopum conſecratus eſt; qui mitis ingenii ſpecie ſocordiam obtegens, ipſe otioſus deſidere ſolitus, adminiſtrationem rerumque omnium gerendarum laborem ad alios rejecit; Lodeſwellum Cancellarium ſuum, Suttonum Regiſtrarium, Fitzherbertum Officialem, ac Ermeſton ſigilli cuſtodem. Et hii conjurantes,

---

[b] Ric. de Mariſco habet Eccleſiam de Bampton conceſſam ſibi à Rege ratione Epiſcopatus Exon. vacant. 28 Oct. *Pat.* 10 Joh ——Vacat 4 Jun. 1212. *Pat.* 14 Joh. et iterum Exon. Epiſcopatus in cuſtodia Roberti Peverell 24 Jul. ejuſdem anni. *Clauſ.* 14 Joh. m. 7.——Re vera conſecratus non fuit ante 5 Oct. 1214, quo die Walterus etiam Wigorn. Epiſcopus conſecrationis ritus ſuſcepit. *Weſtmonaſt.* ad A. 1214. [c] Sept. 13. 1223 Rex commiſit W. Brewer Epiſcopat. Exon. cuſtodiend. quamdiu Regi placuerit. *Pat.* 7 H. 3. m. 1. [d] Rex commiſit electo Exon. Abbatiam de Taveſtock vacant. 28 Mar. *Fin.* 8 H. 3. m. 6. Rex praebet aſſenſum electioni W. Brewer, qui et temporalia habet reſtituta. *Pat.* 8 H. 3. m. 8. [e] Gulielmi nepos. *Weſtmonaſt.* ad A. 1224. [f] Fuit in obſidione Aconen. A. 1228. *Id.* in anno. [g] Jul. 24. 1244. [h] Hoc inſculpto Epitaphio——“Hic jacet Willielmus Brewer quondam hujus Eccleſiae Cathedralis Epiſcopus; Fundator “quatuor principalium ejuſdem Eccleſiae Dignitatum.” [i] Licentia eligendi conceſſa eſt 20 Dec. *Pat.* 29 H. 3. m. 9.—Regis habet aſſenſum 30 Jan. *Pat.* 29 H. 3. m. 8.——Conſecratus eſt primo Dec. *Weſtmon.* p. 326. dies verò non fuit Dominica. Circa Calendas Dec. 1245. *M. Paris.* p. 600.—— Radingae, Dominica proxime poſt Feſtum S. Lucae (22 Oct.) 1245. *Archiv. Eccleſ. Cantuar.* [k] Richardus Albus, natus in Civitate Exon. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 930. col. 1. Ad Archiepiſcopatum electus poſt mortem Richardi Wetherſhed, ſed à Papa rejectus. Vid. ſupr. p. 91.

Epiſcopo inconſulto, ſcripta pro libitu confecerunt, quibus ex Eccleſiae bonis ipſi, poſt illius mortem poſſent locupletari. Sed fraude per ſucceſſorem detecta, poenitentiam publice coacti ſunt in Eccleſia Cathedrali peragere decimo nono Martii 1267. Conſecrationis ſuae duodecimo, Chriſti vero 1257, hic Praeſul vitam cum morte commutavit[l], et in Eccleſia ſua ſepultus perhibetur.

* * *

XII. WALTERUS BRONESCOMB.

ARCHIDIACONUS Surreienſis Walterus Broneſcomb, Epiſcopalibus ſacris initiatus eſt decimo Martii 1257[m]; patre natus Exonienſi cive, ſed tenuiſſimae ſortis et ex plebe infima. Hic viſo monitus nocturno, Collegium dicitur condidiſſe Perinnae in Cornubia, quod Glaſeneienſe appellatum, et conditum praediis dotavit[n]. Ptochotrophium quoque ſancti Joannis Exoniae conſtruxit intra portam Orientalem, cui contulit villas de Rockeſdon et Cliſt. Novum porro feſtum in Eccleſia ſua inſtituit Gabrieli Angelo ſacrum, praediis aſſignatis unde ſumptus ejuſdem poſſent tolerari. Narrat jam Hookerus, aedificare volentem ſibi et ſucceſſoribus domum apud Cliſt-Sachfeld, quae hodie Biſhops-Cliſt appellatur, quaſi dicas Cliſt-Epiſcoporum; mannerium ibidem, per aſtutiam neſcio quam (vili ut videatur pretio) à poſſeſſore comparaſſe; ac ſaltu vicino per fallacias Canonicos ſuos emunxiſſe, qui CORNISH-WOOD appellatus eſt. Deerat adhuc patronatus Eccleſiae vicinae, quae hodiè Sowton, tum vero à loci domino Cliſt-Fomeſon nuncupata, à quo hac ratione extorſit. Fraterculum quendam confeſſorem ſuum forte fortuna defunctum, juſſit in Eccleſia illa (quae Parochiali erat vicinior) humari. Quod cum Formeſonus non probaret; pompae funeris per fundos ſuos traducendae viam praecluſit; quam dum vi aperire Epiſcopales contendunt, in anguſto ponte quo ibi Cliſt fluvius jungebatur tamdiu certatum, ut fraterculi cadaver in ſubjectum flumen tandem fuerit praecipitatum. Quam hoc graviter Epiſcopus tulerit neſcio: graviſſime tuliſſe videri voluiſſe conſtat. Miſerum ſiquidem Fomeſonum ita minis illico et terroribus, litibus porro intentatis exagitat; ut quod, juris patronatus conceſſione, gratiam Epiſcopalem poſſet redimere, pulchrè ſecum actum exiſtimarit. Quae omnia cum ex animi ſententia confeciſſet; aedes illas extruxit pulcherrimas ibidem, quas nunc poſſident Bedfordienſes Comites. Praefuit huic Eccleſiae annos plus minus 23, et viceſimo ſecundo Julii 1280 decedens, tumulo conditus eſt alabaſtrino, elegantiſſimo ſane, Capellam beatae Mariae ingredientibus à dextris ſito, cui inſcripti leguntur hii verſiculi: 1257. EDW. 3. 42.

“ Olim ſincerus pater, omni dignus amore
“ Primus Walterus magno jacet hic in honore.
“ Edidit hic plura digniſſima laude ſtatuta,
“ Quae tanquam jura ſervant hic omnia tuta.

Ob. die S. Stephani 1257. *Regiſtr. Broneſcomb.*

[m] Una cum Rogero Lichf. et Simone Norwic. *Regiſtr. Cantuar.* ——Licentia eligendi conceſſa eſt 8 Jan. 1257. *Pat.* 42 H. 3. m. 14. Regium habet aſſenſum 2 Martii. *Ib.* m. 12.—— “ Anno 1257 Magiſter Walterus Archidiaconus Surreienſis electus eſt ad Epiſcopatum Exon. Mirabile quidem de dicto “ Waltero accidit, cùm infra quindenam ſuae electionis à Rege eſt admiſſus, ab Archiepiſcopo confirmatus, ad ordinem “ Sacerdotis eſt promotus, et ad Epiſcopalem dignitatem eſt conſecratus, quod apud nos uſque in preſens eſt inauditum “ in tam brevi tempore.” *MS. Lameth.* Nom. 497.

[n] Valentibus tempore ſuppreſſionis L. 205. 10. 6. *Monaſt. Angl.* T. 1.

“ Atque hoc Collegium quod Glaſeney plebs vocat omnis
“ Condidit agregium, pro voce data ſibi ſomnis.
“ Quot loca conſtruxit, pietatis quot bona fecit,
“ Quam ſanctam duxit vitam, vox dicere quae ſcit?
“ Laudibus immenſis jubilet gens Exonienſis,
“ Et chorus et turbae, quod natus in hac fuit urbe.
“ Plus ſi ſcire volis, feſtum ſtatuit Gabrielis.
“ Gaudeat in coelis igitur pater iſte fidelis.

XIII. PETRUS QUIVIL[o].

1280. Edw. 1. 8. PETRUS QUIVIL[p] Canonicus Exonienſis in Epiſcopum conſecratur 4 Idus Novembris 1280 Cantuariae. Eccleſiae ſuae Praecentoriam, Cancellariatum et Subdecanatum, partim fundavit, partim ab aliis fundatos auxit et dotavit. Ac Praecentoriae quidem appropriavit rectorias de Chidleigh et Painton: Subdecanatui vero rectoriam de Egloſheil in Cornubia: Cancellario, ut Theologiam vel Decretalia Canonicis praelegeret, rectorias aſſignavit ſancti Neulini et Stoke-Gabrielis. Ptochotrophium ſancti Joannis Exoniae multum auxit et locupletavit. Deinde cùm Canonici pro choro ea tempeſtate uterentur Capella beatae Mariae; et navis Eccleſiae ea pars eſſet, quam nunc dicimus chorum; fundamenta hic jecit ſepti tranſverſi (ubi ex utraque parte ab Auſtro nimirum, itidemque ab Aquilone campanile ſurgit ſpecioſum) necnon et navis Eccleſiae, quam ad eum locum protendit, ubi nunc eſt baptiſterium, nam reliqua adjecit Grandeſſonus, prout antea à me commemoratum eſt. Operi tam egregio ut ultimam manum imponeret non eſt datum. Conſecrationis anno undecimo, tertio Octobris 1292 inaudito mortis genere ſublatus interiit[q]. A ſirupo quem volebat deglutire interclùſo ſpiritu ſuffocatus eſt. In medio Capellae beatae Mariae ſub lapide jacet marmoreo, cui hunc verſiculum inciſum legi,

“ Petra tegit Petrum. Nihil officiat ſibi tetrum.

Exitum hunc tam infoelicem, poenam divinitùs immiſſam, credi volebant Franciſcani fraterculi; quam rem paulo altius libet repetere. Walterus Lechlade, qui primus dicitur hujus Eccleſiae Praecentor, ideo (credo) quia Praecentoriam dotatam primus accepit, ad antelucana ſacra mane properans, à ſicariis in ipſo clauſtro Eccleſiae adjuncto interemptus eſt. Hanc rem ut cognoſceret (annales audi Brutonenſes) “ipſe Dominus Ed-“wardus Rex et Alienora Regina fuerunt apud Exoniam (Oxoniam ha-“bent nonnulla exemplaria, mendoſe ut videtur) et ibidem perendinave-“runt per quindecim dies, et Alfridum Majorem illius civitatis et alios “quatuor fecit pendere, et Joannem Picot incarceravit propter mortem “magiſtri Walteri Lechlade, &c.” Tum per pacta inter cives et Eccleſiaſticos hujus rei occaſione, Rege authore, inita in feſto Annunciationis 1286, poteſtas data eſt Canonicis, Eccleſiae ſuae praecinctum muris ac portis contra vim conſimilem muniendi. Interea vero dum hic loci Rex haereret; Franciſcani (qui Comitem Herefordenſem hoſpitio excipiebant) agunt per illum apud Regem, ut commodiorem ſedem illis ab Epiſcopo impetraret. Id quod ſe facturum Epiſcopum promiſiſſe, Franciſcani aſſerebant. Deodatus igitur Guardianus illorum, de loco ſibi proſpexerat, et omnia jam coeperat ad migrationem parare, cum mutatam Epiſcopo ſententiam nunciatum eſt. Dominicani ea tempeſtate, Franciſcanorum tum nuper exortorum gloriae multum invidebant, quam ſuis luminibus, plurimum officere perſpexerant. Quapropter Petrus Kenefeld ex Dominicanorum ſodalitio, qui Epiſcopo erat à confeſſionibus, monere eum non deſtitit, quanta incommoda inde eſſent proventura, ſi in ſinu ſerpentem hujuſmodi foverent. Sineret potius ibi permanere ubi jam conſederant, quam in ſua praedia illos recipiendo, tot ſibi dominos imponeret, privilegiis mox ſexcentis à Papa muniendos et armandos, ut ſuis rebus frui utique per illos jam poſthac haud licitum ſit futurum. Quibus rationibus adductus, adeo omnem ejuſce rei mentionem averſatus eſt, ut per Walterum Winburn unum ex Juſtitiariis Regiis, de pollicitatione ſua ante biennium Regi (ut aſſerebat) facta, interpellatus; et promiſiſſe inficias iret, et diris ſe devoveret, ſibi (ſi unquam illis ea in re morem gereret) hanc peſtem imprecatus, ut eo ipſo die ſuffocatus periret. Vix biduum aut triduum interceſſerat, quando in ipſa vigilia feſti ſancti Franciſci, caſu tam mirabili, è medio ſublatus interiit. Sic illi, mea quidem ſententia parum probabiliter. Quis enim crediderit, Epiſcopum, virum (ut conſtat) graviſſimum prudentiſſimumque, vel negare auſum quod Regi in re tantilla promiſiſſet; vel ea fuiſſe animi levitate, ut execratione hujuſmodi et ab Epiſcopali gravitate alieniſſima ſe obſtringeret? Niſi homines iſtos putarem viros ab initio bonos plerunque fuiſſe, zelum habentes etſi non ſecundum ſcientiam; exiſtimaſſem potius, veneno rapido illorum machinatione extinctum, ut ſimul amoliri poſſent Epiſcopum illorum commodis non nimium ſtudentem, et ſectae ſuae exiſtimationem interitu illius hujuſmodi conciliare. Certe Jeſuitae, qui non minori ſanctitatis fama quom Franciſcani, ſub inſtitutionis initia inclaruerant; quod rebus ſuis conducere exiſtimarint, à nullo ſcelere vel immaniſſimo ſibi temperandum cenſent. Quod cum infinitis exemplis poſſet comprobari, clariſſime patet ex conjuratione Pulveraria, quae exaruiſſet in herba, niſi tam horrendi facinoris (ſi non authores) certe laudatores extitiſſent aliquot iſtius tam ſanctae ſocietatis patres.

---

[o] SQINEL, *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 931.

[p] Magiſter Petrus de Exon. Canonicus ejuſdem Eccleſiae electus (virtute Reg. licentiae dat. 7 Auguſti) habet Regium aſſenſum 7 Oct. et Temporalia reſtituta ſunt 11 Oct. 1280. *Pat.* 8 E. 1. m. 6, 5, 4.

[q] Ob. anno 1291. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 931. a.——In Synodo Dioeceſ. finito 16 Kal. Maii A. D. 1217. Conſtitutiones edidit ſaluberrimas in Cap. 55 diviſas. Vid. *Concil. Angl.* T. 2 p. 129 &c.

* * *

XIV. THOMAS BUTTON[r].

ANNO tum proxime ſequenti, Quivillo defuncto, ſufficitur Thomas * 1292.
Buttonus Wellenſis Decanus, per Joannem Romanum Eboracenſem Archiepiſcopum (Cantuarienſi ſede vacante) conſecratus[s]. Edw. I. 20. De quo aliud non traditur memoratu dignum, niſi quod coeptam ab anteceſſore ſuo ſtructuram ſtudioſiſſime perficiendam curaverit. Obiit viceſimo primo Septembris[t] 1307, et ante ſummum altare jacet humatus ſub marmore laminis aereis affabrè ornato.

---

[r] De BINTONE, *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 931. a.

[s] Regium habet aſſenſum 28 Nov. et Temporal. reſt. 2 Dec. 1292. *Pat.* 20 E. 1. m. 29.

[t] Sept. 26. Collect. W. Worceſtr. *MS. Anſtis.*

XV. WALTERUS STAPLEDON.

*1309. Edw.2.3. WALTERUS STAPLEDONUS[u], vir doctus et prudens, nobilique ortus proſapia, conſecratus eſt in Epiſcopum Exonienſem decimo octavo Martii[x] 1307. Quae de inthronizatione ejus apud Hookerum habentur, ego etiam quid ni apponam? Ad portam civitatis Orientalem deſcendit ex equo, et pedes ad Eccleſiam ſuam profectus eſt, latus illi tegentibus duobus non infimae notae nobilibus; et praeeunte Hugone Courtneyo Equite aurato Seneſchallo ſuo, via etiam qua erat incedendum panno nigri coloris conſtrata. Ad portam Coemiterii quae lata nominatur, à Canonicis et Vicariis choralibus, ſacris veſtibus indutis, excipitur; qui hymno Ambroſiano inter eundum decantato, ad Eccleſiam novum Praeſulem deducunt, et in Cathedra Epiſcopali ritu ſolenni ac uſitato collocant. Quibus rebus peractis, ad convivium properatur, magno nobilium et ingenuae plebis numero apparatum, tanto ſumptu, ut annuus Epiſcopatus cenſus in eo feratur impenſus.

Sub Edwardo ſecundo magna hic gratia et authoritate floruit, in numerum primum aſcitus illorum qui Regi ab arcanis erant conſiliis, ac deinde Angliae Theſaurarius[y] conſtitutus. In legationibus porro et aliis magni momenti negotiis, illius opera Rex plurimum uſus eſt. Anno 1329[z] Legatus ad Gallum miſſus eſt una cum Regina (quae Gallo ſoror extitit) ut pacem inter principes conciliarent. Qua re ex animi ſententia confecta, in patriam Stapledonus reverſus eſt, relicta cum fratre ſuo Regina, ut alia quaedam negotia à marito Rege ſibi commiſſa procuraret. Illa vero, mulier ſceleſtiſſima, ſive quod maritum faſtidiret, ſive pertaeſa inſolentiae Spenſerorum et aliorum qui apud illum plurimum poterant; decreverat jamdudum, ſi quo pacto id poſſet efficere, maritum è ſolio regni deturbatum in ordinem redigere, et filium Edwardum impuberem adhuc in patris loco collocare, penes quem nomen quidem Regium eſſet futurum, poteſtas vero apud ipſam, ut pueri Regis matrem. Quare Stapeldonum poſtquam fuiſſet amolita, quem ea animi praeditum conſtantia ſatis cognoverat, ut à fidelitate Principi debita, ad tam ſcelerata conſilia allici, aut impelli poſſe deſperaret: ad cogitata exequendum ſedulo incumbit, quae deniqae omnia effecit etiam ac perpetravit ad aeternam nominis infamiam.

Interea vero, dum haec gererentur, contigit Regem Briſtoliam proficiſcentem, quod turbarum nonnihil ingruere inaudiſſet, Civitatis Londinenſis tutelam Exonienſis Epiſcopi Stapeldoni fidei committere. Qui cum nunciatum eſſet, Reginam cum copiis magnis ad urbem occupandam properare; Praetorem jubet portarum claves ſibi exhibere. Londinenſes (qui Reginae partibus ſtudebant) ea re audita, in praeſulem graviſſimum impetum fecerunt, et cum magno tumultu in vicum civitatis praecipuum, quem Chepſidam appellamus, violenter pertractum, ſecuri percuſſerunt[a] ibidem, una cum Richardo Stapeldon Equite aurato fratre ſuo et aliis aliquot nonnullis. Cadaver caeſi ad Epiſcoporum Exonienſium aedes prope Thameſim extructas (quae nunc ſunt Comitum Eſſexienſium) deportatum, et arena obrutum eſt juxta ripam fluminis, ideo forſitan, ut ſic occultatum, ludibriis et contumeliae ab irata plebe inferendae ſubtraheretur. Hunc exitum habuit illuſtriſſimus antiſtes; ſic vitam illorum opera amiſit, quos praecipue decuiſſet proprium ſanguinem fundere in illius cauſae propugnatione, ob quam ipſum per ſummam crudelitatem nece indigniſſima affecerunt. Illi vero (Regina dico et Princeps filius ejus) utrum ordinis Epiſcopalis reverentia; an quod credi vellent, ſe invitis caedem patratam; aut ſceleris conſcientia ad poenitentiam forte inclinati; laniatum corpus effodi et Exoniam deportatum, exequiis magnificentiſſimis honorari praeceperunt. Tumulo conditus eſt, ex polito lapide, haud nimium pulchro, qui ab Aquilonari parte ſummi altaris ſitus cernitur; et frater necis conſors è regione, in muro Eccleſiae Septentrionali. Quinto[b] Octobris 1326, obtruncatus, et viceſimo octavo Martii ſequenti Exoniae eſt humatus[c]. Anno interim 1316 collegium pulchrum hercle ac nitidum bonarum literarum ſtudioſis Oxoniae condidit ac dotavit, quod Gulielmi Peters ſummi Secretarii egregia liberalitate, me puero, tam aedificiis quam praediis et ſtudioſorum numero vehementer auctum eſt. Neque vero hoc contentus, aedificium conſtruxit aliud Epiſcopus praedictus collegio ſuo vicinum, collegii aemulum, quod Aula Cervina* appellatur, et multis qui bonis literis ibidem dant operam hoſpitia praebet. Collegium vero, Exonienſe hodie vulgo appellatur, neſcio an à fundatore ipſo indito nomine. Silentio deinde praetereundum non eſt, Ptochotrophio ſancti Joannis Exoniae, ut pueros aliquot tenuiores aleret, multa contuliſſe, ac inter alia, rectoriam de Ernſcomb appropriaſſe.

---

[u] Extat litera Regis ad Papam pro promotione Walteri Stapledon juris Canonici profeſſoris, Papae Capellani et Exon. Eccleſiae praecentoris. *Rot. Rom.* in Turr. Lond.

[x] Regis habet aſſenſum electioni 3 Dec. 1307. *Pat.* 1 E. 2. et Temporalia reſtituta 16 Mar. 2 *Pat.* 1 E. 2. Conſecratus verò non ante 12 Oct. 1309. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[y] Theſaurarius conſtituitur 18 Febr. 1320. *Pat.* 13 E. 2. m. 20. et iterum 9 Maii 1322 *Pat.* 15 E. 2. m. 16.

[z] A. 1325. *Rym. Foed.* T. 4. p. 149, 148, &c.

XVI. JACOBUS BARKLEY.

JACOBUS BARKLEIUS[d], nobiliſſima ortus proſapia, è familia nempe antiquiſſima Baronum de Barkley, ad Iſabellae Reginae mandatum, interempti Stapeldoni in ſucceſſorem conſecratus eſt decimo quinto Martii[e] 1326, per Walterum Cantuarienſem Archiepiſcopum, idque (quod fortaſſis mirere) Papa inconſulto[f]. Quam rem ille tulit graviſſime, et (ô tempora) Archiepiſcopum eam ob cauſam ita convitiis proſcidit, ac minis tam atrocibus terruit, ut homo puſillanimis, metu animique aegritudine contabeſcens, brevi poſtea interierit. Neque vero multum ſuperfuit novus Epiſcopus, qui iiſdem victus terroribus, morti porro ſuccubuit viceſimo quarto Junii[g] ſequentis. Homo (ut videtur) haud nimium fortis, pius tamen ac prudens habitus eſt. In Eccleſia ſua quidam perhibent ſepultum; aliis contra aſſerentibus, Exoniam nunquam eum vel vivum vel mortuum perveniſſe. 1326. EDW. 3. 1.

---

[a] Walſingh. Hiſt Angl. p. 104.

[b] Decimo quinto. *Birchingt.* p. 19.

[c] Cum Dom. Edw. nuper Rex conceſſerat quod bona Dom. Walteri nuper Exon. Epiſcopi ſuis executoribus liberarentur: Ac jam accepimus quod Eſcaetores aſſerentes in ultimo Parliamento apud Weſtm. editum fuiſſe praedictum Walterum noſtrum et Regni noſtri fuiſſe proditorem, bona tanquam forisfacta abſque ſpeciali mandato noſtro &c. mandamus quod executoribus ſuis liberari facietis. *Clauſ.* 1. E. 3. p. 2. m. 6. *MS. Anſtis.*

* *Collegium Hertfordienſe* nunc appellatum.

[d] S. T. P. Canonicus Exon.—Archidiac. Huntin.—Papae Capellanus. *Regiſtr. Dalderby.*

[e] Conſecratus 22 Martii 1326. *Regiſtr. Drokensford.* Temporalia prius reſtituta 8 Jan. *Pat.* 20 E. 2.

[f] Electus eſt ante 18 Dec. eo enim die Rex Papam ſupplicat pro confirmatione; Litera data apud Kenilworth. *Rym. Foed.* T. 4. p. 240.

[g] Papae Rex &c. cùm Eccleſia Exon. vacat per mortem J. de Bercleye; Rex ſupplicat quatenus Tho. de Cherleton Canon. Ebor. de nobili genere procreatum &c. *Rot. Rom.* 1 E. 3. m. 3. Literâ datâ primo Julii. *MS. Anſtis.* Et eodem die Spiritualia accept. in manus Archiepiſcopi. *Regiſtr. Reginald.*

XVII. JOANNES GRANDESSONUS.

1327. Edw. 3. 1. REGE annuente, eligitur ab Exonienſibus Canonicis, ut Barkleio ſuccedat, Joannes Godleius, Eccleſiae ſuae Concanonicus et Wellenſis Decanus[h]. Quae electio, (ſicuti comperi) Regio aſſenſu tam poſt electionem celebratam, quam antea, firmata eſt. Joannes tamen Grandeſſonus, in Italia tum degens quando de Barkleii obitu et Godleii electione nunciatum eſt; rerum ſuarum tam naviter potuit ſatagere, uti et irritam Godleii electionem pronunciari, ſibique à Pontifice Epiſcopatum Exonienſem per proviſionem conferri curaverit; adeo ut, conſecrationem etiam in curia Romana ſuſceperit decimo octavo Octobris 1327. Ortus dicitur è familia Burgundiae Ducum, patre Gilberto[i], qui primus ex illa ſtirpe in Angliam veniens, Henrici Comitis Lancaſtrenſis opera, Sibillam duxit uxorem, filiam et haeredum unam Joannis Baronis Tregoſii, ex qua praeter quatuor filias, filios ſuſtulit quinque, interque eos hunc Epiſcopum, qui Aſhpertonae natus eſt in Comitatu Herefordenſi. "Ab ipſo pubertatis "aevo in bonis literis educatus (inquit Balaeus[k]) magnum ſui ſeculi, ſive "religionem quis ſpectet, ſive eruditionem, decus fuiſſe dicitur. Fuit "aulae cultor non infimus, et Regi Edwardo à ſacellis, quandoque etiam "in arduis rebus à conſiliis. Orator habebatur animoſior quam facundior, "licet multis in locis nec lucido rerum ordine, nec ipſa deſtitutus ſit fa"cundia." Ex libris quos edidit, enumerat Balaeus vitas ſanctorum et Conciones; Hookerus porro Pontificales majores[l], ac itidem minores; qui etiam perhibet, Joannem 22 Papam, illius opera in multis legationibus uſum, ad Imperatorem, Galliaeque Hiſpaniae et Angliae Reges. Ab hoc noſtro, Archidiaconatu Nottinghamenſi honeſtatus eſt, aſcitus etiam inter eos qui ſibi eſſent ab arcanis conſiliis. Et exorta tum poſtea neſcio qua de re inter Regem et Clementem ſextum Pontificem ſimultate; in Galliam miſſus à Rege (ubi Pontifices tunc temporis degebant) in gratiam eos ſibi mutuo reduxit. Hoc anno 1343.

Reverſus in patriam, animum adjecit illico ad ſtructuram Eccleſiae ſuae. Navis ejuſdem (cujus fundamenta jecerat Petrus Quivillus) brevior viſa quam par erat, aliquid habebat deformitatis. Quapropter, duas adhuc columnas ex marmore ſolido (quales caeterae) addidit, et Occidentalem partem clauſit muro eximii operis, inſerta eidem capellula, in qua ſibi monumentum paravit, nuper (quo caſu neſcio) deſtructum. Deinde, ſumptu ingenti, totius Eccleſiae laquear fornice texit arcuato eoque pulcherrimo; et ſic Eccleſiam ſuam talem reddidit, ut amplitudine, ſplendore, magnificentia, pauciſſimis cedat à me hactenus viſis. Tum, ut ſtructurae ornatus reſponderet; liberalitate vix credenda, vaſa eidem contulit aurea ac argentea, libros et aliam ſacram ſupellectilem, copia immenſa, immenſi pretii. Sed neque hic ſtetit hominis munificentia. Collegium condidit monachis atratis Otereiae; et praediis locupletavit tam amplis, ut ſuppreſſionis tempore, numeraret in cenſu annuo pluſquam trecentas libras[m]. Vicariis choralibus Eccleſiae ſuae necnon collegio de

---

[h] Cui Rex reſtituit Temporalia 16 Sept. *Rom.* 1 E. 3. m. 2.

[i] Veriùs Willelmo. *Eſc.* 9 E. 3. n. 4 et 35.

[k] P. 475.

[l] Vid. *Voſſium de Hiſtor. Lat.* L. 3. c. 2.

[m] 303. 2. 9. *Monaſt. Angl.* T. 1.

Glaſeney à Waltero Bronſcomb fundato, plurima contulit. Aedes magnificas Taintonae[n] conſtruxit, et ſupellectile abunde inſtruxit, atque ita inſtructam ſucceſſoribus reliquit, *ut haberent Epiſcopi* (ſic loquitur in teſtamento ſuo) *ubi caput ſuum reclinarent, ſi forte in manum Regis eorum temporalia caperentur.*

Antequam moreretur, teſtamentum condidit[o]; in quo tantam pecuniam legavit, Imperatori, Regi, Reginae, Archiepiſcopo, Epiſcopis, Collegiis et Eccleſiis; ut qui ſtructuras ejus ſpectaverit, et viventis donationes, ne gazam quidem Regiam tantae munificentiae ſuffecturam jure quis exiſtimarit. Sed ad haec perpetranda, duae illi res facultatem tribuerunt. Ac primum quidem parſimonia; quam ſic coluit, ut equis famuliſque pauciſſimis contentus; convivia opipara et exteriorem omnem pompam luxumque devitaret. Hac itaque ratione pecuniam acquiſitam ſervavit; verum ut acquireret, aliunde oportuit eum inſtructum fuiſſe quam à cenſu Epiſcopatus; qui quamvis ea tempeſtate ampliſſimus eſſet, tamen à multis aliis ſuperabatur opulentia, cum inter omnes omnium Eccleſiarum Epiſcopos, pauciſſimi reperiantur, qui plura et praeſtiterint viventes et morituri legaverint. Eccum tibi igitur tantae munificentiae fontem. Decerni à Pontifice curavit, ut omnes per dioeceſin ſuam Eccleſiaſtici ordinis morituri, opes (ſi quas poſſiderent) ſuo arbitrio in pios uſus impendendas univerſas relinquerent. Exceſſit è vivis decimo quinto[p] Julii 1369, cùm Epiſcopus huic Eccleſiae praefuiſſet annos 42; et in capella à me ſupra memorata conditus eſt, ſine ulla (prout ipſe mandaverat) funeris pompa elatus; lugubri veſte, ne ulli quidem famulorum aut propinquorum conceſſa. Quomodo Mephamo Archiepiſcopo, dioeceſin ſuam viſitaturo reſtiterit, et vim parantem, armata manu ac vi repulerit, in hiſtoria dicti Mephami ſupra enarravimus.

XVIII. THOMAS BRENTINGHAM.

1370. EDW. 3. 44. REGIS in Picardia Quaeſtor ſive Theſaurarius Thomas Brentingamus, uno eodemque tempore, à Canonicis tam Herefordenſibus quam Exonienſibus in Epiſcopum poſtulatus eſt, ſimul nimirum vacantibus ibidem utriſque Eccleſiis. Ac Exonienſem quidem accepit, ad eamque conſecratus eſt triceſimo primo Martii 1370[q]. Poſtea (anno videlicet ſecundo Richardi ſecundi) Theſaurarius[r] Angliae conſtitutus, eo munere functus eſt ad duodecimum ejuſdem; quando exauthoratus, poſt biennium reſtitutus eſt, ſed proximo deinde anno iterum amotus. Vir magna prudentia et eruditione (ut illa ferebant tempora) non vulgari praeditus, magnaque in rebus gerendis dexteritate, in certamine tamen quod habuit cum Courtneio Cantuarienſi Archiepiſcopo ſuccubuit, prout in vita ejuſdem Courtneii ſupra retulimus. Vicariorum choralium collegio multa contulit, et ipſum collegium (nitidum ſane, cum Wellenſi tamen non conferendum) totum (ni fallor) conſtruxit. Eccleſiae porro ſuae tam in ſtructuris quibuſdam, quam ornamentis quae contulit eidem, beneficus fuiſſe perhibetur. Cùm annos ſediſſet 24, Cliſtae deceſſit tertio Decembris 1394[s], et ab Aquilonari parte navis Eccleſiae tumulatus eſt in capellula, inter duas columnas ibidem ſita.

---

[n] Teigneton. *Cambd.*

[o] Quod extat inter *MSS. Lameth.* Num. 221. Fact. 18 Sept. 1368. Probat. 25 Jul. 1369. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 105, 109.

[p] Decimo ſexto. *Collect. Willelmi Worceſtr.*——Anno 1348 Judicium coram Rege in Epiſcopum Exon. pro excommunicatione Vic. et aliorum; ideoque Temporalia ſeiſita ſunt in manu Regis. *Hilar. Term.* 22 E. 3. *Rot.* 61.

[q] Tho. Brentingham Canonicus Exon. proviſus ab Urbano 4 Mart. Pontif. 8. Spiritualia accepit 3 Maii 1370. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 135, 136. Et Temporalia 16 Maii. 1 *Pat.* 44 E. 3. m. 6.—*Le Neve* conſecratum eſſe dicit apud Stebenhith 12 Maii, nulla data authoritate.

[r] Epiſcopus noſter officium Theſaurarii quater obivit, (1°.) 27 Junii. *Pat.* 43 E. 3. par. 2. m. 37. Cui ſucceſſit RIC. SCROOPE Miles A. *R.* 46. et ROBERTUS ASHTON Miles A. R. 50. EPISCOPUS WIGORNIAE A. R. 51. (2°.) 19 Jul. *Pat.* 1 R. 2. m. 28. Succeſſit COMES ARUNDELIAE A. R. 2°. (3°.) BRENTINGHAM 3 R. 2. HALES A. R. 4°. 2 *Pat.* m. 28. SEGRAVE A. R. 5°. 1 *Pat.* m. 19. FORDHAM A. R. 9°. 2 *Pat.* m. 42 GILBERT A. R. 10°. 1 *Pat.* m. 16. Et tum (4°.) 4 Maii THOMAS Epiſc. Exon. iterum conſtituitur. *Pat.* 12 R. 2. m. 12

XIX. EDMUNDUS STAFFORD.

1395. Ric. 2. 19. EDMUNDUS STAFFORD[t], Radulphi Staffordiae Comitis frater, in Epiſcopum Exonienſem conſecratus eſt viceſimo Junii 1395. Sub Regibus Richardo ſecundo[u] et Henrico quarto[x] Cancellarii munere functus eſt. Numero ſociorum in collegio Exonienſi (cui nomen illud ab eo inditum nonnulli perhibent, cum antea Hoſpitium Stapeldonenſe diceretur) duos novos adjecit, et praedia contulit quibus alerentur: Ac in ſtatutis ejuſdem multa mutavit. Praefuit huic Eccleſiae annos 24; et Septembris quarto decedens 1419[y], tumulo conditus eſt alabaſtrino, quod ingredientibus capellam beatae Mariae à ſiniſtra ſitum eſt[z].

XX. JOANNES KETERICH.

[1419.] Hen. 5. 7. JOANNES KETERICH[a], Epiſcopus primum Menevenſis, ac deinde Lichfeldenſis, Exoniam inde tranſlatus, Staffordo ſucceſſit. Id quod mihi multimodis conſtat, quanquam apud Hookerum nullam ejus repperi mentionem. Tempore ſane praefuit perquam exiguo[b].

XXI. JOANNES CARY[c].

JOANNES CARY, qui tranſlato Keterichio in Eccleſia Lichfeldenſi nuperrime ſucceſſerat, Florentiae adhuc haerebat (ubi Pontifex Martinus quintus tum degebat) quando de Keterichii morte nunciatum eſt. Voluit ei ſuccedere et ſucceſſit certe, non ſolum Lichfeldiae, ſed Exoniae etiam, imo et in brevitate temporis quo Exoniae praefuit. Florentiae ſiquidem mortem obiit, priuſquam ſe poſſet inde expedire, ibique jacet tumulatus.

---

[s] Walſingham uſque ad annum 1395 protrahit; E Teſtamento verò conſtat hoc contigiſſe anno 1394, factum enim eſt 13 Dec. 1394. et probatum 30 Dec. 1394. extat in *Lib. Rous* in *Cur. Prerog. Cantuar.*

[t] Thoma defuncto, Licentia eligendi conceſſa eſt 26 Jan. 2 *Pat.* 18 R. 2. m. 43. Regium habet aſſenſum 15 Martii. *Ib.* m. 19. et Temporalia reſtituta ſunt 24 Jun. 1 *Pat.* 19 R. 2. m. 29. Nihilominus proviſus eſt à Papa, Bulla data Jan. 15.

[u] Nov. 23. *Clauſ.* 20 R. 2. par. 1. m. 22. *dorſo.*

[x] Mar. 9. 1401. *Clauſ.* 2 H. 4. par. 2. m. 3. *dorſ.*

[y] Teſtam. probat. 18 Sept. 1419. *Regiſtr. Chichl.* f. 320.

[z] In parte Boreali Sacelli B. Mariae haec inſcriptio quondam extabat ſuper tumulum ibid.

"Hic jacet Edmundus de Stafford intumulatus,
"Quondam profundus Legum Doctor reputatus,
"Verbis facundus, Comitum de Stirpe creatus:
"Foelix et mundus pater hujus Pontificatus." *Leland. Itin.* V. 3. p. 32.

[a] Edmundo defuncto Licent. eligendi dat. 30 Sept. *Pat.* 7 H. 5. m. 29. et electus eſt Joannes Cov. et Lichf. Epiſcopus, cui Rex praebuit aſſenſum 1 Dec. *Ib.* m. 12. Papa vero ex plenitudine poteſtatis eundem providit Bullâ datâ 20 Nov. 1419. *Regiſtr. Chichl.* f. 8. Eo defuncto 28 Decembris, Rex iterum conceſſit Licentiam eligendi 13 Martii. *Pat.* 7 H. 5. m. 2.

[b] In Templo fratrum S. Crucis apud Florentiam ſepultus jacet, ut in ſupremis tabulis mandaverat.

[c] De Joanne Cary vid. ſupra inter Epiſcopos Coventr. p. 322. Not. [t].

XXII. EDMUNDUS LACY.

EDMUNDUS LACY ſacrae Theologiae Doctor, Herefordenſis Epiſcopus et Collegii Univerſitatis in Academia Oxonienſi alumnus, 1420. Hen. 5. 8. huc tranſlatus eſt ſub initium anni 1420[d]. Magna vir pietate, verum adulatorum blanditiis (ut Hookerus habet) multum obnoxius. Inter eum et cives Exonienſes, de libertatibus Eccleſiae ſuae, acerrimae contentiones extiterunt, quae tandem ſopitae ac compoſitae ſunt. Erga Vicarios chorales beneficentia ejus praedicatur. Et domum porro Capitularem conſtruxit juxta clauſtra, aedificium elegans et ſpecioſum. Sedit[e] annos 35, et anno 1455 ab hac luce ſubtractus[f], in Aquilonari pariete presbyterii tumulo conditus eſt marmoreo, ubi miracula (neſcio quae) olim patrata, ac illius ſanctitati aſcribenda, plebem imperitam credidiſſe, perhibent.

XXIII. GEORGIUS NEVILL[g].

VICESIMO ſexto[h] Novembris 1455 conſecratus eſt Georgius Nevillus, *1458. Hen. 6. 37. magni illius Warwicenſis Comitis frater, cujus opera Edwardus quartus regni ſolium conſcendit. Quarto Martii 1460, poſt ſolennem proceſſionem, ad crucem Paulinam habuit concionem, ubi Edwardi praedicti jus ac titulum ad regnum Angliae, rationibus undiquaque conquiſitis aſtruxit et firmavit. Qua finita concione, Edwardus, Procerum et Praeſulum magna caterva comitatus, Weſtmonaſterium profectus eſt, et ibi omnium praeſentium unanimi conſenſu Rex conſtitutus. Domum Capitularem ab anteceſſore non plane abſolutam, perfecit; et cùm decem annos hic praefuiſſet[i], ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus eſt[k].

XXIV. JOANNES BOOTHE.

JOANNES BOOTHUS legum Baccalaureus, conſecratus eſt viceſimo[l] Februarii 1466. Munus ſibi commiſſum laudatè dicitur admi- 1466. Edw. 4. 6.

---

[d] Mortuo Keterichio ante admiſſionem (*Pat.* 7 H. 5.) Edmundus Lacy poſtulatur à Capitulo, cui Rex praebuit aſſenſum 5 Maii; *Pat.* 8 H. 5. m. 26. Sed more Papiſtico tranſlatus eſt Bulla Martini dat. 5 Non. Jul. poſt obitum Joannis (Keterich) qui in curia Romana obiit; profeſſionem fecit 4 Nov. 1420. *Regiſtr. Chichl.* f. 28. Cui Rex reſtituit Temporalia 31 Oct. *Pat.* 8 H. 5. m. 13.

[e] Extat apud *Rymer* T. 10. p. 604 Breve Regium ſub hac forma; Rex &c.—— Sciatis quod nos, conſideratione diverſarum infirmitatum quibus Epiſcopus Exonienſis in tibiis ſuis per plures annos graviter detentus fuit——Conceſſimus eidem Epiſcopo, quod ipſe de caetero exoneretur de veniendo, in propria perſona ſua, ad aliqua Parliamenta,——ſed quod ipſe, durante vita ſua, inde penitus excuſetur. &c. Dat. 13 Febr. 13 H. 6. 1434.

[f] Ob. apud Chudleigh 11 Sept. 1455. *Itin. W. Worceſtr.* Ob. 18 Sept. *Le Neve.* E *Regiſtr. Bourch.* patet Archiepiſcopum commiſſionem ad Eccleſ. Exon. vacantem viſitandam dediſſe 6 Sept. 1455. Ubi etiam extat Teſtamentum Edmundi Lacy probatum 8 Oct. 1455. f. 40.

[g] Poſt mortem Edmundi Spiritualia accepta ſunt in manum Archiepiſcopi 26 Sept. 1455. *Regiſtr. Bourchier.* f. 6. Et Licentia elig. conceſſa eſt à Rege 8 Oct. *Pat.* 34 H. 6. m. 16.—Papa verò huic Eccleſiae de Joh. Hals Archidiac. Norv. providerit.——Sed pro eo quod idem Johannes regimini ſponte ceſſerit, idem Pontifex de dilecto Regis conſanguineo Georgio Neville providerit, et Rex reſtituit Temporalia 21 Mar. *Pat.* 34 H. 6. m. 17.

[h] Penultimo Novembris 1458 data eſt licentia conſecrandi Georgio Nevill Artium Magiſtro. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Proviſus eſt et confirmatus A. 1455; Et diſpenſatum eſt ei à Papa quod proficua Epiſcopalia reciperet, etſi 23 aetatis annum non attigerit, ſed conſecrari nequit ante 27 aetatis annum. *Tho. Gaſc. in Dict. Theol.* MS. Lewis. Presbyter factus eſt per Epiſcopum Elienſem 21 Dec. 1454. *Regiſtr. Elien.*

[i] Angliae fit Cancellarius 25 Jul. 1460. *Clauſ.* 38 H. 6. m. 7. *dorſo.* Et iterum 10 Martii 1 E. 4. *Rym. Foed.* T. 11. p. 473.

[k] Tranſlatus eſt Bulla Pauli ſecundi Id. Martii 1464.

[l] Viceſimo ſecundo. *Le Neve.* Viceſima verò tertia fuit dies Dominica.—Licentiam conſecrandi obtinuit 2 Julii 1465. *Regiſtr. Eccleſ. Cant.*

niſtraſſe, et Cathedram Epiſcopalem in Eccleſia ſua fabricari curaſſe, opere tam exquiſito, ut parem illi nulla totius Angliae Eccleſia (me judice) poſſit oſtendere. Tumultus bellicos declinans, ad aedes quaſdam ſuas ſe recepit apud Horſley in Hantonienſi comitatu, ibique deceſſit primo Aprilis 1478, et in Eccleſia ſancti Clementis Londini humatus eſt[m].

XXV. PETRUS COURTNEYUS.

*1478. EDW. 4. 18. EX nobiliſſima Courtneiorum familia oriundus[n], Petrus Courtneius[o] Exonienſis Archidiaconus[p], conſecratus eſt menſe Novembri[q] in capella ſancti Stephani Weſtmonaſterii. Anno conſecrationis nono[r] Wintoniam hinc tranſlatus eſt.

XXVI. RICHARDUS FOX.

*1487. HEN. 7. 2. SUCCESSIT Richardus Foxus[s], qui poſtquam hic loci ſex annos ſediſſet, ad Eccleſiam Bathonenſem et Wellenſem tranſlatus eſt[t], ac inde poſtea Wintoniam.

XXVII. OLIVERUS KING.

1492. HEN. 7. 8. MENSE Februarii 1492[u] Oliverus King ad hujus Eccleſiae praeſulatum conſecratus eſt. Foxo tam in Eccleſia Bathonenſi ac Wellenſi ſucceſſit quam iſta, cùm ſediſſet annos tres.

XXVIII. RICHARDUS REDMAN.

1495. HEN. 7. 11. ANNO 1495[x] Richardus Redman ſacrae Theologiae Doctor, Epiſcopus Aſſavenſis ad hanc Eccleſiam tranſlatus eſt, et hinc ad Elienſem menſe Septembri 1501.

XXIX. JOANNES ARUNDELL.

*1502. HEN. 7. 17. JOANNES ARUNDELLUS, Coventrenſis et Lichfeldenſis Epiſcopus, (qui ex nobili Arundellorum de Lanhern in comitatu Cornubiae familia genus duxit) huc anno 1501[y] tranſlatus, obiit Londini decimo quinto Martii 1503, et in Eccleſia ſancti Clementis tumulo conditus eſt marmoreo, aereis laminis ornato ab Auſtrali parte ſummi altaris.

---

[m] In Eccleſia de Horſley ad Orientem in Com. Surr. hoc legendum eſt Epitaphium. "Hic jacet Joannes Boothe quondam Epiſcopus Exon. qui obiit v die menſis Apr. An. Dom. MCCCCLXXVIII." *MS. Wood.*

[n] Petrus Courtneius Philippi Courtneii Equitis aurati et Elizabethae filiae Walteri Baronis Hungerford filius: Legum Doctor, Archidiac. Exon. Magiſter Hoſpitalis S. Antonii London. *MS. Notae T. Tanner.*

[o] Juris civilis Doctor Patav. et Oxon. *MS. Wood.*

[p] Et Decanus. *Regiſtr. Eccl. Exon.*

[q] Anno 1478; menſe enim Novembri illius anni licentiam obtinet ſacrandi extra Eccl. Cant. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Temporalia reſtituta ſunt 3 Nov. 2 *Pat.* 18 E. 4. m. 20.

[r] Bulla data 29 Jan. 1486. *Regiſtr. Morton.*

[s] Secundo Aprilis 1487. Temporalia reſtituta ſunt, *Rym. Foed.* T. 12. p. 322. et poſtridie licentiam obtinet ſacrandi. *Regiſtr. Eccl. Cantuar.*

[t] Bullâ datâ 8 Febr. 1491. *Regiſtr. Morton.*

[u] Proviſus eſt ab Alex. Papa Oct. 1. 1492. *Regiſtr. Morton.* Et licentiam ſacrandi obtinet ultimo Januar. ſequentis. *Regiſtr. Cantuar.*

[x] Temporalia reſtituta 7 Jan. 1495. *Rym. Foed.* T. 12. p. 577.

◆ ◆ ◆

XXX. HUGO OLDHAM.

1504. Hen. 7. 20. HUGO OLDHAMUS ſacrae Theologiae Doctor, Cantabrigienſis Academiae alumnus[z], Margaretae Richmundiae Comitiſſae (cui fuerat à ſacris) opera, Eccleſiae hujus praeſulatum tunc adeptus eſt[a]. Homo (ut ferunt) pietate laudatior quam doctrina, et verbis paulo aſperior, quanquam moribus ſatis benignus. De libertatibus Eccleſiae ſuae, multa illi fuere certamina cum Abbate Taveſtokenſi; quocum dum pertinacius contendit, nec decretis Curiae Romanae minus juſtis (ut putabat) in Abbatis gratiam perlatis, vult obtemperare; paulo ante mortem excommunicatus eſt, ac nondum abſolutus diem obiit viceſimo quinto Junii 1519[b]. Interea vero, Vicariis ſuis Choralibus multum fuit beneficus, quibus communem inſtituit menſam, ac ut ſimul victum ſumerent ordinavit: atque ad eam rem ut ſumptus ſuppeterent, praedia nonnulla contulit illis, et rectoriam de Cornwood appropriavit. Deinde ſcholam publicam pueris erudiendis Manceſtriae fundavit[c], ac latiſundia aſſignavit ad alimoniam Didaſcali[d]. Exonienſe Collegium à Stapeldono conditum, tam aedificiis quam redditibus augere, erat illi in animo; donec in gratiam Atkini neſcio cujus literis perſcriptis, quibus ut in numerum ſociorum aſcriberetur flagitavit, repulſam paſſus, graviter id ferens, liberalitatis curſum alio direxit, et Foxum Wintonienſem Epiſcopum (qui id temporis Collegium Corporis Chriſti Oxoniae condere aggreſſus eſt) tanta juvit pecunia, ut illius Collegii, poſt fundatorem, benefactorum praecipuus appelletur. Jacet tumulatus in Capella à ſe dum viveret extructa, in Auſtrali parte Eccleſiae, paulo ſupra ſummum Altare, ubi monumentum habet in ipſo capellae pariete ſitum, ſatis elegans, adjecta etiam imagine ejus ad vivum depicta.

* * *

XXXI. JOANNES VOYSEY, al. HARMAN.

*1519. Hen. 8. 11. HENRICI octavi Regis opera, Joannes Voyſeius[e], aliter dictus Harmannus, legum Doctor, Capellae Regiae Decanus, et Magdalenenſis Collegii Oxoniae alumnus, Oldhamo in hoc praeſulatu ſucceſſor deſignatus eſt, et conſecratus ſexto Decembris 1519[f]. Homo cui nec eruditio deerat, nec prudentia; morum porro comitate inſignis perhibetur. Ob quas virtutes Principi charus, plurimas legationes obivit; Mariae, unicae Regis filiae, rector datus eſt; et Walliae praeſes conſtitutus. Poſtquam annos ferme triginta munus ſibi demandatum (niſi quod ſuperſtitionibus Papiſticis addictior, reformationi Eccleſiae pro virili reſtitit) non illaudate obiiſſet; Eccleſiam à ſacrilegis diripi paſſim ac lacerari videns ac omnia jam peſſum itura exiſtimans; praedia ad ſedem ſuam ſpectantia, partim donavit aulicis, partim vendidit, partim elocavit, idque pretio viliſſimo, et in annos plurimos centum puta aut neſcio quot plures. Hinc factum eſt, ut ex manneriis duobus ac viginti, ad hunc Epiſcopatum ab antiquo ſpectantibus, ſuperſint hodie vix ſeptem vel octo ex deterrimis, eaque ſic ut retulimus elocata, et annuis penſionibus neſcio quot onerata. Ex aedibus deinde Epiſcopalibus quatuordecim ſuppellectile pretioſa affatim inſtructis, unam duntaxat reliquit, omni ſupellectile vacuam et nudatam. Sic ut, Epiſcopatus iſte inter opulentiſſimos Angliae hactenus numeratus, inter tenuiſſimos hodie, idque jure, cenſeatur.

---

[y] Tranſlato Richardo cuſtodiam habet Temporalium 22 Febr. 1501. *Rym.* T. 13. p. 1. Poſtea proviſus eſt à Papa, et reſtituta ſunt temporalia 5 Jul. 1502. *Ib.* p. 11.

[z] Colleg. Regin.—Natus apud Oldham in Agro Lancaſt. *Fuller.* — Manceſtriae natus. *MS. Wood.*

[a] Proviſus eſt à Julio Papa 27 Nov. 1504.——Licentiam habet conſecrandi 29 Dec. *Regiſtr. Warham.* f. 11. Et Temporalia reſtituta 6 Jan. ſequ. *Rym. Foed.* T. 13. f. 112.

[b] Teſtamentum ejus fact. 16 Dec. 1518. probat. 16 Jul. 1519 habetur in Libro Ayloff in Cur. Prerog. Cant. in quo conſtituit Richardum Epiſc. Winton. et Thomam Epiſc. Salubrienſem, Suffraganeum ſuum, Executores. *MS. Anſtis.*

[c] Ubi natus fuit.

[d] *Cambd. Brit.* f. 964.

[e] De Joanne Veyſey et promotionibus in Eccleſ. ſic ſcriptum legimus in *Epiſt. Longlandi.* — "Vir fuit "conſummatiſſima eruditione preditus, et utriuſque Juris exacta peritia. Juris Civilis Profeſſor Oxon. Epiſcopi Lincol"nienſis in Archidiac. Oxon. Commiſſarius; poſt Ceſtriae, deinde Exon. Cancellarius; Barnſtapliae Archidiaconus, Eccle"ſiae Exon. Praecentor; Sacelli Regii Windeſor. ſimul et Exon. Decanus; tandem Exon. Epiſcopus."

[f] Proviſus eſt à Papa 31 Aug. 1519, et conſecratus apud Otford 6 Nov. 1519. *Regiſtr. Warham.* f. 22. Temporalia prius reſtituta die quarto ejuſdem Menſis. *Rym. Foed.* T. 13. p. 703.

Perpetrato hoc tam nefando ſacrilegio; ſive quod Eccleſiam ſic vaſtatam et dilaniatam puderet aſpicere; ſive quod in Eccleſiae reformatione tum coepta, nihil vellet ipſe facere; ſive denique patrii ſoli ductus cupiditate; in comitatum abiit Staffordienſem, et Suttonae-Colſillorum[g], ubi natus eſt, reliquam aetatem tranſigere decrevit. Magno illic ſed irrito molimine, apud Suttonenſes ſuos, pannificii quodam genus inſtituit, levidenſarum nempe confectionem, quas Carſeyas nuncupamus, nec aliunde fere proveniunt niſi è comitatu Devonienſi et regionibus Exoniae vicinis. Sive quod verum ſit illud Poetae,

> " —— Non omnis fert omnia tellus;

Sive Deo viſum non fuerit conatui aſpirare, cui initium dederit ſacrilegium tam nefandum; Suttonenſes certe hoc artificium, tanquam parum quaeſtuoſum ſtatim neglexerunt.

Caeterum non multo poſt acceſſum ejus in patriam, in diverſis Angliae regionibus (ac Devonia praeſertim) tumultuari coeptum à ruſticis; qui ſeditione excitata, religionis ritus querebantur mutatos; et avitos reſtitui, nuper introductos aboleri, magna cum ferocia poſtulabant. Ab iſtis Exonienſis urbs obſeſſa, et à civibus fortiter quidem ſed aegre tamen defenſa, donec Regii exercitus adventu, ſoluta eſt obſidio, poſtquam triplici clade ſeditioſi fracti, profligati, et vel caeſi vel capti ſunt fere univerſi. Epiſcopo, tanquam data opera tam procul abſenti, ejuſque vel ſocordiae vel malitiae haec ſeditio imputatur. Quapropter, ne incommodo locus relinquatur conſimili, abdicare jubetur. Id quod ille fecit non gravate[h], qui ex divendito ſacro patrimonio grandem pecuniam coëgerat, et ſibi quoad viveret praediorum venditorum redditus reſervarat. Exauthorato tum ſuffectus eſt (de quo mox plura) Milo Coverdalus, ſed avibus parum fauſtis. Nam biennio nondum tranſacto à conſecratione, Mariâ regno potitâ in exilium ejectus eſt, et Voyſeius reſtitutus. Qui Exoniam protinus accedens; in Pontificiis ritibus reſtaurandis ibidem, omnem adhibet diligentiam[i]. Tamen loci cito pertaeſus, ad Suttonam ſuam quam potuit celerrime reverſus eſt; ibique tandem anno 1555 grandaevus interiit[k], cùm poſt conſecrationem vixiſſet annos 36.

---

[g] Oppidanis de Sutton — Cofield benefactor fuit inſignis; Opidum enim ipſum mercatorium fieri procuravit, et pro opidanis incorporationem impetravit. Quibus terras pleraſque et alia proficua diverſa, praeter tenementa ibidem permulta ex lapidibus quadratis de novo aedificata in perpetuum aſſignavit. *MS. Catal. Decan. de Windſ. per T. Frith. ſcript.*

[h] A. 1551 ob extremam Senectutem, *Rym. Foed.* T. 15. p. 282. ubi videre eſt de Manneriis alienatis et penſionibus reſervatis.

◆ ◆ ◆

XXXII. MILO COVERDALUS.

1551. Edw.6.5. Is, de quo ſupra fecimus mentionem, Milo Coverdalus[l], ordinis Auguſtiniani [olim] monachus (è comitatu Eboracenſi oriundus, Theologiae Doctor Tubingae in Germania creatus, ſed Cantabrigiae incorporatus) ſacratus eſt in Epiſcopum Exonienſem triceſimo Auguſti[m] 1551; et poſt biennium (ſicuti retulimus) ejectus[n], ac in carcerem conjectus; unde non potuit liberari, donec accuratis Danorum Regis precibus, è flammis ereptus, praeclari muneris loco impetravit ut in exilium pelleretur. Elizabethâ regnum adeptâ, in patriam quidem reverſus eſt; ſedem verò relictam repetere non curavit[o]. Londini grandaevus deceſſit[p], et in Parochiali Eccleſia ſancti Bartholomaei ſepulturae eſt traditus.

* * *

XXXIII. JACOBUS TURBERVILL.

*1555. Mar.3. VOYSEIO defuncto, ſucceſſor à Maria Regina deſignatur Jacobus Turbervillus[q] (qui Monachus extiterat) quique nobili ortus familia et in Collegio Wiccamico Oxoniae educatus, conſecrationem accepit anno 1556[r]. Hic, ut Eccleſiam per anteceſſorem vaſtatam aliquatenus reſtauraret, nullum non movit lapidem. Et à Maria certe Regina impetravit mannerium Creditonenſe; quod tamen me Canonico, ſed conceſſioni aſſenſum minime praebente, iterum ab Eccleſia alienatum eſt. Maria poſt biennium extincta, una cum caeteris ſui ordinis exauthoratus eſt[s], et cùm per multos annos privatus vixiſſet, in ſumma libertate defunctus.

XXXIV. GULIELMUS ALLEY.

1560. Eliz.2. GULIELMUS ALLEIUS[t] ſacrae Theologiae Doctor, et ejuſdem in Eccleſia Paulina Praelector, (qui multa edidit volumina lingua Anglicana conſcripta, et Collegii Regii Cantabrigiae ſocius fuerat) conſecratus eſt[u], in Turbervilli exauthorati ſucceſſorem, decimo quarto Julii 1560. Obiit[x] anno 1570, et marmore tectus praegrandi, ſepultus jacet in medio fere Presbyterii non procul à Woltono.

---

[i] Coadjutores habuit M. Coverdale tempore Edw. 6[i], et Doctorem Moreman tempore Mariae. *Eccleſ. Mem. per Stryp* V. 2. p. 266, 271. Voiſeo Epiſcopatum accipiente ſecundum rationem regiſtrorum fiſcalium valebat pluſquam 1565 libras, reſignante verò ſolummodo 500 libras. *Id.* p. 277.

[k] Anno aetatis 103. *Cambd. Brit.* V. 1. p. 610.

[l] Conſtitutus eſt Epiſcopus vigore Literarum Patentium Edw. ſexti. *Rym. Foed.* T. 15. p. 283.

[m] *Regiſtr. Cranm.* f. 334.

[n] 28 Oct. 1553 reſtitutus eſt Veyſey. *Rym.* T. 15. p. 340.

[o] Sed collatus eſt ab Epiſcopo Lond. ad Eccleſiam S. Magni juxta pontem Lond. 3 Mar. 1563. *Regiſtr. Grindall, Lond.*

[p] Obiit 20 Maii 1565. *Strype* ut ſupra. p. 867. Extat Epitaphium in *Stow.*

[q] Filius Joannis Turbervill, per Iſabellam filiam Joannis Cheverill.

[r] Conſecratus eſt 8 Sept. 1555. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Et Temporalia reſtituta ſunt 21 ejuſdem menſis. *Rym.* T. 15. p. 425.

[s] Spiritualia ſeiſita à Decano et Capit. Cant. 16 Nov. 1559. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[t] Natus apud Wickham in Comitatu Buckingh. *Fuller.*

[u] Lamethae. Licent. eligend. 27 Ap. 1560. Reg. Aſſenſ. 8 Jun. et Temporalia reſtit. 26 Aug. *Rym. ib.* p. 579, 590, 600.

[x] Aprilis 16. 1570. Acerrimus fuit Evangelicae veritatis propugnator, morum probitate praecelebris, et bonarum diſciplinarum mirabili ſcientia clarus. *Ex Epitaph.*

XXXV. GULIELMUS BRADBRIDGE.

1570. Eliz. 13. GULIELMUS BRADBRIDGIUS ſacrae Theologiae Doctor, Sariſburienſis Decanus, in Magdalenenſi Collegio Oxoniae educatus, conſecrationem accepit decimo octavo Martii[y] 1570. Repentina morte oppreſſus expiravit Newtoniae Ferreriorum viceſimo ſeptimo Junii[z] 1578, et ab Aquilonari parte Presbyterii tumulo conditus eſt è polito ſaxo non ineleganti, quem poſuit illi nepos ex ſorore (noverca mea) Gulielmus Marſton legum Doctor, Exonienſis Eccleſiae Praecentor, quem amicum ſummum et optime de me meritum, gratitudinis ergo libenter commemoro.

XXXVI. JOANNES WOOLTON.

1579. Eliz. 21. BRADBRIGIO ſucceſſit, foeliciſſimae memoriae, mihique ſemper recolendae, ſocer meus amantiſſimus Joannes Wooltonus, Eccleſiae Exonienſis Canonicus Reſidenſiarius, ſub initium Auguſti conſecratus 1579, qui Wiggenae natus eſt in comitatu Lancaſtrenſi, parentibus honeſtis, ſed nobiliori matre. Poſtquam Oxoniae paucos annos bonarum literarum ſtudio operam navaſſet, avunculum ſuum ter venerandum Alexandrum Nowellum (qui poſtea per annos 42 Eccleſiae Paulinae fuit Decanus) in Germaniam comitatus eſt; ubi deliteſcentes, Marianarum perſecutionum procellas declinarunt, donec Elizabetha rerum potita Angliae ſuae ſerenitatem reſtituit. Incidit Wooltonus in tempora novatorum factionibus valde turbulenta; ſummorum procerum paucis exiſtentibus, qui hoc genus hominum, politiam Eccleſiaſticam aperte acerrimeque oppugnans, non propugnarent, foverent ac tuerentur: ut difficillimum fuerit, ſummaeque prudentiae opus, et officio non deeſſe, et apud praepotentes offenſam non incurrere. Neque vero negandum eſt, adverſae factionis hominibus inviſum eum fuiſſe; ſed ita, ut poſt obitum ceſſante livore, aegre quiſquam reperiatur qui apud omnes hominum ordines deſiderium ſui majus reliquerit. Nondum ſexagenarius, aſthmaticus obiit decimo tertio Martii 1593, cum vix duabus ante migrationem horis, de rebus graviſſimis literas dictaſſet prudentiam redolentes ac pietatem valentis ac vigentis. Quo tempore admonitus ut valetudinis rationem haberet; à Veſpaſiano mutuatus dictum illud tam celebratum (ſed Epiſcopo fortaſſis quam Imperatori convenientius) reſpondit, *Oportere Epiſcopum ſtantem mori:* Et contigit certe paulo poſtea ut per cubiculum incedens, inter manus ſublevantium collapſus, pene priuſquam terram attingeret, expiraret. Humatus eſt ab Auſtrali parte presbyterii, prope locum, ubi primogeniti pietate, monumentum lapide Lydio coronatum, et illius memoriae conſecratum videmus.

---

[y] Regium habet aſſenſum 26 Feb. et Temporalia reſtituta 14 Mar. 1570. *Rym. ib.* p. 690, 691.

[z] Jul. 29. 1578. *Hooker* in Catal. Epiſc. Exon.

XXXVII. GERVASIUS BABINGTON.

EPISCOPUS Landavenſis Gervaſius Babingtonus, ſacrae Theologiae 1594.
Doctor, et olim Collegii ſanctae Trinitatis Cantabrigiae ſocius, poſt Eliz. 37.
annuam vacationem huc tranſlatus eſt menſe Februario[a] 1594, et hinc Wigorniam Octobris quarto 1597[b].

XXXVIII. GULIELMUS COTTON.

GULIELMUS COTTONUS ſacrae Theologiae Doctor, Archidiaconus Lewenſis, 1598.
et Eccleſiae Paulinae Canonicus Reſidenſiarius, in Eliz. 40.
Civitate Londinenſi natus, et in Collegio Reginae Cantabrigiae educatus, conſecratus eſt in Epiſcopum hujus Eccleſiae una cum Sarisburienſi [et Bangorenſi] duodecimo Novembris 1598[c]. Hujus animoſitate ac ſolertia, periculum à novatoribus non leve, olim memini depulſum, quando propter temporum mutationem ſpe factioſi aeſtuantes, neſcio quid praeſtituri videbantur, niſi conatibus illorum vir cordatus fortiter reſtitiſſet. Cum huic ſedi annos ferme 22 praefuiſſet, viceſimo ſexto Auguſti 1621[d] octogenarius vitam cum morte commutavit.

XXXIX. VALENTINUS CARY.

ECCLESIAE Cathedralis divi Pauli Decanus Valentinus Cary, ſacrae 1621.
Theologiae Doctor, et Collegii Chriſti Cantabrigiae Praeſes, conſe- Jac. I. 19.
cratus eſt in Epiſcopum Exonienſem, una cum Sarisburienſi et Menevenſi electis, undecimo[e] Novembris 1621.

* * *

Nobili fuit ortus genere, Baronum ſc. de Hunſdon. Aliquando Collegii D. Joannis Evang. Cantabrigiae Socius. Exonienſibus ſuis propter munificentiam et pietatem imprimis carus. Obiit decimo Junii 1626, et in Eccleſia Cathedrali D. Pauli Lond. chori parte Auſtrali ſepultus jacet, ubi marmor non ita pridem extitiſſe dicitur, hoc ſolum inſcripto, *Hic jacet Valentinus Cary ſacrae Theologiae Doctor, olim Decanus hujus Eccleſiae, qui obiit Epiſcopus Exon.*

---

[a] Mart. 11. 1594. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 38. [b] *Ib.* f. 96. [c] *Ib.* par. 3. f. 17. [d] Silvertoniae obiit, et in Eccleſia ſua ſepultus jacet. Hiſce verſiculis ſolummodo inſignitus,

"A PAULO AD PETRUM PIA TE REGINA VOCAVIT
"CUM PETRO ET PAULO CELI REX ARCE LOCAVIT.

[e] Decimo octavo Novembris 1621. *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 74.

XL. JOSEPHUS HALL.

1627. Car. 1. 2. MORTUO Valentino, Joſephus Hall ſacrae Theologiae Doctor, Wigornienſis Decanus in Epiſcopum conſecratus eſt viceſimo tertio Decembris 1627[f]: annis circiter quatuordecim hac in Dioeceſi magna cum laude ſua exactis, Norwicum migravit; ubi de eo plura.

XLI. RADULPHUS BROWNRIGG.

1642. Car. 1. 17. IN tranſlati locum ſucceſſit Radulphus Brownrigg, S.T.P. Aulae Pembrochianae in Academia Cantabrigienſi aliquando Socius, et deinde Aulae Catharinae Magiſter, conſecratus decimo quinto Maii 1642[g]. In belli civilis turbas atque tempeſtates hominis meliori fato digni aetas incidit, atque ita temporum iniquitatem eſt expertus, ut Epiſcopi nomen ſolum retineret. Reditibus et privilegiis omnibus exutus, in otium non ignobile receſſit apud virum amiciſſimum Thomam Rich de Sunning in agro Berkerienſi: Unde evocatus anno 1658, ab utriuſque Templi ſocietate concionator publicus nominatur. Septimo Decembris 1659 animam exhalavit piam, impenſis ipſorum publicis funere honorifico elatus. Memorabile ipſius jam morientis dictum accepimus, Sibi mortis tempus opportunum obtigisse, nec amplius bono Civi aut Christiano Sacerdoti in ea Rep. esse vivendum, ubi in regimine Civili nullus Rex, nullus in Ecclesiastico Episcopus praeesset, nec in Superiori Parliamenti domo quisquam fere superesset, ordinis sui dignationem amplissimam tueri studens. Porro à Cromwello illo Perduellium principe in concilium adhibitus, reſpondit, Id consilii quod Christus ipse praeceperat esse sequendum, nempe, ut Caesari quae essent Caesaris, ut deo quae essent Dei redderet.

XLII. JOANNES GAUDENTIUS.

1660. Car. 2. 12. CAROLO jam reſtaurato Joannes Gaudentius Epiſcopus conſecratus, unà cum Menevenſi et Landavenſi, decimo octavo Novembris[h] 1660; unde poſt biennium ad Epiſcopatum Wigornienſem tranſlatus migravit.

---

[f] *Regiſtr. Abbot*. par. 2. f. 114. [g] *Regiſtr. Laud*. par. 2. [h] *Regiſtr. Juxon* f. 386.

XLIII. SETH WARD.

1662. CAR. 2. 14.

HUIC ſucceſſit Seth Ward S. T. P. Eccleſiae Exonienſis Decanus, conſecratus viceſimo Julii 1662[i], et inde ad Dioeceſin Sariſburienſem tranſlatus duodecimo Septembris 1667: ubi de eo plura.

XLIV. ANTONIUS SPARROW.

1667. CAR. 2. 19.

ANTONIUS SPARROW ſacrae Theologiae Doctor Collegii Reginalis in Academia Cantabrigienſi Magiſter, conſecratus eſt Epiſcopus Exonienſis tertio Novembris 1667[k]. Ad Epiſcopatum Norwicenſem tranſlatus menſe Septembri 1676.

XLV. THOMAS LAMPLUGH.

1676. CAR. 2. 28.

SUCCESSIT Thomas Lamplugh Decanus Roffenſis, conſecratus duodecimo Novembris 1676[l]. Anno 1688 cùm Gulielmus Princeps Auriacus jam ad terram appuliſſet, et cum exercitu ad oras Danmoniorum contenderet, ille Clerum oratione compoſita hortabatur, ut Jacobi Regis partes tuerentur; qua de cauſa Archiepiſcopatum Eboracenſem, jam tum vacantem, à Rege tanquam meritorum mercedem aliquam eſt adeptus. Quid ab eo Archiepiſcopo poſtea fuerit effectum, inter Eboracenſes infra videbis.

XLVI. JONATHAN TRELAWNEY.

1689. GUL. et MAR. 1.

TRANSLATO Thoma ſufficitur Jonathan Trelawney Epiſcopus Briſtolienſis, eo praecipue nomine Gulielmo Regi commendatus, quod Jacobo iniqua imperanti adverſari auſus. Incarceratus cum fratribus et judicio publico abſolutus, hanc fortitudinis ſuae mercedem reportavit Aprilis decimo tertio[m] 1689. Anno 1707 Wintoniam migravit.

XLVII. OFFSPRING BLACKHALL.

1707. ANNAE. 6.

OFFSPRING BLACKHALL ſacrae Theologiae Doctor Aulae Catharinae apud Cantabrigienſes aliquando Socius, pietate morum ſpectabilis, et non minori cum laude ſua quam popularium fructu concionator facundiſſimus, Epiſcopus eſt conſecratus hujus Dioeceſeos octavo Februarii 1707. Deceſſit, magno ſui deſiderio relicto, viceſimo nono Novembris 1716, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

---

[i] *Regiſtr. Juxon.* f. 289.

[k] *Regiſtr. Sheld.* f. 47.

[l] *Regiſtr. Sheld.* f. 192.

[m] *Regiſtr. Sander.* f. 191.

XLVIII. LANCELOTUS BLACKBURNE.

1716. Geo. I. 3. SUCCESSIT Lancelotus Blackburne Eccleſiae Cathedralis Exonienſis Decanus, ſacris initiatus viceſimo quarto Februarii 1716, et menſe Novembri 1724 ad Archiepiſcopatum Eboracenſem eſt tranſlatus; cui etiamnum praeeſt.

XLIX. STEPHANUS WESTON.

1724. Geo. I. 11. IN tranſlati locum ſufficitur Stephanus Weſton ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Regalis Cantabrigiae et inde Collegii Regalis Etonenſis Socius, ad hanc Dioeceſin conſecratus eſt viceſimo octavo Decembris 1724.



p. 436.

De EPISCOPIS NORWICENSIBUS.

ORIENTALIUM Saxonum Rege Corpwaldo[a] defuncto, Sigebertus (quem ille in exilium pepulerat) reverſus, regnoque potitus, adduxit ſecum Foelicem quendam, patria Burgundum[b], quocum exilii tempore familiaritatem contraxerat, eumque ſui principatus Praeſulem conſtituit. Qui dein ſuos deficientes ad Chriſtianam fidem reduxit[c], ac anno Chriſti 630[d] ſedem fixit Dunwici, quae civitas 630.
prope mare in Orientali Suffolciae parte poſita eſt. Sedit annos ſeptendecim, et Martii octavo 647 vitam cum morte commutavit. Sepultus eſt Sohamae, in Coenobio ibidem per Danos poſtea deſtructo, oſſa vero ejus multo[e] poſt quaeſita et reperta Ramſeiam ſunt tranſlata, [juſſu Egelwini quondam Anglorum Comitis.]

FOELICI ſucceſſit Thomas[f] Diaconus ejus, ex Girviorum provincia [647.]
oriundus, qui praefuit annos quinque[g].

---

[a] AERCHIMALDUS et AERCHINALDUS, *Lib. Elien.* EORPWALDUS, *Cotton de Episc. Norwic.* et *MS. Lameth.* Num. 188.

[b] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 135. a.

[c] Scholas quoque literarum opportunis locis inſtituens, barbariem gentis ſenſim comitate Latina informabat. *Malmeſb.* ib.

[d] De prima hujuſce Provinciae ad Chriſtianam fidem converſione, ſic diſſerit Cl. Whartonus in *Angl. Sacr.* V. 1. p. 403. “Quo primum anno Foelix fidem Chriſtianam inter Orientales Anglos praedicaverit, parum inter Hiſtoricos convenit. Factum id A. 636 Chronologia Saxonica et Florentius volunt. Id anno 630 vel ſequenti potiùs contigiſſe cenſerem. Author enim eſt Beda Honorium Archiepiſcopum Cantuar. Thomae et Bonifacio Foelicis ſucceſſoribus conſecrationis munus impendiſſe. Foelix autem ſedit annis 17, Thomas 5, et Honorius obiit anno 653. Poſt annum igitur 631 Foelix praedicationem auſpicari non potuit. Porrò ex ejuſdem fide Foelix à Sigiberto Rege in Orientalem Angliam primùm adductus erat. Sigibertus Eorpwaldo poſt trium annorum interregnum ſucceſſit. Eorpwaldus ab Edwino Northanhumbrorum Rege ad fidem converſus, brevi poſt interiit. Ipſe autem Edwinus fidem ante annum 627 amplexus non eſt. Foelix igitur provinciam ante annum 630 intrare non potuit. Sedit annis 17 ex omnium ſententia. Obiit anno 650 juxta Florilegum, anno 649 juxta Thomam Elienſem, anno 647 juxta Florentium, qui ſolus veritatem attigit.”

[e] Sub Rege Canuto. *Lib. Elien.*

[f] *Beda* L. 3. c. 20. *Florent.*

[g] Septem. *MS. Lameth.* at ſupr.

BRE-

[652.] Bregilsus[h] (qui et Bonifacius) patria Cantianus, poſt illum ſedit annos 17[i].

[669.] Bisus[k], cum propter aetatem ingraveſcentem, et adverſam valetudinem, tantae provinciae minime par eſſet, in duas eam ſedes diviſit[l]. Altera vero in hac permanſit: Alteram in North-Elmham oppidulo conſtituit. Ac in Elmhamenſi quidem ſede hii ordine ſucceſſerunt:

[673.] I. Bedwinus[m].
[680.] II. Northbertus[n].
[731.] III. Headulacus[o].
IV. Edilfridus[p].
V. Lanferthus[q].
VI. Athelwolfus[r].
VII. Alcarus[s].
[816.] VIII. Sibba[t].
[785.] IX. Alherdus[u].
[826.] X. Humbirctus[x].

Epiſcopi Dunwicenſes fuerunt;

[673.] I. Acca[y].
II. Astwolphus[z].
*731. III. Eadfarthus[a], conſecratus 734.
IV. Cuthwinus[b].
[767.] V. Aldberthus[c].
VI. Eglafius[d], alias Algarus.

VII. Heardredus[e]. Ille ipſe fortaſſis de quo fit mentio in Synodo quam celebravit Cuthbertus Cantuarienſis Archiepiſcopus anno 747 ſub nomine Hardulfi[f].

VIII. Aelphunus[g].
[785.] IX. Tidferthus, alias Tedfridus[h].
X. Weremundus[i].
[870.] XI. Wilredus[k].

---

[h] Beretgilsus, *Beda*. Bertgilsus, *Florent*. Beorhtgils, *Text. Roff.* Bertgils et Bersiges, *MS. Lameth.*

[i] *Beda* L. 4. c. 5.

[k] *Beda*. Bia et Bisa, *Florent*. Interfuit Concilio Herudfordenſi 24 Sept. 673. *Beda* ib. et *Concil. Angl.* T. 1. p. 41.

[l] *Beda* ib.

[m] Badwinus, *Beda* et *Florent*. et Beadwinus. Baldwine, *Malmeſb.* Eadewine, *Text. Roff.* Succeſſit A. 673. *Florent.* Vitam hujus Epiſcopi ſcribit *Pitſeus* p. 826. ubi obiiſſe dicitur anno 679.

[n] *Florent.* Nortbertus, *Malmeſb.* Rothbertus, *Text. Roff.* ſucceſſit 680.

[o] Heatholacus, *Florent. MS. Lameth.* Hedaelac, *Bromt.* Headdolac, *Dunelm.* Netholacus, *Malmeſb.* Hadulacus, *Beda.* Hathelacus, *Text. Roff.* Sedem hanc tenuit anno 731 quo *Beda* Hiſtoriam ſuam finivit. L. 5. c. 24.

[p] Aethelfrith, *Text. Roff.* Edelfridus, *Malmeſb.* Aetherferthus, *Florent.* Hethelferthus, *MS. Lameth.*

[q] *Florent.* Eanfrith, *Text. Roff.* Lamferd, *Malmeſb.*

[r] Aethelulfus, *Florent.* Athewlf, *Malmeſb.* Athelwlvus, *Bart. Cotton.* Athelwulf, *Text. Roff.* Poſt illius obitum hi ordine ſucceſſerunt ſecundum Florentium (7.) Hunferthus. (8.) Sibba. (9.) Hunferthus. (10.) Hunbrihtus. De *Alcaro* ne nomen quidem occurrit.

[s] Septimo hoc loco poni debet Alherdus, ut à *Malmeſb.* nominatur. Haraldus, *Paris.* Hunferthus, *Florent.* Alheardus, *Text. Roff.* Epiſcopus fuit hujus Dioeceſeos A. 785, quo Offa Rex Pallium pro Epiſcopo Lichfeldenſi à Papa obtinuit. *Concil. Angl.* T. 1. p. 152. Subſcripſit etiam chartae ejuſdem Regis Eccleſiae Roffenſi datae A. 789. *Text. Roff.* et interfuit Synodo Cloveſhovienſi A. 803. *Concil. Angl.* T. 1. p. 168.

[t] Sigge, *Malmeſb.* Sibbanus, *Acta Concil.* Interfuit Concilio Calcuthenſi A. 816. *Concil. Angl.* T. 1. p. 169.

[u] Vid. ſupra Not. [s].

[x] Humbrith, *Malmeſb.* Humbrittus, *Text. Roff.* Ludecano Merciae Regi coetaneus, qui interfectus eſt ab Orientalibus Anglis Anno 826. *Chron. Saxon.* Et hanc rexit Eccleſiam uſque ad annum 870, quo, una cum Rege Edmundo, martyrii coronam à Danis obtinuit. *Dunelm. Weſtmon.*

[y] Eata, *Gerv. Chron.* Ecca, *Florent.* Heta, *Malmeſb.* Ecci, *Beda.* Acca, *Weſtmon.* Aecce, *Text. Roff. MS. Lameth.*

[z] Astulfus, *Malmeſb.* Aesculfus, *Florent.* Aescwulf, *Text. Roff.* Easculfus, *MS. Lameth.*

[a] Egbertus, *Bromt.* Eardredus, *Florent. MS. Lameth.* Edredus, *Malmeſb.* Aldberct, *Beda.* Eadredus, *Text. Roff.* Huic ſedi praefuit anno 731, quo Beda hiſtoriam ſuam finivit. *Beda* L. 5. c. 23. Adfuit Concilio Cloveſhov. A. 747. etſi vocatur Heardulfus *Concil Angl.* T. 1. p. 94.

[b] *Malmeſb.* et *Floren.* Guthwine, *Text. Roff.*

[c] Albrithus, *Malmeſb.* Albert, *Hoved.* Aldbertus, *Floren.* Alberht, *Text. Roff.* Sacratus eſt Epiſcopus anno 767. *Hoved.* f. 231. b.

[d] *Malmeſb.* Ecglafus, *Florent. Text. Roff.* et *MS. Lameth.*

[e] Eudred, *Malmeſb.* Headredus, *Floren.* Heardredus, *Text. Roff*

[f] Nequaquam; vide ſupra Not. [a].

[g] Alhun, *Malmeſb* Alfhunus, *Floren.* Aelfhunus, *Text. Roff* Alsinus, *Cotton* de Epiſc. Norwic. Alfinus, *MS. Lameth.*

[h] *Malmeſb.* Hidferthus, *Floren.* et *MS. Lameth.* Widfrith, *Text. Roff.* Praefuit anno 785, quo pallium Epiſcopo Lichfeldenſi à Papa demandatur. *Concil. Angl.* T. 1 p. 152. Edit. Lond. 1737. Interfuit Conciliis *Baccanceldenſi* A. 798. *Cloveſhovienſi*, A. 803. *Calcuthenſi*, A. 816. *Id. ib.* p. 162, 167, 169.

[i] *Malmeſb.* Wormundus, *Floren.* Waermond, *Text. Roff.* Obiiſſe dicitur à *Florilego* A. 870. p. 165.

[k] Succeſſit in utraque ſede anno 870. *Weſtmon.* ib.

Poſt horum tempora, utraque dioeceſis propter turbas Danicas, centum per annos Praeſule manſit deſtituta. Cantuariae tandem anno 955, Edwyo regnante, Athulfus[l] quidam, omni Orientalis Angliae provinciae Antiſtes praeponitur, et ſedem collocavit Elmhamae. Huic ſuffecti ſunt hii quorum nomina ſequuntur. 955.

II. ALFRIDUS[m].
III. THEODREDUS[n].
IV. THEODREDUS[n].
V. ATHELSTANUS[o].
VI. ALGARUS[p], qui obiit 1021.
VII. ALWINUS[q]. [1020.]
VIII. ALFRICUS[r], qui obiit 1038.
IX. ALIFREIUS, quem etiam Alfricum nominatum Malmesburienſis perhibet[s].

◆◆◆

X. STIGANDUS.

ALIFREIO defuncto, ſucceſſit Stigandus[t], in Pontificatum aſcitus, et ſtatim ejectus. [1038.]

* * *

XI. GRINKETELLUS[u].

GRINKETELLUS, qui Stigandum curaverat ejiciendum, poſtquam compertum eſſet, aditum ſibi ad eum quem adeptus eſt honorem mercede ac pretio pateſeciſſe[x], deturbatus eſt et ipſe, ac Stigandus denuo in cathedra Epiſcopali collocatus. Hic Wintonienſem[y] poſteà ac Cantuarienſem thronos conſcendit. [Grinketellus poſtea iiſdem artibus factus eſt Epiſcopus Ciceſtrenſis.] [1040.]

* * *

XII. EGELMARUS[z].

FRATRIS anteceſſoris opera, Egelmarus illi ſubſtitutus eſt anno 1047; et una cum eodem fratre[a] exauthoratus, Praeſulatu excidit primis Normannorum temporibus[b]. 1047.

[l] Subſcripſit Chartae Regis Edgari Eccleſiae Eborac. datae anno 963. *Monaſt. Angl.* T. 3. p. 128.

[m] ALFRICUS, *MS. Lameth.* et *Ingulf.* AELFRICUS, *Weſtmon.* Chartam Edgari Regis Coenobio Croilandenſi datam confirmavit anno 966. *Ingulf.* p. 45.

[n] De tempore quo ſederunt hi Epiſcopi inter Hiſtoricos ne verbum quidem occurrit, alter verò alteri ſucceſſiſſe ab omnibus perhibetur.

[o] *Malmeſb.* AETHELSTANUS, *Weſtmon.* ELSTANUS, *Text. Roff.* Vir Abbatiae Elienſi gratiſſimus, cui multa contulit, ibique ſepultus jacet. Si Thomae Elienſi fides ſit adhibenda, conſecratus eſt ante annum 975, et anno 995 ſuperfuit.

[p] *Dunelm.* AELFGARUS, *Lib. Elien.* Confeſſionarius fuit Duſtani Archiepiſcopi, et Prior Elienſis, *MS. Lameth.* Epiſcopus ſit circa exitum Saeculi decimi; Epiſcopatum reſignavit, et obiit anno 1021. *Dunelm. Hoved.* f. 250. b. *Weſtmon.* Die vero viceſimo quarto Decembris. *Obit. Elien.*

[q] ALFWINUS, *Hoved.* EALWINUS, *Weſtmon.* ALDWINUS, *Dunelm.* ELFWIN, *Text. Roff.* Succeſſit anno 1020 poſt reſignationem Algari; eo enim anno praecepto Canuti Regis Monachos induxit in Betryſcheſword. Et hic etiam Epiſcopatum deſerens, receſſit ad Coenobium Elienſe (unde Monachus proceſſerat) et multos poſt annos vitam finivit.

[r] AELFRICUS, *Weſtmon.* Obiit ante annum 1035. *Whart. Angl. Sacr.* p. 405.

[s] ALIFREIUS, ſeu ALFRICUS iſte ſecundus obiit anno 1038. *Weſtmon.* et *Wigorn.* ad A. .

[t] Succeſſit anno 1038. teſtibus *Weſtm.* et *Florent.* Ejectus eſt à Grintetello, et reſtitutus denuò A. 1042.

[u] GRIMKETEL, *Malmeſb.* et *Wigorn.*

[x] *Weſtmon.*

[y] Anno 1047.

[z] AGELMARUS, *MS. Lameth.* et *Floren.* ETHELMERUS, *Malmeſb.* AILMARUS, *Weſtm.*

[a] Stigando ſcil.

[b] In Octavis Paſchae 1070. *Dunelm.*

◆ ◆ ◆

XIII. HERFASTUS[c].

[1070.] Gul. 1. 4. HERFASTUM capellanum ſuum Gulielmus primus Rex hujus ſedis Epiſcopum renunciavit[d]. « Qui ne nihil facere videretur (ut ſunt « Normanni famae in futurum ſtudioſiſſimi (ſic Malmesburienſis[e]) Epiſ- « copatum de Helmham tranſtulit ad Thetfordam[f]," cui Romano ſeculo nomen erat Sitomagi[g]. De iſto pluribus ſupra apud Lanfrancum Cantuarienſem.

* * *

XIV. GULIELMUS GALSAGUS[h].

[1085.] Gul. 1. 20. QUI illi ſubrogatus eſt[i] Gulielmus Galſagus, ad Thetfordiam ſuam exornandam nihil non fecit. De eo tamen apud Malmesburienſem (quod miror) nulla habetur mentio.

* * *

I. HEREBERTUS[k] LOSINGA.

[1091.] Gul. 2. 4. PROXIMUS ab hiis Herebertus, Pontificiae dignitatis gradus conſcendit, à nonnullis Gulielmus Herbertus appellatus, plurimis verò Herebertus Loſinga[l]; quem Oxoniae[m] natum, et Fiſcanenſem in Normannia Priorem creatum, Gulielmus ſecundus Rex in Angliam accivit[n]. Hic cùm in aula verſaretur, omnibus in rebus ita ſe probavit, ut et illum Rex non ſolum magnopere diligeret, ſed et praemiis etiam cumularet ampliſſimis. Unde factum eſt, ut infra triennium, ingenti pecunia comparata, et ſibi Pontificatum (dicitur enim ſedem ſuam à Rege 1900 libris obtinuiſſe) et patri[o] Abbatiam Wintonienſem, turpiſſimo mercatu potuerit coëmere[p]. Qua de re ſic luſit illorum temporum Poëta,

« Surgit in Eccleſia monſtrum genitore Loſinga,
« (Simonidum ſecta, Canonum virtute reſecta)
« Petre nimis tardas, nam Simon at ardua tentat:
« Si praeſens eſſes, non Simon ad alta volaret.
« Proh dolor, Eccleſiae nummis venduntur et aere.
« Filius eſt Praeſul, pater Abbas, Simon uterque
« Quid non ſperemus ſi nummos poſſideamus?

---

[c] ARFASTUS, *MS. Lameth. Weſtm. Dunelm.* et *Florent.* HEREFASTUS, *Ingulf.* [d] Medio anno 1070, et Lanfranco Archiepiſcopo profeſſionem fecit. Summâ apud Gulielmum Regem gratiâ vigebat, et Cancellariatus munere ſub eodem fungebatur, anno Regni ſc. ſexto. *Pat.* 8 E. 2. par. 1. m. 3. *per inſpex.* [e] *De Pontif.* L. 2. f. 136. [f] Mandante Concilio Londinenſe, anno 1075 habito, ut Sedes Epiſcopales à Villis in Urbes transferentur. *Concil. Angl.* T. 1. p. 363. Ed. Lond. 1737. [g] Obiit A. 1085 juxta nonnullos; A. 1084 juxta *Annal. Winton.* [h] BEWFEWE, *Monaſt. Angl.* de BELFAGO, *MS. Lameth.* [i] A Rege in feſto Nativitatis Domini 1085, *Floren.* et *Dunelm.* Glovorniae, *Hoved.* Capellanus fuit Regis; et alicubi dictus Gul. Wilſon vel Welſon, et Cancellarius fuit Angliae. *Somerſet*, in Cat. Cancella. et *Dugd.* Velſon dicitur in *Spelmanni Gloſſario.* A. 1084. Obiit anno 1091. [k] *Weſtmon.* HERBERTUS, *Malmeſb.* Succeſſit A. 1091. *Weſtm.* In Epiſcopatum Thetford; et anno tertio ſequenti obtinuit Epiſcopatum Norwicenſem. *Annal. Reg. Angl.* [l] Vel Luſingi propter adulationem; *Luſingare* enim Italis eſt adulari. *Caius* de Antiq. Acad. Cant. L. 2. p. 193. [m] In Pago OXINNENSI in Normannia (fortè OXIMENSI, Sic *Gyrald. Cambr.* vel OXUNENSI) MS. ſuprad. C. Cant. B. 16. [n] Ubi factus eſt Abbas Ramſeiae. [o] Roberto. *MS. Lameth.* [p] *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 136. *M. Par.* p. 15. *Hoved.* f. 266.

“Omnia nummus habet: Quod vult facit, addit et aufert.
“Re nimis injuſta, nummis fit Praeſul et Abba.

“Verum enimvero erroneum impetum juventutis (ut loquitur Malmesburienſis[q]) abolevit poenitentia, Romam profectus ſeverioribus annis, ubi loci dalmaticam et baculum et annulum deponens, indulgentia clementiſſimae ſedis iterum recipere meruit. Quod Romani ſanctius et ordinatius obſervant, ut Eccleſiarum omnium ſumptus ſuis potius marſupiis inſerviant, quam quorumlibet Regum uſibus militent. *Herebertus* ita domum reverſus, ſedem Epiſcopalem [*quae quondam fuit in Helmham, et tunc erat apud Thetford*] ad inſignem mercimoniis et populorum frequentia vicum tranſtulit nomine Norwich. Ibi Monachorum congregationem numero et religione percelebrem inſtituit, omnia iis neceſſaria ſumptu mercatus domeſtico. Providens ſcilicet ſucceſſorum querelae, nullas de Epiſcopio terras largitus eſt, ne illi Dei famulos fraudarent victualibus, ſiquid offendiſſent quod ſuis competeret rebus. Praeterea apud THEODFORDUM *Monachos Cluniacenſes* inſtituit, quod ſint illius Coenobii profeſſores ubique pene gentium diſperſi, locupletes in ſeculo et ſplendidiſſimae religionis in Deo. Ingenti ergo et numeroſa virtutum gratia praeteritarum offenſarum molem obumbravit, diſertudinis et literarum copia, nec minus ſecularium rerum peritia, Romanae celſitudini ſuſpiciendus. Mutatuſque *Herebertus* fuit (ut Lucanus de Curione dixit) *momentum et mutatio rerum*; ſicuti tempore Willielmi Regis Symoniae cauſidicus, ita regnante Henrico propugnator invictus, nec ab aliis fieri voluit quod à ſe praeſumptum juvenili fervore indoluit; prae ſe ſemper (ut aiunt) ferens Hieronymi dictum, *Erravimus juvenes, emendemus ſenes.* Poſtremo, quis in illius facti laudem digne pergat, quod tam nobile Monaſterium Epiſcopus multum pecunioſus fecit, in quo nihil fruſtra deſideres, vel in aedificiorum ſpecie ſublimium, vel in ornamentorum pulchritudine, vel in Monachorum religione, et ſedula ad omnes caritate. Haec et vivum ſpe foelici palpabant, et deſunctum (ſi non vana poenitentiae fides) ſuper aethera tulerunt.” Haec Malmesburienſis in genere, digitum ad fontes intendens, et nobis ſingula ſigillatim recenſenda relinquens[r]. Cum Norwicus ea tempeſtate civitas eſſet omnium in illis regionibus et pulcherrima et opulentiſſima, ad ſedem Epiſcopalem in ea collocandam animum adjecit; quod civibus expetentibus, Regeque et Pontifice annuentibus, effecit tandem[s]. Aedem Cathedralem ſuis ſumptibus conſtruxit, area coëmpta in loco quem veteres Cowholm appellarunt, et ornamentis abunde inſtructam, ſacroſanctae Trinitatis nomini dicavit, ac Monachis etiam habitacula [ſeorſim ab Epiſcopalibus] aedificavit, primo lapide à ſe anno ſalutis 1086[t] poſito, cui haec verba dicuntur inciſa,

> “Dominus Herbertus poſuit primum lapidem, in nomine Patris et
> “Filii, et Spiritus ſancti. Amen.”

Sibi tum et ſucceſſoribus palatium extruxit ab Aquilonari parte Eccleſiae, quod à Monachorum cellulis ideo dicitur ſecreviſſe, ut hominum huc et illuc diſcurrentium tumultu, mentes illorum à coeleſtium rerum contemplatione non abſtraherentur. Eccleſias deinde parochiales quinque inſuper condidit, quarum unam ſancto Leonardo conſecravit, idque in ſummo colle, Eccleſiae cathedrali (interjecto flumine) adverſam; alteram etiam Norwici neſcio quam[u]; Elmhami tertiam; quartam Lynnae, ac quintam denique Yarmuthae: Quas omnes Monachorum poteſtati ſubjecit, et ex eo coetu ut ſemper eſſent qui ſacra ibidem alternatim obirent, ordinavit. Exceſſit è vivis viceſimo ſecundo Julii[x] 1119, et in Eccleſia ſua prope ſummum altare ſepultus eſt.

---

[q] L. 2. f. 136.

[r] Paſtorali baculo à Rege privatus eſt: latenter enim Urbanum Papam adire, et ab eo pro Epiſcopatu, quem ſibi, et Abbatia, quam patri ſuo Roberto ab ipſo Rege Willielmo mille libris emerat, abſolutionem quaerere volebat. *Hoved.* f. 266. a.

[s] Aprilis nono 1094. Ut quidam, 14 Kal. Maii, quo die feſtum tranſlationis celebrabatur. *Annal. Regum Angl.*

[t] A. 1096. *Paris.*

II. EVERARDUS[y].

1121. HEN. I. 21. SUCCESSIT illi Everardus, Sariſburienſis Archidiaconus, qui conſecratus duodecimo Junii[z] 1121; cum annos ſediſſet 29, nulla re praeſtita memorabili, appoſitus eſt ad patres ſuos decimo quinto Octobris 1150[a].

III. GULIELMUS TURBUS[b].

*1146. STEPH. 11. HUNC conſequutus eſt Gulielmus cognomento Turbus, genere Normannus, et ineunte aetate Norwicenſis Monachus, poſtea Prior, ac demum Epiſcopus à Commonachis ſuis electus, atque à Theobaldo Cantuarienſi anno 1151[c] conſecratus. Hujus tempore, Eccleſia Cathedralis fortuito incendio conflagravit. Obiit decimo ſeptimo[d] Januarii anno Pontificatus ſui viceſimo quinto[e].

IV. JOANNES OXONIENSIS.

1175. HEN. 2. 22. ANNO ſalutis 1175 Joannes Oxonienſis[f], Sariſburienſis Archidiaconus[g], in Epiſcopum hujus Eccleſiae conſecratus eſt[h]. Ciceſtrenſem antea fuiſſe antiſtitem author eſt Baleus; qua in re hallucinatum conſtat. Hic Eccleſiam ſuam Cathedralem ab Hereberto conſtructam, ſed nuper incendio deformatam, reſtauravit, priſtinoque reſtituit nitori, nonnullis porro adjectis ornamentis, quae deeſſe videbantur. Tum Ptochotrophia infirmis, qui tenuioris eſſent ſortis, exaedificavit; et Eccleſiam ſanctae

---

[u] In curia Epiſcopi. *Barth. Cotton* de Epiſc. Norv.

[x] *Florent.* et *Dunelm. Hovedenus* verò diem 23 male aſſignat. f. 272.

[y] *Huntin. Floren.* EBERARDUS, *Weſtmon.* EBORARDUS, *MS. Lameth.* EBRORDUS, *MS.* in Arch. Eccl. *Norwic.*

[z] Conſecratus eſt Cantuariae à Radulfo Archiepiſcopo, aſtantibus Arnulfo Roffenſi, Richardo Herefordenſi, et Roberto Coventrenſi Epiſcopis. *Florent.*

[a] “Tempore hujus fuerunt Guerrae in Anglia, unde Dom. Eberardus, nimis Guerrarum Angliae diſcriminibus coarctatus, duas Villas quae ſpectabant ad Epiſcopatum duobus militibus potentibus donavit, ne reliquum Epiſcopatus in direptionem deveniret,——ſed antequam eas revocavit reliquit Epiſcopatum, et ingreſſus eſt Religionem apud Founteneyam, qui fecit confeſſionem ſuam in forma quae ſequitur. Univerſali Eccleſiae; ſummo Pontifici Eugenio Eberardus Norwicenſis quondam Epiſcopus &c.——*Nimis Guerrarum coarctatus &c.*——*Sciat tamen pro certo Paternitas veſtra me feciſſe quicquid inde feci ſine conſilio et conſenſu ſive conſcientia Conventus et Archidiaconorum, de hoc ſiquidem animae meae grave timens periculum, paternam clementiam veſtram ſupplicitus depoſco, me de hac re abſolutum, et de caetero veſtra equitas ita diſponat, ut animae meae non ſit minus damnoſum, et Eccleſiae Norwicenſi ſuae poſſeſſiones reſtituantur. Valeat Paternitas veſtra.*——Suſcepit Epiſcopatum Eberardus 1121, et reliquit eundem 1145; et anno ſequenti apud Founteneyam vitam finivit.” *Regiſtr. Norwic.*

[b] De TURIBUS, *Bale.* TURBES, *MS. Wood.* TURBE, *Cotton.* TURBO, *Annal. Reg. Angl.*

[c] Conſecratus eſt A. 1146, teſte *Gervaſio* in anno.

[d] Ita *Cotton* de *Epiſc. Nor.* Die 16, *Dicet.* 20, *Gervaſ.* Annum 1173 aſſignant omnes, exceptis *Weſtmon.* et *Annal. Reg. Angl. author*, qui Gulielmi obitum ad annum ſequentem reponunt.

[e] Sepultus eſt in Eccleſia ſua Norwicenſi. *Cotton*, ut ſupra.

[f] Filius Henrici Burgenſis Oxoniae. *MS. Barlow.*

[g] Decanus. *Dicet.* et *Weſtm.* nec non *Annal. Reg. Angl.* et *Nic. Trivet.* in Annal. p. 66.

[h] Electus Nov. 26. Conſecratus Lamethae Dec. 14. 1175. *Dicet.* Succeſſit A. 1176. *Annal. Reg. Angl.*

Trinitatis Ipſwici à fundamentis excitavit; Necnon aedes quamplurimas, incendio abſumptas, reficiendas curavit[i]. Junii ſecundo 1200[k] defunctus, juxta Herebertum anteceſſorem ſuum humatus eſt, conſecrationis ſuae anno viceſimo ſexto, quo ipſo anno Eccleſia Cathedralis iterum deflagravit.

* * *

V. JOANNES GREY.

1200. JOAN. 2. OPERA Joannis Regis, Epiſcopus tum conſecratur Joannes Greius[l], homo juris noſtri municipalis peritiſſimus, ideoque ſummus Angliae[m] Juſtitiarius conſtitutus, eximia deinde prudentia praeditus et in rebus gerendis dexteritate. Ob quas animi virtutes cum eſſet Principi chariſſimus; ut ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem[n] tum vacantem eum proveheret, nullum non movit lapidem. Quid fuerit in cauſa, quod voti compos non extiterit, quantaeque calamitates et Regi et regno univerſo inde provenerint, in Stephano Langtono Cantuarienſi ſupra demonſtravimus. Sedit annos quatuordecim et Legatus ad Pontificem profectus, in reditu deceſſit prope Pictaviam primo Novembris[o] 1214. Corpus verò in Angliam deportatum, in Eccleſia Cathedrali Norwicenſi tumulatum eſt. Aulam et omnem illam, quae hodie Gaywodiae viſitur molem, hic Praeſul extruxit.

* * *

VI. PANDULFHUS MASCA.

1222. HEN. 3. 6. ANNOS totos ſeptem vacavit ſedes poſt Graii obitum, propter tumultus bellicos (ut opinor) gliſcente ſeditione et diſcordia inter Regem et optimates; quos contra illum Papa concitàrat, iratus Langtonum Archiepiſcopum (à ſe, Rege invitiſſimo, creatum) regno arceri. Prudentia Pandulphi, Pontificii Legati, pax tandem compoſita eſt. Utriſque viſum, ſedulitatem hominis Epiſcopatu Norwicenſi remunerare, ad quem per Honorium tertium conſecratus eſt anno 1222: cùm (ut videtur) ante annos quadraginta in Cardinalium Collegium fuiſſet è Lucio tertio Papa cooptatus, aſſignato ei titulo duodecim Apoſtolorum. Multas hic Legationes ſub variis Pontificibus obivit; Genuam miſſus à Coeleſtino tertio anno 1196, ad diſcordias ibidem civiles componendas et pacem cum Piſanis (inter quos ipſe natus extitit) procurandam: Sub Innocentio tertio cum alio quodam Cardinale in Tuſciam amandatus 1198, ut civitatum Hetruriae foedera, Papa inconſulto inita, reſcinderet: Ac denique hic in Anglia[p], ut belli civilis incendia (quod aegre tandem et non niſi mortuo

---

[i] Anno 1176 miſſus eſt ab Henrico Angliae Rege, ut filiam Siculo Regi ducendam traderet, quod et fecit apud S. Aegidium Nov. 9; et paulo poſt in Angliam revertitur. *Dicet. Hoved.*—Anno 1179 in Parliamento magno illo Weſtmonaſterienſi, conſtitutus eſt Juſtitiarius Itinerans (una cum aliis) pro Comitatibus *Norfolciae*, *Suffolciae*, *Hertfordiae*, *Middleſexiae*, *Cantiae*, *Suſſexiae*, *Surriae*, *Buckinghamiae* et *Bedfordiae*. MS. Gale.——Et eodem anno interfuit Concilio Lateranenſi cum Epiſcopis Bathonienſ. Dunelm. et Herefor. *Hoved.* f. 332.

[k] *Hoved.* f. 458.

[l] Patruus Walteri Grey Archiepiſcopi Ebor. *Regiſtr. Oſney.* f. 103.—— Archidiaconus fuit Glloceſtriae, et conſecratus in Capella S. Catherinae Weſtmon. 24 Sept. 1200. *Dicet. Ymag.* Oct. Kal. Sept. *Annal.* ſupra citati, dies verò non fuit dominica.

[m] Hiberniae. 1 *Pat.* 16 Joh.—Juſtitiarius verò itinerans conſtitutus eſt à Rege A. 1189 apud Windeſor. *Hoved.* f. 337. b.

[n] Anno ſeptimo Joh. Regis Apr. 4. ſubſcripſit Chartae cuidam Joannes Norwic. Epiſc. et Cantuariae electus. *Regiſtr. Cant.* p. 25. *MS. Lowth.*

[o] Octobris 18. 1214. *Cotton* ut ſupr. et *Obit. Cantuar.*——Plura pete à Balaeo.

[p] Alius Pandulphus fuit, non Maſca, qui in Anglia Apoſtolicae Sedis Legati munus obibat, teſte *Ciaconio* (*Vit. Pont. et Card.* T. 1. col. 1111. Ed. Rom. 1677.) Electus eſt in Epiſcopum Norw. A. 1218, et Romae conſecratus 29 Maii A. 1222. *Whart. Angl. Sacr.*

Rege perfecit) reſtingueret. Hunc virum doctum fuiſſe et prudentem (teſte Ciaconio) Innocentius antedictus pronunciavit. Multa Monachis Eccleſiae ſuae fertur contuliſſe, et diem clauſiſſe extremum decimo ſeptimo Auguſti[q], conſecrationis ſuae anno quinto.

VII. THOMAS DE BLUNDEVIL[r].

1226. Hen. 3. 11. POSTQUAM per tres annos ſedes vacaſſet[s], Thomas de Blundevilla, qui Scaccarii Regii Clericus dicitur extitiſſe, Huberti de Burgo[t] ſummi Angliae Juſtitiarii opera, conſecratus eſt in Epiſcopum Norwicenſem viceſimo Decembris[u] 1226. Obiit decimo ſexto Auguſti 1236[x].

VIII. RADULPHUS.

1236. Hen. 3. 21. BLUNDEVILLO ſucceſſiſſe dicitur à pleriſque Gulielmus Raleius. Teſte vero Weſtmonaſterienſe, Radulphus quidam conſecratus[y] eſt viceſimo octavo Octobris 1236; et anno deinceps inſequenti mortuus eſt.

IX. GULIELMUS DE RALEY[z].

1239. Hen. 3. 23. VACAVIT Epiſcopatus poſt mortem Radulphi annos ferme tres. Epiſcopum interea monachi deſignarant Simonem Eccleſiae ſuae Priorem, virum et doctum et prudentem, quem tamen Rex non probavit, et electionem de eo factam, Romae irritam pronunciari curavit[a]. Conſecratus eſt tandem (quo jure, me latet) Eccleſiae Paulinae Canonicus, Gulielmus de Raley anno 1239[b]. Monachi Wintonienſes paulo poſtea ipſum in Epiſcopum[c] poſtularunt, unde magni tumultus exarſere. Qua de re Wintonienſes conſule.

X. WALTERUS DE SUFEILD[d].

1244. Hen. 3. 28. SUCCESSIT illi Walterus de Sufeild, vir (ut habet Nevillus) totius divini ac humani juris peritiſſimus. Xenodochium ſancti Aegydii Norwici hic conſtruxit, et praediis ditavit. Capellam inſuper beatae Virginis in Eccleſia ſua aedificavit. Hoc etiam de illo memoratu reor digniſſimum, quod annona cara, argenti quicquid habuit caelati, vendidit et pauperibus diſtribuit, ut haberent unde panem compararent. Conſecratus eſt anno 1244[e]; et Colceſtriae deceſſit decimo octavo Maii[f] 1257, in capella beatae Mariae quam extruxerat tumulatus, ubi loci miracula neſcio quae patrata poſtea, credulae plebi perſuaſum.

---

[q] A. 1226. *Weſtm.* et *Annal. Marg.* Die verò 16 Sept. *Cotton. MS. Lameth.* et *MS. Wood.*

[r] BLUNDWILE, *MS. Wood.* BLUNDESWIK, *N. Trivet.* BLUNVILE, *Bar. Cotton.* BLONEVILL, *Weſtm.*

[s] Vid. ſup. Not. q.

[t] Cui fuit Nepos. *Annal. Wigorn.*

[u] Dominica proxima ante nativitatem Chriſti, viz. 20 Dec. 1226. *Weſtmon.* A Stephano Cantuar. Archiep. in Capella S. Catharinae Weſtmon. *MS. Lameth.* Die decimo octavo Electum ſe ſcribit. *Rym. Foed.* T. 1. p. 288, et 290.

[x] A. 1236. *Weſtm. Annal. Burton.* Auguſti 16. *Obit. Cant. Weſtmon. Paris* et *Cotton.* Obiit anno 1239; cui ſucceſſit Willelmus de Ragele; Radulpho penitus excluſo. *Annal. Reg. Angl.*

[y] Utrum conſecratus necne parum conſtat, Weſtmonaſterienſis tantum dicit Radulphum *ſucceſſiſſe* Oct. 28. 1236. Certe eo die conſecrari non potuit; Dominicus enim non fuit. Omittitur in *MS. Lameth.*

[z] De RAGELE, *MS. Wood.* RAYLINGHAM, *Chron. Petrob.*

[a] *Weſtmonaſt.*

[b] *Id. ib.* Die 25 Sept. in Eccl. Cath. S. Pauli Lond. ab Edmundo Archiepiſcopo.

[c] Iterum poſtularunt. Electus enim fuerat ad Eccleſ. Wintonienſem A. 1239. Plura videre eſt inter Wintonienſes p. 219.

[d] SUTHFEILD, *MS. Lameth.*

* * *

XI. SIMON DE WANTON.

1257. Hen. 3. 42. SIMON DE WANTON Capellanus Regius et Judicum regni ſive Juſtitiariorum unus, conſecratus decimo Martii[g] 1257. Impetravit à Papa, ut quicquid haberet promotionum Eccleſiaſticarum, in commendam (ut loquimur) etiam Epiſcopus quatuor annorum ſpatio retineret. Cùm annos ſediſſet octo defunctus[h], juxta Walterum anteceſſorem traditur ſepulturae.

* * *

XII. ROGERUS DE SKERWING[i].

* 1266. Hen. 3. 50. ELECTIONEM Rogeri Skerwing Prioris Norwicenſis confirmavit Otho-bonus Cardinalis, legatus Pontificius; et Rex illum temporalibus (ut loquimur) reſtituit decimo ſeptimo Martii regni ſui quinquageſimo, Chriſti vero 1265[k]. Illo ſedente, tumultus ingens inter cives et monachos concitatus, parum abfuit, quin et civitatem et Eccleſiam perdidiſſet[l]. Cujus rei hiſtoriam à Nevillo in ſuo Norwico prolixius deſcriptam, paucis ego, meo more perſtringam. Ad portam Coenobii cathedralis nundinae ſunt celebratae; in quibus forte fortuna contentione inter neſcio quos exorta, à verbis ad verbera perventum, et à monachorum famulis civium aliquot ſunt interempti. Magiſtratus quem Coronatorem appellamus, (cujus eſt, arbitris adhibitis, pronunciare de caede, utrum caſu vel data opera perpetrata videatur) poſt rem cognitam, lictoribus mandat, ut homicidas, ſi forte prodire contingat, comprehendant. Qua re nunciata, Monachi in cives excommunicationis fulmen ejacularunt; et occluſis portis, non contenti vim prohibuiſſe, ultro intulerunt, crebris baliſtarum ictibus convulnerantes cives praetereuntes; ac deinde portis effuſi, plurimos obtruncantes, aedes quoque nonnullorum diripientes, ac per totam noctem circa vicos civitatis petulantiſſime debacchantes. Quapropter, urbano Praetori conſultum viſum, populum ad arma convocare, qui tanto numero confluxere, ut exercitum juſtum confecerint. Neque contineri poterant, Eccleſiaſticorum injuriis provocati, quin valvis Coenobii igne illato, vi irrumperent. Ingreſſi urbani numero potiores, monachos locorum anguſtiis ſe tueri conantes, magna vi invadunt. In eo conflictu multi utrinque ferro abſumpti: Sed cives tandem ſuperiores evaſerunt; et injuriarum pridie illatarum memores, poſtquam caedibus vindictae cupiditatem

---

[e] Confirmatus ab electo Cantuarienſi apud S. Albanum A. 1244. *Weſtm.* p. 317. et eodem anno conſecratus apud Karhowe extra Norvicum. *Arch. Eccl. Cant.*

[f] Viceſimo Maii 1257. *M. Paris.* p. 817. Decimo nono Maii 1257. *Annal. Reg. Angl.*

[g] Apud Cantuar. una cum Rogero Epiſc. Lichfeldenſi, et Waltero Exon. à Bonifacio Archiepiſcopo. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[h] Jan. 2. 1265. *MS. Lameth.*

[i] SKERNING., *MS. Lameth.*

[k] Conſecratus eſt Cantuariae ab Ottobono Papae Legato 19 Sept. 1266. *Angl. Sacr.*

[l] Anno 1272 parum ante obitum Hen. 3. combuſta eſt Eccleſia Norwic. in craſtino S. Laurentii. *Annal. Reg. Angl.*

expleſſent, ad rapinas converſi; quicquid pecuniarum, argenti caelati aut ſupellectilis reperiſſent quod poſſent aſportare, eripuerunt; ne à libris quidem aut ornamentis Eccleſiaſticis ſacrilegas manus abſtinentes. Flamma interea paulatim repens, non tantum portas, ſed hoſpitia pauperum, monachorum cellas, Prioris ſtabulum ac piſtrinum, deinde etiam campanile Eccleſiae invaſit, ac ipſam Eccleſiam turpiſſime deformavit. Verum neque hic finis extitit malorum. Placet Monachis bellum redintegrare; et armatorum auxilia ex Yarmutha (oppido maritimo ad decimum inde lapidem) accerſere. Hii infeſto agmine urbem intrantes cuncta ferro atque flammis miſcuere. Sic ultro citroque per aliquot dies cladibus illatis; hujuſce tumultus Rex certior factus (Henricus tertius) quam poteſt celerrime accurrit. Quo conſpecto, armati utrinque protinus diffugiunt. Sacrilegii authores ab Epiſcopo Roffenſi excommunicantur. Trivetus Juſtitiarius, cauſa cognita, multos civium ad mortem damnatos, ſuſpendi jubet, et ſemivivos (proditorum uſitato apud nos ſupplicio) dilaniandos. Mulier vero quae prima portis Coenobii ignem admoverat, ignibus abſumenda decernitur. Ad monachos quod attinet; Romam provocantes, non ſolum judiciorum laqueis ipſi ſunt elapſi; ſed primi totius mali authores, litem inde civibus intentarunt, quae diu agitata. Tandem re ad Edwardum per Pontificem delata, qui Patre Rege nuper mortuo, ex Palaeſtina reverſus, Romam Pontificem ſalutatum pervenerat; illius judicio conſtitutum eſt, ut cives ad reficiendam Eccleſiam et ea reſtauranda quae vel flammae vis, vel hominum furor devaſtaſſet; millia marcarum tria infra ſex annos perſolverent; videlicet, quotannis quingentas. Deinde ut pixidem auream[m] confeſtim fieri curarent, in quo panis Euchariſticus perpetuo poſſet aſſervari. Paulo poſt incendium hoc reſtinctum, Rogerus Epiſcopus, caducae carnis vinculis ſolutus, ex hac vita migravit viceſimo quinto Novembris[n], cùm ſediſſet annos circiter tredecim[o].

◆ ◆ ◆

XIII. GULIELMUS MIDDLETON.

1278. EDW. I. 6. SUCCESSIT illi Gulielmus Middletonus Archidiaconus Cantuarienſis, cui temporalia comperi reſtituta decimo ſexto Martii Edwardi primi ſexto, cùm Maii viceſimo nono fuiſſet[p] conſecratus 1278 Lamethae, una cum Roffenſi; *Vir in jure civili et Canonico peritiſſimus et elegantiſſimus*, ut loquitur Chronicon Oſneienſe. Hic Eccleſiam ſuam igne deformatam refecit, priſtinoque nitori reſtituit, et Rege, procerumque magna caterva praeſentibus, conſecravit[q]. Exceſſit è vivis triceſimo primo Auguſti[r] 1288.

---

[m] Ponderis decem librarum.

[n] Annum 1277 aſſignant *Weſtmon.* et *T. Wikes.* Diem verò 22 Jan. *MS. Lameth.*

[o] Duodecimo pontificatus anno.

[p] Electus 24 Feb. 1277.—*Annal. Waverl.* conſecratum eſſe aſſerunt 2 Jun. dies verò non fuit Dominica.

[q] Anno 1278 dedicata eſt Eccleſia Norwic. *Annal. Reg. Angl.*

[r] Primo Septembris. *Weſtm.*

XIV.

XIV. RADULPHUS WALPOOLE.

1288. Edw. 1. 17. RADULPHUS WALPOOLE Archidiaconus Elienſis[s], à Monachis Norwicenſibus electus[t], et anno 1288 conſecratus eſt[u]. Poſtquam hanc Eccleſiam undecim per annos magna pietatis ac prudentiae laude gubernaſſet, ad Elienſem tranſlatus eſt[x]; à quo tempore, haud integrum triennium ſuperſtes, nova dignitate vitaque ſimul privatus eſt.

XV. JOANNES SALMON.

1299. Edw. 1. 27. TRANSLATO ad Eccleſiam Elienſem Walpolo, ſucceſſor à Pontifice deſignatur Joannes Salmon Prior Elienſis[y]. Anno 1319 ſummus Angliae Cancellarius conſtitutus[z], eo munere quatuor annos functus eſt. Palatii Epiſcopalis aulam is conſtruxit et capellam, necnon etiam aliam capellam in Occidentali parte Eccleſiae, ubi quatuor ſacerdotibus ſacra ibidem peracturis ſalaria pendi ordinavit. Obiit in Coenobio Folſtanenſi prope Doveram ſexto Julii 1325.

XVI. GULIELMUS AYERMIN[a].

1325. Edw. 2. 19. A NONNULLIS traditur, Robertum Baldocum, qui ſub Edwardo ſecundo Angliae extitit Cancellarius, ac magna apud eum gratia ac potentia (ipſi tandem exitiali) aliquandiu viguit, et electum à monachis Norwicenſibus in Epiſcopum, et temporalia à Rege accepiſſe[b]. Mihi probabilius videtur (id quod ab aliis perhibetur) electioni hujuſmodi aſſenſum ſuum denegaſſe[c]. Certe Gulielmus quidam cognomento Ayerminus[d], his temporibus, oraculo Papali, Epiſcopus[e] eſt renunciatus et Angliae Cancellarius à Rege creatus[f]. Monachis hic ducentas libras contulit ut praedia emerent, ex quorum fructibus duobus monachis Coenobii cellerariis penderentur ſalaria, pro anima ipſius (Epiſcopi antedicti) perpetuo miſſificaturis. Cùm annos pene undecim praefuiſſet, Martii viceſimo octavo[g] 1337 Sharingae juxta Londinum deceſſit.

---

[s] S. T. P. et Rector de Somerſham in Archidiac. Huntin. *Regiſtr. Graveſend Linc.*

[t] Nov. 11. 1288. Vacavit enim 14 Oct. *Pat.* 16 E. 1. Tempor. reſtituta 7 Feb. *Pat.* 17 E. 1.

[u] Medio Quadrageſimae, ſcil. 20 Martii, à Joanne Archiepiſcopo Cantuar. *MS Lameth.*

[x] Bulla data Jul. 15. 1299. *Regiſtr. Winchelſ.* Benefactor fuit Domus S. Petri Cantabr.

[y] Poſtulatus eſt à Monachis Elienſ. ſed Papali authoritate ad hanc ſedem promotus eſt Jul. 15. 1299. conſecratus 15 Nov. à Roberto Archiep. apud Chartham. *Regiſtr. Winchelſ.*

[z] In pleno Parliamento. *Clauſ.* 13 E. 2. m. 9. *dorſo* ——— Hic, ſub nomine Joannis de Ely, memoratur in Miſſa Benefactorum Acad. Cantabr.

[a] AYREMINNE. Sic ſcriptum legi.

[b] Robertus de Baldock Regis habet aſſenſum 28 Jul. et temporalia reſtituta 12 Aug. 1 *Pat.* 19 E. 2. m. 32, 31.

[c] Rob. de Baldock Cancellarius Regis electus eſt per Capitulum [Ita verba *Regiſtri Norwic.*] et confirmatus, et vicarium inſtituit Priorem Norwic. Aug. 16. 1325. Sed audito Papam aliter providiſſe de hoc Epiſcopatu, ſponte ceſſit Sept. 3. 1325.

[d] In agro Lincolnienſi natus. *Fuller.*

[e] Reginae Iſabellae, cui fuit in peſſimis contra maritum machinationibus, adjutor. Edwardus ſecundus Rex ſcriptis dat. 6 Martii A. Regni 19, eum, tanquam laeſae majeſtatis reum, ſuſpectum habet, et ad reſpondendum citat. *Rym.* T. 4. p. 193. Temporalia verò reſtituta ſunt 13 Dec. ſequentis. *Pat.* 20 E. 2.

[f] Factus eſt Rotulorum Cuſtos, *Clauſ.* 10 E. 2. m. 28. Et poſtea cuſtodiam habet M. Sigilli (Joanne Norwic. Epiſcopo infirmitate detento) *Clauſ.* 16 E. 2. Et ab Edwardo tertio factus eſt Theſaurarius Scaccarii 1 Apr. 1331. *Pat.* 5 E. 3. par. 1. m. 18.

[g] Die Mercurii Mar. 27. 1336, proximè poſt feſtum Annunt. B. Mariae, apud Charing juxta London. *Regiſtr. ejus*, et *W. Dene Hiſt. Roſſen.* p. 373.

* * *

XVII. ANTONIUS DE BECK.

1337. Edw. 3. 11. PAPALI mandato[h] huic ſedi tunc ingeritur Antonius de Beck, ſacrae Theologiae Doctor Oxonienſis, qui in curia Romana aliquot annos neſcio quid muneris obiverat. Huic multum fuit negotii cum Monachis ſuis Norwicenſibus, quos (ut videtur) rigide nimis tractavit. Archiepiſcopo etiam Cantuarienſi Winchelſeio, dioeceſin ſuam viſitaturo, magna cum pertinacia reſtitit[i]. Ingenii haec innata homini protervia ac inſolentia, ipſi (ni fallor) tandem fuit exitio. A ſuis namque domeſticis veneno dicitur ſublatus[k].

* * *

XVIII. GULIELMUS BATEMAN.

[1343.] Edw. 3. 18. BECKO à domeſticis ita (ut diximus) perempto, Gulielmus Batemannus[l], legum Doctor, Norwici natus, indidemque Archidiaconus[m], Cantabrigienſis vero Academiae alumnus, à Monachis in Epiſcopum electus[n], conſecrationem brevi poſt obtinuit; vir magnanimus, et jurium Eccleſiae ſuae propugnator acerrimus. A Clemente ſexto Pontifice ſibi ac ſucceſſoribus impetravit, omnium Eccleſiarum per Dioeceſin ſuam vacantium fructus. Qua de re inter ipſum ac Dioeceſanos lis diu agitata fuerat. Robertum Baronem Morleium, quod feras nonnullas in viridariis ſuis confixiſſet, et famulos ejus (repugnantes forte quo minus id fieret) injurioſius tractaſſet, coegit, capite et pedibus nudis, cereum[o] manibus tenentem, per plateas civitatis Norwicenſis, ad Eccleſiam cathedralem incedere, ibique magna civium corona circumfuſum, gratiam admiſſi criminis ab Epiſcopo deprecari, idque Rege hanc poenam literis minitabundis prohibente[p]. Sed pulcherrimum hujus Epiſcopi facinus eſt, quod Cantabrigiae Collegium extruxit, (Aulam Trinitatis nuncupatum) praediiſque nonnullis locupletavit[q]. Aulam porro condidit Annunciationis[r] dictam. Author etiam fuit Gunuilio cuidam S. Theologiae profeſſori, ut alterum ibidem inſtitueret Collegium, quod ex ſuo nomine Aulam Gunvilenſem appellavit. Hoc poſtea Joannes Caius medicus ita auxit ac amplificavit, ut hodie Collegium dicatur Caii et Gunvilli. Quo tempore Edwardus tertius Rex Galliae regnum, ad ſe haereditario jure devolutum, ſibi armis decrevit aſſerere, Batemannum ad Pontificem miſit[s], ut de jure ſuo ad regnum praedictum ipſum edoceret[t]. In hac legatione Avenione deceſſit, anno[u] 1354. Hoc Epiſcopo ſedente, Angliam noſtram invaſit lues illa, qua funeſtiorem, vix ulla ſecula viderunt, vel hic, vel alibi. Siquidem per omnes regni provincias ea crudelitate ſaeviit, ut mortalium vix decimam partem hic reliquerit ſuperſtitem, ſi ſcriptoribus illorum temporum fides ſit adhibenda. Certe in una Norwicenſi civitate, ex utroque ſexu, ſex menſium ſpatio, videlicet inter primam Januarii, et primam Julii (praeter Eccleſiaſtici ordinis homines) quinquaginta ſeptem millia[x], ac inſuper 104 interierunt, ex hac peſte tam atroci et horrenda.

---

[h] Frater Tho. de Hemenhale Monachus Norwic. à Capitulo electus eſt. *Regiſtr. Norw.* 2. Electionem verò ſponte ceſſit, et Papa Antonium Beck praefecit, Bullâ datâ 14 Mar. 1336. *Rym. Foed.* T. 4. p. 732. Temporalia non ſunt reſtituta ante 9 Jul. 1338. *Le Neve.* [i] *Monach. Norw.* de Epiſc. Norw. [k] In Mannerio de Heningham, nocte ante 19 Dec. 1343. *Regiſtr. Norw.* 2. Conſecrationis ſuae anno ſeptimo. *Monach. Norw.* ut antea. [l] Filius Gulielmi Norwic. Balivi, et Domini Mannerii de Fiteſhall. *MS. Wood.* [m] Sept. 5. 1328, et poſtea Lincolnienſis Decanus. [n] Electus eſt à Monachis; et à Papa proviſus, Bulla data Jan. 23. 1343. [o] Sex librarum. *MS. Lameth.* [p] Hac de cauſa Rex ſeiſivit Temporalia Epiſcopatus anno 1347. Vid. *Rym. Foed.* T. 5. p. 560. [q] "Hic fuit ille Praeſul (ut *Regiſtri Norwo-*
"*vicenſis* verbis utar) Auditor Papalis Palatii ſatis famoſus, qui Stephanum (ſibi quondam Romae familiarem, Papae
"Innocentii ſexti nomine jam clarum) quia plurimos Cardinales creaturum audiverat, inviſere ſe apud Regem ſimulavit.
"Ex quo itinere hunc fructum percepit, quod Rectorias illas de *Briſtown*, *Kimberley*, *Brimingham*, *Woodalling*, *Cowlidge*
"et *Stalling* Nordovic. Dioc. ad Magiſtri, Sociorum et Scholarium ſuſtentationem ab eodem Papa adunari procuravit;
"Simone Iſlip Cantuar. Archiepiſcopo ad Papae ejuſdem mandatum ſuo ſigillo in perpetuum confirmante. Sed Mecaenas
"hic repentina morte à ſuo inſtituto avocatus, unum tantum Magiſtrum, Socios tres, totidemque Scholares ex fundatione
"ſua reliquit." [r] Eadem et Aula Gunvillen. [s] Ad partes tranſmarinas, pro tractatu pacis inter Regem et adverſarium ejus de Francia, iter fecimus, ait ipſe in commiſſione Vicarii Generalis Feb. 11. 1352. *Regiſtr. Norwic.*

* * *

XIX. THOMAS PERCY.

BATEMANNO defuncto, Henrici Lancaſtriae Ducis opera, qui Thomam Perceium[y], Northumbriae Comitis[z] fratrem, magnopere dilexerat, Epiſcopus Norwicenſis à Pontifice[a] declaratur Thomas praedictus, cum Monachis ut eum eligerent, non poſſet perſuaderi. Illo ſedente, campanile Eccleſiae vi tempeſtatis dejectum, tecti magnam partem, ac aedificia vicina, afflixit et deturbavit. Quibus detrimentis reſarciendis, non ſolum ipſe quadringentas marcas contulit, ſed à clero etiam Dioeceſis ſuae magnam pecuniae ſummam impetravit[b]. Migravit ex hac vita Blofeldiae octavo Auguſti 1369[c], Pontificatus ſui anno decimo quarto, et condito teſtamento, Eccleſiae ſuae Praecentori, ac ſucceſſoribus ejus, legavit praedia quaedam in manneriis de Fowrhow, Kymerle, Carlton, Gromthorp et Wichelwood, ea nimirum lege, ut pro ſalute animae ſuae in Eccleſia Cathedrali quotidie miſſificarent. [1355.] EDW.3.29.

* * *

XX. HENRICUS SPENCER.

HADRIANO quinto Papae bellum erat cum Bernabove Vicecomite Mediolanenſi. Huic Pontifici, qui genere paterno Anglus erat, Angli quamplurimi militabant, interque eos Spencerorum gentis duo, quorum alter, apud eum propter ſtrenuitatem admodum gratioſus, fratri cui nomen Henrici[d] Epiſcopatum Norwicenſem impetravit[e]. Hic in Angliam reverſus, Martii decimo ſexto 1370 conſecratus eſt (inquit Nevillus) per Archidiaconum Norwicenſem. Inthronizatum tum credo ab illo; cum Epiſcopi niſi ab Epiſcopis non conſecrentur. Vulpis pilum mutat non animum. A militia hic ad praeſulatum traductus, infulis etiam 1370. EDW.3.44.

---

[t] Electus et miſſus eſt à Parliamento una cum Henrico Lancaſtriae Duce. *Monac. Norw.* et *MS. Lameth.* [u] Potionatus obiit apud Avinionem A. 1354: Dux verò Lancaſtriae, Julii Caeſaris cautela, evaſit de Curia, et ſalvus in Angliam venit. *T. Boſton. Chron.*——Obiit 6 Januar. 1354. *Regiſtr. Iſlip.* et *Regiſtr. Norwic.* Sepultus in Eccleſia B. Martini juxta Palatium Apoſtolicum. *Ib.* [x] 57374. *Chron. brev. Norw.* [y] Iſte Thomas filius erat Henrici Domini Percy qui duxit in uxorem Idoneam Domini de Clifford filiam. Ita *MS. Sheldon.* Lib. B. p. 48. [z] Nullus adhuc Perceius, nec per plures abhinc annos, Comes erat Northumbriae. Primus autem Comes fratrem habuit Thomam, ſed Laicum et Comitem Wigorniae. [a] Gulielmo ſublato, Papa Epiſcopatum ſtatim contulit Thomae, Rege et Monachis inconſultis, Juveni 22 tantum annorum. Temporalia reſtituta ſunt 14 Apr. 1355, 1 *Pat.* 29 E. 3. m. 14. Conſecratus verò non ante 3 Januarii ſequentis. *Regiſtr. Norw.* L. 5. ab Epiſc. Wintonienſi apud Farnham. [b] Sc. novem denarios de libra. *Monac. Norwic.* ut ſupra. [c] Ita *Regiſtr. ipſius*, *Obit. Norwic.* et *Regiſtr. Witleſ.* f. 140. Teſtam. fact. 25 Maii 1368. probat. 15 Nov. 1369. *Regiſtr. Witleſ.* f. 105. [d] Filius Edwardi Dom. le Diſpenſator, al. Spencer, et Canonicus Sariſburienſis. Ita *MS. Wood.* ſed in MS. Anſtis. *Filius Edri et Annae Ferrers uxoris ejus; qui quidem Edrus fuit filius ſecundus Henrici Spencer Comitis Gloceſtriae.* [e] Proviſus eſt ab Urbano 3 Aprilis 1370, et Romae conſecratus 21 ejuſdem menſis. *Regiſtr. ipſius.* Tempor. reſtituta ſunt 14 Aug. 2 *Pat.* 44 E. 3. m. 6.

ſuſceptis, nil tamen niſi bellum et arma ſpirabat. Accepta proinde ab Urbano ſexto poteſtate contra ſchiſmaticos (ſic appellabantur qui à Pontifice Romano injurioſius tractati, illius imperium aſpernabantur) anno 1383 cum inſtructa claſſe et exercitu magno in Belgium trajecit, invito Rege, qui eam ob cauſam Epiſcopatus redditus fiſco inferendos decrevit[g], et biennium integrum ab eo detinuit[h]. Ille interea ſtrenui Imperatoris functus officio, fuſis profligatiſque hoſtium triginta millibus, ſeptem autem interfectis; Dunkirkam, Neoportum, Burburgum, Poringam, et Gravelingam, aliaſque maritimas urbes, flammis et incendio delevit.

Magis laudo (quod priori loco à me fuerat commemorandum) inſignem ejus fortitudinem cum prudentia conjunctam, quam anno 1381 in rebellibus compeſcendis ac domandis demonſtravit. Seditioſorum ingens numerus in diverſis inſulae regionibus arma ſumpſerat[i]. Horum pars longe maxima Londinum verſus profecta eſt, ducibus Tylero et aliis ex infima plebe; quibus erat in animo, nobilitatem omnem, et ordinem etiam Eccleſiaſticum (exceptis forte aliquot Franciſcanis) tollere è medio, ut ſic opibus eorum fruerentur. Ex iſto hominum genere, praeter illos quos Londinum diximus profectos, ingens multitudo ſecedentes, in Norfolcienſi, et Suffolcienſi comitatibus; ducem ſibi praepoſuernnt Joannem quendam Litſterum tinctorem Norwicenſem, quem plebeiorum Regem nominarunt. Scenicus iſte Rex, ut factioni ſuae authoritatem conciliaret, comprehendere moliebatur Gulielmum Suffolciae Comitem, qui dum coenaret, ea de re admonitus, illico ſe proripuit è menſa, et ementito habitu famuli Rogeri de Bloys equitis aurati, per devia incedens, ad Regem tandem pervenit. Hac ſpe fruſtrati, omnibus paulo nobilioribus manus injecerunt, quos Sacramento adigerunt conatus ſuos pro virili promovendi. Et inter eos, cum Robertus quidam Salius eques auratus haud diſſimulanter prae ſe ferret coepta hujuſmodi illorum ſibi non placere; unus ex mancipiis illius, domino cerebrum diſperſit. Ex caeteris vero qui illius exemplo territi, ſcelerata eorum conſilia probare videri volebant, Stephanus quidem Haleſius eques itidem auratus, homo ſpecioſus, Regi praeclaro dapifer et praeguſtator deſignatus eſt, aliiſque alia conſimiliter munia aſſignata.

Cum conveniſſe viderentur omnes copiae, Londinum placet proficiſci, ut ſe ſociis conjungant. Cumque in viam ſe dediſſent, Legationem viſum ad Regem mittere, quam obirent Gulielmus Morleius et Joannes Bruſius (praecipue nobilitatis Equites) una cum tribus aliis ſuae ſortis et conditionis. Spencerus, Epiſcopus ille bellicoſus, moram tunc temporis trahebat Burleyae prope Stanfordiam; et audito tumultu à ſeditioſis in Dioeceſi ſua excitato; licet periculo res non careret, accedere tamen voluit ad illos, ut eorum conſilia quonam tenderent (ſi qua daretur facultas) inveſtigaret ac perſpiceret. Habebat tunc in comitatu ſuo non plures quam haſtatos octo, et ſagittariorum numerum perexilem. Inſtructus tam tenuiter et Ickmingamam perveniens, nobiles iſtos in diverſorio reperit, quos jubet edicere, ſi ſeditioſorum quempiam ibi loci haerere comperiſſent.

---

[g] In Parliamento Lond. habito circa Feſtum Omnium SS. 1383. *Walſing. Hiſt.* p. 332. et reſtituuntur in Parliam. Lond. habito circa Feſtum S. Martini 1385. *Id.* p. 348. Profectus eſt medio Maii 1383, et domi adeſt in fine Octobris ſequentis.

[h] Henr. Epiſcopus Norw. in Parliamento anno ſeptimo impetitus de diverſis articulis miſpriſionum, unde temporalia ſeiſita &c Rex nunc reſtituit 24 Oct. 1 *Pat.* 9 R. 2. m. 27.

[i] Eodem tempore et iiſdem rationibus fit motus oppidanorum Cantabrigienſium contra Academicos, qui ab Epiſcopo noſtro compreſſus eſt; quare Nobilis et Illuſtris à Caio dicitur è Capgravio. *Hiſt. Cant. Acad.* L. 1. p. 99.

Equites (ruſticorum metu plane defixi) tergiverſari primo, nec quicquam prodere; Epiſcopum exiſtimantes copiis deſtitutum, in periculum ſeſe inconſulto et temere praecipitare. Tandem verò cum inſtaret ille, ut bona fide ſecum agerent, metuentes ne ſi ultra diſſimularent, ſeditioſorum partibus non coacti, ſed ſponte viderentur adhaerere, rem totam aperiunt; tumultus concitandi duces duos praecipuos hic adeſſe fatentur; tertium ad obſonia quaerenda in oppidum profectum. His ergo duobus nihil moratus, capita fecit illico amputari, et tertium inveſtigatum ſimili affecit ſupplicio; tumque ad North-walſham (ubi conſediſſe hanc colluviem acceperat) iter eveſtigio arripit. Proficiſcenti, in via ſe adjungunt nobilium quamplurimi, qui prae metu hactenus ſe occultarunt, et è plebe non pauci, hac ſeditionis lue ac contagio nondum infecti. Cum ad locum perveniſſet ubi caſtra rebelles muniverant; in imparatos et nil tale cogitantes impetum facit continuo, et ipſe armatus inter primos, vallum tranſcendit, munimenta disjicit, cumque perrupiſſet, cum obviis fortiter ſe defendentibus manum conſerit. Sed Walſingamium [k] ſi placet audiamus hanc pugnam his verbis explicantem: "Antiſtes belliger, velut aper "frendens dentibus, nec ſibi nec hoſtibus parcens, ubi majus conſpicit "eſſe periculum, dirigit robur ſuum; hunc perforando, illum dejiciendo, "alium vulnerando non ceſſat laedere vehementer, donec omnes copiae "quae eum ſequutae fuerant, foſſa tranſcenſa, ad confligendum paratae "forent. Tum pugnatum eſt acriter ab Epiſcopalibus, nec ſecus à ruſticis, "donec (ut aſſolet) nequitiae conſcientia partem terreret injuſtam, et "animum ab audacia et voluntate ſubtraheret moriendi.—— Fugiunt "tandem meticuloſi plebeii, et quia nulla alia reſtabat via, ultra impe"dimenta ſua (quae à tergo locaverant) per ſaltus evadere conantur. Sed "praeſul imperatoris circumſpecti ubique gerens officium, hos conatus "elidit, et fugere meditantes caedendo impedit, impediendo caedit, "donec captis majoribus turbae concitatoribus, et ipſo eorum Rege Joanne "Litſter, quotque volebat ad vitam reſervatis, plena potiretur victoria.—— "Quibus ita geſtis, nondum quievit Epiſcopus, donec perſcrutatis per "totam regionem malefactoribus, juſtitia fieret de iiſdem.— At Litſterus "inprimis, bellus iſtorum Rex, Northfolcorum idolum, ad furcam per"tractus, poenam luit proditoribus apud nos uſitatam." Sic Walſingamius, paucis mutatis. Pergamus jam ad alia. Domi quam foris hic nihilo pacatior, certamen habuit atrox ac diuturnum cum Monachis ſuis, quos omni jure antiquo ac libertate privare conatum dicunt; adeo ut per annos quindecim, multis vexatos injuriis graviſſime afflixerit, donec tandem pacem quadringentarum marcarum pretio redemerunt. Tot certaminum victor, victus tandem morti ſuccubuit viceſimo tertio Auguſti [l] 1406, cùm annos ſediſſet prope 37.

---

[k] *Hiſt. Angl.* p. 279. [l] *Regiſtr. Arund.*

XXI. ALEXANDER[m].

* 1407. Hen. 4. 9. ELECTUS illi in ſucceſſorem Alexander[n] Eccleſiae Norwicenſis Prior, quem Rex adeo non probavit, ut annum fere integrum carceris eum cuſtodia coercuerit. Cùm biennium ſedes vacaſſet, deprecante Arundellio Cantuarienſi Archiepiſcopo, necnon aliis regni proceribus, libertas ſimul et conſecratio indulta eſt anno 1408. Annos praefuit[o] quinque, et in capella B. Virginis ad pedes Walteri Sufeldi anteceſſoris ſui tumulatus eſt.

XXII. RICHARDUS COURTNEIUS.

1413. Hen. 5. 1. HENRICO quinto Rege ſatagente, Richardus Courtneius[p] Academiae Oxonienſis Cancellarius[q] à Monachis illico deſignatur ſucceſſor, et ab Archiepiſcopo Cantuariae[r] conſecratur, praeſente Rege, in maxima nobiliſſimorum hominum frequentia. Vir generis nobilitate, eruditione eximia, morum ſanctitate[s], quid ni etiam adjiciam, erecti corporis celſo honore clariſſimus. Quae virtutes magnam illi gratiam apud omnium hominum ordines conciliarunt, praecipue vero apud Regem, qui eum implicatiſſimis regni negotiis ſemper voluit intereſſe. Anno conſecrationis ſecundo, nobiliſſimus antiſtes in obſidione oppidi Harfluenſis in Normannia, morte ſublatus immatura, dyſenteria interiit decimo quarto Septembris[t] 1415. Cadaver in Angliam deportatum, et magnifico funere elatum, Weſtmonaſterii inter Regum ſepulchra humatum[u] conquieſcit.

XXIII. JOANNES WAKERING.

1416. Hen. 5. 4. COURTNEIO ob eruditionem, prudentiam, caeteraſque animi virtutes haudquaquam poſtponendus, Joannes Wakeringus Archidiaconus Cantuarienſis, et privati[x] ſigilli cuſtos, eligitur in Epiſcopum, atque ab Archiepiſcopo[y] conſecratur triceſimo primo Maii[z] 1416. Sub id tempus, Conſtantienſe Concilium celebratum eſt, ad quod iſte cum multis aliis gentis noſtrae praeſulibus miſſus[a], munus demandatum ſic obivit, ut graviſſimi prudentiſſimique viri teſtimonium famamque reportarit. Clauſtrum

[m] Alexander TOTINGTON, *Whart.*

[n] Henrico defuncto, Licentia conceſſa eſt eligendi 3 Sept. 1406. 2 *Pat.* 7 H. 4. m. 7. Electus eſt Alexander Sept. 14. Rege verò adverſante non conſecratur. Sed proviſus à Gregorio 14 Kal. Feb. Pontif. 1. (*Regiſtr. Arund.* f. 39.) tandem conſecrationem accepit apud Gloceſtriam 23 Oct. 1407; (*Regiſtr. ejus.*) et eodem die Rex reſtituit Temporalia. 1 *Pat.* 9 H. 4. m. 29. et 2 *Pat.* 9 H. 4. m. 19.

[o] Obiit paulo ante tertium Maii 1413; eo enim die conceſſa eſt Licent. eligendi. 1 *Pat.* 1 H. 5. m. 37. Et Teſtam. quod factum fuit 20 Apr. 1412, probatum eſt 4 Maii 1413. *Regiſtr. Arund.* par. 2. f. 166.

[p] Natus apud Caſtellum de Pouderham Com. Devoniae: Filius ſecundus Dom. Phil. Courtney. *Prince in Devon. illuſtr.* p. 162.

[q] Et Wellenſis Decanus, proviſus eſt à Papa, cui Rex reſtituit Temporalia 11 Sept. 1413. 3 *Pat.* 1 H. 5. m. 16.

[r] Ita *Monach. Norwic. Le Neve* verò è Regiſtr. hoc factum eſſe aſſerit Sept. 27. 1413 in Capella Regia Windeſor.

[s] *Walſingh. Hiſt.* p. 426.

[t] *Eſc.* 3 H. 5. n. 44. Juratores dicunt quod Ric. Courtenay Epiſc. Norw. obiit in die dominica poſt feſtum Exaltationis Crucis. *MS. Anſtis.*

[u] In Septentrionali parte à feretro S. Edwardi Regis in ipſius Oſtii ingreſſu pone magnum Altare. *MS. Lameth.*

[x] Magni Sigilli Cuſtos paucos per dies conſtitutus eſt, ſcil. à 19 uſque ad 30 Januarii 1410. *Clauſ.* 11 Hen. 4. m. 8. *dorſo.*

[y] Propter numerum Antipaparum confirmatus eſt ſolummodo ab Archiepiſcopo, et temporalia à Rege accepit 27 Maii *Pat.* 4 H. 5. m. 23.

[z] Ita Regiſtrum; Nonnulli verò diem 29 apponunt, ſed perperam; Dies enim 31 non 29 fuit Dominica. Conſecratus in Eccl. S. Pauli Lond. octo aliis Epiſcopis praeſentibus. *Regiſtr. Norw.* Lib. 8.

[a] Vidi (ita *MS. Wren.*) commiſſionem ipſius, in qua variis Eccleſiae ſuae, et Regni Angliae negotiis multipliciter praepeditum eſſe ait.

quod in Palatio Epiſcopali cernitur, ſuis ſumptibus hic conſtruxit, et latere ſtravit ad oculorum voluptatem verſicolori. Quando hanc Dioeceſim novem per annos prudentiae ac moderationis magna cum laude gubernaſſet; Thorpae diem clauſit extremum Aprilis nono[b] 1425, et in Eccleſia ſua ſepultura conditus eſt ante altare D. Georgii.

XXIV. GULIELMUS ALNEWICK.

GULIELMUS ALNEWICUS legum Doctor, privati ſigilli cuſtos, Sariſburienſis Archidiaconus[c], in Eccleſia Cathedrali D. Pauli Londini conſecratus eſt decimo octavo Auguſti 1426[d], et decimo poſt anno Lincolniam tranſlatus[e]. Hic portas Occidentem verſus in Eccleſia Norwicenſi, et feneſtram magnam ibidem fieri fecit. Ad ſtructuram etiam ſcholae philoſophicae in Academia Cantabrigienſi pecuniam contulit non exiguam. 1426. HEN. 6.4.

XXV. THOMAS BROWN.

EPISCOPUS Roffenſis Thomas Brownus[f], cum Baſilienſi Concilio intereſſet, quo tempore Alnewicus tranſlatus eſt, abſens et praeter ſpem Epiſcopus Norwicenſis renunciatus eſt[g]. Eo praeſidente, Norwicenſes cives, cladis nuper ab Eccleſiaſticis illatae memores, ad ſubvertendam Eccleſiae libertatem et privilegia abroganda, conjunctis animis conſpirarunt. Hujus vero Antiſtitis prudentia, omnes illorum conatus irriti et inanes redditi ſunt. Annos cum ſediſſet novem vitam cum morte commutavit[h] anno ſalutis 1445[i]. 1436. HEN. 6.15.

XXVI. GUALTERUS HART[k].

HUNC ſubſequutus eſt Gualterus Hartus ſacrae Theologiae Doctor, et Oxoniae Orialenſis Collegii Praepoſitus, qui conſecratus eſt menſe Februario 1445[l]. Illius prudentia delinita demum plebe, exacerbatae civium mentes conquieverunt. Pavimentum Eccleſiae ſuae ſaxo ſternendum curavit. Duodecim porro ſtudioſis (quoad vixit) omnia vitae neceſſaria ſuppeditavit Cantabrigiae, in hoſpitio quod tum Fiſhwyk dicebatur, ut bonis literis operam darent ibidem. Ceſſit è vita Maii viceſimo ſexto[m] 1472, et tumulo conditus eſt ſub pegmate, quod ſuſtinendae Chriſti crucifixi imagini, ipſe curaverat fabricari. 1445. HEN. 6.24.

---

[b] Ita *Regiſtr. Chichl.* f. 220. Addit *Regiſtr. Norw.* Lib. 7. poſt horam octavam veſpertinam.

[c] Temporalia habet reſtituta 4 Maii. 2 *Pat.* 4 H. 6. m. 20.

[d] In Eccleſ. Cantuarienſi. *Regiſtr. Chichl.* f. 42.

[e] Sept. 19. 1436. *Regiſtr. Chichl.* f. 54.

[f] Utriuſque Legis Doctor.

[g] Bulla Eugenii data 13 Kal. Oct. 1436. *Ib.* f. 53. Temporalia reſtituta 16 Feb. *Pat.* 15 H. 6. m. 32.

[h] Apud Hoxton Dec. 5. 1445. *Regiſtr. Stafford.* f. 57. Et ſepultus eſt in Eccleſ. ſua Cathedr. in Navi Eccleſiae coram altare Crucifixi quod fecerat. *MS. Lameth.*

[i] Moriens legavit plurimam pecuniae vim tenuioris fortunae Scholaribus, qui è Dioeceſi ſua oriundi bonis literis operam in utravis Academia dederunt, diſtribuendam. *Wharton* f. 417.

[k] LYHERT, *Pat.* LYGHERT, *Epitap.*

[l] Cuſtodiam habet Temporalium 10 Jan. 2 *Pat.* 24 H. 6. m. 31. Reſtituta ſunt 26 Feb. 1 *Pat.* 24 H. 6. m. 16. Proviſus à Papa Jan. 14. 1445. Conſecratus eſt Lamethae, profeſſionem fecit et accepit ſpiritualia penultimo Febr. *Regiſtr. Stafford.* f. 21.

[m] Viceſimo quarto, die ſcil. Pentecoſtes. *Regiſtr. Norw.* Teſtam. fact. decimo quarto ejuſdem Menſis.

XXVII. JACOBUS GOLDWELL.

1472. Edw. 4.12. QUI ſucceſſit, Jacobu Goldwellus[n], Sariſburienſis Decanus et Secretarius Regius, in Collegio omnium Animarum Oxoniae educatus, temporalium reſtitutionem obtinuit[o] viceſimo quinto Februarii, Edwardi quarti duodecimo; et menſe Februario[p] 1498 defunctus eſt.

XXVIII. THOMAS JAN.

1499. Hen. 7.15. DE ſucceſſore illius Thoma Jano[q], nihil aliud memoratur, niſi quod conſecrationis anno primo mortem obierit.

XXIX. RICHARDUS NIX[r].

*1501. Hen. 7.16. DEMORTUO Jano ſurrogatur Richardus[s], cui utcunque à nive nomen videatur inditum, adeo nihil erat nivei in pectore, luxurioſis cogitationibus plurimum aeſtuante, ut atro carbone libidines ejus notandae videantur, ſi vera ſunt quae de illo à Nevillo perhibentur. Antequam è vita excederet per multos annos oculis captus, caecus interiit anno 1536, cum praefuiſſet huic Eccleſiae annos totos 36.

XXX. GULIELMUS RUGG, al. REPPS.

1536. Hen. 8.28. GULIELMUS RUGGUS[t], nonnullis Reppius appellatus, è Cantabrigienſi Academia ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus eſt in Epiſcopum Norwicenſem menſe Junio[u] 1536. Praefuit annos quatuordecim[x], et anno Chriſti 1550 defunctus eſt.

---

[n] Legum Doctor, Eſſexiae Archidiaconus, necnon Canonicus Windeſor. et Ordinis Periſcelidis Regiſtrarius. [o] Conſecratus eſt in Curia Romana ab ipſo Papa Oct. 4. 1472. Et Temporalia habet reſtituta 25 Febr. 1472. 2 *Pat.* 12 E. 4. m. 6. Interea verò Licentia eligendi conceſſa eſt 2 Jun. 1 *Pat.* 12 E. 4. m. 5. et electus eſt Jacobus à Capitulo, etſi proviſus à Papa. 2 *Pat.* 12 E. 4. m. 22. [p] Teſtamentum fecit 15 Febr. 1498, et obiit eodem die. *Regiſtr. Norw.* [q] Thomas Jane Decretorum Doctor, Canonicus Windeſor. et Capellae Regiae Decanus, non ita pridem Collegii Regalis Cantab. Socius, licentiam habet conſecrationis Oct. 17. 1499. Temporalia prius reſtituta 21 Jul. 1499. *Rym. Foed.* T. 12. p. 728. Obiit menſe Septembri 1500. [r] NYKKE, *Autogr.* [s] Archidiaconus Exonienſis, et Windeſor. Canonicus. Confirmatus eſt 17 Mar. 1500, et eodem die conſtituit Vicarium ſuum generalem. Conſecratus paulo poſt 17 Apr. 1501, eo enim die licentiam obtinuit conſecrationis à Priori Cantuar. *Regiſtr. Cant.*——Temporalia reſtituta ſunt 24 Apr. 1501. *Rym. Foed.* T. 12. p. 771. Anno 1534 Feb. 9. convictus eſt in Banco Regio ex confeſſione ſua in *Praemunire*, eo quod cum Papa commercium habuit clandeſtinum contra Leges Regni nuper editas. Condonato verò crimine, paulo poſt obiit, Pontificatus ſui anno 35, Januarii 14; et in Eccleſia ſua ſepultus jacet. [t] Filius Gulielmi Rugge de North-Repps in Agro Norfolcienſi. *Lelan. Collect.* T. 4. S. T. P. ex Aula Gonviliana: Abbas S. Benedicti de Hulmo 26 Apr. 1530, et Abbatiam cum Epiſcopatu retinuit. [u] Elect. 31 Maii, confirmatus 28 Junii, et conſecratus 2 Julii 1536. *Strype* in *Vita Cranm.* App. p. 256. [x] Obaeratus Dom. Regi in 900 libras, reſignavit Epiſcopatum, reſervata ſibi (ex conſenſu Regis) penſione annua 200 Librarum.——Capitulum Norw. certiorem fecit Archiepiſcopum de reſignatione Gulielmi Epiſcopi 31 Jan. 1549. *Regiſtr. Cranm.* Et Spiritualia ſeiſita 21 Febr. *Ib.* Hoc ſedente Epiſcopo A. ſc. 1438, Coenobium Norw. authoritate Regia in Decanum et Capitulum mutatur. *Strype Eccleſ. Mem.*

XXXI. THOMAS THIRLBEY.

1550. Edw. 6. 4. RUGGO defuncto ſucceſſit Thomas Thirlbaeus[y], legum Doctor Cantabrigienſis, ab Eccleſia Weſtmonaſterienſi tranſlatus, cui omnium primus itidemque poſtremus praefuit Epiſcopus. Cùm hic ſediſſet annos quatuor ad Elienſem ſedem poſtulatus, illuc migravit anno 1554.

XXXII. JOANNES HOPTON.

1554. Mar. 2. JOANNES HOPTONUS ſacrae Theologiae Doctor Oxonienſis, et Mariae Reginae (fratre adhuc vivente) à ſacris, ab illa huic Eccleſiae tum praeficitur[z]. Aliquot menſibus Reginae praedictae ſuperſtes, ob illius interitum moerore (ut putatur) confectus extabuit[a].

XXXIII. JOANNES PARKHURST.

1560. Eliz. 2. HOPTONO[b] ſucceſſor deſignatus ab Elizabetha Regina Joannes Parkhurſtus, qui Gilfordiae natus in Surreia, et in Mertonenſi Collegio Oxoniae educatus; Maria rerum potita, in exilium ſponte profectus, ab Elizabetha revocatus, et illius mandato in Norwicenſem Epiſcopum ſacratus eſt Septembris primo 1560. Praefuit annos quatuordecim et menſes inſuper quinque, morte ſublatus ſub initium Februarii[c] 1574. Opera ſcripſit non pauca à Balaeo commemorata.

XXXIV. EDMUNDUS FREAK.

1575. Eliz. 17. MARTII nono 1571 Edmundus Freacus ſacrae Theologiae Doctor[d], in Epiſcopum Roffenſem conſecratus, huc (mortuo Parkhurſto) brevi poſt tranſlatus eſt[e], et hinc anno 1584 Wigorniam, ubi mortem obiit circa viceſimum[f] Martii 1590, et conditus jacet ab Auſtrali parte navis Eccleſiae ibidem, prope murum, ubi tumulum vidi illius memoriae conſecratum.

XXXV. EDMUNDUS SCAMBLER.

1584. Eliz. 27. EDMUNDUS SCAMBLERUS[g], Matthaei Cantuarienſis Archiepiſcopi ſacellanus, ad Eccleſiam Petroburgenſem conſecratus decimo ſexto Januarii[h] 1560. Freaco ſucceſſurus, huc tranſlatus eſt[i].

---

[y] Tranſlatus Literis Regiis dat. 1 Apr. 1550. *Rym. Foed.* T. 15. p. 221. [z] Tranſlato Thomâ conceſſa eſt licentia eligendi 4 Sept. 1554, et Temporalia reſtituta ſunt 4 Oct. *Rym. Foed.* T. 15. p. 405, 406. Conſecratus eſt per Edm. Lond. Epiſcopum 25 Oct. Ita *Regiſtr. Cant.* dies verò non 25, ſed 28 fuit Dominica. [a] Ante Jan. 1558 Sedes Norw. vacaſſe dicitur. *MS. Wren.*

[b] Eo defuncto Decanus et Capit. eligerunt Ric. Cox S.T.P. circa 22 Jun. 1559, (Licentia enim elig. conceſſa eſt 4 Jun. *Rym.* T. 15. p. 528.) qui ad Elienſem Sedem poſtulatus, Licent. eligendi iterum conceſſa eſt 27 Mar. 1560, et huic Eccleſ. praeficitur J. Parkhurſt S.T.B. qui Temporalia habet reſtituta 24 Oct. *Rym.* T. 15. p. 604. [c] Feb. 2. aetatis 63, et in Eccleſ. ſua ſepultus jacet vir in humanioribus literis excultiſſimus. *Cambd.* et *Athen. Oxon.* [d] Canonicus Windeſoriae et Decanus Sarum.

[e] Electus eſt 31 Jul. 1575. Licentiâ prius datâ die 21. Confirmatus eſt Nov. 14. [f] Viceſimum ſecundum, ex *Epitaph.*

[g] S.T.P. è Collegio ſive Domo S. Petri Cantabr. Natus apud Greſſingham in Com. Lancaſt. [h] Februarii. [i] Elect. 15 Dec. 1584. Confirmatus 15 Jan. *Regiſtr. Whitg.* f. 30. Obiit 7 Maii 1594, et in Eccleſia ſua Cath. ſepultus jacet.

XXXVI. GULIELMUS REDMAN.

1594. Eliz. 37. GULIELMUS REDMANNUS[k] Cantuarienſis Archidiaconus, defuncto Scamblero ſucceſſit[l], conſecratus duodecimo Januarii 1594[m]. Collegii Trinitatis Cantabrigiae hic ſocius aliquando, centum contulit marcas, ut Bibliothecae ejuſdem parietes aſſeribus affabre contextis poſſent obduci et ornari. Obiit paulo[n] ante feſtum ſancti Michaelis 1602.

XXXVII. JOANNES JEGON.

1602. Eliz. 45. QUEM amicitiae et meritorum ſuorum erga me gratia libenter memoro, Joannes Jegon[o] ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Reginae Cantabrigiae ſocius aliquando, et ejus quod à corpore Chriſti nomen habet Praeſes, poſt Norwicenſem Decanatum prudentiſſime laudatiſſimeque aliquot per annos adminiſtratum, ejuſdem Eccleſiae deſignatur Epiſcopus ab Elizabetha Regina haud multum poſtea ſuperſtite, et una cum Herefordenſi conſecratus eſt viceſimo Februarii[p] 1602. Mortem obiit decimo tertio Martii 1617, cum ſediſſet ſupra annos 15 dies 21.

XXXVIII. JOANNES OVERALL.

1618. Jac. I. 16. SUCCESSIT illi Joannes Overall, Coventrenſis et Lichfeldenſis Epiſcopus[q], confirmatus triceſimo Septembris[r] 1618: Vir (ſi Deo ſic viſum) longiori vita dignus, anno proximè ſequenti obiit[s].

XXXIX. SAMUEL HARSNET.

1619. Jac. I. 17. EPISCOPUS Ciceſtrenſis Samuel Harſnet, huc tranſlatus eſt viceſimo octavo[t] Auguſti 1619; et anno 1628 Eboracum migravit.

XL. FRANCISCUS WHITE.

1628. Car. I. 3. AD Dioeceſin Norwicenſem à Carleolenſi tranſlatus migravit Franciſcus White nono Februarii 1628[u], unde ad Elienſem 1631; ubi de eo plura.

---

[k] Filius Joannis Rectoris de Shelford in agro Cantabr.

[l] Electus 17 Dec. 1594.

[m] *Regiſtr. Whitg*. par. 2. f. 31.

[n] Sept. 25. 1602. die Sabbati, et in Eccl. Norw. ſepultus.

[o] Eſſexienſis, natus apud Cogſhall 10 Dec. 1550.

[p] *Regiſtr. Whitg*. par. 3. f. 71.

[q] Collegii D. Joan. Cantabr. alumnus, et Coll. SS. Trinitatis Socius; Aulae denique Catharinae ibidem Magiſter, et Reg. in Theologia Profeſſor.

[r] *Regiſtr. Abbot*. f. 126.

[s] Maii duodecimo 1619. Aetat. 60. et in Eccl. ſua ſepultus jacet.

[t] *Regiſtr. Abbot*. par. 2. f. 24.

[u] *Regiſtr. Abbot*. par. 2. f. 168.

*XL. RICHARDUS CORBET.

1632. Car. 1. 8.

SUCCESSIT Richardus Corbet ſacrae Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxon. Alumnus et deinde Decanus; elegantis vir ingenii ad Epiſcopatum Oxon. evocatus decimo nono Octobris 1628, ab eodem ad Norwicenſem tranſlatus Maii ſeptimo 1632[x]. Viceſimo octavo Julii 1635 naturae debitum perſolvit, Chori Eccleſiae Cathedralis parte Orientali ſepultus.

XLI. MATTHAEUS WREN.

1635. Car. 1. 11

AD hujus Eccleſiae Epiſcopatum proxime ſufficitur Matthaeus Wren Epiſcopus Herefordenſis quinto Decembris 1635[y], et anno 1638 ad Eccleſiam Elienſem tranſlatus eſt.

XLII. RICHARDUS MONTAGUE.

1638. Car. 1. 14.

IN defuncti locum ſucceſſit Richardus Montague, Collegii Regalis Cantabrigiae, et inde Collegii Regalis Etonenſis Socius; vir magni inter ſui temporis Theologos nominis, ingenii acumine et eruditionis copia celeberrimus; apud Regem Jacobum et Carolum gratia ſingulari valebat, ita ut in honorum Eccleſiaſticorum decurſu aliquando ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem facilior aperiretur via. Verum ita accidit, ut quae res eum principibus in Eccleſia viris et Regi optimo commendavit, eadem Puritanorum factioni, quae indies magis magiſque invaleſcebat, ſuſpectum et inviſum reddidit. Nimirum vir doctiſſimus Monarchiae et Hierarchiae ſtrenuus vindex, merito ſuo eorum, qui regiminis Democratici cupidi tum in Eccleſia tum ſtatu civili novis rebus ſtudebant, odia et cenſuras provocavit; ab inferiori Parliamenti domo (quae cauſas fere omnes ad tribunal ſuum revocandi novo plane exemplo jus ſibi arrogaverat) libelli cujuſdam cauſa, cui titulus APPELLO CAESAREM, accuſatus, deprehenſus, cuſtodiae mandatur, et aegre (depoſitis pignoribus ampliſſimis) liberatur. Ea vero injuria homini de ſe bene merito illata Regem ita commovit, ut illum praecipue ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem evocaret. Illud autem memorabile accidit, eo die quo in Eccleſia B. Mariae de Arcubus, juxta ſolennem citationis formulam, Epiſcopi jam jam confirmandi mores Laicorum quoque examini ſubjiciuntur, adfuiſſe qui eum Arminianiſmi neſcio cujus reum, et adeo Pontificiis faventem accuſarent, eaque de cauſa Epiſcopatu prorſus indignum rejicerent. Verum cum calumnias potius quam argumenta proferre viderentur, ſubſecuta eſt aliquandiu impedita confirmatio, et conſecratio viceſimo quarto Auguſti 1628; et decennio nondum exacto ad Dioeceſin Norwicenſem tranſlatus eſt duodecimo Maii 1638[z]. Aprilis decimo tertio 1641 vitam terminavit, et in Cathedrali Eccleſia Norwicenſi ſepultus jacet.

---

[x] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f. 63.

[y] *Regiſtr. Laud.* f. 44.

[z] *Ibid.* par. 2.

XLIII. JOSEPHUS HALL..

1641. Car. I. 17. MORTUO Richardo ſufficitur Joſephus Hall ſacrae Theologiae re vera Doctor, Collegii Emmanuelis Cantabrigiae aliquando Socius; Vir rerum uſu peritus, ingenio ſubtili et exercitato, eruditione multiplici inſtructus, nec interim minor erat modeſtiae et indolis manſuetiſſimae laus. Anno 1605 Germaniam Belgiumque, deinde poſt decennium Galliam quoque peragravit, hoſpes feliciter curioſus. Inter Theologos à Rege Jacobo delegatos, cum Decanus eſſet Wigornienſis, Synodo Dordracenae interfuit; unde, cum propter valetudinem diutius commorari non liceret, rediit in Patriam venerabilis Synodi et principum in Rep. Belgica virorum teſtimonio honorifico inſigniter commendatus. Anno 1628 ad Epiſcopatum Exonienſem promotus, ad Norwicenſem tranſlatus 16 Decembris 1641. Pacis uſque et concordiae utcunque amantiſſimus, non odia et hoſtiles perduellium triumphantium iras effugere potuit, ſed incarceratus et beneficiis exutus omnibus, patientiae, quale hominem Chriſtianum et Epiſcopum decebat, exemplum laudabile exhibuit: deinde ad villam Heigham non procul à Norwico ſeceſſit, ibique animam piam Deo reddidit Septembris octavo 1656, anno aetatis 82, et in Eccleſiae Parochialis Coemeterio jacet humatus.

XLIV. EDWARDUS REYNOLDS.

1660. Car. 2. 12. AD Epiſcopatum hunc aliquandiu vacantem promovetur Edwardus Reynolds aliquando è Coll. Merton. Oxon. Vir docilis temporibus ſervire, ab honorabili ſocietate Hoſpitii Lincolnienſis concionator publicus deſignatus, apud Presbyterianos praecipue magna valebat gratia, ab iiſdem ad Conventum Theologorum 1648 evocatus: à perduellibus jam victoribus Aedis Chriſti Oxon. Decanus conſtitutus, verum inde anno 1650 ejectus, cum ſacramentum ſibi imperatum, cui titulus THE ENGAGEMENT, praeſtare recuſaſſet. Cùm eſſet Eccleſiae S. Laurentii in Judaiſmo Vicarius, tanquam Orator publicus Cleri Londinenſis nomine Richardo Cromwello Protectori conſtituto gratulationes honorificas exhibuit. Anno 1659 ad Aedis Chriſti Decanatum revocatus; inde autem ſubſequenti anno amotus, ut Samueli Fell è poſtliminio reſtituto ad ſua reditus pateret. Nihilominus ita ſolerter rem tranſegit, ut Regi Carolo commendatus Epiſcopatum Norwicenſem adipiſceretur, conſecratus 13[z] Januarii 1660. Ceſſit naturae viceſimo octavo Julii 1676, et in Capella quam ipſe erexerat, aedibus Epiſcopalibus adjuncta, ſepultus.

XLV. ANTONIUS SPARROW.

1676. Car. 2. 28. ANTONIUS SPARROW ſacrae Theologiae Doctor ſucceſſit, Collegii Reginenſis Cantabrigiae Socius, verum inde ejectus 1644. A Carolo reſtaurato Collegii Magiſter conſtitutus et Archidiaconus Sudburienſis, Novembris tertio 1667 Epiſcopus Exonienſis, ad Norwicum tranſlatus eſt 18 Septembris[a] 1676. E vivis exceſſit 18 Maii 1685, et in Capella praedicta tumulatus jacet.

[z] *Regiſtr. Juxon.* f. 259.

[a] *Regiſtr. Sheld.* f. 177.

XLVI. GULIELMUS LLOYD.

SUCCESSIT Gulielmus Lloyd, è Collegio D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae, Mercatorum Angliae Societati Uliſſiponae conſtitutus à Sacris, ibi inter Pontificios cum ea integritatis et prudentiae laude verſatus eſt, ut commendationibus honorificis inſignitus ad Dioeceſin Landavenſem, deinde Petroburgenſem, poſtremo Norwicenſem promoveretur quarto Julii 1685[b]. Gulielmo rerum potito, Metropolitani exemplum ſecutus, fidelitatis ſacramentum praeſtare recuſavit, eaque de cauſa ejectus, Londinum ſeceſſit, vixitque annos aliquot in vicinio urbis, tandemque naturae ceſſit primo Januarii 1709, ſepultus ſub campanili in Eccleſia ſeu Capella de Hammerſmith. Libros dedit Collegio non minimi valoris, tam MSS, quam impreſſos. 1685. Jac. 2. 1.

XLVII. JOANNES MOORE.

IN ejecti locum ſubſtitutus eſt Joannes Moore S. T. P. Eccleſiae Norwicenſis Praebendarius, et Aulae Clarenſis Cantabrigiae aliquando Socius, qui conſecrationis ritus ſuſcepit quinto Julii 1691[c], et anno 1707 ad Epiſcopatum Elienſem tranſlatus evaſit. 1691. Gul. et Mar. 3.

XLVIII. CAROLUS TRIMNELL.

EO tranſlato ſufficitur Carolus Trimnell ſacrae Theologiae Doctor octavo Februarii 1707. Anno 1721 Wintoniam migravit. 1707. Annae 6.

XLIX. THOMAS GREEN.

SUCCESSIT Thomas Green, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Magiſter, octavo die Octobris 1721; et biennio nondum decurſo ad Epiſcopatum Elienſem tranſlatus. 1721. Geo. 1. 8.

L. JOANNES LENG.

THOMA ad ditiorem ſedem tranſlato, Vir ingenio et eruditione inter primos clarus Joannes Leng S. T. P. Aulae Catharinae Cantabr. aliquando Socius, ad hanc conſecratus eſt tertio Novembris 1723. Deceſſit anno 1727, magno ſui deſiderii relicto, et in Eccleſia ſanctae Margaretae Weſtmonaſt. ſepultus jacet. 1723. Geo. 1. 10.

---

[b] *Regiſtr. Sandcr.* f. 116. [c] *Regiſtr. Tillotſ.* f. 24.

LI. GULIELMUS BAKER.

1727. Geo. 2. 1. GULIELMUS BAKER Collegii Wadham. Oxon. Guardianus, et Rector Eccleſiae S. Aegidii in pratis juxta Londinum, ad Epiſcopatum Bangorenſem conſecratus anno 1723, huc tranſlatus eſt decimo nono Decembris 1727. Ceſſit è vita in civitate Bathonenſi quarto Decembris 1732, aetatis 65, ibidemque jacet tumulatus.

LII. ROBERTUS BUTTS.

1732. Geo. 2. 6. ROBERTUS BUTTS, Eccleſiae Norwicenſis Decanus, conſecratus eſt viceſimo quinto Februarii 1732, inde ad Epiſcopatum Elienſem tranſlatus anno 1738.

LIII. THOMAS GOOCH.

1738. Geo. 2. 12. SUCCESSIT Thomas Gooch ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Caii et Gonvilli Cantabrigiae Magiſter, vir à me praecipue honoris cauſa nominandus, à Dioeceſi Briſtolienſi tranſlatus 17 Octobris 1738. Viri de Academia Cantabrigienſi et Eccleſia ſua Norwicenſi bene meriti laudes, poſteris ad quos beneficentiae fructus perventuri ſunt praedicandas relinquo.



De EPISCOPIS WIGORNIENSIBUS.

VITA functo Wulfhero, qui Merciorum Regum primus Chriſtianam religionem amplexus eſt, Ethelredus frater ejus ſolium regni conſcendit[a]. Hic Oſheri Wicciorum Reguli conſilio, ditionem ſuam, quae hucuſque unum duntaxat Epiſcopum habuerat, in quinque Dioeceſes partitus eſt: quarum unam (Lichfeldiam) Antiſtiti reliquit qui ibidem jam antea conſederat[b]: In caeterarum ſingulis, novas erexit ſedes Cathedrales; unam nimirum Dorceſtrae, aliam Legeceſtriae, tertiam Sidnaceſtriae, ac quartam denique Wigorniae. Et Wigorniae quidem primum Epiſcopum viſum conſtituere Tatfrithum[c] quendam, *virum ſtrenuiſſimum atque doctiſſimum et excellentis ingenii*, (ſic Beda[d]) qui fato immaturo praereptus, conſecrari non potuit. Defuncti loco deſignatus eſt Boſelus.

I. BOSELUS.

EPISCOPORUM igitur Wigornienſium primus conſecratus eſt à [680.] Theodoro Cantuarienſi Boſelus. Geſta ſunt haec (ut hiſtoricorum noſtrorum plerique) anno 679.

---

[a] *Flor. Wigorn.* p. 685. [b] *Id.* ibid. [c] Tadfridus A. 680. *Id.* ibid. [d] Lib. 4. cap. 23.

II.

II. OSTFORUS[e].

[691.] SUPERSTITI adhuc Boſelo, ſed tanta corporis infirmitate depreſſo, ut Epiſcopatus munia per ſe implere non poſſet[f], ſubſtitutus eſt Oſtforus, qui in Monaſterio Hildae (quod Lelandus Pharenſe appellat) una cum Boſa, Aeda, Boiſelo, Tatfrido, Wilfrido, et Joanne Beverlacenſi, viris doctiſſimis educatus; à Theodoro Archiepiſcopo Graecae Linguae cognitionem aliquam percepit, et poſtea Romam profectus eſt, ut ſtudiis ſuis colophonem adderet. Quibus ex animi ſententia exactis, in patriam rediens, "divertit ad provinciam Wicciorum, ibique verbum fidei praedi-" "cans, ſimul et exemplum vivendi ſeſe videntibus atque audientibus "exhibens (ſic loquitur Beda[g]) multo tempore manſit; donec tandem "Edilredi Regis mandato, in Epiſcopum Wicciorum conſecratus eſt per "Wilfridum [h] Mediterraneorum Anglorum Epiſcopum, eo quod Theo-" "dorus jam defunctus erat, et nondum alius pro eo ordinatus." Haec anno 692[i]. Ingenii monumenta, Homelias et alia opera reliquiſſe Oſtforum, author eſt Balaeus, ſed furente Danica barbarie, incendio periiſſe.

III. EGWINUS.

[692.] DE Egwino, qui conſecratus eſt anno 693, haec ſcripſit Brithwoldus[k] Glaſconienſis in vita ejuſdem, quem S. Egwinum appellat: "Egwinus "Regali ortus proſapia, Wigornienſis patria, temporibus Adelredi et Ken-" "redi Regum Merciorum fit Wigornienſis Epiſcopus. Unde paulo poſt "ejectus eſt. Romam profectus, à Papa (coram quo miſſas ſolenniter "celebravit) Epiſcopatui reſtituitur." Tum paucis interjectis; "Poſt redi-" "tum (inquit) à Roma impetravit locum qui Aethamme dicitur, et poſtea "Eoveſham à nomine cujuſdam bubulci (Eoves) B. Egwini, qui in ſylva "quadam porcam perditam, et ſeptenum foetum parituram, invenit. Ab "illo igitur omine, locus Eoveſham dicitur, et Monaſterium nomen inde "tulit. Sed primo Ethelredus Rex dedit ei antiquum Monaſterium dictum "Fledanburch, quod Egwinus dedit ſubregulo provinciae Huicces pro "alio Coenobio quod Stratford dicitur. Paulo poſt ab Oſwardo Regis "fratre, alias Edwinus terras obtinuit, videlicet 30 manſas apud Twiford. "Poſt Kendred, affinis Egwini, dedit ei 48 alias manſas in ambitu loci "qui Cotham dicitur. Deinde Romam proficiſcitur cum Offa et Ken-" "redo ad impetranda pro Monaſterio ſuo privilegia. Quibus impetratis, "in Angliam redierunt, et congregata Synodo generali in loco qui Alne "dicitur, cui interfuerunt Berthwaldus Cantuarienſis et Wilfridus Ebo-" "racenſis; donationes illae omnes confirmatae ſunt, miſſo Wilfrido ad "locum conſecrandum. Quo facto, Egwinus ibi Benedictinos Monachos "conſtituit. Poſtea obiit tertio Calendarum Januarii.

---

[e] *Flor. Wigorn.* OSTFORTUS, *M. Weſtm.* OSTEOR, *Malmeſb.* OFTFOR, *Beda.* [f] *Beda* ibid. [g] Ibid. [h] Ebor. Archiepiſcopum. [i] 691. *Flor. Wigorn.* Et defunctus eſt ante exitum ejuſdem anni. *Beda* ibid. [k] Haec omnia deſumpta, non ex Brithwoldo ipſo, vitae B. Egwini ſcriptoris, quae extat in Biblioth. Cotton. Nero E. 1. ſed ex Capgravii abbreviatione, contendit Cl. Whartonus in *Angl. Sacr.* V. 1. p. 470. Extat etiam apud Capgravium Chartae iſtius Monaſterii per hunc ipſum Egwinum conceſſa; nec non alia ſcitu non indigna.

Epitaphium ejus.

“ Rupe ſub hac vili, tegitur vir ſummus et urna
“ Clauditur anguſta, quem ſubvehit alta per orbem
“ Veri fama volans; genus hic ſpectabile duxit;
“ Et mores habuit praeclaros; magnaque geſſit.
“ Eccleſiam fecit quam nunc dicunt Eoveſham.
“ Ditavit terris et multa nobilitavit
“ Libertate locum, qui regni jura tenebat.
“ Omnimodam ſcripſit, ſubſcripſit Curia Regis,
“ Et qui Romanam ſedem tunc Papa regebat
“ Confirmavit eam, proprio teſtante ſigillo.
“ Vita migravit cum ſolis per Capricornum
“ Tertius, ac decimus medians exiſteret ortus.

“ Sepelitur in Monaſterio quod extruxit. Temporibus vero Edgari Regis “ ſub Abbate Oſwardo, Eccleſia de Eoveſham, conſtructa ab Egwyno, “ corruit.” Haec ille. Conſecratus dicitur Egwinus anno [l]693, et defunctus triceſimo Decembris 714[m]. Secundum Balaeum vero 716.

IV. WILFRIDUS.

BEDAE contemporaneus Wilfridus[n], conſecratus anno 717. Obiit 743[o]. 717.

V. MILREDUS[p].

MILREDUS obiit anno 775[q]. Florilegus, necnon et Malmesburienſis De Regibus libro primo, mentionem faciunt Deneberti cujuſdam, quem Epiſcopum Wicciorum vixiſſe tradunt anno 766. Eum tamen ab aliis omiſſum hic loci reponendum non duxi. [743.]

VI. WEREMUNDUS.

WEREMUNDUS[r], obiit 778. [775.]

VII. TILHERUS[s].

TILHERUS[t], obiit 781. [778.]

---

[l] 692. *Flor. Wigorn.* [m] Ob. Indictione 15, feria 5, 3 Kal. Jan. A. 717. *Mari. Scotus* p. 273. ſive *Chron. Wigorn.* in Bibl. C. C. C. Oxon. 3 Kal. Jan. 717. *Flor. Wigorn.* [n] Egwino adhuc ſuperſtite et volente conſecratus eſt A. 717. *Flor. Wigorn.* p. 571. [o] Ita *Flor. Wigorn.* 742 *Annal. Wigorn.* 745 *Chron. Mailr.* 741 *Rad. Higden.* rectè *Wigornen.* [p] *Wigorn. Malmeſb.* MILDREDUS, *Weſtmon.* HILDREDUS, *Text. Roffen.* Vid. *Pitſeum* in Appen. et *Balaeum* Cent. 10. p. 31. A° 747 interfuit Concilio Cloveſhovienſi. *Concil. Angl.* T. 1. p. 94. [q] *Flor. Wigorn.* et *Annales Eccleſ. Wigorn.* [r] Succeſſit A. 775, et obiit A. 778. *Flor. Wigorn.* [s] THILHERE, *Anna. Wigorn.* [t] Tilherus Abbas ſucceſſit A. 778, et obiit 781. *Flor. Wigorn.*

VIII. EATHOREDUS[u].

[781.] EATHOREDUS[x] Icombiam contulit Eccleſiae ſuae, et deceſſit anno 798[y].

IX. DENEBERTUS[z].

[798.] DENEBERTUS[a], obiit 822[b].

X. EADBERTUS[c].

[822.] EADBERTUS[d], alias dictus Hubertus, Eccleſiae contulit Croleiam, et anno 848 fato functus eſt[e].

XI. ALWINUS[f].

ALWINUS vel Alhunus, Capellam S. Andreae conſtruxit Kimeſeiae anno 868[g]; mortuus anno 872[h].

XII. WEREFRIDUS[i], alias WEREBERTUS.

[873.] DE illo qui ſucceſſit, ex Capgravo et Lelando, ſic Balaeus[k]: "Wer-"fridus[l], eo tempore bonis artibus operam dedit, quo pars maxima "Britanniae, à barbariſſimis Dacis uſque adeo infeſtabatur, ut Muſis vix "ullo licuerit loco tuto caput exerere. Hiſtorici hominem praecipue col-"laudant ab eruditione, quam honor etiam ſuo tempore ſecutus eſt. "Mortuo enim Alwino Wicciorum ſive Wigornienſium Epiſcopo, dig-"niſſimus viſus fuit qui ſuccederet. Cum foeliciſſimus Princeps Al-"phredus Academiam ad Iſidis vadum (Oxoniae) inſtituiſſet, excellentis

---

[u] *Flor. Wigorn.* HEREFERTHUS, *Weſtmon.* ETHELREDUS, *Malmeſb.* ſucceſſit 781. *Flor. Wigorn.*

[x] Interfuit Synodo Calcuthenſi A. 789.

[y] *Annal. Wigorn.*

[z] *Flor. Wigorn. Malmeſb.* DEBERTUS, *Weſtmon.* DENEBERHTUS et DENEBREHT, *Spelm. Concil.* Tom. 1.

[a] Interfuit Conciliis Cloveſhovienſi A. 803, et Calcuthenſi A. 816. *Concil. Angl.* T. 1. p. 167, 169.

[b] Ob. 822. *Flor. Wigorn.*

[c] Hinc oritur diſcordia inter Hiſtoricos de ſucceſſione ſequentium Epiſcoporum. *Malmeſburienſis* Catalogus ſic ſe habet: (*de Pontif.* L. 4.) DENEBERTUS, HEREBERTUS, ALWINUS, HUNFERDTH, ECGLIN, WILFERT, KINEWOLD, DUNSTAN. *Florentius Wigornenſis* p. 685 ſic enumerat, DENEBERHTUS, HEABERHTUS, ALHWINUS, WEREFERTHUS, WILFERTUS, AETHELHUNUS, KINEWOLDUS. Aliter *Annales Wigornenſis*, DENEBERHTUS, HEABERTUS, ALHEUNUS, WEREFRIDUS, AETHELHUNUS, KENEWOLDUS, DUNSTANUS.

[d] Conſecratus eſt a Wulfredo Archiepiſcopo A. 822, cui dedit obedientiae profeſſionem. Interfuit Synodis Cloveſhovienſi A. 824. et Londinenſi A. 833. *Concil. Anglic.* T. 1. p. 174, 178.

[e] A. 846. *Annal. Wigorn.* 847 *M. Weſtmonaſt.* f. 156 848 *Flor. Wigorn.*

[f] *Malmeſb. Weſtmonaſt.* ALHUNUS, *Flor. Wigorn.* ALCHWINUS, *Chron. Mailr.* ALCWINUS, *Ingulf.* ALCHUNUS, *Hoved. Sim. Dunelm.*

[g] *Flor. Wigorn.*

[h] In hoc omnes conſentiunt.

[i] *Flor. Wigorn. Chron. Mailr.* WERFREDUS, *Ingulf.* WEREFRETHUS, *Bromt.* WEREFRITHUS, *Sim. Dunelm. Hoved.* HEREFRIDUS et HEREFERTHUS, *Weſtm.*

[k] Cent. 10. p. 33.

[l] Nutritus in Eccleſia Wigorniae, (*Mari. Scot.*) Conſecratus eſt die Pentecoſtes Jun. 7. ab Athelardo Doroberniae Archiepiſcopo, Anno 872 ut aiunt plerique omnes Hiſtorici; potiùs vero 873, eo enim anno Dies Pentecoſtes incidit in 7 Id. Jun.

“ doctrinae viros in ſuo palatio nutriebat, qui non modo literas illic profiterentur, verum etiam interpretationi Latinorum authorum ſedulo incumberent. Inter hos in aulam vocatus Werfridus, tanquam anteſignanus praenituit; qui Dialogorum libros[m] Gregorii primi Rom. Pontificis in linguam Saxonicam vertit. Caetera autem quae longo vitae ſuae tempore egregie fecit, partim Dacorum violentia, partim antiquitas obſcuravit. Denique exactis undecim annis poſt mortem Alfredi Regis, obiit anno à Chriſto nato 911[n].

XIII. WILFRETH.

WILFRETH, obiit anno 915.

XIV. ETHELHUNUS[o].

ETHELHUNUS Abbas Barkleienſis[p], obiit anno 922[q]. [915.]

XV. WILFERTH[r].

SUCCESSIT[s] (authoribus Florentio et Hovedeno) Wilferthus, qui obiit 929[t]. [922.]

XVI. KINEWOLDUS[u].

KINEWOLDUS[x], vir humilis et magnae pietatis, (ut Hovedenus[y]) Eccleſiae contulit Odingleiam[z]. [929.]

XVII. DUNSTANUS.

DUNSTANUS[a] (quem Sancti appellatione poſteri honorarunt) Londinum tranſlatus eſt anno 958[b], et inde poſtea Cantuariam.

---

[m] Werferthus à *Caio* dicitur; et non eum Dialogos Gregorii vertiſſe, ſed ipſum Alaredum. *De Antiqu. Cant. Acad.* Lib. 1. p. 167. [n] A Baleo deceptus author, hunc (Werefridum ſc.) anno 911 deceſſiſſe aſſerit; et Wilfreth quendam, omnibus Hiſtoricis ignotum, ſubſtituit; quem anno 915 obiiſſe vult: ſumptâ quidem erroris anſâ ex binis nominibus Werefritho apud *Florilegum* datis, et ordine in Indiculo Epiſcoporum ad *Florentii* calcem inverſo. Ita differit Cl. Whartonus in *Angl. Sacr.* V. 1. p. 472. Obiiſſe dicitur Werferthus anno 915. *Sim. Dunelm.* [o] *Sim. Dunelm. M. Weſtm.* ADELHUNUS, *Chron. Mailr.* ATHELHUNUS, *Hoved.* ETHELIN et ECELIN, *Weſtmon.* [p] Succeſſit A. 915. *Sim. Dunelm. Flor. Wigorn.* [q] *Sim Dunelm. Flor. Wigorn.* et *Weſtmonaſt.* [r] *Dunelm.* WILFERT, *Malmeſb.* WILFRETUS, *Hoved.* et WILFREDUS, *Chron. Mailr.* [s] Anno 922. *Floren. Sim. Dunelm. Chron. Mailr. Weſtm.* [t] *Flor. Wigorn. Sim. Dunelm. Mailr.* et *Annal. Wigorn. Weſtmonaſterienſis* verò 930. [u] *Malmeſb. Ingulf.* KINEWALDUS, *Chron. Mailr.* KINEWOLTUS, *Weſtmonaſt.* CEONWALDUS, *Dunelm. Hoved.* CEONWALCHUS, *Flor. Wigorn.* [x] Succeſſit anno 929, ex fide *Annalium Wigorn.* et *Chron. Mailr. Florilegus* verò dicit 930 Deceſſit anno 957, *Dunelm. Hoved. Mailr.* et *Weſtmonaſt.* [y] *Hovedenus* dicit hunc fuiſſe magnae *humilitatis* non *pietatis*. f. 244. a. [z] Et Lawarne. *Annal. Wigorn.*

[a] Abbas Glaſtonienſis ſucceſſit 957, (*Weſtmon.* et *Mailr.*) et ab Odone Archiepiſcopo conſecratus eſt. *Id.* et *Florentius.*

[b] *Weſtm.* et *Flor. Wigorn.* Utrumque verò Epiſcopatum ſimul adminiſtravit. *Bromt.*

XVIII. OSWALDUS.

[960.] SANCTUS etiam appellatus Oſwaldus[c], anno 971 [d] Archiepiſcopus factus Eboracenſis [e], Wigornienſem tamen Epiſcopatum retinuit uſque ad mortem. Eccleſiam Cathedralem Wigornienſem is conſtruxit, et D. Virginis honori dicavit. De illo et ſucceſſorum proximis duobus, plura habebis quando ad Eboracenſes perventum fuerit.

XIX. ADULFUS[f].

[992.] SUCCESSIT illi Adulfus Abbas [Petroburgenſis][g]. Hic etiam Archiepiſcopus fuit Eboracenſis.

XX. WULSTANUS.

[1002.] WULSTANUS[h], quem ſcriptoribus placet Reprobum, neſcio quam ob cauſam, cognominare, Eboracenſem una cum Wigornienſi rexit dioeceſin.

XXI. LEOFSIUS[i].

[1024.] ABBAS Thorneienſis Leofſius, *magnae religionis et modeſtiae vir* (inquit Hovedenus[k]) in Epiſcopum Wigornienſem conſecratus[l], Kemeſeiae deceſſit decimo nono Auguſti 1033, et Wigorniae ſepultus eſt.

XXII. BRITTEAGUS[n].

[1033.] WULSTANI praedicti ex ſorore nepos[o], Brittegus Abbas Perſhorenſis, deceſſit viceſimo Decembris 1038[p].

---

[c] Dunſtani operâ ſucceſſit, à quo conſecratus eſt A. 960. *Mailr. Weſtmon.* et *Wigorn.* [d] 972. *Annal. Wigorn.* [e] A Dunſtano conſecratus; Hic Monaſterium Ramiſiae conſtruxit, Eccleſiam Wigorn. Monachis regularibus replevit, poſtquam clericos arte excluſerat. Aſſumptus poſtea ad Archiepiſcopatum Ebor. ſimul obtinuit Epiſcopatum Wigorniae, quia Dani Nordhymbriam vaſtaverunt. *MS. Gale.* [f] ALDULFUS, *Dunelm. Malmeſb. Wigorn.* ELDULFUS, *Florileg.* [g] Prius Medeſhamſtudenſis poſtea vero Petroburgenſis Abbas, in utraque Sede ſucceſſit A. 992. *Annal. Wigorn.* [h] Abbas, *Flor. Wigorn.* Locus verò me latet. Succeſſit A. 1003. *Annal. Wigorn.* 1002 potius, ex eo quod ſediſſe dicitur annos 22, et obiiſſe 5 Kal. Jun. 1023, viceſimo ſecundo Pontificatûs anno nondum completo. [i] *Mailr. Dunelm. Hoved. Wigorn. Weſtmonaſt.* LESSIUS, *Malmeſb.* LEFFIUS, *Ingulf.* LEOFRICUS, *Annal. Petrob.* [k] L. 1. f. 251. [l] Anno 1024. *M. Weſtmon.* p. 206. [m] *Hoved.* L. 1. f. 251. *Dunelm.* [n] BRITEGUS, *Malmeſb.* BRETEGUS, *Chron. Petrob.* BRITHEGUS, *Chron. Mailr. Weſtmon.* BRICTHEGUS, *Hoved.* BRIHTEAGUS, *Flor. Wigorn.* BRIHTEGUS et BRITHETEGUS, *Sim. Dunelm.* [o] *Sim. Dunelm.* et *Hoved.* Succeſſit A. 1033. *M. Weſtm.* Natus eſt in agro Bercherienſi; et anno poſt ſuſceptum Epiſcopatum à Canuto miſſus eſt filiam ejus Imperatori, aut filio, in uxorem tradere. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 473. [p] Omnes fere Hiſtorici in hoc conſentiunt.

XXIII. LIVINGUS[q].

1038. LIVINGUS, Monachus primum Wintonienſis[r], Abbas poſtea Taveſtokenſis, Brithwaldi, S. Germani in Cornubia Epiſcopi nepos, conſecratus eſt in Epiſcopum Creditonenſem anno 1032. Gratia multum hic valebat apud Canutum Danum, Angliae Regem, quem Romam proficiſcentem ſequutus eſt, et ibi Epiſtolam perſcripſit à Rege praedicto ad Proceres Anglicanos miſſam, cujus exemplar videre eſt apud Florentium in hiſtoria anni 1031. Avunculo mortuo, dioeceſin ejus ſuae curavit adjiciendam, praeter quam etiam Wigornienſem[s] (ut videtur) ad mortem uſque tenuit, poſtquam ad eam anno 1038 provectus eſt. Anno 1040 tanquam caedis Alfredi, Ethelredi Regis primogeniti, ſi non author, at conſcius accuſatus eſt. Quod crimen aliqui perhibent eum diluiſſe; aſſerentibus aliis, damnatum ob id flagitium Taveſtokam rediiſſe, ibique mortem oppetiiſſe[t]. Alii vero quos proxime ad veritatem puto accedere, exauthoratum quidem eam ob cauſam, ſed poſt annum unum aut alterum et accuratiorem diſquitionem, inſontem viſum, ab Hardecanuto Rege, *pecunia ſerenato*, (ſic Malmesburienſis[u]) ſedi denuo reſtitutum. Obiit 23 Martii 1049[x], quando eo ipſo articulo quo animam exhalavit, *horriſonus crepitus per totam Angliam auditus, ut ruina et finis totius putaretur orbis*. Sic idem loquitur Malmesburienſis[y]. Sepultus eſt in Coenobio Taviſtokenſi cui multa contulerat beneficia.

XXIV. ALDREDUS[z].

[1046.] ANNO 1060 Aldredus, qui Livingo in Wigornienſi Eccleſia ſucceſſit, Eboracum tranſlatus eſt. De illo itaque inter Eboracenſes vide plura.

XXV. WULSTANUS. 2.

[1062.] POSTQUAM Aldredus, in Archiepiſcopum Eboracenſem electus, cogendum ſe vidit ut Wigornienſem abdicaret praeſulatum, quem anteceſſorum aliquot tenuerant, quantumvis ab urbe et dioeceſi Eboracenſi magno locorum intervallo disjunctum, imò ne in Eboracenſi quidem provincia ſitum: Decrevit, ſedem relinquendam magna praediorum parte ſpoliare, ac tum puſillanimem quempiam in eam ingerere, quem conſideret, non auſurum de illa depraedatione litem aliquam aut contentionem movere[a]. Ad eam rem aptiſſimum putavit Wulſtanum[b], Priorem Wigornienſem, virum magna animi humilitate, et tanta vitae morumque ſanctimonia praeditum; ut Rege liberam eligendi facultatem concedente ſine aliqua difficultate à monachis eum curaverit eligendum[c]; Clero omni et populo univerſo, eam electionem vehementer probantibus. Haec tam aſtuta conſilia, licet ſumma arte tractarentur, expectato tamen ſucceſſu caruerunt. Nam Wulſtanus, animoſe ſatis, multa vi retinuit, quae Aldredus à Wigornienſi ſede ad Eboracenſem trajecerat[d]; et deinde contendendi conquerendique finem non fecit, donec partim ab Aldredo, partim à ſucceſſore[e], omnia quaecunque fuerant ſedi ſuae erepta, reſtituenda tandem curaſſet; conatus ejus multum promovente Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui (ut veriſimiliter Malmesburienſis) *urgebat libenter aemulum primatus et potentiae.* Wulſtanus hic noſter (quem pro Divo poſteri ſunt venerati) natus eſt Hicheritonae[f] in Comitatu Warwicenſi; patre Eatſtano, matre Wulgeona, mutuo conſenſu monaſticam vitam amplexis, poſtquam aetate fuiſſent provectiori. Tum filio (quem in Coenobio Petroburgenſi educandum curaverant) ſacris ordinibus initiato (nam Presbyter fuit ſecularis) authores uterque fuerunt, ac mater inprimis, ut cucullum indueret, quaſi praeterquam monachis, nulli mortalium ad coeleſtia gaudia aditum patere exiſtimarent[g]. Obtemperavit ille, et à Brittego anteceſſore, in Coenobium Wigornienſe admiſſus, vitae innocentia ſimul et auſteritate àdeo inclaruit brevi, ut nihil eſſet muneris paulo honeſtioris[h], quo prima quaque data occaſione ornandum eum commonachi ſui non cenſerent. Primum itaque puerorum eum informatorem conſtituunt, deinde Eccleſiae ſuae Praecentorem, poſtea Theſaurarium, ac tandem Priorem[i]. Electioni de ſe factae aegre dicitur conſenſiſſe; profeſſus cervicem libentius abſcindendam ſe exhibiturum, quam tantum oneris in ſe ſuſcepturum: Perſuaſum vero tandem à Wulſio quodam Anachorita[k], futurum aſſerente, ut graviter peccaret ſi in hac tergiverſatione perſiſteret. Cauſabatur ille (nec immerito) literarum inſcitiam, qua revera laborabat eouſque, ut ſub Gulielmo Normanno de abrogando illi praeſulatu eam ob cauſam conſilium fuerit initum: Et abrogatus ſane fuiſſet, niſi quibus examinis negotium mandatum eſt, ſupellectile literaria inſtructiorem nonnihil praeter ſpem reperiſſent, quam vulgò habitus eſſet. Quippe “qui non ita hebes in literis ut putabatur (ſic loquitur Malmesburienſis[l]) caetera ſciebat, praeter fabulas poetarum et tortiles ſyllogiſmos dialecticorum, quae nec noſſet, nec noſſe dignaretur. Caeterum probe doctus poſſe ſermonem quamlibet elegantem extemporaliter facere; auditorum lachrymas, gaudia coeli, et poenas inferni proponendo, artifex movere; perſuadere dicendo quod vellet, dum quadraret vita doctrinae, nec aliter viveret quam vivendo doceret.” Conſecratus eſt octavo Septembris 1062 per Aldredum anteceſſorem, Stigando Cantuarienſi à muneris ſui executione ſuſpenſo[m]. Ne vero in alienam meſſem, falcem videretur Aldredus immittere; profeſſionem [Archiepiſcopo Stigando, coram Rege et optimatibus regni, et] Cantuarienſi ſedi debitam à conſecrando exegit; ipſeque etiam omni jure in dioeceſin Wigornienſem renunciavit, quanquam anteceſſorum nonnulli, ad ſuam provinciam eam pertinere, haudquaquam vero ad Cantuarienſem, aſſeruerint[n]. Veniamus nunc ad ejus adminiſtrationem, in qua duae res ſunt praecipuè, quas memoratu digniſſimas exiſtimavi. Eccleſiam ſuam Cathedralem ab Oſwaldo conſtructam, demolitus eſt; et aliam (eam nimirum ipſam quam hodie videmus) à fundamentis excitavit, opere tam ſplendidam, magnitudine tam amplam, ut inter pulcherrimas auguſtiſſimaſque totius Angliae hodie cenſeatur. “Cumque (audi pauliſper Malmesburienſem[o]) ad hoc incrementi proceſſiſſet, ut jam Monachi migrarent in illam; juſſum eſt veterem Eccleſiam quam B. Oſwaldus fecerat, detegi et ſubrui. Ad hoc ſpectaculum, ſtans ſub dio Wulſtanus, lachrimas tenere nequivit. Super quo, modeſte à familiaribus redargutus, qui gaudere potius deberet, quod ſe ſuperſtite tantus Eccleſiae honos acceſſiſſet, ut ampliatus Monachorum numerus, ampliora exigeret habitacula; reſpondit, Ego longe aliter intelligo, quod nos miſeri ſanctorum opera deſtruimus, ut nobis laudem comparemus. Non noverat illa foelicium virorum aetas pompaticas aedes conſtruere, ſed ſub qualicunque tecto ſeipſos Deo immolare, ſubjectoſque ad exemplum attrahere. Nos è contra nitimur, ut animarum negligentes curam, accumulemus lapides, &c.” Id quod ſecundo loco volui commemorare hoc eſt. Sub Gulielmo juniore Rege, Rogerus de Monte-Gomerico[p], Bernardus Newmarket, Rogerus Laceius, Radulphus Mortimerus aliique res novas molientes, Wigornienſem civitatem occupare nitebantur. Quam rem ut inaudivit Wulſtanus, civitatem contra eos diligentiſſime munivit, et privatim ſermone, publiceque pro concione, omnes hortatus ut fidem principi ſervarent: non ſolum cives in officio continuit; ſed cum ſeditioſi obſidionem parare viderentur; eruptione repentina facta, copias hoſtiles profligavit, magna de hoſtibus parta victoria[q]. Exceſſit è vivis prope nonagenarius, cùm febribus per ſemeſtre ſpacium decubuiſſet, decimo nono Januarii[r] 1095, quae dies memoriae ejus celebrationi poſtea ſacrata eſt. “Jacet (inquit Malmesburienſis[s]) inter duas pyramides, arcu lapideo pulchre ſupervoluto: Lignum in ſuperiori prominet, quod caſſes ferreos, quos vocant araneas, infixos habet.” Ubi ſit locus ab illo deſcriptus, ego ante viginti annos omnia diligenter circumſpiciens, reperire non potui. Hoc certe conſtat, non procul à loco tumulatum, ubi Rex Joannes in medio preſbyterii jacet humatus; cum moriturus ille, inter tumulos ſanctorum Oſwaldi et Wulſtani corpus ſuum ſepeliendum praeceperit. Quomodo incendio Eccleſia Wigornienſi deflagrante, ſepulchrum ejus à furore flammae immune repertum; et deceſſus ejus tempus, Roberto Herefordenſi Epiſcopo intima familiaritate ipſi conjunctiſſimo, per ſomnum fuerit nunciatum, necnon miracula ab eo vivente patrata quamplurima; apud Florentium Wigornienſem[t] et Gul. Malmesburienſem[u], illi fas erit legere, cui talia cordi extiterint. Mihi iſta ſatis, ſi non forte plus quam ſatis.

---

[q] LIVINIUS, *Malmeſb.*

[r] *Malmeſb. de Pont.* L. 2.

[s] Simul rexit Epiſcopatum Cornubienſem, Criditonenſem et Wigornienſem favore Regis Hardecanuti, quorum ultimo provectus eſt A. 1038.

[t] Hoc modo narrat *Hovedenus* f. 251. b. *Adhuc etiam, pro nece fratris ſui Elfredi, adverſus Godwinum Comitem, et Wigornienſem Epiſcopum Livingum, accuſantibus illos Alfrico Eboracenſi Archipraeſule, et quibuſdam aliis, exarcit ira magna* (Hardecanuti ſc.). *Idcirco Epiſcopatum Wigorn. Livingo abſtulit, et Alfrico dedit: ſed ſequenti anno, ablatum Alfrico, Livingo ſecum pacificato benigne reddidit.* Unde conſtat Alfricum calumniatoris officium in ſe ſuſcipiſſe ſpe mercedis, viz. Epiſcopatûs Wigornienſis hoc modo vacaturi, quod et ita accidit. Livingi poſteà innocentiâ patefactâ, Alfrico exauthorato, Sedi reſtituitur.

[u] *De geſt. Reg.* L. 2. c. 12.

[x] Obiit Martii 23. 1245, exeunte ſcil. ita *Sim. Dunelm. Flor. Wigorn.* et *Weſtmon.* Anno 1244. *Chron. Saxon.*

[y] *De Pontif.* L. 2. f. 145. b.

[z] *Dunelm. Bromt. Wigorn.* ALREDUS, *Malmeſb.* AELDREDUS, *Weſtmon.* Aldredus, Monachus primùm Wintonienſis, deinde Abbas Taveſtokenſis, ſucceſſit anno 1046. *Hoved.* f. 252. a. Anno 1056 Commenditarius conſtituitur Epiſc. Herefordenſis, et anno 1060 renunciavit poſt electionem ad Eboracum *Id.* 254. b. necnon Wigornienſem anno 1062, antequam Pallium à Romano Pontifice obtinere potuit. *ibid.* Anno 1058 poſt erectionem pulcherrimae apud Gloceſtriam Eccleſiae magnâ cum ſolemnitate iſtam conſecravit in honorem S^ti^ Petri. *Annal. Wigorn.* et *Hoved.* f. 255.

---

[a] *Bromt.* f. 952. [b] Abbatem Glavorniae, *Ingulf.* p. 67. Monachum Petroburgi. *Chron. Petrob.* Priorem Wigorn. *Chron. Mailr.* [c] Electus Aug. 29. 1062, conſecratus apud Eboracum ab Aldredo Sept. 8. *Hoved.* f. 255. b. [d] *Hoved.* f. 259. b. [e] *Id.* f. 260. [f] Long Itchinton, ita Dugdale in Antiqui. Warw. — Patre Eaſtano, *Hoved.* et *Dunelm.* Matre Wulgeova vel Wlfgeova. *Idem.* [g] *Flor. Wigorn.* [h] *Hoved.* f. 255. [i] *Id.* ibid. et *Dunelm.* [k] *Flor. Wigorn.* [l] *De geſt. Pont.* L. 4. f. 159. b.

---

[m] *Bromt.* f. 952. [n] *Id.* ib. et *Hoved.* f. 255. b. [o] *De geſt. Pont.* L. 4. f. 160. [p] *Malmeſb.* ibid. [q] *Sim. Dunelm.* et *Hoved.* f. 264. b. [r] Omnium in confeſſo eſt Wulſtanum deceſſiſſe A. 1095, excepto tantum *Capgravo* qui anno 1097 poſuit; de die verò oritur diſcordia, Jan. 18. deſignat *Hovedenus* f. 266. b. Jan. 20. *Pariſienſis.* p. 18. uterque verò nimis incautè. *Florentius Wigornienſis* p. 646. minutiſſimè annum et diem denotat, errore verò manifeſto quoad diem; dies enim 18 Januarii eo anno non in feriam ſextam incidit, vel ut ipſe vult *in nocte ſeptimi Sabbati*, ſed in feriam quintam; reponendus eſt igitur dies 19 ejuſdem Menſis, ad cujus Veſperam incipiebat Sabbatum, ſeu *dies ſeptimus Sabbati.*
[s] *De geſt. Pontif.* L. 4. f. 160. b.

XXVI. SAMSON.

*1096. Gul. 2. 9. WULSTANO ſucceſſit Samſon[x], Canonicus Baiocenſis, "non parvae literaturae vir (inquit Malmesburienſis[y]) nec contemnendae facundiae; antiquorum homo morum; ipſe liberaliter veſci, et aliis dapſiliter largiri. Innoxius ad monachos, niſi quod eis Weſtberiam abſtulit, ubi Wulſtanus monachos poſuerat, et privilegio ſanctitatis ſuae muniverat. Illud Samſon dirupit, nec multis poſt annis in eadem villa qua culpam commiſerat exceſſit." Sic Malmesburienſis. Huic frater fuit natu major, nomine Thomas, Eboracenſis his temporibus Archiepiſcopus; et filius eodem nomine qui patre adhuc ſuperſtite, patruo in eopem Archipraeſulatu ſucceſſit. De illis plura habebis inter Eboracenſes. Ad Samſonem vero quod attinet, conſecratus eſt[z] in Epiſcopum hujus Eccleſiae decimo quinto Junii 1097; obiit[a] vero Maii quinto 1112. Sepultus eſt in navi Eccleſiae ante imaginem Chriſti crucifixi. Civitas Wigornienſis, una cum arce et Eccleſia Cathedrali, paulo poſt mortem ejus (videlicet viceſimo Maii[b] 1113) fortuito igne conflagrarunt, in quo Monachus unus, tres Coenobii famuli, et quindecim cives perierunt[c].

XXVII. THEULPHUS[d].

1115. Hen. 1. 15. BAIOCENSIS pariter Canonicus, *et anteceſſori ſuo non abſimilis moribus* (teſte Malmesburienſi[e]) Theulphus, Henrici primi Regis Capellanus[f], Epiſcopus Wigornienſis ab eo deſignatur viceſimo octavo Decembris 1113, ſed conſecrationem[g] non accepit ante viceſimum ſeptimum Junii 1115[h]. Obiit in mannerio ſuo Hantonenſi 21 Octobris[i] 1123, et juxta anteceſſorem tumulatus eſt, ibi (ni fallor) ubi ad ingreſſum chori, in uno marmore duorum pontificum imagines videmus inſculptas.

---

[t] A. 1095. [u] *De geſt. Pont.* L. 4. f. 161. [x] Fuit de nobiliſſima Normannorum proſapia; Willelmi Regis Capellanus et Baiocenſis Eccleſiae Theſaurarius. *Richard. Hagulſtald.* p. 303. [y] *Malmeſb.* ib. [z] Presbyter factus eſt ab Anſelmo Jun. 14. 1096 apud Lametham, et craſtino conſecratus eſt in Eccleſia S. Pauli apud Londinum ab eodem, aſſiſtantibus Eboracenſi, Londinenſi, Norwicenſi et Roffenſi Epiſcopis. *Eadm. Hiſt. Nov.* p. 35. *Hoved.* f. 267. b. et *M. Paris.* p. 29. [a] Obiit apud Weſtburiam 5 die Maii 1112. *Sim. Dunelm.* et *Hoved.* [b] Jun. 19. 1113. *Hoved.* f. 271. a. [c] *Flor. Wigorn.* et *Hoved.* ib. [d] THEULFUS, *Weſtm. Wigorn.* THEOLFUS, *Hoved.* THIULFUS, *Malmeſb.* TEOULFUS, TEULFUS, TEODULFUS, *Sim. Dunelm.* TIULPHUS. TEULPHUS, *Chron. Petrob.* THEOBALDUS, *Eadmer.* [e] *De Pont.* L. 4. f. 161. [f] *Hoved.* f. 271. [g] Apud Windſor, ut teſtatur *Continuator Mar. Scoti* p. 370, ſuſcepit Epiſcopatum, ſed Cantuariae conſecratus eſt eo ipſo die quo Radulphus Archiepiſcopus pallium ſuſcepit. [h] *M. Weſtmon.* ſub anno. *M. Paris.* p. 55. [i] Ita *Flor. Wigornienſis Continuator* p. 669. Addit verò hoc contigiſſe die Sabbato; dies igitur obitûs incidit in 20 Octobr. ille enim erat dies Sabbati, non 21.

XXVIII. SIMON.

1125. Hen. 1. 25.

SIMON Capellanus ſimul ac Cancellarius Adeliciae Reginae (quae priore conjuge defuncta, Henrico Regi nupſerat) conſecratus [k] fertur viceſimo tertio Maii 1125; quem dicit Malmesburienſis [l] ipſi contemporaneus, *affabilitate et morum dulcedine munificentiaque* (*quoad res Epiſcopatus anguſtae pati poſſent*) *inſignem habitum* [m].

XXIX. ALUREDUS [n].

[1158.] Hen. 2. 4.

POST Simonem, Malmesburienſis [o] illorum temporum ſcriptor, Aluredum [p] collocat. Neque tamen deſunt qui Joannem Pagham illi praeponant. Et Florentius Wigornienſis, inter Epiſcopos illius Eccleſiae, cujus ipſe hac [q] tempeſtate monachus fuiſſe videtur, omnino non enumerat.

XXX. JOANNES PAGHAM.

[1150.] Steph. 16.

JOANNES PAGHAM [r], Coenobio Oſneienſi prope Oxoniam contulit Biberiam, et ſuae ſedi mannerium de Elm Epiſcopi [s].

XXXI. ROGERUS.

[1164.] Hen. 2. 10.

ROGERUS, [filius Roberti Comitis [t] Gloceſtrienſis (qui filius fuit naturalis Henrici primi Regis, ſed ex concubina genitus)] Turonae obiit in Gallia nono Auguſti 1179 [u], ibique tumulatus eſt *.

---

[k] Presbyter ordinatus eſt eo die, et craſtino conſecratus.—Electus 8 Id. Maii, poſtea presbyter ordinatus, et in craſtino conſecratus. *MS. Gale.* Una cum Joanne Roffen. Epiſcopo, *Flor. Wig.* ad annum; dies dominica erat 24. Ita etiam corrigendus eſt, cùm dicit Epiſcopum Eccleſiam Wigornienſem intraviſſe die Aſcenſionis Dominicae 8 Maii; Dies Dominicae iſtius Menſis fuere 3. 10. 17. 24. Aſcenſionis igitur dies non in octavum ſed in ſeptimum Maii incidit.

[l] *De Pont.* L. 4. f. 161.

[m] Obiit A. 1150. *Chron. T. Wikes.* 1149, 20 Martii (exeun. ſci.) ex fide *Annalium Meneven* apud Angl. Sacr. Vol. 1. p. 475.

[n] Joanni proximè collocari debet Aluredus, quamvis Malmeſburienſis et Godwinus ordinem invertunt; quod clariſſime conſtat, praeter Hiſtoricorum teſtimoniis, ex autographa Profeſſione Joannis adhuc in Archivis Eccleſiae Cantuarienſis aſſervata; ſi *Cl. Whartono* fides ſit adhibenda. Nec non è Regiſtr. antiquis Eccleſiae Wigornienſis, teſte *Thomâ* p. 112. Nihilominus ordinem praeſcriptum conſequamur.

[o] *De geſt. Pont.* L. 4. f. 161. a.

[p] Henr. Regis Capellanus. *Malmeſb.* ib. Inthronizatus eſt Apr. 13. 1158. *Annal. Menev.* et *Theokeſbir.* et obiit A. 1160. *Annal. Winton.* non ante 1162. *Annal. Wigorn.*

[q] Continuator potius, deceſſit enim Florentius Wigornienſis Nonis Julii 1118.

[r] Walteri Archiepiſcopi Rothomagenſis Nepos, *MS. Wood.* Conſecratus eſt Cantuariae à Theobaldo (cui erat à Sacris) Mar. 4. 1150 et obiit apud Romam A. 1158. (annon potius 1157, anno exeunte) *Angl. Sacr.* V. 1. p. 475.

[s] *Thomas* in obſervationibus de Epiſcopis Wigorn. p. 111. ſuſpicatur hoc non fuiſſe Elm-Epiſcopi ſed Clive Epiſcopi, deceptus ex ſimilitudine literarum in antiquis characteribus.

[t] Electus eſt (adhuc Juvenis) in Epiſcopum A. 1163. Conſecratus verò à Thoma Cantuarienſi 1164. Aug. 23. *Diceto* dicit Aug. 26. 1163, dies vero non fuit Dominica,

[u] *Diceto Imagin. Hiſtor.*

* *Hoved.* f. 338.

XXXII. BALDWINUS.

*1180. Hen. 2. 26. BALDWINUS Abbas Fordenſis conſecratus 1181[x]. Cantuariam tranſlatus eſt 1184.

XXXIII. GULIELMUS DE NORTHALE.

*1186. Hen. 2. 32. GULIELMUS DE NORTHALE[y] conſecratus viceſimo primo Septembris 1189. Obiit anno 1190[z].

XXXIV. ROBERTUS.

1191. Ric. 1. 2. ROBERTUS Canonicus Lincolnienſis et Nottinghamiae Archidiaconus, Gulielmi Fitz-ralph Normanniae Seneſchalli filius [unicus,] Wigornienſis Epiſcopus creatus eſt anno 1191[a], et anno ſequenti mortem cum vita commutavit[b].

XXXV. HENRICUS.

[1193.] Ric. 1. 5. HUIC ſedi tum praeponitur Henricus[c], Abbas Glaſtonienſis, ut in Savaricum Bathonenſem et Wellenſem Epiſcopum Abbatia poſſet conferri[d]. Qua de re plura inter Bathonenſes. Obiit hic Henricus anno 1195.

XXXVI. JOANNES DE CONSTANTIIS.

1196. Ric. 1. 8. JOANNES DE CONSTANTIIS Decanus Rothomagenſis[e] Stratfordiae conſecratus eſt viceſimo Octobris 1196[f]. Mortem is oppetiit anno 1198[g].

---

[x] Conſecratus Aug. 10. 1180. *Gervaſ. Vit. Archiepiſc.* et *Annal. Wigorn.* [y] Archidiaconus Gloceſtriae, electus eſt à Capitulo apud Weſtmonaſterium Sept. 21. 1186, et eodem die conſecratus à Baldwino. *Dicet. Ymagin.* p. 631. *Weſtmon.* et *Hoved.* f. 360. necnon *Chron. T. Wikes.* [z] Maii 3. *Annal. Wigorn.* [a] Conſecratus eſt Cantuariae Maii 5. 1191 à Papae Legato, aſſiſtentibus ſex aliis Epiſcopis. *Diceto.* ita etiam Nota ad finem *Mariani Scoti* MS. in Bibl. C. C. C. Ox. *MS. Wood.* [b] Jul. 14. 1193. *MS. id.* [c] Henricus de Soliaco primo Burmundeſiae Prior, dein Abbas Glaſton. ſtirpe Regia progenitus, *Malmeſb. de Antiqu. Glaſton.* Conſecratus eſt Dec. 12. 1193. *MS. Wood* ut ſupr. Obiit A. 1195. Oct. 24. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 478. [d] *Hoved.* f. 415. b. [e] Huic Epiſcopo Petrus Bleſenſis dicavit opus ſuum quod Canon Epiſcopalis inſcribitur; è quo conſtat fuiſſe ei avunculum Archiepiſcopum Rothomagenſem; et è *Chronico Joan. Bromton.* p. 1231. *Hoved.* f. 432. [f] In Abbatia Hammenſi prope London. ab Huberto Cantuar. Archiepiſcopo. *Dicet. Ymag.* p. 693. [g] *Hoved.* f. 448. b. *Weſtmonaſt.* Menſe Septembr. *Gervaſ. Chron.* die 24 aut 25 *Angl. Sacr.* V. 1. p. 478, et ſepultus in Eccleſia ſua.

XXXVII. MAUGERUS.

MAUGERUS Eboracenſis[h] Decanus, et Richardi primi Regis Capellanus, conſecratus eſt anno 1200. 1200. Hic unus ex illis fuit, qui Joan. 2. excommunicationis ſententiam, contra Joannem Regem latam à Pontifice, promulgarunt, et univerſum regnum interdicto ſuppoſuerunt, anno 1208[i]. Quam ob cauſam iracundiam Regiam non ſine cauſa metuens, in Galliam profugit una cum reliquis, et poſt quatuor annorum exilium, Pontiniaci deceſſit, anno antequam caeteri revocarentur, videlicet anno 1212[k].

XXXVIII. WALTERUS GRAY.

EPISCOPUS Lichfeldenſis Walterus Grayus, huc tranſlatus eſt anno 1214. 1214[l]; atque hinc Eboracum 1216. Joan. 16.

XXXIX. SILVESTER.

MONACHUS primum, ac deinde Prior Wigornienſis, Silveſter ſucceſſit[m], [1216.] qui B. Wulſtani corpus in feretrum tranſtulit praetioſum[n]: Joan. 18. Et Eccleſia jam reſtaurata, poſtquam ſub Samſone incendio fuiſſet deformata, magna cum ſolennitate conſecravit eam[o], atque honori dedicavit B. Virginis, ac ſanctorum Patrum, Oſwaldi, et Dunſtani. Anno haec 1218, quo etiam anno is mortem oppetiit[p].

XL. GULIELMUS DE BLEYS.

GULIELMUS BLESENSIS, Archidiaconus Buckingamiae[q], conſe- 1218. cratus eſt ſeptimo Octobris 1218. Monachis ſuis dedit Wikam cum Hen. 3. 2. appendicibus, et rectoriam de Sodburia. Obiit anno 1236[r].

---

[h] Non Eboracenſis ſed Ebroicenſis, Medicus Regis, deſignatus eſt ad Epiſcopatum A. 1198. *Hoved.* f. 449, ſed non legitimo matrimonio natus, conſecratio ejus differtur; tandem à Domino Papâ conſecratus eſt tertio die Sanctae Trinitatis A. 1199. *Dicet. Ymagin.* p. 706. At in quadam Charta Joan. Regis dat. Aug. 24. anno Regni primo, ſic ſcriptum legi; *Teſte Maugero Wigorn. electo.* Probabilius eſt igitur eum Conſecrationis ritum non accepiſſe ante annum 1200: hoc etiam confirmat *Florilegi* Sententia. p. 263.

[i] *Weſtmonaſt.*

[k] Vacat Epiſcopatus 20 Jun. *Pat.* 14 *Joh.*

[l] Rex prebuit aſſenſum A. Regni 15 ante Apr. 6. 1214. *Pat.* m. 5. n. 16. Temporalia reſtituta 7 Jul. anno R. 16. *Clauſ.* 16 Joh. m. 23. Epiſcopatui Lichfeld. nondum conſecratus huc tranſlatus eſt, et apud Cantuariam conſecratus Oct. 5. 1214 *Annal. Wigorn.* Conſtitutus eſt Cancellarius 7° *Joan. Chart. Antiq.* 33. n. 22. et *Chart.* 8. Joan. m. 1. poſtea factus Epiſcopus Wigorn. *Pat.* 15 Joan. m. 1. Cancellario Regis tunc exiſtente, et anno ſequenti Eboracum migravit.

[m] Electus Apr. 3. et conſecratus à Papa Innocentio Jul. 3. 1216. Peruſii. *Annal. Wigorn.*

[n] Jun. 7. 1218. *Weſtmon.*

[o] *Chron. Petrob.*

[p] Obiit apud Rameſiam Jul. 16. et ſepult. Wigorniae Jul. 20. 1218. *Ann Wig.* et *Chron. Petrob.*

[q] A Guala Legato nominatus eſt, Monachis reclamantibus. *Annal. Wigorn.* Duos celebravit Synodos annis 1219 et 1229. Conſtitutiones extant in *Conc. Angl.* T. 1. p. 570, 623.

[r] Obiit Aug. 18. 1236. *Annal. Wig.*

XLI. WALTERUS DE CANTILUPO[s].

1237. HEN. 3. 21. SUCCESSIT anno 1237[t] Walterus de Cantilupo, Gulielmi Baronis de Cantilupo filius; vir animis haud minor quam natalibus[u]. Quando Legatus Pontificius Otto Cardinalis in Angliam veniſſet, mille technis inſtructus quibus pecuniam corraderet: Synodo convocata, contra multos qui Eccleſiaſtica beneficia haud bono jure tenerent minabunde invectus eſt, alios dicens ſpurios, et ex illegitimo coitu progenitos, ideoque Eccleſiaſticorum promotionum non capaces; alios vero quamplurimos, neſcio quot Sacerdotia contra canones poſſidere, cùm uno contenti eſſe deberent. Sperabant nimirum, aliis amotis, datam iri occaſionem amicos ſuos locupletandi; caeteros vero ad diſpenſationes comparandas adigendos, atque inde magnam pecuniae ſummam conficiendam. Sed cum ex iſto hominum genere non pauci exiſterent genere nobiliſſimi; vim ſibi inferendam aut metuebat, aut metuere videri volebat. Quem metum ut intenderet adhuc Cantilupus, exurgens, mitra depoſita, ſic dicitur peroraſſe: "Qui "haec beneficia (pater ſancte) tenent, nobiles ſunt, aut aetate provecta, "aut juvenili. Senes honorificè ſemper hucuſque vixerunt; hos jam ad "paupertatem detrudi ignominioſiſſimum eſſet. Adoleſcentes autem "ſtrenui ſunt atque feroces, qui armis dimicare, potius quam beneficiis "cedere, malint. Ego ipſe in hac fui ſemper ſententia, ut in diſcrimen "omnium meorum beneficiorum venire maluerim, quam hujuſmodi "veſtrae conſtitutionis praetextu vel unum deponere. Proinde rogamus, "ut non tibi minus in hoc negotio proſpicias, quam nobis, qui contra "tam generoſam multitudinem nos opponere in hac cauſa non poſſumus, "non audemus. Sed eo jam omiſſo; pro tua, noſtraque incolumitate "Papam, cum Romam redieris, cautè prudenterque conſulas. Legatus "hoc reſponſo deterritus, ab incoepto deſtitit." Sic author Antiquitatum Britannicarum[x]. Annis deinde poſtea fere viginti, videlicet 1255, cum Ruſtandus quidem, alius adhuc Pontificius Legatus, magnam pecuniam à Clero in ſynodo flagitaret, et Regi partem lucri pactus, in ſuam ſententiam non eum duntaxat pertraxerat, ſed plurimos etiam è Clero, partim minis perterritos, partim pollicitationibus permulſos, ut rem jamjam conficiendam Ruſtandus confideret: caeteris aut praemiorum ſpe corruptis, aut metu defixis, animoſus hic Praeſul, in avaritiam Romanorum inexhauſtam plurimis invectus, orationem tandem ita concluſit, ut diceret, ſuſpendio ſe malle in patibulo perire, quam Eccleſiae Anglicanae tam ſceleratam depraedationem ſuo calculo approbare. Ex illius conſtantia fiduciam tum ſumentibus aliis; impudentiſſimi hominis iniquiſſimis poſtulatis, quale meruerunt reſponſum eſt redditum. Ut de legatione ejus in Galliam, anno 1257 ſuſcepta nihil dicam; Inter Reges et ſeditioſos Barones, quò pacem conciliaret, multum operae impendit anno 1264[y], cumque conditiones oblatas, ſatis (ut putabat) aequas, Rex fuiſſet aſpernatus: optimatum parti tum poſtea ſe addixit, idque tam ſtudioſe, ut ſuis, acie cum Regiis conflicturis, coeleſtia gaudia ſpoponderit, ſi in tam bona cauſa mortem oppetere contingeret. Hoc tandem non inique Pontificius Legatus, quod tantam in Principem perfidiam excommunicatione ultus eſt [z]. Obiit Cantilupus quinto Februarii 1267. Moriturum ferunt poenituiſſe multum errore infoeliciſſimo obſervantiam Principi debitam violaſſet, abſolutionemque eam ob cauſam in extremis petiiſſe ac impetraſſe [a].

---

[s] Gentile nomen è Galliis eſt CANTLOWE; LOWE autem Gallis Lupum ſignificat, atque inde Cantilupum. *Caius de Antiqu. Cant. Acad.* L. 1. p. 28. [t] Elect. Aug. 30. Confirm. Sept. 20. 1236. Ordinatus eſt Viterbii à Papa Diaconus Apr. 4. Presbyter Apr. 18. et ab eodem conſecratur Maii 3. 1237. *Annal. Wigorn.* [u] Anno 1247 Epiſcopus Wigorniae Crucem aſſumpſit profectionis ergo in Terram Sanctam. *M. Weſtmon.* [x] P. 254. *Edit. Lond.* 1729. [y] 1263. *Weſtmon.*

XLII. NICOLAUS DE ELY.

NICOLAUS, Elienſis Archidiaconus, et Angliae Cancellarius [b], ſub * 1266.
initium anni 1268 conſecratus eſt [c], et Wintoniam tranſlatus ante HEN. 3. 50.
exitum ejuſdem anni.

XLIII. GODEFRIDUS GIFFARD.

TRANSLATO Nicolao, ſucceſſit Godefridus Giffardus Archidiaconus * 1268.
Wellenſis, et Angliae Cancellarius [d], Regi ſanguine propinquus. HEN. 3. 52.
Orientalem partem Eccleſiae ſuae columellis marmoreis hic ornavit, quas annulis aereis deauratis, muris et columnis majoribus affixit. Obiit [e] anno 1302, cum hic loci ſediſſet annos 34, menſes quatuor et dies itidem quatuor [f].

XLIV. GULIELMUS DE GEYNSBOROUGH.

POST Giffardi mortem, Monachum quendam Wigornienſem comperi 1302.
in Epiſcopum electum, cui nomen Joannis de S. Gernia [g], electio- EDW. 1. 31.
nemque de illo factam Regio aſſenſu confirmatam, atque temporalia illi reſtituta octavo Aprilis Edwardi primi anno triceſimo. Sed quia de conſecratione non conſtat, inter Epiſcopos hujus ſedis non duxi eum numerandum. De Gulielmo de Geynsborough [h] non ambigitur, qui Oxoniae viceſimus quintus ex Franciſcanorum ſodalitio praelector, Romam pro-

---

[z] Sic in authore. [a] In articulo mortis poſitus, ſe dicebat erräſſe fovendo partem Simonis de Monteforti; et ſuper hoc literas ad Legatum direxit, petens beneficium abſolutionis; quod obtinuit, et deceſſit. *Weſtmonaſt.* ad annum 1265. p. 396. Ob. in Mannerio ſuo de Blockelewe Feb. 12. 1265. *Annal. Wigorn.* Feb. 5 1267. *M. Par.* et ſepultus eſt in Eccleſia ſua juxta magnum altare. [b] A. 1260 Sigilli cuſtodiam accepit, dimiſit A. 1261, iterumque accepit A. 1263. (18 Dec. *Pat.* 47 H. 3. m. 1.) *Dugd. Catal. Cancellar.* p. 12. [c] Conſecratus eſt Sept. 19. 1266, una cum Rogero Norwicenſi Epiſcopo. *Annal. Wigorn.* Ad Eccleſiam Wintonienſem migravit Feb. 24. 1267. anno ſc. exeunte. [d] Cancellarius 1267. *Dugdale* ibid. *Clauſ.* 50 H. 3. m. 7 et 10, et Sigillum Regi reddidit Oct. 28. 1269. Fuit frater Walteri Eborac. Archiepiſcopi, et Archidiaconus Ebor. Electus eſt ante Oct. 19 1268. Anno enim 52 H. 3. *Pat.* m. 34 vocatur Wigorniae electus. Inthronizatus Dec. 25. 1268. *Chron. T. Wikes.* Electus ante Jun. 8. 1268, eo enim die conceſſa eſt licentia Caſtellam de Hartlebury aedificare. *Thomas* in Epiſc. Wigorn. è *Lib. Alb. Epiſc. Wig.* p. 135. inter Maii 14 et Jun. 8. Id. p 136. ex Archivis. Iſte Godefridus deſignatus erat Commiſſarius, una cum Rogero de Mortuo Mari, ab Hen. 3. Anno Regni 56, ad inquirendum de injuriis à Burgenſibus Scholaribus Oxon. illatis. *MS. Barlow.* [e] Obiit Jan. 26. 1301, et ſepult. Feb. 4 in Eccleſia ſua. *Annal. Wigorn.* [f] 14. *Ann. Wigorn.* [g] Germano. [h] Poſt reſignationem J. de S. Germano in Curia Romana, Papa, ex plenitudine poteſtatis, ad Epiſcopatum Wigorn. praefecit Gulielmum de Geyneſburgh ordinis Minorum, Theologum non indoctum, Oct. 24. 1302, eundemque conſecravit Nov. 25. *Annal. Wigor.* Reſtitutionem habet temporalium Feb 4, ſed non ſine renunciatione Papalis Poteſtatis in Temporalibus. *Pat.* 31 E. 1. m. 39. Spiritualia etiam liberata ſunt Feb. 7. *Regiſtr. Winchelſ.*

ſectus, ibidem ſacri palatii lector conſtitutus eſt, famamque ſibi magnam ex ingenio, literis, et acumine ſophiſtico comparavit. Edwardi Regis, una cum Hugone Manceſtrio Dominicano, legatus olim fuit ad Philippum Francorum Regem. Et quia hanc in concionibus[i] ac congreſſibus ſcholaſticis doctrinam tuebatur, Papam non poſſe errare, neque à quoquam eſſe judicandum, licet mille Chriſtianorum animas ad infernum detruſerit, factus eſt à Bonifacio octavo Wigornienſis Epiſcopus, et temporalibus reſtitutus quarto Februarii Edwardi primi triceſimo primo, hoc eſt anno Chriſti Domini 1302[k].

XLV. WALTERUS RAYNALD.

1308. EDW. 2. 2. EDWARDUS ſecundus, ut primum regnum adeptus eſt, Epiſcopatum Wigornienſem anno 1308 Waltero Raynaldo contulit[l], qui pueritiae ejus fuerat informator, et Angliae primum Theſaurarius, deinde Cancellarius. Pontifice autem invito hoc factum eſt, qui quendam Petrum Foxum Sabaudum hujus Eccleſiae Epiſcopum renunciarat. Praefuit hic loci Raynaldus annos quinque, et Cantuariam tum tranſlatus eſt.

XLVI. WALTERUS MAYDENSTON.

1313. EDW. 2. 7. SUCCESSIT illi Walterus quidam Maydenſton[m], de quo nihil praeterea traditum reperi.

XLVII. THOMAS COBHAM.

1317. EDW. 2. 10. THOMAS COBHAM, (Baleo, ſed perperam ut credo, Chabham) S. Theologiae Doctor Oxonienſis[n], Canonicus et Subdecanus Sariſburienſis, in Archiepiſcopum à Monachis Cantuarienſibus legitime electus eſt anno 1313. Qua de re lite aliquandiu agitata inter ipſum et Walterum Raynaldum, cujus cauſam pro virili Rex promovebat; Wigornienſem ſedem oblatam accepit Cobhamus 31 Martii 1317, et Archiepiſcopatui renunciavit[o]. Vir fuit egregie doctus, et vitae ſanctimonia tam clarus, ut vix alio nomine vulgo innoteſceret quam Boni Clerici[p]. Sepultum accepi ab Aquilonari parte navis Eccleſiae ſuae, cujus unum latus, id ipſum nimirum ubi jacet tumulatus, laqueari fornicato contexit. Ex inſignibus Cobhamorum, quanquam fugientibus coloribus, nuper tamen viſendis, in tumulo quodam non ineleganti ab Auſtrali parte capellae ſiti loco praedicto, non alibi eum conditum facile conjicio. Exceſſit è vivis [q] circa viceſimum Auguſti 1327. Hic (ut habetur in Archivis Collegii Orielenſis) bibliothecam fecit, ubi jam eſt domus Congregationis Oxon.

---

[i] *Baleus de Scriptor*. Cent. 4. p. 369.

[k] Obiit in itinere verſus Romam apud Belvacum in Gallia Sept. 17. 1307. *Regiſtr. Winton*. et *Rot. Rom*. 1 E. 2. m. 10. et *Rym*. T. 3. p. 27.

[l] Fuit ille Piſtoris Windeſorienſis filius, Canonicus Paulinus et Angliae Theſaurarius, (22 Aug. 1308. 1 *Pat*. 1 E. 2. p. 1. m. 21.) Bulla Papali ad hanc Eccleſiam promotus eſt, etſi à Monachis prius electus; Reſtitutionem habet Temporalium Apr. 5. 2 *Pat*. 1 E. 2, et ab Archiepiſcopo conſecratus Oct. 13. 1308. Anno 1313 Cantuariam tranſlatus eſt, Bulla data (non 24 Sept. ut habet Whartonus ſed) Octobris primo. *Rym*. T. 3. p. 439. Cancellarius renunciatus eſt Jul. 6. 1311. *Clauſ*. 4 E. 2. m. 26. *in dorſo*.

[m] Proviſione Papali ſucceſſit Oct. 1. 1313.——Temporalia reſtituta 17 Feb. 2 *Pat*. 7 E. 2. *Thomas* in vitis Epiſcoporum Wigorn. è Regiſtris hujus Epiſcopi, eum et ſanctitate et paſtorali curâ laudabilem fuiſſe pronunciat, etſi Murimuthenſis hominem depingit tanquam inhoneſtae vitae et converſationis. Obiit in partibus tranſmarinis; et innotuit mors ejus Capitulo Wigorn. Apr. 7 1317. Eo defuncto Licentia Regis ad eligendum dat. 19 Apr. 2 *Pat*. 10 E. 2.

[n] Cantabrigienſis certiſſime; Cancellarii nomine memoratur in Miſſa Benefactorum.

[o] Archiepiſcopatum amiſit anno 1313 promotione Walteri, et hunc equidem indignatione rejecit; poſtea verò accepit iterum à Papa collatum anno 1317: cui conſecratus eſt apud Avinionem Maii 22. Reſtitutionem habet temporalium 20 Nov. 1 *Pat*. 11 E. 2.

[p] *Walſingh*. in A. 1313.

XLVIII. ADAMUS DE ORLTON.

ADAMUS DE ORLTON[r], legum Doctor, in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus viceſimo ſexto Septembris 1317. Wigorniam primum tranſlatus eſt menſe Novembri 1327, et poſtea primo Decembris 1333 Wintoniam. 1327. Edw. 3. [illegible]

XLIX. SIMON MONTACUTUS.

SIMON MONTACUTUS[s] (vulgo Mountagu) conſecratus 1333, à Papa ad Elienſem Eccleſiam tranſlatus eſt 1336[t]. 1333. Edw. 3. 8.

L. THOMAS HENNIHALL[u].

THOMAS HENNIHALL[x] conſecratus eſt anno 1337[y]. 1337. Edw. 3. 11.

LI. WULSTANUS DE BRAUNDSFORD.

WULSTANUS DE BRAUNDSFORD Wigornienſis Prior, conſecratus eſt 1338[z]. In aedibus Prioris Aulam pulchram conſtruxit, et Twedam fluvium ponte conjunxit Braundsfordae, (ubi natus videtur, atque inde nomen accepiſſe) duobus paſſuum millibus ſupra Powikam. Exceſſit è vivis viceſimo octavo Auguſti[a] 1349. 1338. Edw. 3. 13.

---

[q] Obiit apud Hartelbury (*Rymer* T. 4. p. 331.) Aug. 27. 1327. *Angl. Sac.* P. 1. p. 533.

[r] Poſt obitum Thomae Canonici eligerunt Wulſtanum Priorem Wigorniae, cui Rex aſſenſum praebuit. *Rym.* Tom. 4. p. 308; et Temporalia reſtituit, *Ib.* p. 330. Papa verò reſervationis jure Epiſcopatum contulit in Adamum Herefordenſem, Bulla data 25 Sept. 1327. Rege verò renuente et multum in Wulſtani favorem ſudante. Vid. *Rym.* T. 4. p. 308, 309, 314, 330, 331.

[s] Amiſſo Wintonienſi Epiſcopatu huic praeficitur jubente Papa. ——— Confirmatus Mar. 22. 1333. *Regiſtr. Burwaſh.* Conſecratus apud Thame 8 Id. Maii 1334, *MS. Warren.*

[t] Bulla data Mar. 14. 1336. *Rym.* T. 4. p. 733.

[u] HEMENHALE et EMENHALE. *Thomas* è Regiſtr. Eccleſiae.

[x] Monachus Norvicenſis huic praeficitur Bullâ datâ Mar. 14. 1336. *Rym.* T. 4. p. 733. Temporalia reſtituta 25 Jul. 1 *Pat.* 11 E. 3. Ne Bullae Papales aliquid in prejudicium Coronae vel poteſtatis Regiae in ſe continere videantur; aut Epiſcopi iiſdem Bullis ad Sedes Epiſcopales provecti ſeſe à fidelitate et homagio debitis, ob Temporalia ſeu Baronias Sedibus ſuis annexas, liberatos exiſtiment; non incongruum erit formulam renunciationis adjungere hoc tempore ab Epiſcopis exactae. Bullarum verba haec ſunt; "Eundemque "Thomam Eccleſiae Wigornienſi praefecimus in Epiſcopum et Paſtorem, curam et adminiſtrationem illius ſibi tam ſpi"ritualibus, quam in TEMPORALIBUS, plenariè committendo." Sic verò in Schedula eidem Bullae annexa ſcriptum legimus. "In Dei Nomine Amen. Per praeſens inſtrumentum publicum cunctis manifeſtum exiſtat, quod A. D. 1337: "Indictione 5: Pontificatûs Benedicti Papae duodecimi 3: die 25 menſis Julii: Venerabilis Pater Thomas Wygorni"enſis Epiſcopus, coram excellentiſſimo Principe Dno Edwardo Rege Angliae ——— omnibus verbis, praejudicialibus "dicto Regi, in Bulla Domini Papae praedicti contentis, quoad reſtitutionem Temporalium dicti Epiſcopatûs, ſibi faci"endam per ipſum Regem renunciavit expreſſe. Et ipſa Temporalia de Gratia Regis praedicti, et non alio Jure, ſibi "competentia, duntaxat admiſit. Praeſentibus Johanne Cantuarienſi Archiepiſcopo &c." *Rym.* T. 4. p. 733, 790.

[y] Obiit in Caſtro ſuo de Hartlebury Dec. 21. 1338, et ſepult. in Eccleſia ſua Dec 27. *Thomas* è Regiſtr. Sed. Vac. f. 145.—Peſte ſublatus *Maria. Scotus.*

[z] Apud Cantuariam Mar. 20. 1338, à Roberto Ciceſt. Epiſcopo, Archiepiſcopi, tunc in remotis agentis, Vicario. *Thomas* p. 176.

[a] Aug. 6. 1349 apud Hartlebury. *Id.* p. 178.

LII. JOANNES THURSBY.

1349. Edw.3.23. JOANNES THORESBEIUS[b] Epiſcopus Menevenſis huc tranſlatus eſt anno 1349, et hinc Eboracum Octobri menſe 1352.

LIII. REGINALDUS BRIAN.

1352. Edw.3.26. REGINALDUS BRIAN ad Eccleſiam Menevenſem conſecratus anno 1349, huc dein transfertur 1352[c]. Anno vero 1361 Elienſis Epiſcopus à Papa renunciatus, interiit peſte, ante perfectam tranſlationem, apud [d]Alnchurch decimo Decembris 1361. Humatus jacet in eadem capella qua Cobhamus, id quod ſatis confirmant Brianorum inſignia, tumulo ſpecioſo inſculpta, in Aquilonari parte capellae quam diximus ab Aquilonari latere navis Eccleſiae ſitam.

LIV. JOANNES BARNET.

1362. Edw.3.36. SUCCESSIT illi, non David neſcio quis (quod à nonnullis traditur) ſed Joannes Barnetus[e] Angliae Theſaurarius[f], et Archidiaconus Londinenſis. Papali bulla Epiſcopus renunciatus eſt Wigornienſis Eccleſiae, tanquam vacantis per mortem Reginaldi Briani, Januarii decimo 1361. Conſecratus deinde 1362, et Bathoniam tranſlatus 1363, ac in Elienſi tandem Eccleſia conſedit.

LV. GULIELMUS WITTLESEY.

1363. Edw.3.38. GULIELMUS WITTLESEYUS, Simonis Iſlepi Cantuarienſis Archiepiſcopi ex ſorore nepos, Epiſcopus fuit primum Roffenſis, deinde Wigornienſis (tranſlatus huc anno 1363[g]) ac tandem Cantuarienſis 1368 Archiepiſcopus.

---

[b] Monachi elegerunt Joannem de Eveſham Priorem ſuum; caſſata vero electione Papa è plenitudine poteſtatis huc tranſtulit Epiſcopum Menevenſem, Bullâ datâ Nov. 4. 1340. *Regiſtr. Iſlip.* f. 7. Habet reſtitutionem Temporalium 10 Jan. 3 *Pat.* 23 E. 3. m. 4.

[c] Bullâ datâ Oct. 22. 1352. *Thomas.* p. 181. Temporal. reſtituta 31 Mar. 1353. 1 *Pat.* 27 E. 3. m. 17.

[d] Alvechirche.

[e] Reginaldo defuncto, Licentiam eligendi Rex conceſſit Capitulo 14 Dec. 3 *Pat.* 35 E. 3. m. 3. Papa nihilominus Joannem Barnet praefecit, Jan. 10. 1361. *Regiſtr. Iſlip.* f. 240. cui Temporalia reſtituta ſunt 19 Mar. 1 *Pat.* 36 E. 3. m. 22.

[f] Theſaurarius conſtitutus *Pat.* 37 E. 3. p. 1. m. 29.

[g] Mar. 6. 1363. *Birchin.* Cuſtos fuit Collegii ſive Domûs S. Petri Cantab. nec non ejuſdem Biblioth. Benefactor. Cantuariam tranſlatus Oct. 11. 1368. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 2. b.

LVI. GULIELMUS DE LYNNA.

GULIELMUS DE LYNNA in Epiſcopum Ciceſtrenſem conſecratus 1368. Edw.3.42.
anno 1362, huc transfertur[h] 1368. Anno vero 1373 dum equum conſcenderet ad Parliamentum profecturus, Apoplexia correptus, paulo poſt interiit[i], videlicet decimo octavo Novembris.

LVII. HENRICUS WAKEFEILD[k].

HENRICUS WAKEFEILD Epiſcopus hujus Eccleſiae creatus eſt 1375. Edw.3.49.
anno 1375[l], et anno inſequente Angliae Theſaurarius[m]. Hic navem Eccleſiae ſuae praedictae produxit, duabus fornicibus ab Occidentali parte ejuſdem adjectis. Porticum etiam addidit perpulchram à Septentrione. Deceſſit undecimo Martii[n] 1394, conſecrationis ſuae viceſimo, et marmore ingenti contectus, jacet in Occidentali parte navis Eccleſiae à ſe ſic, uti diximus, amplificatae.

LVIII. TIDEMANNUS DE WINCHCOMB.

AUTHOR eſt Baleus[o], Doctorem quendam Theologum nomine 1395. Ric.2.19.
Gulielmum Badby, Joanni Gandavenſi Duci Lancaſtrenſi à confeſſionibus, Wigornienſem Epiſcopum extitiſſe circa annum Domini 1380. Caeterum vel non fuit, vel tam exiguo fuit tempore, ut mentione dignum non exiſtimem. Haud dubie conſtat, Tidemannum de Winchcomb, Monachum Ciſtercienſem, Medicum Regium, Rege id enixiùs petente, huic ſedi à Pontifice ingeſtum anno 1395; quanquam Monachi legitima electione Epiſcopum renunciaſſent quendam Joannem Greene[p]. Hunc Walſingamus[q] (ſed perperam) Robertum Tidemannum appellat. Videatur porro (quod tacendum non duxi) hunc Eccleſiae Landavenſi aliquanto tempore praefuiſſe, antequam hic loci conſideret[s].

LIX. RICHARDUS CLIFFORD.

RICHARDUS CLIFFORD Archidiaconus Cantuarienſis[t] conſecratus 1401. Hen.4.3.
eſt nono Octobris 1401, et Londinum tranſlatus 1407.

---

[h] A Papa Bullâ datâ Oct. 11. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 132, cui R. reſtituit Temporalia 4 Jun. 1369. 1 *Pat.* 43 E. 3. m. 7.

[i] Wigorniae Nov. 18. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 139.

[k] Gulielmo defuncto, Monachi, permiſſione Regis, eligerunt Walterum de Legh Priorem ſuum Dec. 7. 1373, cui Rex aſſenſum praebuit 24 Dec. 2 *Pat.* 47 E. 3. m. 4. renuit verò Papa, qui praefecit ad hunc Epiſcopatum Henricum Archidiaconum Cantuariae. 12 Sept. 1375. *Regiſtr. Sudbury.*

[l] Temporalia reſtituta 14 Oct. 2 *Pat.* 49 E. 3. m. 21. Conſecratus eſt 28 Oct. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 355.

[m] Jan. 11. 1376. 2 *Pat.* 50 E. 3. m. 4.

[n] Mar. 3 inter redeundum à Parliamento apud Blokeſley. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 536. Licentia eligendi conceſſa eſt 3 Apr. 1395. 2 *Pat.* 18 R. 2. m. 18.

[o] Cent. 6. p. 491.

[p] Electionem Joannis Green Rex ipſe confirmat 4 Maii. 2 *Pat.* 18 R. 2. m. 15. Papa verò ad hanc Sedem tranſtulit Tidemannum Epiſcopum Landav. cui conceſſa eſt cuſtodia Temporalium 21 Jul. 1 *Pat.* 19 R. 2. m. 20.

[q] P. 389.

[s] Ob. Jun. 13. 1401. *A Sacr.* V. 1. p. 805. è Regiſtro.

[t] In quodam MS. in Biblioth. C.C.C. Oxon. ex dono M. Parry extat Epiſtola Richardi Wygorn. Epiſcopi ad Abbatem et Convent. Monaſterii S. Auguſtini de Briſtoll, cujus Epiſtolae in fine ſic lego "Dat. in mannerio noſtro de Hyllingdon 7° "menſis Aprilis A. D. 1404, *et noſtrae tranſlationis* 3°", quod arguit iſtum Richardum ab aliquo alio Epiſcopatu huc fuiſſe tranſlatum: quod hic nondum apparet. *MS. Barlow.* Ita vero ſic ſe habet; Electus eſt à Capitulo, adhuc Eccleſiae Bathonienſis electus, ad quam provectus fuerat à Papâ, Rex verò aſſentire noluit; annuente verò Rege, ſi non petente, Papa in Epiſcopum Wigorniae praefecit Aug. 19. 1401. *Regiſtr. Arundel.* f. 12. Reſtituuntur Temporalia 21 Sept. 4 *Pat.* 2 H. 4. m. 5. — Profeſſionem fecit Archiepiſcopo Cantuarienſi Oct. 9. *Regiſtr. Arundel.* f. 13, eodem quo conſecratus eſt die.

LX. THOMAS PEVERELL.

1407. HEN. 4. 8. THOMAS PEVERELLUS Carmelita, è Comitatu Suffolcienſi, nobili ortus familia, Oxoniae educatus, Doctor ibi Theologiae creatus eſt; deinde Oſſerienſis in Hibernia conſtitutus Epiſcopus à Richardo ſecundo Rege anno 1398, inde ad Landavenſem Eccleſiam primum tranſlatus eſt 1399, ac poſtea Wigorniam[u] 1407. Cùm hic loci ſediſſet annos decem, diem clauſit extremum[x] Martii primo 1417[y], et in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Opuſcula edidit non pauca à Balaeo commemorata.

LXI. PHILIPPUS MORGAN.

1419. HEN. 5. 7. PHILIPPUS MORGAN[z], legum Doctor et Normanniae Cancellarius, extremo Septembri conſecratus eſt 1419, et ad Eccleſiam Elienſem tranſlatus ſub exitum anni 1425.

LXII. THOMAS POLTON.

*1425. HEN. 6. 4. THOMAS POLTON in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus anno 1420; cum ibi quindecim tantum menſes ſediſſet, Ciceſtriam tranſlatus 1422; inde etiam ad hanc migravit Eccleſiam[a] 1426. Ad Curiam Romanam profectus, ibi deceſſit, ibidemque jacet ſepultus[b].

LXIII. THOMAS BOURCHIER.

1435. HEN. 6. 13. EX nobiliſſima Bourchieorum familia ortus, Thomas Bourchierus ſucceſſit[c]. Anno 1435, à conſecratione anno integro nondum tranſacto, ad Elienſem Eccleſiam poſtulatus à Monachis, non eſt auſus electioni de ſe factae conſentire. Sed octavo deinceps anno eadem ſede vacante, electus iterum, annuente Rege[d], electioni conſenſit. Anno poſtea 1454 Cantuariam tranſlatus eſt.

---

[u] A Gregorio 12° huc tranſlatus eſt Jul. 4. 1407. *Regiſtr. Arund.* f. 40. Temporalia accepit 20 Nov. 1 *Pat.* 9 H. 4. m. 26.

[x] In Mannerio ſuo de Hambury.

[y] Mar. 2. 1418, anno exeunte; et ſepultus in Eccleſia Carmelitarum juxta Univerſitatem Oxon. *Thomas* p. 191. è Regiſtris.

[z] Eligendi licentia conceſſa eſt 25 Mar. 1419. *Norman.* 7 H. 5. p. 1. n. 286; et Apr. 24 electus eſt Philippus Morgan. Spreta verò electione, Papa eum provideritt Jun. 19. Tempora reſtituta ſunt 18 Oct. *Pat.* 7 H. 5. Spiritualia Sept. 9. *Regiſtr. Chichl.* f. 23. Conſecratus eſt in Eccleſ. Cathedr. Rothomagenſi Dec. 3. *Thomas* è Regiſtr. p. 192.

[a] Huc tranſlatus eſt Bulla Martini quinti Feb. 27. 1425. *Regiſtr. Chichl.* f. 42. Temporalia traduntur 23 Apr. 1426. 2 *Pat.* 4 H. 6. m. 18.

[b] Obiit in Concilio Baſilienſi Aug. 31. 1433, ibidemque ſepultus. v. *Chr. Urſtiſii Epit. Hiſt. Baſil.* p. 269. Ob. in Conc. Baſil. Aug. 23. *Thomas.* p. 194. è Regiſtr.

[c] Elect. à Capitulo Wigorn. Dec. 9. (Licentiâ eligendi prius datâ 16 Nov. 1 *Pat.* 12 H. 6. m. 22.) *MS. Wood.* poſtea proviſus eſt à Papâ, reluctante verò, Dec. 20. *Regiſtr. Stafford.* f. 13. et Rex reſtituit Temporalia 15 Apr. *Pat.* 13 H. 6. m. 14. Decanus erat S. Martini London. et Academiae Oxon. Cancellarius. *Ibid.* Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 20 Apr. 1435. *Regiſtr. Chichl.* f. 52. Propter aetatis verò defectum non conſecratus eſt ante Maii 15 ejuſdem anni. *Regiſtr. Bourch.* f. 1.

[d] Dec. 20. 1443 data eſt Bulla Tranſlationis.

LXIV. JOANNES CARPENTER.

1443. HEN. 6. 22. JOANNES CARPENTER[e] ſacrae Theologiae Doctor, in Collegio Orielenſi Oxoniae educatus, Academiae ibidem fuit Cancellarius anno 1437: dicti deinde Collegii Praepoſitus, et S. Antonii Londini Praefectus. Huic tantus inceſſit amor Weſtberiae prope Briſtoliam, ſive quod ibi forte natus fuerit, ſive aliam ob cauſam; ut non ſolum in locum ſepulturae ſibi delegeret, ſed decreverit in partem ſtili aſſumere, indita ſibi ſucceſſoribuſque appellatione Epiſcopi Wigornienſis et Weſtberienſis. Ingentem certe pecuniam effudit in amplificatione Collegii ibidem, quod antea ſatis tenue, diruit, et novum à fundamentis excitavit, veteri magnitudine non paulo laxius; et porta addita ſpecioſa, muro circumdedit excelſo, interſertis hinc inde turribus, ut arci quam Collegio ſimilius reddiderit. Quae poſtquam praeſtitiſſet, praediis inſuper dotavit ampliſſimis. Quidam Gulielmus Cannings, qui poſtquam civitatis Briſtolienſis ter Praetor fuiſſet (nam magiſtratus eſt annuus) aetate jam provectus ſacris initiatus, hujus Collegii Decanus evaſit; auguſtiſſimam illam conſtruxit Eccleſiam Radcliffae in ſuburbiis Briſtoliae, quam, tam ob laxitatem quam pulchritudinem et magnificentiam, non paucis Eccleſiarum noſtrarum Cathedralium facile praepoſuerim. Ignoſcat mihi lector, ſi facinoris adeo praeclari, quanquam ad operis à me inſtituti rationem nihil pertinentis, commemorandi, quamlibet arripio occaſionem. Ad Carpenterum quod attinet, diem clauſit extremum apud Northweek, et ad Auſtralem partem ſummi altaris Weſtburiae tumulo jacet conditus, à ſtolidis neſcio quibus nebulonibus pudendum in modum mutilato, ubi miracula neſcio quae [ſi libet credere] patrata, author eſt Joannes Roſſus.

LXV. JOANNES ALCOCK.

*1477. EDW. 4. 61. ECCLESIAE Roffenſis[f] Epiſcopus Joannes Alcocus, ad hanc ſedem anno 1476 tranſlatus eſt, et ab hac poſtea ad Elienſem.

LXVI. ROBERTUS MOORTON.

1486. HEN. 7. 2. ROBERTUS MORTONUS[g] ſucceſſit, Joannis Mortoni Archiepiſcopi Cantuarienſis ex fratre nepos. Sepultus jacet Londini, in navi Eccleſiae Paulinae.

---

[e] Eodem die quo Thomas ad Elienſem Epiſcopatum, Joannes Carpenter ad hunc praeficitur, cui Rex reſtituit Temporalia 27 Feb. 2 *Pat.* 22 H. 6. m. 27. Conſecratus apud Eton prope Windſor Mar. 22. 1443. *Thomas* p. 196 è Regiſtr. f. 2. Die 8 Junii 1476 Capellam conſecravit Eccleſiae Cathedrali contiguam, et hoc peracto deſinit Regiſtri ejus hiſtoria. *Id.* p. 198. et non multo poſt obiiſſe creditur.

[f] Bullâ Papali huc transfertur 1477. Temporalia reſtituta 25 Sept. 1 *Pat.* 16 E. 4. m. 10.

[g] L. L. D. Archidiaconus Winton. Joanni ſucceſſit Bulla Papali Oct. 16. 1486. *Thomas.* p. 200. Conſecratus circa exitum Januarii, vel initium Februarii, die enim 24 Jan. Licentiam conſecrationis obtinuit extra Eccleſiam Cantuariae. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 538. Ob. A. 1497 paulò ante 5 Maii, eo enim die miſſi ſunt à Capitulo nuncii ad notificandam mortem. *Thomas* ibid. è Regiſtr.

LXVII. JOANNES GIGLES.

1497. Hen. 7. 13. ILLI tum ſufficitur homo Italus Joannes Gigles, vel de Liliis, patria Lucenſis [h]. Obiit viceſimo quinto Auguſti 1498.

LXVIII. SILVESTER GIGLES.

*1498. Hen. 7. 14. PONTIFICUM Romanorum emiſſarii, aqua merſis ſimiles, quod ſemel prehenderint, ne mortui quidem emittunt manu. Epiſcopatus iſte, ab uno occupatus Italo, àtribus ordine aliis poſt eum inſeſſus, Anglo ne tum quidem (quantum auguror) dediſſet locum, niſi Pontifice ejecto, et Pontificia authoritate conculcata. Silveſter Gigles ſucceſſit, anteceſſoris ex fratre nepos [i], qui Romae deceſſit decimo ſexto Aprilis 1521.

LXIX. JULIUS MEDICES.

1521. Hen. 8. 13. JULIUS MEDICES Cardinalis Romanus, Leonis decimi Papae patruelis, qui et ipſe poſt Hadrianum ſextum Pontifex creatus, nomen aſſumpſit Clementis ſeptimi; Adminiſtrator factus eſt Eccleſiae Wigornienſis per Bullam Pontificiam triceſimo primo Julii 1521 [k], et anno proxime inſequenti ſponte abdicavit [l].

LXX. HIERONYMUS DE NUGUTIIS.

1522. Hen. 8. 14. ABDICANTI Julio ſucceſſit Hieronymus de Nugutiis [m], homo itidem Italus, de quo praeterea nihil aliud accepi.

LXXI. HUGO LATIMERUS.

1535. Hen. 8. 27. HUGO LATIMERUS, veritatis Evangelicae propugnator inſignis, natus eſt [n] in Comitatu Leiceſtrenſi, et in Collegio Chriſti Cantabrigiae educatus, ubi cum Papiſticarum ſuperſtitionum defenſoribus, multa habuit ac magna certamina, juvenis adhuc, donec circa annum Domini 1529 Vicarius conſtitutus Eccleſiae de [o] Weſtkington in Comitatu Wiltonienſi, veterum adverſariorum malignitati elapſus, in novos incidit, qui haereſeos reum coram Epiſcopis peragentes, multum illi negotii faceſſentes, moleſti eſſe non deſinebant. Cromwelli tandem opera, et aliorum qui purioris doctrinae fuerunt ſtudioſi[p], ad Epiſcopatum Wigornienſem evectus eſt[q]; in quo vigilantiſſimi paſtoris cuncta munia magna cum diligentia ſolertiſſime obibat, quatenus ſaltem per temporum iniquitatem licebat. “ Nuſquam dum Epiſcopus eſſet (inquit Balaeus[r]) non “ egit Chriſti negotium; nuſquam non conſuluit gregis ſui commodis, “ fidi medici exemplo, qui nullum remediorum genus non adhibet, quo “ in integram ſanitatem ſuos daret patientes. Tandem vero, ne tanquam “ canis ad Papiſmi vomitum, urgentibus Antichriſtis, in maledicto illo “ ſex articulorum decreto, rediret, atque illis ſubſcriberet, anno Domini “ 1539 Pontificatum ſuum, non tamen divini verbi miniſterium, homo “ piiſſimus depoſuit, ac plene diſſeruit. Nam ita ab omni Papiſtico jure “ ſolutus, reſumptis viribus, in majori ſpiritus libertate quam prius, Anglicum orbem conabatur ad priſtinam Chriſtianae fidei ſimplicitatem “ ſacris monitis revocare, atque à ſordidis lacunis ad vitales illas ac puriſſimas viventium aquarum ſcatebras reducere. Multo certe dignior ex ſana “ praedicatione, et vehementi vitiorum reprehenſione Anglorum Apoſtolus “ dici, quam Auguſtinus ille Romanus Cantuarienſium primus Archiepiſcopus &c.” Sic Balaeus. In Praeſulatu quinquennio nondum exacto, Latimerus ut ſecum (quod aiunt) habitaret, una cum Nicholao Shaxtono Sariſburienſi, Julii primo 1539 Epiſcopatu ſe ſponte abdicavit; quo tempore quando veſtem Pontificalem poſtremo exuit (homo lepidus et ad facetias ſemper proclivis) ſaltu dicitur leviuſculo loco paululum ſe moventem, voce memorabili exclamaſſe, *Quam nunc mihi videor expeditus et levis, poſtquam oneris tantum ab humeris meis excuſſi?* Dimiſſo praeſulatu, dum veritatis Evangelicae propagationi, ejuſdem praeco indefeſſus, nihilo ſegnius incumberet; accuſatores concitavit, qui illum in turrem Londinenſem conjiciendum curarunt, ubi vinctus jacuit ad tempora uſque Edwardi ſexti, quae laeta tandem habuit ac pacata. Mariâ vero rerum potitâ, quomodo comprehenſus, Oxoniam miſſus una cum foeliciſſimae memoriae martyribus Cranmero et Ridlaeo, doctrinae Evangelicae veritatem defenderit; et cum iis damnatus, mortem tandem conſtantiſſimè ſubierit, decimo ſexto Octobris 1555, fuſius à me ſupra commemoratum eſt[s].

---

[h] Pontificis Romani in Anglia Collector, Canonicus Wellenſis et Archidiaconus Gloceſtriae, praeficitur A. 1497. Bullâ datâ 30 Auguſti. Cuſtodiam habet Temporalium 18 Julii, 2 *Pat.* 12 H. 7. m. 11. tunc temporis in Curia Rom. Domini Regis Procurator. *Rym.* T. 12. p. 657, et electus habet reſtitutionem 5 Dec. Id. p. 670. Multae et permagnae poteſtates à Papa huic Epiſcopo conceſſae fuere, uſuram nempe, ſimoniam, furta, homicidia, rapinas, adulteria, ſtupra et quaecunque ferè crimina remittendi. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 538. Ob. A. 1498 menſe Auguſto, aetatis 64. *Br. Willis* ex Epitaph. in Collegio Anglic. Rom. [i] Et Camerae Apoſtolicae, quoad vixerit, Collector. Proviſus eſt 24 Dec. 1498. Temporalia reſtituta 17 Martii. 3 *Pat.* 14 H. 7. m. 14. Anno 1512 Concilium Lateranenſe à Rege miſſus adiit. Obiit in Curia Romana 16 Apr. 1521. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 539. [k] *Regiſtr. Warham.* [l] Sept. 26, *Thomas* p. 203. [m] Bulla data eodem die quo Julius reſignavit. *Regiſtr. Warham.* Multum ſudavit in negotiis Regni dum in remotis agebat; cujus favore et Angliae et Galliae Reges ad Pontificem applicuere pro dignitate Cardinalitia. Lit. dat. Maii 19. 1532. *Collier. Hiſt. Eccleſ.* V. 2 Appen. p. 14. Tandem Lege publica Epiſcopatu amotus eſt, eo quod alienigena eſſet, A. 1535. — 21 Mar. 25 H. 8. Billa à Domo communi tranſmiſſa concernens deprivationem Epiſcoporũm Sarum et Wigorn. à ſuis Epiſcopatibus 3^{o} lecta et aſſentita per D^{nos}. *MS. Baker.* [n] Apud Thurcaſton. Adhuc Juvenis fuit in Academia Crucifer, et ſtrenuus Papiſticae erroris propugnator. [o] Weſt-Kington. vel Kington Occident.

◆ ◆ ◆

LXXII. JOANNES BELL.

JOANNES BELLUS legum Doctor, Archidiaconus Gloceſtrenſis[t], qui 1539.
in Balliolenſi Collegio Oxoniae fuerat educatus, in Epiſcopum Wigorni- Hen. 8. 31.
enſem confirmatus Auguſti undecimo 1539[u]. Cum annos duntaxat quatuor ſediſſet, ſimiliter ut anteceſſor (quam ob cauſam neſcio) abdicavit[x]. Sepultus jacet à Septentrionali latere cancelli Eccleſiae parochialis de Clerkenwel Londini, ubi lapide marmoreo hoc Epitaphium vidi inſculptum:

“ Contegit hoc marmor Doctorem nomine Bellum,
“ Qui belle rexit praeſulis officium.
“ Moribus, ingenio, vitae probitate vigebat,
“ Laudatus cunctis, cultus et eloquio.
“ Anno 1556. Aug. 11.

---

[p] Reginae Annae ſcil. cui fuerat à Sacris. [q] Tempor. reſtitu. 4 Oct. 1535. *Rym.* T. 14. p. 553. Inſtallatus Aug. 20. *Angl. Sac.* V. 1. p. 539 Ad explorandam Eliz. Barton et illius inſtigatorum fraudem multum ſudavit. [r] Cent. 8. p 677. [s] In vita Cranmeri. [t] Regis Capellanus et Conſiliarius, nec non Eccleſ. B. Mariae Lincoln. Canonicus. [u] Regium habet Aſſenſum Aug. 1, et Reſtitutionem Temporalium Aug. 4. 1539. *Rym.* T. 14. p. 642, 643. [x] 17 Nov. 1543. *Rym.* T. 15. p. 10.

LXXIII. NICOLAUS HEATH.

1543. Hen. 8. 35. NICOLAUS HEATH Epiſcopus Roffenſis, qui educationem habuit ad tempus in Collegio Corporis-Chriſti Oxoniae, ſocius verò evaſit tandem Aulae Clarenſis Cantabrigiae, Wigorniam tranſlatus eſt viceſimo Februarii 1543[y]. In carcerem datus [eſt] Fleetenſem [anno 1551,] ubi vinctus diù jacuerat; tandem regnante Mariâ liberatus eſt[z]. Illa vero, praeterea quod libertati et Praeſulatui eum reſtituit, conſtituit etiam Walliae Praeſidem[a], ad Archiepiſcopatum Eboracenſem mox tranſtulit, et Angliae Cancellarium, Gardinero mortuo, deſignavit.

LXXIV. JOANNES HOOPERUS.

*1552. Edw. 6. 6. JOANNES HOOPERUS Epiſcopus Gloceſtrenſis[b], per diſpenſationem Regiam (quam Commendam vocamus) Wigornienſem etiam una cum Gloceſtrenſi tenuit Epiſcopatum. Inter Gloceſtrenſes igitur (quorum fuit genuinus Epiſcopus) plura de eo dicendi locus erit.

LXXV. RICHARDUS PATES.

*1554. Mar. 1. DE Wigornienſi ſede (exauthorato Hoopero) mirabile quippiam jam poterat perhiberi, ſaltem ſi verum ſit quod de Pato memoratum [reperi;] ſupereſſe nempe quinque ejuſce ſedis Epiſcopos, qui omnes ſine Epiſcopatu viverent. Nam praeter Latimerum, Bellum, Heathum et Hooperum (de quibus antea) conſtare mihi videtur, Richardum Patum Collegii Corporis Chriſti Oxoniae alumnum, circa annum 1534[c] Epiſcopum hujus Eccleſiae creatum et Romam miſſum Legatum, reverti nolentem, exauthoratum [atque] in exilio, cui ſe damnaverat, ibi uſque ad Mariae tempora remanſiſſe. Et certum eſt profecto, Concilio Tridentino his verbis eum ſubſcripſiſſe, *Richardus Patus Wigornienſis Epiſcopus.* Regina igitur, ne alterutri injuriam inferre videretur; Heathum eo propenſiùs Eboracum tranſtulit, ut ille ſedem ſuam, tot annos ab aliis inſeſſam, jam tandem quaſi poſtliminio repeteret. Manſueto vir ingenio, et qui confratrum ſuorum plurimis haudquaquam ſimilis, à piorum ſanguine fundendo abhorrebat. Patrem meum, virum graviſſimum, narrantem ſaepe audivi, dum in regionibus [Wigorniae vicinis] ex medicina victum quaereret, accerſitum ſe ab illo febre quartana (morbo ſenibus ut plurimum letifero, quo illum ſanavit, ſe ipſum non potuit, eodem poſtea morbi genere extinctus) laborantem, et quanquam periculum ab eo metueret, acceſſiſſe tamen: Illum vero metus ejus non ignarum, his eum verbis confirmaſſe. “Haud me latet, quiſnam ſis et de religione Ca-
“ tholica quid ſentias. Tu vero bono ſis animo; Mihi ſiquidem decretum,

---

[y] Electus eſt 22 Dec. 1543. *Regiſtr. Cranm.* f. 287. Tempora. reſtituta 22 Martii *Rym.* T. 15. p. 18. Privatus eſt 10 Oct. 1551. *Regiſtr. Cranmer.*

[z] Liberatus eſt ante ſeptimum diem Octob. 1553. *Rymer.* Ante 8 Jul. *Thomas* è Regiſtro.

[a] Walliae factus eſt Praeſes primo Mar. quam Praefecturam tenuit uſque ad annum tertium ejuſdem Reginae, quo amotus eſt ad Cancellariatum Angliae. *MS. Moor.* Num. 388. in Bibl. Reg. Cant.

[b] Conſtitutus eſt Epiſcopus 20 Maii A. 1552 Literis Regiis, cum Clauſula *quamdiu ſe bene geſſerit*, et Sedes Gloceſtriae unita eſt Epiſcopatui Wigornienſi. *Rym.* T. 15. p. 298.

[c] Temporalia reſtituta ſunt 5 Mar. 1554. *Rym.* Tom. 15. p 415.

"tum, fidei cauſa (quae non vi et terroribus, ſed ſuaſionibus et rationum "momentis ingeneratur) malo neminem aut poena afficere." Hic tamen ut regnum Elizabetha auſpicata eſt, veterum fortaſſis amicorum deſiderio, quos in exilio comparaverat, ad tranſmarinas oras profugit, ibique tandem finiit vitam tot mutationibus variatam[d].

◆◆◆

LXXVI. EDWINUS SANDS.

EDWINUS SANDS ſacrae Theologiae Doctor, Aulae Catharinae 1559.
Cantabrigiae olim Praſes[e], conſecratus Decemb. viceſimo primo ELIZ. 2.
1559[f]. Londinum tranſlatus eſt Julii decimo tertio 1570.

◆◆◆

LXXVII. NICOLAUS BULLINGHAM.

NICOLAUS BULLINGHAM ab Eccleſia Lincolnienſi huc tranſla- 1570.
tus eſt viceſimo ſexto Januarii[g] 1570. ELIZ. 13.

◆◆◆

LXXVIII. JOANNES WHITGIFT.

JOANNES WHITGIFT ſacrae Theologiae Doctor[h], conſecratus 1577.
Aprilis viceſimo primo 1577. Ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem ELIZ. 19.
tranſlatus eſt Septembris[i] ſecundo 1583.

* * *

LXXIX. EDMUNDUS FREAK.

EDMUNDUS FRECUS à Norwicenſi ſede tranſlatus[k], menſe Martio 1584.
deceſſit 1590[l]. De quo ſupra pluribus. ELIZ. 27.

◆◆◆

LXXX. RICHARDUS FLETCHER.

RICHARDUS FLETCHERUS Briſtolia huc tranſlatus eſt[m], et hinc *1592.
mox Londinum[n]. ELIZ. 35.

* * *

LXXXI. THOMAS BILSON.

THOMAS BILSONUS ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Win- 1596.
tonienſis Gardianus, conſecratus decimo tertio Junii 1596[o]. Win- ELIZ. 38.
toniam poſtea tranſlatus eſt[p].

---

[d] Poſt deprivationem Pati, Licentia eligendi conceſſa eſt Capitulo, dat. 13 Nov. 1559. *Rym.* T. 15. p. 549. Obiit apud Lovain. *Br. Willis.* p. 646. [e] Temporalia reſtituta 18 Dec. *Rym.* T. 15. p 553. [f] *Regiſtr. Parker.* [g] *Regiſtr. Parker.* Temporalia reſtituta. 14 Feb. *Rym.* T. 15. p. 689. Obiit Apr. 18. 1576, et in Eccleſia ſua ſepultus jacet, ex parte Aquilonari ſummi Altaris, tectus Tumulo ineliganti. [h] Poſt obitum Nicolai electus eſt Joannes Whitgift Lincolnienſis Decanus, nec non Coll. Trinitatis Cantabr. Magiſter, Licentiâ datâ Apr. 24. 1577. *Rym.* T. 15. p. 772. errore ſane manifeſto, proximâ enim paginâ extat Confirmatus 9 Apr. et è Regiſtro Archiepiſcopali conſtat conſecratum eſſe Apr. 21. 1577. [i] Sept. 23. Confirmatus. *Regiſtr. Whitg. Cant.* fol. 1. [k] Confirmatus eſt Dec. 5. 1584. *Regiſtr. Whitg.* f. 24. [l] Circa exitum Martii 1590. *Br. Willis* p. 647, et ſepultus jacet in ſpecioſo monumento in ala Auſtrali juxta navem Eccleſiae. [m] Confirm. Feb. 10. 1592. *Regiſtr. Whitg.* [n] Confirm. Epiſc. Lond. Jan. 10. 1594. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 29. [o] *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 76. [p] Maii 13. 1597. *Id.* f. 91.

LXXIII. NICOLAUS HEATH.

1543. Hen. 8. 35. NICOLAUS HEATH Epiſcopus Roffenſis, qui educationem habuit ad tempus in Collegio Corporis-Chriſti Oxoniae, ſocius verò evaſit tandem Aulae Clarenſis Cantabrigiae, Wigorniam tranſlatus eſt viceſimo Februarii 1543[y]. In carcerem datus [eſt] Fleetenſem [anno 1551,] ubi vinctus diù jacuerat; tandem regnante Mariâ liberatus eſt[z]. Illa vero, praeterea quod libertati et Praeſulatui eum reſtituit, conſtituit etiam Walliae Praeſidem[a], ad Archiepiſcopatum Eboracenſem mox tranſtulit, et Angliae Cancellarium, Gardinero mortuo, deſignavit.

LXXIV. JOANNES HOOPERUS.

*1552. Edw. 6. 6. JOANNES HOOPERUS Epiſcopus Gloceſtrenſis[b], per diſpenſationem Regiam (quam Commendam vocamus) Wigornienſem etiam una cum Gloceſtrenſi tenuit Epiſcopatum. Inter Gloceſtrenſes igitur (quorum fuit genuinus Epiſcopus) plura de eo dicendi locus erit.

LXXV. RICHARDUS PATES.

*1554. Mar. 1. DE Wigornienſi ſede (exauthorato Hoopero) mirabile quippiam jam poterat perhiberi, ſaltem ſi verum ſit quod de Pato memoratum [reperi;] ſupereſſe nempe quinque ejuſce ſedis Epiſcopos, qui omnes ſine Epiſcopatu viverent. Nam praeter Latimerum, Bellum, Heathum et Hooperum (de quibus antea) conſtare mihi videtur, Richardum Patum Collegii Corporis Chriſti Oxoniae alumnum, circa annum 1534[c] Epiſcopum hujus Eccleſiae creatum et Romam miſſum Legatum, reverti nolentem, exauthoratum [atque] in exilio, cui ſe damnaverat, ibi uſque ad Mariae tempora remanſiſſe. Et certum eſt profecto, Concilio Tridentino his verbis eum ſubſcripſiſſe, *Richardus Patus Wigornienſis Epiſcopus.* Regina igitur, ne alterutri injuriam inferre videretur; Heathum eo propenſiùs Eboracum tranſtulit, ut ille ſedem ſuam, tot annos ab aliis inſeſſam, jam tandem quaſi poſtliminio repeteret. Manſueto vir ingenio, et qui confratrum ſuorum plurimis haudquaquam ſimilis, à piorum ſanguine fundendo abhorrebat. Patrem meum, virum graviſſimum, narrantem ſaepe audivi, dum in regionibus [Wigorniae vicinis] ex medicina victum quaereret, accerſitum ſe ab illo febre quartana (morbo ſenibus ut plurimum letifero, quo illum ſanavit, ſe ipſum non potuit, eodem poſtea morbi genere extinctus) laborantem, et quanquam periculum ab eo metueret, acceſſiſſe tamen: Illum vero metus ejus non ignarum, his eum verbis confirmaſſe. "Haud me latet, quiſnam ſis et de religione Ca-
" tholica quid ſentias. Tu vero bono ſis animo; Mihi ſiquidem decretum,

---

[y] Electus eſt 22 Dec. 1543. *Regiſtr. Cranm.* f. 287. Tempora. reſtituta 22 Martii *Rym.* T. 15. p. 18. Privatus eſt 10 Oct. 1551. *Regiſtr. Cranmer.*

[z] Liberatus eſt ante ſeptimum diem Octob. 1553. *Rymer.* Ante 8 Jul. *Thomas* è Regiſtro.

[a] Walliae factus eſt Praeſes primo Mar. quam Praefecturam tenuit uſque ad annum tertium ejuſdem Reginae, quo amotus eſt ad Cancellariatum Angliae. *MS. Moor.* Num. 388. in Bibl. Reg. Cant.

[b] Conſtitutus eſt Epiſcopus 20 Maii A. 1552 Literis Regiis, cum Clauſula *quamdiu ſe bene geſſerit*, et Sedes Gloceſtriae unita eſt Epiſcopatui Wigornienſi. *Rym.* T. 15. p. 298.

[c] Temporalia reſtituta ſunt 5 Mar. 1554. *Rym.* Tom. 15. p. 415.

« tum, fidei cauſa (quae non vi et terroribus, ſed ſuaſionibus et rationum « momentis ingeneratur) malo neminem aut poena afficere." Hic tamen ut regnum Elizabetha auſpicata eſt, veterum fortaſſis amicorum deſiderio, quos in exilio comparaverat, ad tranſmarinas oras profugit, ibique tandem finiit vitam tot mutationibus variatam[d].

◆ ◆ ◆

LXXVI. Edwinus Sands.

EDWINUS SANDS ſacrae Theologiae Doctor, Aulae Catharinae 1559.
Cantabrigiae olim Praſes[e], conſecratus Decemb. viceſimo primo Eliz. 2.
1559[f]. Londinum tranſlatus eſt Julii decimo tertio 1570.

◆ ◆ ◆

LXXVII. Nicolaus Bullingham.

NICOLAUS BULLINGHAM ab Eccleſia Lincolnienſi huc tranſlatus 1570.
eſt viceſimo ſexto Januarii[g] 1570. Eliz. 13.

◆ ◆ ◆

LXXVIII. Joannes Whitgift.

JOANNES WHITGIFT ſacrae Theologiae Doctor[h], conſecratus 1577.
Aprilis viceſimo primo 1577. Ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem Eliz. 19.
tranſlatus eſt Septembris[i] ſecundo 1583.

◆ ◆ ◆

LXXIX. Edmundus Freak.

EDMUNDUS FRECUS à Norwicenſi ſede tranſlatus[k], menſe Martio 1584.
deceſſit 1590[l]. De quo ſupra pluribus. Eliz. 27.

◆ ◆ ◆

LXXX. Richardus Fletcher.

RICHARDUS FLETCHERUS Briſtolia huc tranſlatus eſt[m], et hinc *1592.
mox Londinum[n]. Eliz. 35.

◆ ◆ ◆

LXXXI. Thomas Bilson.

THOMAS BILSONUS ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Wintonienſis 1596.
Gardianus, conſecratus decimo tertio Junii 1596[o]. Winto- Eliz. 38.
niam poſtea tranſlatus eſt[p].

---

[d] Poſt deprivationem Pati, Licentia eligendi conceſſa eſt Capitulo, dat. 13 Nov. 1559. *Rym.* T. 15. p. 549. Obiit apud Lovain. *Br. Willis.* p. 646. [e] Temporalia reſtituta 18 Dec. *Rym.* T. 15. p 553. [f] *Regiſtr. Parker.* [g] *Regiſtr. Parker.* Temporalia reſtituta. 14 Feb. *Rym.* T. 15. p. 689. Obiit Apr. 18. 1576, et in Eccleſia ſua ſepultus jacet, ex parte Aquilonari ſummi Altaris, tectus Tumulo ineliganti. [h] Poſt obitum Nicolai electus eſt Joannes Whitgift Lincolnienſis Decanus, nec non Coll. Trinitatis Cantabr. Magiſter, Licentiâ datâ Apr. 24. 1577. *Rym.* T. 15. p. 772. errore ſane manifeſto, proximâ enim paginâ extat Confirmatus 9 Apr. et è Regiſtro Archiepiſcopali conſtat conſecratum eſſe Apr. 21. 1577. [i] Sept. 23. Confirmatus. *Regiſtr. Whitg. Cant.* fol. 1. [k] Confirmatus eſt Dec. 5. 1584. *Regiſtr. Whitg.* f. 24. [l] Circa exitum Martii 1590. *Br. Willis* p. 647, et ſepultus jacet in ſpecioſo monumento in ala Auſtrali juxta navem Eccleſiae. [m] Confirm. Feb. 10. 1592. *Regiſtr. Whitg.* [n] Confirm. Epiſc. Lond. Jan. 10. 1594. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 29. [o] *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 76. [p] Maii 13. 1597. *Id.* f. 91.

LXXXII. GERVASIUS BABINGTON.

1597. ELIZ. 39. GERVASIUS BABINGTONUS ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Trinitatis olim ſocius Cantabrigiae, à Landavenſi ſede ad Exonienſem, et anno 1597[q] huc tranſlatus eſt. Ictericus deceſſit viceſimo ſeptimo Maii 1610[r].

LXXXIII. HENRICUS PARRY.

1610. JAC. I. 8. HENRICUS PARRY ſacrae Theologiae Doctor, à Glocestrenſi ſede ad hanc tranſlatus eſt ſub exitum Septembris[s] 1610. Hujus virtutes quam libenter celebrarem, niſi (praeter inſtituti mei rationem ſaepe commemoratam) quae cupiditatem meam ad hoc officium accendit plurimum, veteris amicitiae memoria, ne hoc ipſum praeſtarem [eadem] inhiberet, metuentem nimirum, ne amico veritatem poſtpoſuiſſe videar. Sed bene habet quod me tacente, ſat praeconum relinquat, (ſcripta dico ab illo edita) quae apud poſteros eruditionis ac pietatis ejus, buccinatores futuri ſunt perpetui. Paralyticus deceſſit Wigorniae 12 Dec. 1686, et in Capella B. Mariae jacet humatus, è regione tumuli Bullingamiani.

LXXXIV. JOANNES THORNBOROUGH.

1616. JAC. I. 14. DECIMO ſeptimo Februarii 1616 Joannes Thornborough Limericenſis in Hibernia primum, ac deinde Briſtolienſis Epiſcopus, ad hanc ſedem eſt tranſlatus.

* * *

Natus eſt in Civitate Sariſburienſi, et Collegio Magdal. Oxon. educatus. Eccleſiae Eboracenſis Decanus, ad Epiſcopatum Limericenſem eſt evectus anno 1593[t], inde ad Briſtolienſem A° 1603, ita tamen ut Decanatum etiam commendatorio jure adjunctum poſſideret; rerum politicarum potius quam theologicarum, et artis Chemicae peritia clarus. Hujus Dioeceſeos per 25 annorum adminiſtratione perfunctus, anno aetatis 94 deceſſit Julii tertio[u] 1641; in Capella B. Mariae ſepulchro, quod ipſe jam ante quatuordecim annos ornari curaverat, conditus jacet.

LXXXV. JOANNES PRIDEAUX.

1641. CAR. I. 17. SUCCESSIT Joannes Prideaux Devonienſis, Collegii Exonienſis Rector in Academia Oxonienſi, Aedis Chriſti Canonicus et Theologiae Profeſſor Regius; quae quidem munera ampliſſima, magna cum laude ſua, magno cum Academiae et Eccleſiae fructu adminiſtravit, inter ſui temporis Theologos vir magni nominis, incorrupta erga Regem Carolum fide, nec interim Puritanis inviſus. Undeviceſimo Decembris 1641 [x] ad hunc Epiſcopatum evectus, brevi in belli civilis tempeſtatem incidit, in qua ita eſt verſatus, ut Wigornienſes ſuos, quotquot contra Regem arma geſſerunt excommunicationis fulmine feriret; quamobrem à perduellibus viciſſim miſere vexatus, et beneficiis exutus omnibus, eo paupertatis devenit, ut ad familiam alendam ſupellectilem domeſticam, tum etiam librariam (qua nemo melius uti noverat) vendere fuerit coactus. Mortem obiit febri abreptus, decimo nono Julii 1650 aetatis 74 [y], in Eccleſia Paroeciali de Bredon in agro Wigornienſi ſepultus.

---

[q] Confirmatus Oct. 4. 1597. *Id* fol. 96. [r] Et ſepultus in Eccleſia Cathedrali Wigorn. [s] Confirm. Oct. 5. *Regiſtr. Bancr.* fol. 110. [t] *Waraeus de Praeſ. Hibern.* [u] *Thomas.* p. 45. — Jul. 9. *Athen. Oxon.* — Jul. 19. *Br. Willis* p. 649.

LXXXVI. GEORGIUS MORLEY.

1660. CAR. 2. 12.

IN Epiſcopatum, qui ad annum 1660 vacaverat, ſucceſſit Georgius Morley viceſimo octavo [z] Octobris; inde poſt viginti menſes Wintoniam migravit: ubi de eo plura.

LXXXVII. JOANNES GAUDENTIUS.

1662. CAR. 2. 14.

JOANNES GAUDENTIUS Eſſexienſis, ſacrae Theologiae Doctor è Collegio D. Joannis Cantabrigiae. Anno 1643 juxta ordinationem ſuperioris Parliamenti domus ad Decanatum de Bocking in Comitatu Eſſexienſi eſt evectus; unde nata ſuſpicio illum non tam Regis quam Adverſariorum partibus favere et adulari; quam tamen ipſe ſedulo à ſe amovere ſtudebat [a]. Doctoris Brownrig veſtigia ſecutus concionator publicus in Eccleſia Templi Lond. 1659, dein Epiſcopus Exonienſis conſtitutus anno 1660. Poſtremo ad Epiſcopatum Wigornienſem tranſlatus decimo Junii 1662 [b]. Deceſſit viceſimo Septembris inſequentis, anno aetatis 57, in Choro Eccleſiae Cathedralis ſepultus, ubi honorarium extat marmor ipſius memoriae ſacrum.

LXXXVIII. JOANNES EARLE.

1662. CAR. 2. 14.

A DECANATU Weſtmonaſterienſi huc migravit Joannes Earle ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus triceſimo Novembris [c] 1662; inde Septembri inſequenti ad Epiſcopatum Sariſburienſem tranſlatus: ubi de eo plura ſuperius dicta reperies.

[x] *Regiſtr. Laud* par. 2.
[y] Ex Epitaphio.—Jul. 20. *Prince in Herwol. Devon.* p. 515.
[z] *Regiſtr. Juxon.* f. 208.
[a] *Anti-Baal-Berith.* p. 275.
[b] *Regiſtr. Juxon.* f. 289.
[c] *Regiſtr. Juxon.* f. 309.

LXXXIX. ROBERTUS SKINNER.

1663. Car. 2. 15. IN defuncti locum ſucceſſit Robertus Skinner, Northantonenſis, Collegii Trinitatis Oxon. aliquando Socius. Epiſcopus Briſtolienſis conſecratus anno 1636, inde Oxonienſis 1640. A perduellibus jam triumphantibus incarceratus et Epiſcopatu exutus; cum Carolo demum ad ſua rediens, quarto Novembris 1663 [d] Epiſcopatum Wigornienſem, quam jam antea votis captaverat, adeptus. Octogenarius obiit decimo quarto Junii 1670, Epiſcoporum qui ante uſurpationem ſacrilegam conſecrati fuerunt poſtremus; et in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet.

XC. GUALTERUS BLANDFORD.

1671. Car. 2. 23. GUALTERUS BLANDFORD Dorſetenſis, Collegii Wadhamenſis Oxon. Gardianus, ab Epiſcopatu Oxonienſi, quem per ſex annos adminiſtraverat, ad Wigorniam tranſlatus decimo tertio Junii 1671. Deceſſit ſexto decimo Julii 1675, juxta Roberti Skinner ſepulchrum jacet, ubi itidem monumentum ſepulchrale ſatis magnificum erigitur.

XCI. JACOBUS FLEETWOOD.

1675. Car. 2. 27. MORTUO Gualtero ſucceſſit Jacobus Fleetwood, Georgii Fleetwood militis filius natu ſeptimus, in quo erat illud maxime laudandum, quod cum ſui fere omnes in perduellium partes abirent, ille ſingulari integritatis exemplo, Majeſtatis etiam afflictae cauſam vindicabat: Quamobrem beneficiis exutus omnibus, Caroli exulantis fortunas ſecutus; aliquando tandem rebus in integrum reſtitutis virtutum mercedem honeſtam reportavit. Collegio Regali Cantabrigriae, in quo olim ſocius vixerat, Praepoſitus, Auguſti viceſimo nono 1675 Dioeceſeos Wigornienſis Epiſcopus eſt conſecratus [e]. Obiit 17 Julii 1683, et in Eccleſia Cathedrali, in Capella ſc. B. M. ſepulturae traditur.

XCII. GULIELMUS THOMAS.

1683. Car. 2. 35. GULIELMUS THOMAS qui ſucceſſit à Dioeceſi Menevenſi huc tranſlatus eſt viceſimo ſeptimo Auguſti 1683 [f]. De quo id imprimis memorabile occurrit, quod Jacobo ſecundo jam ejecto et exulanti ita ſe religione obſtrictum putabat, ut juramentum fidelitatis Gulielmo Regi praeſtare recuſaret: hinc ab Epiſcopali officio et beneficio ſuſpenſus, ſententiam privationis morte oppreſſus praevertit 25 Junii 1689; aetatis 76.

---

[d] *Regiſtr. Juxon.* f. 361.

[e] *Regiſtr. Sheld.* f. 161.

[f] *Regiſtr. Sandcr.* f. 60.

XCIII.

* * *

XCIII. EDWARDUS STILLINGFLEET.

AD Dioeceſin vacantem evocatur Edwardus Stillingfleet S. T. P. ſui temporis Theologorum Princeps, conſecratus decimo tertio Octobris 1689[g]. Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae aliquando ſocius; Eccleſiae D. Andreae de Holborn Rector, Cantuariae Canonicus, poſtremo D. Pauli Lond. Reſidentiarius et Decanus. Obiit 27 Martii 1699. Vir eruditionis conſummatae et multiplicis, Canonum, Legum, Conſuetudinum peritiſſimus, univerſam politiam Eccleſiaſticam penitus exploratam et perſpectam habuit: In controverſiis quae tum temporis agitabantur verſatiſſimus, Eccleſiae Anglicanae vindex ſtrenuus. Verum laudes ipſius, plenius et prolixius à Cl. Bentleio deſcriptas, exhibet honorarium marmor in Eccleſia Cathedrali Wigorn. hoc Elogium inſcriptum gerens, quod tibi perlegendum commendamus. 1689. Gul. et Mar. 1.

“ H. S. E. Edwardus Stillingfleet, S. T. P. Ex Decano Eccleſiae Paulinae, Epiſcopus Wigornienſis. Jam tibi, quicunque haec legis, niſi et Europae et Literati Orbis Hoſpes es, Ipſe per ſe notus: Dum Rebus Mortalibus interfuit, et Sanctitate Morum, et Oris Staturaeque Dignitate, et conſummatae Eruditionis laude undique venerandus. Cui in humanioribus Literis Critici, in Divinis Theologi, in recondita Hiſtoria Antiquarii, in Scientiis Philoſophi, in Legum peritia Juris-conſulti, in Civili Prudentia Politici, in Eloquentia univerſi, Faſces ultro ſubmiſerunt: Major unus in his omnibus, quam alii in ſingulis. Ut Bibliothecam ſuam, cui parem Orbis vix habuit, infra pectus omnis doctrinae capax geſtaſſe integram viſus ſit; quae tamen nullos libros noverat meliores, quam quos ipſe multos ſcripſit ediditque, Eccleſiae Anglicanae Defenſor ſemper Invictus. Natus eſt *Cranborniae* in Agro *Dorſettenſi*, 17 Apr. 1635. Patre *Samuele* Generoſo.—— Obiit Weſtmonaſterii XXVII Martii MDCLXXXXIX. Vixit annos LXIII.”

* * *

XCIV. GULIELMUS LLOYD.

AB Epiſcopatu Lichfeldenſi ad Wigorniam tranſlatus promovetur Gulielmus Lloyd, magni Praeſulis ſucceſſor haud indignus; Collegii Jeſu Oxon. aliquando ſocius. Anno 1680 Octobris tertio Epiſcopus Aſaphenſis conſtitutus; 1688 cum Metropolitano una inter alios, Regis Jacobi juſſu, incarceratus, accuſatus, et judicio illo publico honorifice abſolutus: 1692 ad Dioeceſin Lichfeldenſem tranſlatus, inde Wigorniam viceſimo ſecundo Januarii 1699. Deceſſit Auguſti triceſimo 1717, aetatis 91; et in Eccleſia Parochiali de Fladbury in Comitatu Wigornienſi ſepultus jacet: Ubi marmor extitit honorarium Elogio magnifico inſcriptum. Singularis induſtriae ſcriptor, magni inter Criticos nominis, in profanis juxta ac ſacris literis verſatiſſimus, praecipue Hiſtoriarum in omni genere et Chronologiae ad ἀκρίβειαν peritiſſimus: Imo vero à Reverendo admodum ſcriptore, qui ita raro et parce quempiam laudat, ut etiam virtutibus invidere videatur, debito honeſtatus praeconio[h]. 1699. Gul. 3. 11.

[g] *Regiſtr. Suſpenſ. Archiep.* f. 7.

[h] *Burnetti Hiſt. Reform.* par. 1. in Praef.

XCV. JOANNES HOUGH.

1717. Geo. I. 4. SUCCESSIT Joannes Hough ſacrae Theologiae Doctor, à Dioeceſi Lichfeldenſi tranſlatus viceſimo octavo Septembris 1717. Hic ille eſt, qui Jacobo ſecundo res novas molienti, et mandato praeter fas et aequum interpoſito, Societatis jura et privilegia invadenti, Praeſes Collegii Magdalenenſis Oxon. electus, ſe ſuorum vindicem intrepidum oppoſuit. Junii 22 Hominum à Rege delegatorum judicio maxima cum laude ſua ejectus: Quo quidem facto univerſa intellexit Anglia, religione Legum violata, nihil amplius ſibi ſalvum atque incolume ſuperfuturum. Inde Auriaco Principe accerſito, ad Libertatem nova aperiebatur via; tum demum ſero paenitentiae exemplo Rex Preſidem ejectum denuo ad Collegii gubernacula revocari juſſit. Rerum potitus Gulielmus virum, de Eccleſia et Rep. optime meritum, ad Dioeceſeos Oxonienſis adminiſtrationem evocavit Maii undecimo 1690, inde ad Lichfeldiam 1699, et Wigorniam anno 1717 tranſlatus. Officii Epiſcopalis pie memor ſuis ſe totum dedidit; et eſt illud ſane ſingularis inſtar felicitatis, eum ſc. eſſe Epiſcopum quem fas eſt ſine invidia laudare; quem uno omnes ore, utcunque caetera diſſentientes, praedicant et admirantur. Annus jam quinquageſimus ſecundus Epiſcopum videt, aetatis annos ita agentem, ut vita nondum languenti acceſſiſſe videatur maturitas; inſtar laudum fas ſit bonorum omnium vota adjicere, ut Vir de Eccleſia bene meritus, placidae et honoratae ſenectutis decurſu diutiſſime perfruatur.



p. 487.



De EPISCOPIS HEREFORDENSIBUS[a].

SEDES Epiſcopalis Herefordiae primum conſtituta eſt anno ſalutis per Chriſtum 680[b]; et ejuſdem primus Epiſcopus ordinatus PUTTA[c]; poſt quem ordine ſederunt ibidem quorum nomina ſequuntur. [676.]

II. TIRHTELLUS[d]. [691.]

III. TORTERAS[e]. [718.]

IV. WASTOLDUS[f], vel WALSTODUS. Hic crucem magno ſumptu coepit fabricare, quam perfecit ſucceſſor, et eidem haec carmina inſculpſit[g]:

« Haec veneranda crucis Chriſti veneranda ſacratae,
« Coeperat Antiſtes venerandus nomine *Walſtod*
« Argenti atque auri fabricare monilibus amplis.
« Sed quia cuncta cadunt mortalia tempore certo,
« Ipſe opere in medio moriens, è carne receſſit.
« Aſt ego ſucceſſor praefati Praeſulis, ipſe
« Pontificis, tribuente Deo, qui munere fungor,
« Quique gero certum *Cuthbert* de luce vocamen,
« Omiſſum implevi, quod ceperat, ordine pulchro.

---

[a] De fundatione hujus Epiſcopatus videre eſt inter Lichfeldenſes, initio.

[b] 676.

[c] Cantiâ per Regem Merciorum Etheldredum vaſtatâ, Pucta Roffenſis Epiſcopus de Cantia veniens, ordinatus eſt primus Herefordiae Epiſcopus. *Higdeni Polychron.* L. 1. p. 206.

[d] TIRTEL, *Malmeſb.* Succeſſit A. 691. *Iſaacſon.*

[e] TORTERF, *Malmeſb.* TORTHERAS, *Flor.*

[f] WALSTOCH, *Malmeſb.* WAHLSTODUS, *Flor.* VALCHSTOD, *Beda*; cui fuit coutemporarius. Lib. 5. c. 23. ſucceſſiſſe dicitur anno 718.

[g] *Malmeſb. de Pontif.* L. 4.

736. V. Cuthbertus, conſecratus anno 736[h]. Cantuariam tranſlatus eſt 740[i]. Anteceſſoribus ſuis tumulum is ſtatuit magnificum, cui carmen ſubſequens incidi curavit.

« Qui quondam extiterant famoſi altique per orbem,
« Corpora ſena tenet hominum hic marmor obumbrans;
« Tumbaque mirifico praeſens fabricata decore,
« Deſuper ex alto cohibens cum culmine tecta.
« Hos ego *Cuthbertus* ſacri ſucceſſor honoris,
« Incluſi titulis, exornavique ſepulchris.
« Pontifices ex his ternos ſancta infula cinxit.
« Nomina ſunt quorum *Walſtoldus*, *Torhere*, *Tirhtil.*
« Regulus eſt quartus *Milfrith* cum conjuge pulchra
« *Quenburga*, extitit è ſenis haec ordine quinta.
« Sextus praeterea eſt *Oſelini* filius *Offrith.*

[741.] VI. Cuthberto ſucceſſit Podda[k], et qui ſequuntur.

VII. Ecca[l].

VIII. Cedda, qui obiit anno 857[m].

IX. Albertus[n].

X. Esna. Obiit 885[o].

XI. Celmund[p].

XII. Utellus.

XIII. Wulfhard[q].

XIV. Benna[r].

XV. Edulfus[s].

XVI. Cuthwulfus[t].

XVII. Mucellus.

XVIII. Deorlaf[u].

XIX. Cunemund[x].

XX. Edgar[y].

XXI. Tidhelm.

XXII. Wulfhelm[z].

XXIII. Alfricus.

XXIV. Athulfus.

XXV. ETHELSTANUS[a].

[1012.] Hic (ut Hovedenus et Florentius) *vir magnae ſanctitatis*, ante obitum per annos 13 oculis captus coecus vixit[b], et omnia per vicarium adminiſtravit, videlicet per Tramerinum Menevenſem Epiſcopum[c].

---

[h] A Nothelmo Archiepiſcopo Cantuar. *Dunelm.* et *Hoved.* f. 230. b. [i] Ita *Hoved.* et *Weſtmon.* et ut opinor rectè. Etſi Godwinus ipſe ſupra inter Archiep. Cantuar. p. 44. annum 742 aſſignat. [k] *Malmeſb.* Potta, *Florent.* [l] De ſequentium Epiſcoporum ſucceſſione tanta eſt inter Hiſtoricos repugnantia, ut nihil certi dicendum eſt. Veteres nuda tantum nomina, recentiores pro libitu tempora aſſignant. Sed hos inter ad minimum centum annorum diſcrepantiam obſervare licet; alii ſcil. Ceddae annum 857, alii 752 aſſignantes. Nonnullorum igitur tempora ex autographis profeſſionibus ſubjungam, caeteris ad feliciorem aliquem Eccleſiae Archivorum perſcrutatorem penitus relictis. [m] *Malmeſb.* Ceadda, *Florent.* [n] Altbertus, *Malmeſb.* Ethelbertus, *Ingulp.* Aldbertus, *Florent.* [o] *Florent.* Elne, *Malmeſb.* Esne, *Weſtm.* [p] *Malmeſb.* Ceolmundus, *Weſtm. Flor.* [q] Profeſſionem fecit Athelardo, qui obiit A. 803. [r] Beonna, *Florent.* [s] *Malmeſb.* Eadulfus, *Florent.* Profeſſionem fecit Wilfrido Archiepiſcopo Cantuar. qui conſecratus eſt anno 803, et obiit A. 830. [t] Cutulf, *Malmeſb.* Cuthwlfus, *Florent.* [u] Profeſſionem fecit Celnotho Archiepiſcopo, qui ſucceſſit A. 830, et mortem obiit A. 870. *Text. Roffenſ.* p. 270. [x] Cuemund, *Malmeſb.* Cinemundus, *Florent.* [y] Eadgarus, *Florent.* [z] *Florent.* Wlfelm, *Malmeſb.* [a] *Malmeſb.* Edelstanus, *Mailr.* Aethelstanus, *Weſtmon. Florent.* Adhelstanus, *Hoved.* [b] *Hoved.* f. 254. b. *Florent.* [c] *Id. ib.*

Eccleſiam Cathedralem Herefordenſem à fundamentis excitavit ac perfecit; Deceſſit vero decimo Februarii 1055[d], et in Eccleſia à ſe conſtructa tumulatus eſt.

◆ ◆ ◆

XXVI. LEOVEGARUS[e].

[1056.] LEOVEGARUS illi ſucceſſit, Haraldi Ducis Capellanus, quem Weſt-
monaſterienſis[f] dicit fuiſſe *Dei famulum in omni religione per-
fectum, Eccleſiarum amatorem, pauperum recreatorem, viduarum et
orphanorum defenſorem, virginitatis poſſeſſorem.* Cum vix tribus ſediſſet
menſibus, Griffinus Walliae Rex, Anglorum exercitu prope civitatem
Herefordenſem profligato, ejuſdem victoriae impetu urbem etiam cepit,
“ et ſeptem Canonicis, qui valvas principalis baſilicae defenderant, occi-
“ ſis; ac Monaſterio quod verus Dei Chriſticola Antiſtes Ethelſtanus
“ conſtruxerat (cum omnibus ornamentis et reliquiis ſancti Ethelberti
“ Regis et Martyris aliorumque ſanctorum) combuſto, et nonnullis è
“ civibus necatis, multiſque captivatis, civitate etiam ſpoliata et cremata,
“ praedae ubertate ditatus rediit,” Sic Florentius[g], qui poſtea adjicit,
“ Epiſcopum Leovegarum à Griffino praedicto in loco qui Claſtbirig
“ vocatur, (Hovedenus[h] habet Glaſtingebery[i]) cum clericis ſuis, et Vice-
“ comite Agelnotho et multis aliis occiſum, Junii 16. 1056.”

* * *

XXVII. WALTERUS.

1060. POST Leovegari caedem, vacavit Epiſcopatus annos quatuor, quo
tempore rexit eum Aldredus Wigornienſis Antiſtes. Illo vero Ebo-
racum tranſlato, Walterus, patria Lotharingus, Edithae Reginae Capel-
lanus, Romae[k] conſecratus eſt per Pontificem anno 1060[l]. Huic exitus
contigit, quam anteceſſori multo infoelicior, ſaltem ſi verum ſit quod
Malmesburienſis tradidit, illorum fere temporum ſcriptor. “ Erat (inquit
“ ille[m]) in villa muliercula, quam neſcio quo infortunio ex occurſu
“ viſam, multo arſit tempore. Ignorabat illa flammas Pontificis, et ſi
“ ſciret, contemneret. Interea ſaepe cogitans Pontifex, quod nihil eſt
“ miſerius quam ſenex amans; luctabatur pro aetatis et gradus reverentia
“ morbum depellere. Probeque jam convaluerat, et victus furor terga
“ dederat, cum ex occaſione quam diaboli fraus adminiſtravit, intra
“ cubiculum illam accerſiit. Subjecerat cauſam, ut cubiculariis veſtes
“ incideret; dicebatur enim officii perita. Illa ingreſſa, et operi ad quod
“ venerat intenta; clientes ſecretorum conſcii, agmine facto diſcedunt.
“ Tum (ne multis morer) Epiſcopo poſt obſcoena dicta, vim inferre
“ paranti, foemina forcipibus, quas tenebat, inguina ſuffodit. Rumor
“ criminis et ultionis totam pervagatus Angliam, Regis quoque aures
“ attigit. Ille, dignitate Regia credulitatem diſſimulans, ne vel caeteri

---

[d] *Hoved. Dunelm. Florent.* Apud *Boſanbirig*, alias *Boſbury*, Com. Hereford.

[e] *Floril.* et *Florent.* LEOFEGARIUS, *Dunelm.* LEONEGARUS, *Hoved.* DEVERAGUS, *Mailr.*

[f] Sub. A. 1056.

[g] Ad. A. 1055.

[h] f. 254. b.

[i] Glaſtbyrig. *Dunelm.* Forſan hodie Glaſbury in agro Brechinienſi.

[k] Romam profectus eſt cum Aldredo Eborac. Archiepiſcopo.

[l] *Hoved.* f. 260.

[m] *De Pontif.* L. 4. f. 163. a.

“ diſſeminarent, graviſſimo coercuit edicto.” Inter antiquos non repperi quendam, praeter Malmesburienſem[n] antedictum, qui de hoc tam memorabili facinore ullam fecerit mentionem. Ejus proinde hac de re narrationem veritati inniti, Jovem lapidem jurare non auſim[o].

◆◆◆

XXVIII. ROBERTUS LOSINGA.

1079. Gul. 1. 14. ROBERTUS pariter ut anteceſſor, Lotharingus, parentum ſuorum curâ tantum ab ipſa adoleſcentia in bonis literis profecit, ut majoribus quibuſdam per Galliam Belgicam praefuerit ſcholis. Plurimum namque (ut hiſtorici tradunt) in Philoſophia, Rhetorica, Muſica, Arithmetica, et caeteris Mathematicis diſciplinis valebat. Quamobrem, Gulielmo primo Regi gratus, in occiſi Walteri locum aſſumptus eſt, conſecratus viceſimo nono[p] Decembris 1079[q]. Quomodo ad Eccleſiae Lincolnienſis dedicationem invitatus à Remigio, venire abnuerit, *quia certa inſpectione ſyderum* (ut habet [r] Malmesburienſis) *dedicationem tempore Remigii non proceſſuram viderat nec tacuerat*, ſupra expoſuimus. Caeterum eodem ipſo tempore quo Remigius Lincolnienſem, ſuam ille de novo conſtruxit (quam nimirum condiderat olim Ethelſtanus, ſed incendio Griffinus Wallus deleverat, quo tempore ab illo interemptus Leovegarus Epiſcopus occubuit) et ad exemplar Aquiſgranenſis à Carolo magno extructae, efformandam curavit. Tam pulchri facinoris authori debere videor, ut de illo quaecunque uſquam occurrant apud ſcriptores, meis offeram lectoribus. Habete igitur ex Malmesburienſi[s] iſta, mihi quanquam non omnino probata. “ Prae caeteris contemporaneis Epiſcopis, “ ſanctiſſimi Wulſtani familiaritati deditus erat, quem et vicinitate prae- “ ſulatus attingebat. Remotis ergo ſaepiſſime forenſibus negotiis, dome- “ ſticum illi contubernium praeſtabat, delectatus vitae illius puritate et “ innocentia; quem quamvis ante ſe extulerit, non tamen ſocialis amoris “ vinculum mors illius prolongatae corrupit. Decumbebat Wulſtanus “ Wigorniae, beato jam proximus fini: Robertus in curia (invitus dun- “ taxat) regalia placita tranſigens, aſtitit ipſi in viſu, dicens omnino intel- “ ligibiliter, Si me vis videre vivum, feſtina venire Wigorniam antequam “ obeam. Quo viſo, petita à Rege licentia, venire feſtinabat concitus, “ nulli quieti ſive die vel nocte indulgens. Metus enim pius, praeſagium “ (quod res firmavit) infuderat, ne non ſuperſtitem inveniret: Longiuſ- “ cule enim fuerat Curia. Et jam in manſi ne proxima Wigorniae ſomnio “ deditus (Crikladiae) iterato videt Wulſtanum dicentem; Nihil minus “ quam pius amor poſcit feciſti: Sed fruſtratus es deſiderio tuo. Jam “ enim migravi: Tu modo (amice ſodalis) vitae tuae conſule, provide “ ſaluti; quia non longas moras poſt me facies in hac luce. Et ne phan- “ taſtica viſione te credas illudi, ſignum accipe. Poſtquam cras corpus “ (quod jam triduo tuum ſuſtinet adventum) terrae mandaveris, dabitur “ tibi xenium ex parte mea, quod meum eſſe cognoſces. Ita Pontifex “ expergefactus, viam peregit; Wigorniam venit, officium ſepulturae “ implevit, re omnibus relata. Jamque valedicto Monachis, meditabatur

---

[n] Knighton et Brompton idem referunt, et iiſdem fere verbis.
[o] Obiit anno 1079, et in Eccleſ. ſua ſepultus.
[p] Cantuariae, *Florent.*
[q] *Hoved.* f. 362. b. *Florent.* et *Dunelm.*
[r] *De Pontif.* L. 4. f. 165. b.
[s] *Ib.* f. 163.

“ diſcedere, calciatumque calcaribus equus operiebatur, cum Prior loci “ genibus ejus reverenter affuſus, praetendit xenium, dicens; Accipe “ domine ſi tibi placet, amatoris tui cappam agninis pellibus inſultam, “ qua indutus, equitare ſolebat; quae et longum veſtrum teſtetur amorem, “ et ſanctitatis Domini noſtri mereatur protectionem. Hoc ille audito “ et munere cognito, impalluit, geliduſque cucurrit per oſſa tremor; “ ſtatimque dilata profectione, concionem monachorum accivit in Capitulum, “ lachrymis et ſuſpiriis, quantum res exigebat, referens, quanta “ veritate ſomnium et factum quadraſſent. Itaque omnibus ſua morte “ commendata, diſceſſit; de admonitione quidem laetus, ſed ſemper “ ſancto timore ſollicitus. Januario mediante, Wulſtanus tranſiit, nec “ Robertus Junium [t] tranſcendit.” Tumulatus jacet juxta murum Septentrionalem, paulo ſupra capellam in qua Stanburius ſepultus eſt; ſaltem ſi credimus inſcriptioni ibidem infixae. Mihi vero potius perſuaſum, ibi loci humatum, ubi monumentum videmus Raynelmi dictum. Cujus rei fidem facere videtur, quod imago tumulo impoſita, manu videtur ſuſtinere Eccleſiae effigiem, quaſi Eccleſiae conditor ibi loci ſit tumulatus [u].

XXIX. GERARDUS[x].

[1096.] Gul. 2.9. GERARDUS [y] illi ſucceſſit, Walkelini Wintonienſis Epiſcopi nepos. Moram hic faciens perbrevem, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus eſt [z].

XXX. RAYNELMUS[a].

1107. Hen. 1.8. “ SUBSTITUI [b] juſſus eſt à Rege Rogerus Lardarius, vel ut nonnulli “ Larderarius Regius. Sed is nullo Pontificali munere ſuſcepto, “ infra octo dies electionis apud Lundoniam (ubi tunc erat Curia) defunctus “ eſt: Mandato antea Archiepiſcopo Anſelmo (Deus bone quam “ mira ineptia) ut ſe in Epiſcopum conſecraret antequam moreretur; “ eoque anxie et inſtantiſſime poſtulato. Quam hominis fatuitatem, nullo “ relato reſponſo, ſanctus Antiſtes ſolius modeſtia riſus infirmavit. Tunc “ ſtatim electus eſt [c] Raynaldus (reponendum Raynelmus, nam haec “ omnia Malmeſburienſis [d]) Reginae Cancellarius, ut mortui locum teneret; “ qui ſecundum morem quem Rex tunc legitimum arbitraretur, “ per Principem annulo et baculo inveſtitus; ubi benedicere illum et “ caeteros ſic inveſtitos, Archiepiſcopo recuſante, perperam ſe feciſſe intellexiſſet; “ ultro nec rogatus nec juſſus, retulit annulum et baculum “ Regi. Quocirca amicitiae Regalis extorris, curia quoque arceri juſſus eſt. “ Tacite id ille patienter tulit, donec dulciori aura cor Regium ſerenante,

---

[t] Jun. 26. 1095. *Hoved.* f. 266. b. et *Florent.* p. 647.

[u] Chronicon Mariani Scoti ſplendide defloravit, ut jam majus valere videatur ipſa defloratio, quam ingentis illius voluminis diffuſio; ait *H. Knighton.* Col. 2348.

[x] GIRARDUS, *Malmeſb.*

[y] Conſecratus eſt Londini 15 Jun. 1096, una cum Samſone Wigorn. Epiſcopo, aſtantibus Eborac. London. Norwicenſi et Roffenſ. Epiſcopis. *Hoved.* f. 267. b. *M. Paris.* p. 29. *Eadm. Hiſt. Nov.* p. 35.

[z] Anno 1100. *Dunelm.*

[a] *Dunelm.* REINELMUS, *Malmeſb. Weſtm. Hoved.* REGNELMUS, *Chron. Petrob.* REIGNELMUS, *Florent.*

[b] Circa feſtum S. Michaelis 1102. *Hoved.* f. 269. a. et *Eadmer.*

[c] Anno 1103. *Continuat. Mar. Scoti*

[d] *De Pontif.* L. 4. f. 163. b.

“ legitime introductus, et honorifice conſecratus eſt. Manſit in Epiſ“ copatu magna modeſtia, tum virtutibus caeteris, tum compunctione “ timoris Dei ubique, et maxime inter miſſarum agenda lachrymis irri“ guus, nullius mali opinione infamis, niſi quod minus quam decebat, “ et citra facultatem ſuam eſſe dapſilis dicebatur. Deceſſit poſt paucos “ annos vitio podagrae,” videlicet Octobris[e] viceſimo octavo 1115; conſecratus vero decimo[f] Auguſti 1107. Sepultus dicitur ab Auſtrali parte presbyterii. Crediderim potius in loco Roberto anteceſſori ſuo aſſignato tumulatum, ſicut antea dictum eſt.

XXXI. GALFRIDUS[g] DE CLIVA.

1115. Hen. 1. 16. “ ACCEPIT ſucceſſorem (iterum adhuc Malmesburienſis[h]) Gaufri“ dum cognomento de Diva (perperam pro Cliva) non plus quin“ que annis, vulgatiſſimo jam per ora hominum infortunio, ut non diu “ quiſquam apud Hereford Epiſcopus ſuperſit. Bonus quidem et ille, “ continentiſſimuſque, indifferenter cibis et veſtibus quae minori pretio “ taxarentur utens, agriculturae ſtudens; terras Epiſcopatus, quae ante “ exactionibus vectigalium multum laeſae fuerant, reparavit et provexit. “ Quare et farre et caeteris quae victum miniſtrant ſufficiens, paulo tena“ cioris animi ad pauperes fuit. Lacerandam ergo famam ſuam merito “ praebuit, quod nulla miſericordia erga egentes motus, magnam copiam “ victualium nulli haeredi reliquit.” Conſecratus viceſimo ſexto Decembris 1115[i]. Obiit Februarii tertio[k] 1119, et in Septentrionali muro tumulatus jacet paulo ſupra Robertum anteceſſorem. Sunt qui tradunt Arnulphum quendam Epiſcopum Herefordenſem renunciatum Wintoniae Auguſti 15. 1114, ab Henrico primo Rege; quod verum eſſe non poteſt, cum certum ſit Raynelmum tum adhuc ſuperſtitem extitiſſe.

XXXII. RICHARDUS.

1120. Hen. 1. 21. RICHARDUS[l] (quem Malmesburienſis appellat Clericum de Sigillo) conſecratus eſt Lamethae decimo ſexto Januarii 1120, et Ledburiae decedens decimo quinto Auguſti[m] 1127, in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

XXXIII. ROBERTUS DE BETUN.

1131. Hen. 1. 31. “ TUNC demum bono ſi Deo placet omine (ſic non male auguratus “ eſt Malmesburienſis[n]) electus eſt factuſque Praeſul Robertus[o], “ Prior Canonicorum de Lantoni, qui hodieque (inquit ille) ſupereſt,

---

[e] Circa feſtum Omnium Sanctorum 1115. *Dunelm. Florent.*

[f] Undecima fuit dies Dominica. *Malmeſb. de Pont.* L. 1. f. 129. b. *Paris. Dunelm. Hoved. Weſtm.*

[g] GAUFRIDUS, *Dunelm. Florent.* GOLFRIDUS, *Hoved.*

[h] *De Pontif.* L. 4 f. 163. b.

[i] *Florent. Dunelm. Hoved.* f. 271. b.

[k] *Florent.* Die ſecundo, *Dunelm.* et *Hoved.* f. 272.

[l] Regis Capellanus, electus eſt apud Windeſor. Jan. 7. una cum Roberto Epiſc. Covent. et conſecratus ab Archiepiſcopo Cantuar. aſtantibus London. Lincoln. Roff. Meneven. et Glamorg. Epiſcopis. *Eadmer.* L. 6. p. 137. *Hoved.* f. 273.

[m] Ita *Paris.* et *Florent.*

[n] *De Pontif.* L. 4. f. 163. b.

[o] Nominatus eſt à Rege A. 1129. *Paris.* ſed non conſecratus uſque ad annum 1131.

"cujus facta poſteri judicabant. Nunc plane illi benignum fama ſtravit "iter, ipſum eſſe religioſiſſimum, in victu et veſtitu abſtemium. Apo"ſtolicae certe curiae ita notus, ut ei poſt Legatum et Archiepiſcopum, "omnes diſpoſitiones ſuas in Anglia injungat." Conſecratus eſt Oxoniae (ubi educatum ferunt) decimo nono Junii[p] 1131, (et non 1151, ut perperam quidem) per Gulielmum Archiepiſcopum Cantuarienſem. Deceſſit[q] viceſimo ſecundo Aprilis 1148, et tumulo jacet conditus in Auſtrali muro Eccleſiae, è regione Presbyterii. Gulielmus quidam Lantonienſis poſt illum Prior, vitae ejus hiſtoriam perſcripſit[r].

XXXIV. GILBERTUS FOLIOT.

GILBERTUS FOLIOT Abbas Glоceſtrenſis, conſecratus anno 1149[s], postquam duodecim plus minus annis ſediſſet, anno ut nonnulli 1161, ut alii 1163[t], Londinum tranſlatus eſt. * 1147. STEPH. 12.

XXXV. ROBERTUS DE MELUN[u].

SUCCESSIT illi Robertus de Melun[x], qui obiit viceſimo[y] octavo Februarii 1167, et juxta Betunium anteceſſorem tumulatus eſt. * 1163. HEN. 2. 9.

XXXVI. ROBERTUS FOLIOT.

POSTQUAM ſex annos Eccleſia Herefordenſis tum vacaſſet, impetrata tandem à Rege elegendi licentia, electus eſt à Canonicis Robertus Foliotus Archidiaconus Oxonienſis, et anno inſequenti conſecratus[z] una cum aliquot aliis quorum itidem ſedes, propter turbas circa Beketti mortem exortas, diu manſerant paſtoribus deſtitutae. Qua de re plura ſupra in Richardo Moro Wintonienſi. "Vir (ut habet Balaeus[a] ex Lelando) "memorabilis inprimis et optime meritus de bonis artibus, quibus, ado"leſcens, non ſolum in Britannia, verum etiam in Gallia jugem adhibuit "operam. In Gallia certe amicitiam contraxit cum Beketto, quem ali"quandiu diſcipulum illic habuit, poſtea patronum cui inſerviebat. Inter "haec fit Archidiaconus (ut antea monſtratur) illius beneficio," eoque mortuo, Herefordenſis ſedis gubernaculo admotus eſt, non viventis opera, ut ſcriptor praedictus, qui eum cum Roberto Melunenſi confundit. Obiit Foliotus Maii nono 1186, et juxta Melunenſem antedictum jacet tumulatus[b]. 1174. HEN. 2. 20.

---

[p] Dies fuit Dominica, 29 non ita, ut habet *Florent.* [q] In partibus tranſmarinis 1149. *Joh. Haguſt.* 1148, *Chron. Petrob.* 1146, *Weſtm.* [r] Extat inter MSS. Lameth. Num. 151. [s] Anno 1148. *Weſtm.* Sept. 5. 1147. ab Archiep. Cantuar. aſtantibus Thidrico Ambianenſi, et Nicholao Cameracenſi Epiſcopis tranſmarinis. *Gervaſ. Chron.* Col. 1364. [t] Menſe Januario 1162 nominatus; *Id.* Menſe Aprili 1163 confirmatus eſt. *Diceto.* [u] MELEDUN, *Gervaſ.* de MALDONIA, *Trivet.* [x] Prior de Lanthony. Conſecratus eſt 22 Dec. 1163. in Eccleſ. Cantuar. *Gervaſ. Chron.* Col 1385. [y] Viceſimo ſeptimo A° 1166. *Annal. Menev.* [z] Cantuariae Oct. 6. 1174. *Hoved.* f. 309. apud Lametham. *Dicet.*—— Anno 1178 adfuit in Concilio Lateranenſi. *Dacher. Spic.* T. 12. p. 650. [a] Cent. 3. p. 216. [b] Adi *Voſſium de Hiſtor. Lat.* L. 2. c. 52.

XXXVII. GULIELMUS VERUS.

1186. Hen. 2. 32. GULIELMUS VERUS[c] (qui multa dicitur conſtruxiſſe) conſecratus anno [d] 1186, oppetiit mortem viceſimo quarto Decembris 1199[e]. Sepultus eſt juxta proximum anteceſſorem; ut iſti quatuor uno loco jaceant conditi, Betunius, Melunenſis, Foliotus, et hic noſter Verus; qui tumulos habent ſibi mutuo tam ſimiles (pene dixeram quam ovum ovo) certe ut niſi loco et ordine, non poſſis unum ab alio internoſcere aut diſtinguere.

XXXVIII. AEGIDIUS DE BRUSE[f].

1200. Joan. 2. AEGIDIUS BRUSIUS, filius Gulielmi Baronis[g] de Brecknock, ſummae nobilitatis et potentiae viri, conſecratus eſt viceſimo quarto Septembris 1200[h]. In bello inteſtino, quod Joannes Rex cum Proceribus ſuis habuit, ſeditioſis contra legitimum principem adhaeſit, eamque ob cauſam ſolum vertere coactus eſt. Poſtea reditu impetrato, in gratiam Regis receptus, dum ſuos repetit penates, Gloceſtriae moritur decimo ſeptimo Novembris 1215, haereditatem ampliſſimam ad ſe devolutam, Reginaldo fratri relinquens, qui uxorem duxit Leolini Septentrionalis Walliae Principis filiam. Humatus jacet ab Aquilonari parte presbyterii, ubi imago pontificalis tumulo impoſita, manu videtur tenere campanilis effigiem: unde conjicio campanile Eccleſiae ab eo conſtructum.

XXXIX. HUGO DE MAPENORE.

1216. Hen. 3. 1. HUGONI DE MAPENORE, qui Decanus fuerat Herefordenſis, hujus Sedis temporalia reſtituta comperi nono Decembris, Henrici tertii primo[i]. Circa feſtum Paſchatis 1219[k], mortem obiit, et ſepultus jacet (ſi bene memini) in muro Septentrionali prope monumentum Egueblanci.

XL. HUGO FOLIOT.

1219. Hen. 3. 4. HUGO FOLIOT Archidiaconus Salopiae, conſecratus ſub initium Novembris[l] 1219, deceſſit viceſimo ſexto Julii 1234[m].

---

[c] Filius Alberici de Veer Oxoniae Comitis illius nominis tertii. Ita Author Catal. honoris.—Et ex nobili Clarentium familia oriundus, uti teſtatur *author Vitae Giraldi* c. 21. ubi agitur de Reſo Suthwalliae principe, in aedibus iſtius Epiſcopi apud Hereford, una cum Baldwino et reliquis Angliae Legatis, prandente. *MS. Barl.*

[d] Conſecratus Feſto S. Laurentii (Aug. 10) 1186. *Dicet.*

[e] Menſe Septembri 1198. *Gervaſ. Chron.* Anno 1198 *Hoved.* f. 448. b. In tumulo verò inſcriptum legimus 1199. *Willis in Epiſc. Heref.*

[f] GILO DE BRAUSE, *Weſtmon.*

[g] *Hoved.* f. 458.

[h] *Weſtmon.* et *Hoved.* In Capella S. Catharinae apud Weſtmon. una cum Joanne Norwic. Epiſcopo. *Dicet.* et *Weſtm.*

[i] Conſecratus Dec. 6. 1216. *Annal. Waverl.* Sed 6 non fuit dies Dom. eo anno.

[k] *Weſtmon.*

[l] Electus menſe Junio et conſecratus Octob. *Annal. Wigorn.* Circa feſtum Omnium Sanctorum. *Weſtmon* Novemb. 3 dies fuit Dominica, non 1, ut in *Willis*, et *Le Neve.*

[m] A. 1234. *Weſtm.*

XLI. RADULPHUS[n] DE MAYDENSTAN.

1234. Hen. 3. 18. RADULPHUS DE MAYDENSTAN ſucceſſit[o], *vir magnae literaturae, et in Theologia nominatiſſimus*, ut habet T. Wyke, Chronici Oſneienſis author. Qui à Nobili quodam, cui nomen Monthaut, aedes illas pretio comparavit, ad quas Londinum venientes Herefordenſes Epiſcopi ſe poſtea recipere conſueverunt; et ſimul patronatus inſuper jus Eccleſiae, ubi aedes praedictae ſitae ſunt, et ab illa Monthautorum familia, nomen etiamnum hodie obtinet S. Mariae de Monthaut. Aedes ſimul et patronatus jus praedictum Sedi ſuae contulit anno 1239, Franciſcanorum habitu Oxoniae ſuſcepto[p], Epiſcopatu ſe abdicavit. “ Iſtum ſexto ſui Pontificatus anno (inquit Balaeus[q]) arctioris vitae ſtudium, ab Epiſcopatu, ad Collegium Franciſcanorum deduxit cum uno Abbate et Monachis, ac ſacrificulis, ut author eſt Antoninus in tertia Chronicorum parte. Hi lapides (inquit) ad aedificia portaverunt &c.” Reliquam aetatem Gloceſtriae degens, ibi poſt quinquennium deceſſit[r], ibique jacet ſepultus.

* * *

XLII. PETRUS DE EGUEBLANK[s].

* 1240. Hen. 3. 25. “ DIE ſancti *Bartholomaei* (inquit Pariſienſis[t]) 1239[u] electus eſt in Epiſcopum *Herefordenſem* magiſter *Petrus* de *Egueblancke*, qui aliquando familiaris Clericus fuit, et procurator expenſarum Gulielmi Electi *Valentini*, natione *Provincialis*[x]. Et poſt parvum temporis intervallum, cum magno honore eſt à Rege receptus, et confirmatus ſine aliqua contradictione vel difficultate. Alius enim quidam Canonicus *Lichefeldenſis*, vir per omnia commendabilis, electus, videns dies malos imminere, et Regem nullum fere niſi alienigenam affectare, ceſſit; et regimen Eccleſiae Deo, et Canonicis fratribus ſuis commiſit diſponendum.” Sic ille. Anno 1255 magnam iſte contra ſe invidiam concitavit, quod illius conſilio ingenti pecunia Clerum Rex emunxerit, cujus rei prolixam habet narrationem Pariſienſis praedictus. Anno deinde ſequenti, multum irriti laboris inſumpſit, in Archiepiſcopatu Burdegalenſi ambiendo. Diem obiiſſe Archi-praeſulem ibidem acceperat. Quapropter precibus, largitione, et nullo non ambitus genere aulicorum favore quaeſito; voti ſe compotem factum exiſtimavit, quando vivere et valere Archiepiſcopum eſt nunciatum. “ Cum veritas pateret quod viveret, iter, laborem, (Pariſienſem audis[y]) operam perdidit et expenſas: multis ſannis appetitus, ſicut de quodam magiſtro Lambino dicitur contigiſſe, de quo duo verſiculi componebantur.

---

[n] ROBERTUS, *Lit. Pat.* et *Weſtmon.* necnon *Joh. Haguſta.* [o] Rex conſentit electioni Roberti de Maydeſton Hereford. Decani 30 Sept. *Pat.* 18 H. 3. m. 3. [p] Dec. 17. 1239. *Weſtm.* Dedit Eccleſiae Heref. Eccleſiam de Bayſham pro anniverſario ſuo celebrando, et viginti marcas de Eccleſia de Didlebury pro ſuſtentatione Miniſtrorum. *Statuta Eccleſ.* p. 58, 59. MS. Wren. [q] Cent. 1. p. 41. [r] A. 1244. Ob. Johannes (Robertus certiſſime) Epiſc. Hereford. qui privatus Epiſcopatu ſuo, apud S. Albanum papali juſſu perendinaverat circiter 20 annis. *Weſtm.* p. 318. [s] EGLEBLANKE, *Weſtm.* de AQUA BLANCA, *Placit.* ad A. 5 E. 1. [t] P. 480. [u] 1240 *Par.* [x] Cuſtos Garderobae Regis *Pat* 25 H. 3. m. 10. *MS. Anſtis.* Conſecratus Londini in Eccleſ. S. Pauli Dec. 23. 1240 *Weſtm Paris. T. Wikes.* [y] P. 803.

“ Aere dato multo, nondum paſtore ſepulto,
“ Lambit ad optatum Lambinus pontificatum.

Anno poſtea 1263 à Baronibus ſeditioſis in Eccleſia ſua Cathedrali comprehenſus, opibus direptis, pecunia ſua quam magnam congeſſerat militibus ſe coram diſtributa, in arcem Ordlinenſem conjectus, ibi diuturnae captivitatis ſquallorem perpeſſus eſt[z]. Fieri non potuit (ſicut loquitur non nemo) quin tam multorum diris et execrationibus appetito, plurima contingerent adverſa. Aliquanto ante captivitatem tempore, *multiplicibus meritis exigentibus* (inquit Pariſienſis[a] praedictus) *turpiter infirmatus, morphea, polypo, vel quadam ſpecie leprae percuſſus, ſauciatus eſt.* Hunc morbum, undique conquiſitis remediis, nemo potuit levare, nedum ſanare. Obiit viceſimo ſeptimo Novembris 1268, et tumulo conditus eſt grandiuſculo, quem videmus contra Septentrionale oſtium chori ſitum. Canonicis Eccleſiae ſuae 190 modios frumenti certa lege annuatim diſtribuendos ordinavit. Coenobium etiam condidit apud Aquam-bellam in Sabaudia, ubi natus, et nomen inde ſumpſiſſe videtur. Certe cor ſuum ibi ſepultum indicat inſcriptio ibi loci nuper viſenda; quod me non ita pridem amicus quidam admonuit.

XLIII. JOANNES BRETON.

*1269. HEN. 3. 53. JOANNES BRETON[b] legum Doctor (juris etiam noſtri municipalis tam peritus, ut libellum ea de re conſcripſerit, qui etiamnum hodie magno in pretio habetur, cui titulus *De Juribus Anglicanis*[c]) Epiſcopus Herefordenſis moritur duodecimo Maii 1275.

XLIV. THOMAS CANTILUPUS.

1275. EDW. 1. 3. SEPTEMBRIS octavo ſequenti[d], Thomas Cantilupus Staffordienſis Archidiaconus, et Angliae[e], necnon et Academiae Oxonienſis Cancellarius, conſecratus eſt. Qui genere nobiliſſimus[f], ſuis multo magis virtutibus nobilitatus; ab ineunte aetate eximia ſemper ingenii indole, quam jugi literarum ſtudio diligenter excoluit, integritate vitae, morumque ſanctitate ſemper vel à puero celeberrimus extitit. Patrem habuit Gulielmum Baronem de Cantilupo, matrem vero Milicentam Comitiſſam Ebroicenſem. Studiorum cauſa ad Academiam Oxonienſem ſe primo contulit, atque inde Lutetiam, ubi Magiſterii titulo ornatus eſt. Oxoniam reverſus, juri Canonico operam dedit, donec ejuſdem facultatis Doctor creatus, “ tandem (audi pauliſper Walſingamium[g]) ad Theologiam totam

---

[z] *Weſtm.* A. 1263. [a] P. 813. [b] Rex conſentit electioni 14 Jan. 1268. *Pat.* 53 H. 3. Et conſecratus eſt apud Waverley Jun 3. 1269. ita *Annal. Winton.* dies verò 2 non 3 fuit Dominica A. 1269. [c] Ita *Weſtmon.* in A. 1275. *Seldenus* vero (in Notis ad Hengham p. 130, 131) clariſſimè probat Epiſcopum noſtrum non fuiſſe authorem hujus libelli, eò quod Statuta ſunt nonnulla in eo citata, quae non niſi multos poſt annos ab Epiſcopi deceſſu ſunt condita. [d] Joannes nuper Epiſc. Herefor. defunctus ante 12 Maii. *Fin.* 3 E. 1. m. 24. Et Thomas electus 23 Jun. *Fin.* 3 E. 1. m. 19. [e] Die Mercurii prox. poſt feſtum S. Petri ad Cathedram, Rex recepit M. Sigillum à Joanne de Chiſhul Archidiac. London. et eodem die commiſit Tho. de Cantilupo cuſtodiendum A. 1265. *Clauſ.* 49 H. 3. m. 9. et *Pat.* 49 H. 3. m. 22. Idem Mag^r. Thomas conſtitutus Cancellarius cum annuo foedo quingentarum Marcarum in ſui et clericorum Cancellariae ſuſtentationem. Teſte Rege apud Weſtmon. 26 Mar. *Pat.* 49 H. 3. m. 18. *MS. Gale.* [f] De parentela, moribus et dignitatibus hujus Epiſc. videre eſt apud *Baluz. Collect. Act.* ad vit. Pap. Avenion. p. 366. De miraculis &c, *Rym. Fœd.* T. 2. p. 972, 993. T. 3. paſſim. [g] *Hiſt. Angl.* p. 11.

" tranſtulit intentionem, in qua licentiatus ad magiſterium, cum ſub fratre " Roberto de Kilwardby, ordinis Praedicatorum, quem dum Provincialis " fuerat, admodum familiarem habuit, decreviſſet incipere; incidit negotii dilatio medio tempore, praefato fratre aſſumpto ad Cantuarienſis " Eccleſiae praeſulatum. Sub quo tamen (poſt conſecrationem ejus Oxonias veniente) in Eccleſia Fratrum Praedicatorum incepit juxta deſiderii " ſui complementum. In cujus commendatione (quae ſolet fieri ante " [principium], poſt diſputationem quae Veſperiae appellantur, de Baccalaureis magiſtrandis) aſſeruit praefatus Archiepiſcopus (quem dictus " Thomas ab olim Confeſſorem habuerat) nullius unquam mortalis criminis ipſum ſenſiſſe contagium." Hactenus Walſingamius; cui ignoſcat Lector oportet, ſi de homine in ſanctorum album aſcripto, immodica et non credenda praedicet. Neſcio tamen an modeſtius iſte quam Weſtmonaſterienſis [h], qui author eſt, "adeo miraculis hunc novum Sanctum coruſcaſſe, ut infra breve temporis ſpatium, 163 miracula pro illo fieri " Deus voluerit." Sed dimidium hic non attigit, ſi verum ſit quod Haraeus et alii tradiderunt, qui nimirum perhibent "in diverſis codicibus " ejus loci ubi ſacra ejus oſſa quieſcunt, miracula ejus annotata reperiri, " quadringenta et viginti quinque in variis curandis morbis divinitus de" clarata." Sed errare iſtos poſſe ſatis eſt argumento, quod in tempore exitus tradendo lapſi ſunt, et Haraeus, et Surius in vita illius, necnon Baronius in Martyrologio. Nam cum anno 1275 Epiſcopum renunciatum, apud ipſos, alioſque omnes ſcriptores, quos mihi videre contigerit, ſit in confeſſo: Weſtmonaſterienſis teſtatur (id quod Eccleſiae hujus monumenta confirmant) poſtquam annis duntaxat ſeptem ſediſſet, ex vita eum migraſſe, neque annum ſalutis 1283 ſupergreſſum; quanquam iſti quadriennium (ſi non quinquennium) adhuc amplius illi vitae ſpatium produxerint. Quare anno Domini 1283 vitam eum cum morte commutaſſe, Weſtmonaſterienſis [i] praedictus aſſerit, et non *in reditu à curia Romana* (ut illi) ſed *in via verſus Curiam*. Caeterum ex aliis monumentis à me viſis clarum eſt, anno neque 1287 eum obiiſſe (ut perperam Martyrologi Romani) neque 1283, (ut propius vero Weſtmonaſterienſis) ſed 1282; idque non ſecundo Octobris, ſed viceſimo quinto Auguſti [k], et utrum juxta Montem Flaſconis neſcio (quem locum mortis ejus prodit Haraeus) certe apud civitatem Veterem in Hetruria. De tempore vero à ſe tradito ſi hallucinatum ſe nolit Haraeus credere; meminerit, Cantelupum à Martino Pontifice honorifice acceptum (ſi omnia ſua vera ſunt) quem conſtat obiiſſe viceſimo octavo Martii 1285. Rurſus enimvero de cauſa profectionis ejus ad Curiam Romanam, alia traduntur ab iſtis; ab hiſtoricis vero noſtris alia atque alia. Sic nimirum Haraeus, "Gilbertum Gloverniae Comitem ob " jura Eccleſiae beatum virum fatigaſſe; qui Romanum Pontificem adire " decrevit, ut ab eo tantis moleſtiis oportuna remedia impetraret." Weſtmonaſterienſis è contra, Gloceſtrenſis Comitis nulla facta mentione, "pro " cauſa Eccleſiae ſuae quam contra fratrem Joannem de Pecham de " ordine fratrum Minorum, Archiepiſcopum Cantuarienſem, defendere " proponebat, in partibus obiiſſe tranſmarinis." Caro ab oſſibus ſeparata in Eccleſia ſancti Severi honorificè dicitur ſepulta; oſſa vero in Angliam apportata, in Eccleſia ſua ſepulchro ſunt condita, in Aquilonari parte tranſepti ad Orientem; ubi ex marmore tumulum videmus excelſum [l]. A Joanne 22 Papa in ſanctorum album aſcriptus eſt [m]. Et à ſucceſſoribus hoc illi honoris habitum, ut inſignia ejus gentilitia jam inde ab eo tempore pro ſedis ſuae inſignibus uſurpaverint, In campo videlicet rubro tria Leopardorum capita aurea inverſa, totidem lilia in ore geſtantia.

---

[h] Ad. A. 1287.

[i] *Weſtmonaſterienſis* tantum refert eum *obiiſſe in partibus tranſmarinis* A. 1287. *Walſinghamus* verò et in *Hiſtor*. p. 11. et in *Ypodigm*. p. 72. ait hoc contigiſſe *in via verſus Curiam Romanam* A. 1283. Annum 1282 à *T. Wikes* aſſignatum eſt, et rectè ut è ſequentibus patebit.

[k] Vacat Epiſcopatus 8 Oct. per mortem Thomae de Cantelupo. *Pat*. 10 E. 1.

XLV. RICHARDUS SWINFEILD.

1282. Edw. 1. 11. RICHARDUS DE SWINFEILD ſacrae Theologiae Doctor, è Cantio oriundus, homo in concionibus et diſertus et aſſiduus [n], conſecratus eſt ſeptimo Martii 1282; annos praefuit 34, et deceſſit decimo quinto Martii 1316. In Septentrionali muro juxta chorum jacet ſepultus, ſicut elogium teſtatur tumulo marmoreo inſculptum ibidem.

XLVI. ADAM DE ORLTON.

1317. Edw. 2. 10. ADAMUS [o] DE ORLTON legum Doctor, in Herefordenſi Civitate natus, conſecratus eſt viceſimo ſecundo Septembris [p] 1317; et viceſimo quinto Septembris [q] 1327 Wigorniam tranſlatus eſt, poſteaque Wintoniam [r].

XLVII. THOMAS CHARLTON.

1327. Edw. 3. 1. THOMAS CHARLTON legum Doctor [s], Canonicus Eboracenſis, conſecratus eſt (jubente Papa) decimo octavo Octobris 1327. Anno 1329 Angliae fuit ad tempus Theſaurarius [t]. Anno deinde 1337 miſſus in Hiberniam, ejus regni factus eſt Cancellarius, et frater quidam ejus Joannes Charlton Eques auratus ſummus ibidem Juſtitiarius conſtitutus. Anno verò ſequenti, Eques à fratre ob male adminiſtratam provinciam accuſatus, exauthoratus eſt, munere ejus ad Epiſcopum delato, [qui] Hiberniae factus [eſt] Juſtitiarius, necnon Cuſtos ſive Gardianus [u]. Siquidem Pro-regem appellare non poſſumus, Hiberniae Regis titulo à Principibus noſtris nondum aſſumpto. In patriam anno 1340 revocatus eſt. Cum annos ſediſſet ſedecim mortem oppetiit undecimo Januarii 1343, et in Septentrionali parte tranſepti jacet conditus, ubi tumulum videmus ſpecioſum è regione horologii[x].

---

[l] Cor verò in Eccleſ. Monaſterii de Aſhridge Com. Buck. ab Edmundo Cornubiae Comite fundati. *MSS. Anſtis* et *Barlow.*

[m] Rex (Edw. 2) Papae reſcribit pro Canonizatione T. de Cantelupo dat. apud Weſtmon. 12 Dec. 1307. *Rym.* T. 3. p. 39. &c. Iterum dat. 15 Apr. 1308. *Ib.* p. 77. Dat. 15 Sept. 1312. *Ib.* p. 347. 21 Jan. 1317. p. 693. 30 Maii 1318. p. 709. 17 Januar. 1318. p. 754. Preces jam auditae regratiatur Papae. Lit. dat. 26 Jun. 1319. *Ib.* p. 784.

[n] Canonicus Herefordenſis electus eſt ante 7 Dec. 1282; Confirm. 31 Dec. *Regiſtr. Peckham.* et Temporalia habet reſtituta 8 Jan. *Pat.* 11 E. 1. Conſecrationis verò tempus nondum occurrit.

[o] Richardo defuncto Licentia eligendi conceditur 7 Apr. 2 *Pat.* 10 E. 2. Nihilominus Adam de Orleton à Papa praeficitur, cui Rex reſtituit Temporalia 20 Jul. 1 *Pat.* 11 E. 2.

[p] Nec dies 22, ut author hic aſſerit, nec 26, ut inter Epiſc. Wigornienſes, ſed 25 fuit dominica anno 1317.

[q] Bulla tranſlationis data eſt 25 Sept. 1327.

[r] Adhuc Epiſcopus Heref. in Parliamento apud Weſtmon. laeſae Majeſtatis reus, allocutus eſt coram Epiſcopis et Magnatibus, et per inquiſitionem convictus, temporalia ejus in manu Regis ſeiſita, et ipſe ob reverentiam Epiſcop. dignitatis, dimiſſus eſt in foro Eccleſiaſticae juriſdictionis. *Rot. Rom.* 16 E. 2. m. 6. Vid. ſupr. inter Epiſc. Winton. p. 224.

[s] Ex nobilibus parentibus, in partibus Walliae vicinis, traxit originem, et multos habet ibidem de genere ſuo Nobiles et Magnates. Ita ait Edw. 2. in litera ad Papam dat. 28 Mar. 1316. *Rym. Foed.* T. 3. p. 617.

[t] Viceſimo Maii 1328, loco Epiſc. Lichfel. 2 *Pat.* 2 E. 3. m. 32.

[u] *Waraeus de Antiqu. Hibern.* et *Cambd.*

XLVIII. JOANNES TRILLECK.

JOANNES TRILLECK[y] ſedit[z] annos ſedecim menſeſque inſuper ſex, 1344.
et nullo condito teſtamento deceſſit ſub exitum Decembris 1360[a]. Edw. 3. 18.

XLIX. LUDOVICUS CHARLTON.

LUDOVICUS[b] CHARLTON ſacrae Theologiae Doctor (quem Ba- 1361.
laeus videtur appellare Ludovicum de Carleon, quod Carleonae in Edw. 3. 35.
Comitatu Monumethenſi natus fuerit) bonarum literarum ſtudio dedit operam Oxoniae primum, deinde Cantabrigiae; Oxoniae tamen Cancellarius poſtea Academicorum ſuffragiis creatus anno 1357. Theologus fuit inſignis, et Mathematicarum ſcientiarum valde peritus, medicinae etiam non ignarus, ſicut opera ab illo edita teſtantur abunde. Per Bullam Papalem Epiſcopus Herefordenſis renunciatus eſt decimo Septembris 1361. Sedit annos octo, et anno Chriſti 1369[c] defunctus, monumento conditur ſatis pulchro, in Septentrionali muro Eccleſiae ſupra chorum.

L. GULIELMUS COURTNEY.

GULIELMUS COURTNEY[d] conſecratus anno 1369. Annos prae- 1369.
fuit quinque menſeſque ſex; et Londinum anno 1375 transfertur, Edw. 3. 43.
poſteaque etiam Cantuariam.

LI. JOANNES GILBERTUS.

JOANNES GILBERTUS Dominicanus, ab Eccleſia Bangorenſi huc 1375.
transfertur[e] 1375. Anno 1385 Legatus in Galliam amandatur: et Edw. 3. 49.
anno deinde ſequenti Theſaurarius[f] Angliae conſtitutus, id muneris abdicare cogitur authoritate Parliamentaria 1389. Reſtituitur[g] tamen poſteà, factus jam Epiſcopus Menevenſis, ad quam ſedem tranſlatus anno 1389[h] praedicto, temporalibus (ut loquimur) reſtitutus eſt Julii duodecimo.

---

[x] Archidiaconus fuit Wellenſis et Northumbr. et Eccleſiae Collegiatae S. Mariae Stafford. Decanus. *Br. Willis.*

[y] Reſtitutionem habet Temporalium 29 Mar. 1 *Pat.* 18 E. 3. m. 27.

[z] Anno 1359 Coadjutorem habuit aſſignatum Tho. Trilleck ejuſdem Eccleſ. Decanum. Teſte Cuſtode Regni apud Redyng. 18 Jan. *Rym.* T. 6. p. 155.

[a] Spiritualia accepta ſunt in manus Archiep. 27 Jan. 1360. *Regiſtr. Iſlip* f 230.

[b] L. de Charleton Canonicus Herefor. electus ab una parte Capituli (Joannes autem Barnet Archidiac. Lond. ab altera) proviſus eſt ab Innocentio ſexto Sept. 10. Pontif. nono. Spiritualia accepit, poſt profeſſionem aſſuetam apud Atteford, tertio Novem. 1361. *Regiſtr. Iſlip* f. 231. et Temporalia reſtituta ſunt 14 ejuſdem menſis. 3 *Pat.* 35 E. 3. m. 24.

[c] Maii 23. *Br. Willis* et *Le Neve.* Jun. 24. *MS. Gale.* —Teſtamentum ejus factum 23 Maii 1369, et probat. Jul. 1. 1369. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 103.

[d] L. L. D. Comitis Devoniae filius; Proviſus eſt ab Urbano 17 Aug. Pont. 7. Profeſſionem fecit 16 Nov. 1372. Spiritualia prius accepta Mar. 19. 1369. *Regiſtr. Wittleſ.* Temporalia accepit 19 Mar. 1 *Pat.* 44 E. 3. m. 23.

[e] Bulla tranſlationis data 12 Sept. 1375. *Regiſtr. Sudbur.* Temporalia reſtituta ſunt 4 Dec. 2 *Pat.* 49 E. 3. m. 9.

[f] 1 *Pat.* 10 R. 2. m 16.

[g] *Pat.* 13 R. 2. m. 24.

[h] Tranſlatus Bulla data 5 Maii Pont. (Urbani) 12. *Regiſtr. Courtn* f. 324.

LII. JOANNES TREVENANT, al. TREFANT.

1389. Ric.2.13. JOANNES TREVENANT[i], legum Doctor Oxonienſis, Canonicus Aſſavenſis et in Romana Curia Auditor Rotae, temporalium hujus ſedis reſtitutionem accepit decimo nono Octobris 1389. Anno deinde 1400 ad Bonifacium nonum Legatus à Rege Henrico quarto mittitur, ut jus ad regnum nuper ab illo acquiſitum, Pontifici explicaret. Praefuit huic ſedi ſex menſes ſupra annos quatuor, et anno 1404 defunctus, tumulo jacet conditus non ineleganti, qui in Auſtrali parte tranſepti ſitus cernitur[k].

LIII. ROBERTUS MASCALL.

*1404. Hen.4.5. DE Roberto Maſcallo qui ſucceſſit[l], ſic apud Balaeum[m] Lelandus. "Carmelitanae religioni Ludloae adoleſcens incubuit. Annis vero "paulo maturioribus, totum ad literas animum convertens, Oxonium ſe "contulit; ibique Ariſtotele praeceptore aliquandiu uſus, ad ſacroſanctae "Theologiae ſtudia, tanquam ad perennem divinae ſcientiae fontem, "properabat. Pervenit tandem quo voluit, nempe ad genuinam, ſince"ram, ac rectam (ut putabat) Evangelicae doctrinae cognitionem. Deinde "omnes vitae ſuae actus ita temperavit, ut acceptis Chriſti praeceptis "(quantum permittebat humana fragilitas) belle reſpondere videretur. "Erat Henrico quarto Anglorum Regi, cum propter ejus eruditionem "non vulgarem, tum etiam vitam inſigniter caſtam commendatiſſimus. "Utque ego in hac parte taceam, ſatis loquitur benevolentia Principis, "qui illum ſuae auriculari confeſſioni adeſſe voluit; qui illum in mag"nis negotiis ad exteros Reges Oratorem miſit; qui denique illum He"refordiae Epiſcopum deſignavit." Scripſit (inter alia ab illo edita) de ſuis Legationibus libellum. Chorum, Presbyterium et Campanile conſtruxit in Eccleſia albatorum fratrum Londini (cui etiam multa ornamenta contulit) et inter fratres praedictos (vita functus viceſimo ſecundo Decembris 1410[n]) tumulo conditus eſt alabaſtrino egregii operis ibidem. Inter caeteras Legationes quas obivit, non tacendum, ad Concilium Conſtantienſe cum duobus aliis Epiſcopis miſſum[o].

LIV. EDMUNDUS LACY.

1417. Hen.5.5. EDMUNDUS LACY ſacrae Theologiae Doctor[p], Capellae Regiae Decanus, in Academia Oxonienſi educatus, in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus eſt, Rege ipſo praeſente, Aprilis decimo octavo 1417, in Capella Regia Windeſorenſi. Cum hic loci ſediſſet annos tres, ad Eccleſiam Exonienſem tranſlatus eſt circa feſtum Paſchatis 1420.

---

[i] Proviſus eſt ab Urbano 6 Maii Pont. 12. *Regiſtr. Courtn.* Temporalia habet reſtituta 16 Oct. 1 *Pat.* 13 R. 2. m. 7.
[k] Teſtamentum condit 21 Mar. 1403, probat. 23 Apr. 1404. *Regiſtr. Arund.* f. 207.
[l] Proviſus à Bonifacio 2 Jul. Pont. 15. Profeſſionem fecit in Eccleſ. Coventr. 28 Sept. 1404. *Regiſtr. Arund.* f. 28. Temporalia accepta 25 Sept. 2 *Pat.* 5 H. 4. m. 1.
[m] P. 539.
[n] *Regiſtr. Chichl.* f. 185.
[o] In Capella Abbatiae S. Victoris Paris. extat tumulum his verbis inſcriptis. *Hic jacet Rev. in Chriſto Pater Joannes Epiſc. Herefordenſis in Wallia, qui obiit A. D.* 1410 *die Veneris decimo menſis Aprilis; ejus Anima feliciter in pace requieſcat Amen.* MSS. Anſtis *et* Wood.
[p] Licentia eligendi conceſſa eſt 21 Jan. *Pat.* 4 H. 5. m. 9.—Edm. Lacy cuſtodiam habet Temporalium 4 Jan. et 8 Apr. *Ib.* et *Pat.* 5 H. 5. m. 29.

◆◆◆

LV. THOMAS POLTON.

THOMAS POLTON Decanus Eboracenſis et legum Baccalaureus[q], 1420.
conſecratus [eſt] anno 1420. Cum huic Eccleſiae quindecim men- Hen. 5. 8.
ſes praefuiſſet, Ciceſtriam primum tranſlatus eſt, ac poſtea Wigorniam.

* * *

LVI. THOMAS SPOFFORD.

THOMAS SPOFFORD[r] Coenobii ſanctae Mariae Eboraci Abbas, *1421.
cum hic loci annos 26 ſediſſet, Epiſcopatum ſponte abdicavit[s]. Hen. 5. 10.

* * *

LVII. RICHARDUS BEAUCHAMP.

RICHARDUS BEAUCHAMP[t] Suffolciae Archidiaconus, ſub exi- 1448.
tum Februarii conſecratus [eſt] 1448. Poſtquam annos duos ſe- Hen. 6. 27.
diſſet menſeſque tres Sariſburiam anno 1450 tranſlatus eſt.

◆◆◆

LVIII. REGINALDUS BUTLER.

REGINALDUS BUTLER, Abbas Glouceſtrenſis[u], cum in hac Eccle- 1450.
ſia annos duos ſediſſet et menſes tres, Aprilis tertio 1453 Lichfel- Hen. 6. 29.
diam tranſlatus eſt[x]. Herefordiae tamen videtur tumulatus, ante ſummum altare, ſub marmore aeneis laminis ornato, cui infixa vidi Butlerorum ſtemmata gentilitia, videlicet campum in ſex faſcias obliquas diviſum, et deinde Epiſcopatus inſignia in ſummo parmae addita.

* * *

LIX. JOANNES STANBERY.

“JOANNES STANBERY (ut habet ex Lelando Balaeus) in Occiden- 1453.
“tali regni parte natus[y], omnium Carmelitarum qui ſua aetate doctis Hen. 6. 31.

---

[q] Proviſus eſt Bulla Martini 15 Jul. *Regiſtr. Chichl.* f. 29.—Thomas Polton, Apoſtolicae Sedis Notarius, Temporalia habet reſtituta 9 Nov. *Pat.* 8 H. 5. m. 12.

[r] Tho. Spofford tranſlatus ab Epiſcopatu Roffen. ad quem electus erat, Bulla Martini 17 Nov. 1421. *Regiſtr. Chichl.*. f. 33.—Temporalia reſtituta ſunt 25 Maii. *Pat.* 10 H. 5. m. 10.

[s] Penſione annua centum librarum auctoritate Papali reſervata. *MS. Symonds.*

[t] Decretorum Doctor, proviſus eſt à Nicolao 4 Dec. 1448. *Regiſtr. Stafford.* f. 31. Reſtitutionem habet Temporalium 31 Jan. ſequ. 1 *Pat.* 27 H. 6. m. 13.

[u] Temporalia hujus Epiſcopa. habet reſtituta 23 Dec. 1 *Pat.* 29 H. 6. m. 14.

[x] Vid. ſupra inter Epiſc. Lichfeldenſes.

[y] Natus apud Stanbery, non procul à Barnſtable in agro Devon. *Prince* in Illuſtr. Danmon. p. 560. Sed in teſtamento, fact. 5 Feb. 1472, et probat. 20 Oct. 1474, ita nativitatis locum deſignat ——Lego Eccleſ. meae baptiſmali de Moore Stowe Exon. Dioec. unam Crucem argenteam deauratam. *MS. Anſtis.* —— Tranſlatus eſt à Nicholao Papa 7 Feb. 1452. Profeſſionem fecit Archiep. 26 Mar. 1453. *Regiſtr. Kemp.* f. 215. quo die Temporalia reſtituta ſunt à Rege. 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 4.

“ artibus Oxonii incumbebant, facile primus fuit. Cujus eximiae laudis
“ hinc Academia, illinc Henricus ejus appellationis ſextus Anglorum
“ Rex, teſtem longe optimum ſe offert. Dedit enim Academia illi tot
“ honorificos titulos, quot unquam antea erudito alicui tribuit. Tum
“ Princeps ipſe, praecognitis ejus virtutibus, illius conſilio in rebus ad
“ religionem pertinentibus maxime uſus eſt. Variis nimirum naturae ac
“ doctrinae dotibus eminebat; et praeter decentem ac pulchram ſtaturae
“ proceritatem, tam ingenii quam eloquentiae dexteritate praecellebat.
“ Unde advocavit illum praedictus Rex ab Oxonienſi lectura, ut ſuo noviter
“ fundato prope Windeſoram Etonenſi Collegio praeeſſet primus,
“ rectoque res omnes diſponeret ordine. Talemque eſt inde favorem ſortitus,
“ ut ad Regis confeſſionem deinceps vocaretur, atque ad Epiſcopatum
“ Norwicenſem. Quem tamen Epiſcopatum illi praeripuit Gulielmus
“ Pola Suffolciae Dux, ac ſuo dedit Capellano, eodem anno quo
“ optimum regni gubernatorem Humfridum necaverat Gloceſtriae Ducem.
“ Sed ejus loco Bangorenſem Praeſulatum tum vacantem anno
“ Domini 1448 per Regem eſt adeptus, et poſt quinque annos Herefordenſem
“ Pontificatum. Caeterum unum erat in hoc nomine quod cordati
“ vitio dabunt. Totus namque juraverat in authoritatem Romanae
“ Pontificis et ejus ſanctiones, quarum valde multae, non malis hominibus
“ vix ferendae videntur.” Hactenus Lelandus; quem miror inter caeteras ejus virtutes, fidelitatem Principi ſuo ac patrono etiam in adverſis conſtantiſſimam non celebraſſe. Hunc etenim quanquam multis cladibus afflictum, dum adeo non ſuſtinet deſerere, [ut in praelio Northantonenſi oratione ſua militum animos contra Edwardum accendere ſatageret] capitur ab hoſte decimo Julii 1460, et in arce Warwicenſi longo tempore carceri mancipatur. Cum opuſcula permulta ſcripſiſſet à Balaeo enumerata, Ludloae in Carmelitarum Coenobio debitum naturae perſolvit undecimo Maii 1474. Tumulo ejus, quem ſitum vidimus à Septentrionali parte ſummi altaris, haec carmina legimus inſculpta, ſeculi illius barbariem redolentia:

“ Marmoris haec foſſa tetra petra contegit oſſa
“ Stanbery Pontificis, Carmelitaeque Joannis.
“ Doctoralis erat ſibi regnans fama per orbem.
“ Criminis ô Chriſte petimus quo tergere ſordem.
“ Qui Bangorenſem luſtro rexit bene ſedem.
“ X bino poſt I. ſimul hanc decoravit et aedem.
“ Hunc commiſſo grege lupum ſibi quando fugavit,
“ Mors cum dente cruento trux tunc bellua ſtravit,
“ Anno M. C quater, L. X quoque bino,
“ Quatuor his junctis in templi tempore feſto.
“ Qui legis haec ora pro praeſule mente benigna.
“ Ut ſint abſque mora ſibi coelica gaudia digna.

LX. THOMAS MILLING.

1474. •W.4.14. THOMAS MILLING, multum adhuc adoleſcens, cucullum induit Weſtmonaſterii, unde Oxoniam profectus, bonarum literarum ſtudio operam dedit, donec ſacrae Theologiae Doctor creatus eſt, Graecae linguae cognitionem mediocrem interea adeptus. Weſtmonaſterium tum reverſus, Abbas ibidem primum, ac mox Epiſcopus hujus Eccleſiae renunciatus eſt, Edwardi quarti Regis opera, cui fuit ab arcanis conſiliis, cujus etiam primogenitum Edwardum Principem, è ſacro fonte Suſceptor levavit. Temporalium accepit reſtitutionem decimo quinto Auguſti 1474[z]. Naturae debitum perſolvit anno 1492, et Weſtmonaſterii ſepultus eſt in medio Capellae ſancti Joannis Baptiſtae, ubi juxta murum Septentrionalem, monumentum neſcio quod parum operoſum illius memoriae conſecratum vidi.

◆◆◆

LXI. EDMUNDUS AUDLEY.

EDMUNDUS AUDLEIUS Epiſcopus Roffenſis huc tranſlatus 1492[a], 1492.
ad Sariſburienſem Eccleſiam migravit anno 1502. HEN. 7. 8.

* * *

LXII. HADRIANUS DE CASTELLO.

HADRIANUS CASTELLENSIS, homo Italus, conſecratus 1502. 1502.
Anno ſequenti Cardinalis creatus eſt, et anno 1504 ad ſedem HEN. 7. 18.
Bathonenſem et Wellenſem tranſlatus.

◆◆◆

LXIII. RICHARDUS MAYO.

RICHARDUS MAYO Archidiaconus Oxonienſis, Academiae Can- 1504.
cellarius, et Collegii Magdalenenſis ibidem per annos 27 Praeſes, HEN. 7. 20.
anno 1501 in Hiſpaniam miſſus eſt, ut Catharinam deduceret, Arthuro Walliae Principi matrimonio jungendam. Poſt reditum anno uno aut altero, ad Epiſcopatum Herefordenſem provectus eſt[b], quem tenuit annos paulo plus quam undecim. Exceſſit è vivis decimo octavo Aprilis 1516, et ab Auſtrali parte ſummi altaris tumulo conditus eſt, opere ſumptuque magnifico.

* * *

LXIV. CAROLUS BOOTHE.

CAROLUS BOOTHUS ſacrae Theologiae Doctor[c], Cantabrigienſis 1516.
Academiae alumnus, et Buckingamenſis Archidiaconus, Marchia- HEN. 8. 8.
rum item Walliae Cancellarius, conſecratus eſt triceſimo Novembris 1516[d]. In reparatione aedium ſuarum Londinenſium magnam is inſumpſit pecuniam, et huic Eccleſiae praefuit ſupra annos octodecim menſes circiter quinque. Sepultus jacet juxta Septentrionalem murum navis Eccleſiae, ubi monumentum illius memoriae erectum cernitur[e].

---

[z] 2 *Pat.* 14 E. 4. m. 22.——Cuſtod. Temporalium Abbatiae Weſtm. per conſecrationem Tho. Milling Epiſc. Heref. conced. 16 Sept. *Fin.* 14 E. 4. m. 7. *MS. Anſtis.*

[a] Bulla data 22 Jun. 1492. *Regiſtr. Morton.* f. 16.

[b] Proviſus eſt à Julio Papa 9 Aug. 1504. *Regiſtr. Warham.*——Teſtamentum factum 24 Mar. 1515, et probat. 10 Maii 1516, habetur in Lib. Holder in Officio Prerog. Cant. *MS. Anſtis.*

[c] Temporalia reſtituuntur Carolo Bothe *Legum Doctori* 19 Feb. 1516. *Rym.* T. 13. p. 581.

[d] *Regiſtr. Warham.* f. 19.——Aulae Pembrochianae fuit alumnus, cui tria ampla aedificia dedit Londini. *MS. Ca.*

[e] Obiit 5 Maii 1535, in Vigilia Aſcenſionis, ex *Epitaph.*

LXV. Edwardus Fox.

1535. Hen. 8. 27. EDWARDUS FOX, ſacrae Theologiae Doctor, et Henrico octavo Regi ab eleëmoſynis, in Comitatu Gloceſtrenſi natus[f], verum in Collegio Regio Cantabrigiae educatus, ejus Praeſes anno 1528 creatus, quem locum (etiam poſtquam Epiſcopus renunciatus eſt) retinuit quoad vixit; cum in Germania, Gallia et alibi Legati munus aliquoties obiviſſet, in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus eſt anno 1535[g]. Vir egregiè doctus, et reformationis Eccleſiaſticae, illius tempore coeptae, clanculum fautor. Quare Martinus Bucerus, Commentarii ſui in Evangelia dedicatione ipſum honoravit. Verùm et ipſe non pauca edidit volumina, quorum partem Balaeus recenſet. Cum ſediſſet annos tantum duos et menſes ſeptem, Londini deceſſit octavo Maii[h] 1538.

LXVI. Joannes Skip.

1539. Hen. 8. 31. FOXO ſubſtitutus Edmundus Bonerus[i], ante conſecrationem ad Londinenſis Eccleſiae regimen aſſumptus eſt[k]. Joannes Skip ſacrae Theologiae Doctor, Archidiaconus Dorſetenſis, in Aula Gonwelliana Cantabrigiae educatus[l], Epiſcopus Herefordenſis tum deſignatur. Qui confirmatus viceſimo Novembris[m] 1539[n], ſedit quatuor menſes ſupra annos duodecim, et Londini deceſſit Parliamenti tempore[o]. Sepultus eſt [ibidem] in Eccleſia beatae Mariae de Mont-hault[p].

LXVII. Joannes Harley.

1553. Edw. 6. 7. JOANNES HARLEY[q], Collegii Magdalenenſis Oxoniae [olim] ſocius[r], conſecratus in Epiſcopum Herefordenſem viceſimo ſexto Maii 1553[s]. Quod conjugatus eſſet, à Maria Regina paucos poſt menſes exauthoratus, abdicationi exiguo tempore ſuperfuit[t].

LXVIII. Robertus Parfew, al. Warton.

1554. Mar. 1. ROBERTUS PARFEW aliter dictus Warton, conſecratus ad ſedem Aſſavenſem ſecundo Julii 1536; cum eam, praediis Epiſcopalibus divenditis, nequiſſimo ſpoliaſſet ſacrilegio[u]; in rei tam praeclare geſtae praemium, ad Herefordenſem Epiſcopatum à Maria Regina provehitur anno 1554. [Cùm annum unum aut alterum lumine captus vixiſſet, exceſſit è vivis viceſimo ſecundo Septembris 1557*.] Et Thomas

---

[f] Natus apud Durſley. *MS. Symonds.* [g] Confirmatus 15 Sept. 1535. *Regiſtr. Cranm.* f. 173. Conſecratus 26 Sept. ab Archiepiſc. Cant. et Epiſc. Winton. et Sarum, in Eccl. Cath. Winton. *Regiſtr. Fox.* ad finem Reg. Booth. [h] Cuſtod. Temporal. commiſſa Hugoni Corwen L. L. D. 8 Maii. Spiritualia etiam accepta ſunt ab Archiep. eodem die. *Regiſtr. Cranm.* [i] Regium habet aſſenſum 27 Nov. *Rym. Foed.* T. 14. p. 599. Et Temporalia reſtituta 4 Mar. *Ib.* p. 602. [k] Cui conſecratus eſt Apr. 4. 1540. *Regiſtr. Cranm.* f. 259. [l] Cujus factus eſt Cuſtos A. 1536. *Scelet. Cantab.* [m] *Regiſtr. Cranm.* f. 248. [n] Conſecr. Nov. 23. *Br. Willis.* [o] Mar. 30. 1552. [p] Quae Epiſcopos Herefordenſes habet Patronos. [q] Natus apud Newport Pagnel in Comit. Bucking. *Fuller.* [r] Et ſcholae grammaticalis ibidem Rector; Poſtea illuſtriſſimi Comitis Warwicenſis concionator, ejuſque liberorum inſtitutor; poſt Regiae Majeſtatis Sacellanus; poſtremo Herefordenſis Epiſc. deſignatur; Maria imperante in Anglia ſua profugus moritur. *MS. Wood.* [s] Apud Croyden. *Regiſtr. Cranm.* f. 335. [t] Obiit A. 1554. *Fuller.* [u] Poſt rerum omnium diſquiſitionem, totum hoc de alienationibus à Cl. viro Br. Willis penitus negatur. * 1558 potiùs.

Raynoldus[x], Exonienſis Decanus, ſucceſſor illi tunc declaratur. Sed donantis Reginae interitus, donationem reddidit inefficacem. Sepultus jacet in [Boreali] parte Eccleſiae Herefordenſis (ni male memini) paulo ſupra chorum.

LXIX. JOANNES SCORY.

1559. ELIZ. 2. JOANNES SCOREIUS, ſub Edwardo ſexto Rege Epiſcopus Piceſtrenſis, ab Elizabetha Regina ſub initium regni in hoc Praeſulatu collocatur. Anno 1585 incipiente, [cum morte vitam] commutavit[y].

LXX. HEREBERTUS WESTFAYLING.

1585. ELIZ. 28. HEREBERTUS WESTFAYLINGUS, ſacrae Theologiae Doctor, et Aedis Chriſti Oxoniae (è quo Collegio Epiſcoporum primus prodiit) Praebendarius, ad hanc ſedem conſecratus eſt duodecimo Decembris[z] 1585. Ea vir gravitate, ut vix unquam in riſum viderim ſolutum, per multos annos quibus eum familiariter novi; Ea vitae integritate, ut teſtamentum conditurus, voce memorabili profeſſus ſit, opes ſe relinquere non magnas, ſed quibus benedictionem Dei confideret affuturam, cum ſibi non eſſet conſcius, earum partem vel minimam malis artibus quaeſitam. Verba hujuſmodi protuliſſe non magnum: Sed ita vixiſſe, ut nemo qui ipſum noverit, de veritate eorum dubitaverit, virum demonſtrant, cui ſimiles, ſeculum noſtrum utinam plurimos produceret. Migravit ab hac luce primo Martii 1585[a], et tumulum habet ſpecioſum ab Aquilonari parte tranſepti. Caeterum ſilentio non eſt praetereundum, Collegio Jeſu Oxoniae, praedia ab hoc Antiſtite collata, viginti libras noſtrates annuatim reddentia, hoc eſt aureorum Gallicorum 66[b].

LXXI. ROBERTUS BENNET.

1602. ELIZ. 45. ROBERTUS[c] BENNET, ſacrae Theologiae Doctor, et Windeſorenſis Decanus[d], Collegii ſanctae Trinitatis Cantabrigiae aliquando ſocius, viceſimo Februarii 1602 in Epiſcopum Herefordenſem conſecratus eſt[e], ad id muneris ab Elizabetha Regina deſignatus; ſed fidelitatis juramentum Jacobo Regi praeſtitit, tum nuper foeliciſſimis avibus regnum ingreſſo. Longa fatigatus aegritudine, ſeptuagenario major deceſſit viceſimo quinto Octobris 1617, et ab Aquilonari parte Presbyterii ſepultus eſt, ubi ab haeredibus tumulum videre eſt extructum, perpulchrum ſane et illius memoriae conſecratum. Ab iſto et Weſtfalingo, aedibus Epiſcopalibus tam Herefordiae quam Whitbornae, multum acceſſit et augmenti et ornamenti, id quod gratitudinis ergo libenter commemoro.

---

[x] Cuſtodiam habet Temporalium poſt mortem Roberti Nov. 7. 1558. *Rym.* T. 15. p. 491.

[y] Joannes Scoreius, è Cantabr. Academia S. T. B. ſub Edwardo ſexto *Roffenſis* primum, ac poſtea *Ciceſtrenſis* Epiſcopus; Maria autem regnum auſpicante, patriam relinquens, in Germaniam profugit; ubi inopem vitam in exilio toleravit ad tempora uſque Elizabethae Reginae, quando revocatus in Epiſcopum hujus Eccleſiae confirmatur ſexagenario major, viceſimo Decembris 1559: Et cùm annos ſediſſet ferme 26, Jun. 26. 1585 prope nonagenarius decedens, in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Dedit oppidanis *Lemſterienſibus* ducentas libras, et *Herefordenſibus* tantundem, ut inde tenuiores, datis vadibus, mutuo poſſent ſumere abſque foenore: necnon 400 libras Ptochotropheis S. *Bartholomaei* et *Eccl. Chriſti* in civitate Lond.

[z] Conſecratus eſt Jan. 30. 1585. *Regiſtr. Whitg.* f. 47.

[a] 1601.

[b] 100.

[c] Leonardi filius; Natus apud Baldock in agro Hertford.

[d] Inſtallatus 24 Mar. 1595. Scribae praenobilis Ordinis de Gartar conſtitutus et juratus in feſto S. Georgii 1596. Magiſter Hoſpitalis S. Crucis prope Winton.

[e] *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 65.

LXXII. FRANCISCUS GODWYN.

1617. JAC. I. 15. BENETTO ſucceſſurus, ab Eccleſia Landavenſi tranſlatus, et in Epiſcopum Herefordenſem confirmatus fui viceſimo octavo Novembris 1617[f]. Humeris infirmis onus impoſitum tam grave, Deo Opt. Max. vires ſubminiſtrante, utinam ſic valeam geſtare, ut ad Dei gloriam atque Eccleſiae id cedat utilitatem.

* * *

Vir honoris cauſa à me praecipue nominandus, Commentarii hujuſce autor, cujus veſtigia paſſibus haud aequis ſequens, Epiſcoporum catalogum ad noſtra uſque tempora deductum ornare ſtudeo. Praeter ea quae ipſe de ſe commemoravit, illud reſtat adnotandum, vixiſſe illum ad annum 1633, et in mannerio de Whitbourn prope Herefordiam commorantem obiiſſe Aprilis viceſimo nono, ibi in Eccleſia Parochiali ſepultum. Quam ſedulus fuerat Antiquitatum Eccleſiaſticarum indagator, non tam oratio mea, quam hoc ipſum, quod legendum exhibemus, opus indicabit.

LXXIII. AUGUSTINUS LINDSELL.

1633. CAR. I. 9. CUM in defuncti locum Gulielmus Juxon electus, ad Dioeceſin Londinenſem migraſſet, et inde Godefridus Goodman Epiſcopus Gloceſtrenſis Epiſcopatum hunc ſibi oblatum detrectaſſet, aliquando tandem Auguſtinus Lindſell Epiſcopus Petroburgenſis hanc Dioeceſin adminiſtrandam ſuſcepit Martii viceſimo quarto[g] 1633; Aulae Clarenſis Cantabrigiae aliquando Socius, et inde Decanus Eccleſiae Lichfeldenſis. Septem poſt menſes morte repentina oppreſſus obiit ſexto Novembris, in Eccleſia ſua Herefordenſi ſepultus.

LXXIV. MATTHAEUS WREN.

1634. CAR. I. 10. MATTHAEUS WREN ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Capellae Regiae de Windſor, Martii octavo 1634 ad hanc ſedem conſecratus eſt[h]; anno inſequenti ad Epiſcopatum Norwicenſem tranſlatus, et inde ad Elienſem anno 1638: Ubi de eo plura reperias dicta.

LXXV. THEOPHILUS FIELD.

1635. CAR. I. 11. SUCCESSIT Theophilus Field, ſacrae Theologiae Doctor, Aulae Pembrochianae Cantabrigiae aliquando Socius, anno 1619 ad Epiſcopatum Landavenſem conſecratus, 1627 evocatus ad Menevenſem, ad Herefordenſem porro viceſimo tertio Decembris 1635[i]. Semeſtri nondum decurſo diem clauſit extremum Junii ſecundo 1636, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet.

---

[f] *Regiſtr. Abbot.* f. 106. [g] *Regiſtr. Laud.* f. 28. [h] *Regiſtr. Laud.* f. 44. [i] *Regiſtr. Laud.* f. 49.

LXXVI. GEORGIUS COKE.

GEORGIUS COKE[k] S. T. P. huc tranſlatus eſt ab Epiſcopatu Bri- 1636.
ſtolienſi ſecundo Julii 1636[l]. Aulae Pembrochianae apud Canta- CAR. I. 12.
brigienſes aliquando Socius. Mitiſſimi vir ingenii et integritate morum ſpectabilis; verum nihil apud eos virtutum merita valuerunt, apud quos Epiſcopatus, primaevus ille et Apoſtolicus Ordo, criminum inſtar omnium exiſtimabatur. Cum fratribus igitur reverendiſſimis una damnatus, incarceratus, et beneficiis et autoritate exutus, è turbis civilibus ſeceſſit in otium haud ignobile. Decimo Septembris 1646 ab hac aerumnoſa ad meliorem vitam tranſivit, in Eccleſia Herefordenſi ſepultus, ubi marmor extat honorarium ipſius memoriae ſacrum. Eſt illud interea memorabile, infra ſpatium viginti menſium quatuor Epiſcopos hanc Dioeceſin adminiſtraſſe.

LXXVII. NICOLAUS MONK.

CUM propter tumultus civiles et Anarchiam haec ſedes jamdiù vacaſ- 1660.
ſet, aliquando tandem à Rege Carolo reſtaurato Epiſcopus nomina- CAR. 2. 12.
tus, decimo tertio Januarii 1660 conſecratus eſt Nicolaus Monk, Georgii illius Monk, poſtea Ducis de Albemarle, frater, et conſiliorum ſaluberrimorum, quibus et Monarchiam et Hierarchiam reſtitutam Anglia debuit, particeps et adjutor. Hac in re hominis fidem et integritatem feliciter expertus, jam illico Carolus eum Collegio B. Mariae de Etona Praepoſitum conſtituit, et inde Dioeceſeos Herefordenſis Epiſcopum. Naturae debitum perſolvit anno 1661, in Capella ſancti Edmundi in fano Weſtmonaſterienſi ſepultus; ubi A° 1723 erigitur marmor illius memoriae ſacrum.

LXXVIII. HERBERTUS CROFT.

SUCCESSIT Herbertus Croft, ſacrae Theologiae Doctor, qui cum in 1661.
partibus exteris ageret, Jeſuitarum blanditiis et fraudibus irretitus, ad CAR. 2. 14.
Pontificios tranſiit, in Jeſuitarum ſodalitium aſcriptus. In patriam verò redux, et in Thomae Mortoni Epiſcopi Dunelmenſis familiaritatem adductus, melioribus conſiliis adhibitis ad ſe quoque rediit et Eccleſiam Anglicanam. Anno 1644 Eccleſiae Herefordenſis Decanus conſtitutus, inde ejectus, tandemque cum Carolo reſtitutus, ab eodem ad hujuſce Dioeceſeos adminiſtrationem admotus, cui conſecratus eſt nono Februarii 1661[m]; ubi aetatem fere omnem tranſegit, Herefordenſis Cleri ſui ſingularis fautor. Naturae ceſſit decimo octavo Maii 1691, et prope ſummum altare in Eccleſia ſua ſepulturae traditur.

LXXIX. GILBERTUS IRONSIDE.

GILBERTUS IRONSIDE, Gilberti Epiſcopi filius, Collegii Wad- 1691.
hamenſis Oxoniae Guardianus, ad Epiſcopatum Briſtolienſem pro- GUL. et MAR. 3.
motus anno 1689, ad Herefordenſem tranſlatus eſt Julii nono 1691[n]. Morti ſuccubuit viceſimo ſeptimo Auguſti 1701, aetatis 69, in Eccleſia S. Mariae Somerſet Lond. ſepultus jacet.

---

[k] Frater Joannis Coke Militis, Caroli Regis à ſecretis. [l] *Regiſtr. Laud.* f. 57. [m] *Regiſtr. Juxon.* f. 283.
[n] *Regiſtr. Tillotſ.* f. 52.

LXXX. HUMFREDUS HUMPHREYS.

1701. Gul. 3. 13. HUMFREDUS HUMPHREYS legitima confirmatione à Dioeceſi Bangorenſi huc tranſlatus eſt ſecundo Decembris 1701. Diem obiit viceſimo Novembris 1712, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

LXXXI. PHILIPPUS BISSE.

1712. Annae 11. PHILIPPUS BISSE, aliquando Collegii Novi Oxon. Socius, ab Epiſcopatu Menevenſi ad Herefordenſem tranſlatus eſt 16 Februarii 1712; laudabili liberalitatis exemplo in Eccleſia Cathedrali reficienda pecunias impendit, et aedes porro Epiſcopales, injuria temporis labefactatas et pene dirutas, tantum non à fundamentis inſtauravit, eum in uſum impenſis libris 3000. Deceſſit ſexto Septembris 1721, in Eccleſia Cathedrali ſepultus, ubi marmor extat perquam magnificum.

LXXXII. BENJAMINUS HOADLY.

1721. Geo. 1. 8. SUCCESSIT Benjaminus Hoadly ab Epiſcopatu Bangorenſi tranſlatus ſeptimo Novembris 1721, et biennio nondum completo Sarisburiam migravit.

LXXXIII. HENRICUS EGERTON.

1723. Geo. 1. 10. HENRICUS EGERTON L.L.D. Aedis Chriſti Oxon. Canonicus, Joannis Comitis de Bridgewater filius, conſecratus eſt primo Februarii 1723.



p.502.



De EPISCOPIS CICESTRENSIBUS[a].

WILFRIDUS Eboracenſis Archiepiſcopus, per Egfridum Northumbriae Regem in exilium pulſus[b], (qua de re cum ad Eboracenſes perventum fuerit pluribus Deo volente agetur) ne talentum ſibi concreditum defodiſſe videretur; apud Auſtrales Saxones (idolorum tunc temporis cultores) Chriſtum praedicavit. Edilwalchus, illarum regionum Rex, Wulfheri Merciorum Regis ſuaſu et conſilio, militiae Chriſtianae nomen paulo ante dederat[c]; et fidei lumen tam ſubditis impertiri, quam ſibi datum augere cupiens; Wilfrido inter caetera humanitatis officia abunde praeſtita, habitationem commodam aſſignavit Seolſeiae, qui locus peninſula tunc erat[d], nunc marinis fluctibus hauſta, ut (niſi ſubſidente aeſtu) nuſquam compareat. Sed hanc nemo melius deſcripſerit, quam Antiquitatum noſtrarum ſol, doctiſſimus ille Camdenus, de qua ſic ille[e]. « Selſey, Seals-ey, id eſt, (ut Beda interpre-« tatur) vitulorum marinorum, ſive phocarum inſula dicitur: Hos enim « noſtra lingua Seales vocamus, qui ſemper inſulas et littus petunt ut foe-« tum edant. Locus (ut ait Beda) undique mari circundatus praeterquam « ab Occidente, unde habet ingreſſum amplitudinis quaſi jactus fundae. « Octoginta ſeptem familiarum cenſebatur, cum Edilwalchus hujus pro-

---

[a] Anno 514 *Ella* defunctus, regnavitque pro eo *Ciſſa* filius ejus, de cujus nomine Ciceſtria, quam ipſe fundavit, nomen ſortita eſt. *Wendover* 96. Num. 50.

[b] *Huntin.* L. 3. f. 191. b.

[c] Id. ib. et *Malmeſb. de Pontif.* L. 2. f. 146.

[d] *Huntin. ut ſupra.*

[e] In Regno Suſſex. p. 220. Ed. Lond. 1607.

"vinciae Rex, Wilfrido Eboracenſi Antiſtiti exulanti dedit, qui huic "populo Chriſtum primus annunciavit, ſervoſque 250 (ut habet ille) non "ſolum baptizando à ſervitute daemoniaca ſalvavit, ſed etiam libertatem "donando, humanae jugo ſervitutis liberavit. Poſtea, Monaſterium Cedwalla Rex, qui Edilwalchum devicit, hic fundavit, ſedeque Epiſcopali "illuſtravit, quae à viceſimo ſecundo Epiſcopo Stigando ad Ciceſtriam "traducta, nunc ibi floret, et Cedwallam fundatorem agnoſcit. In hac "inſula, antiquae urbeculae, in qua Epiſcopi illi ſederunt, cadaver ſolummodo jacet, aquis intectum, quoties ex alto maris aeſtus intumeſcit, "cum vero reſidet, apertum et conſpicuum." Caeterum ad Wilfridum redeamus, qui (ut Beda[f], quem jam pauliſper audiamus) "huic genti "Evangelizans, non ſolum ab aerumna perpetuae damnationis, verum et "à clade infanda temporalis interitus eripuit. Siquidem tribus annis ante "adventum ejus in provinciam, illis in locis nulla pluvia ceciderat. Unde "fames acerbiſſima plebem invadens, impia nece proſtravit. Denique "fertur, quia ſaepe 40, ſimul aut 50 homines inediâ macerati, procederent ad praecipitium aliquod ſive ripam maris, et junctis miſere manibus pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus abſorbendi deciderent. "Verum ipſa die quo baptiſma fidei gens ſuſcepit illa, deſcendit pluvia "ſerena et copioſa, refloruit terra, rediitque viridantibus arvis annus laetus et frugifer. Sicque abjecta priſca ſuperſtitione, exſufflata idolatria, "cor omnium et caro omnium exultaverunt in Deum vivum, intelligentes eum qui verus eſt Deus, et interioribus coeleſti gratia ditaſſe. "Nam et Antiſtes cum veniſſet in provinciam, tantamque ibi famis poenam videret, docuit eos piſcando victum quaerere. Namque mare et "flumina eorum piſcibus abundabant: Sed piſcandi peritia genti nulla "niſi ad anguillas tantum inerat, &c. Quo beneficio multum Antiſtes "cor omnium in ſuum divertit amorem, et libentius eo praedicante, "coeleſtia ſperare coeperunt, cujus miniſterio temporalia bona ſumpſerunt." Horum populorum ſaluti cum annum jam quintum Wilfridus invigilaſſet, ad ſuam ſedem (unde per injuriam fuerat ejectus) revocatus eſt. Poſt cujus diſceſſum, annos permultos ea provincia paſtore proprio deſtituta, per Wintonienſes Antiſtites adminiſtrata eſt[g]. Poſtmodum vero à Nothelmo Archiepiſcopo, Epiſcopus ibi conſtitutus eſt Edbrith, nonnullis Eadbert, anno videlicet 711[h].

I. WILFRIDUS igitur Selſeienſium Epiſcoporum primus numerandus eſt.

711. II. EADBERTUS[i] vel EDBRIHTUS, Abbas Selſeienſis conſecratus eſt (ſicut antea retulimus) anno 711.

III. EOLLA[k] ſucceſſit: Poſt cujus obitum vacavit ſedes uſque ad mortem Bedae.

733. IV. SIGGA[l], aliis SIGELMUS et SIGFRIDUS, interfuit ſynodo à Cuthberto Cantuarienſi Archiepiſcopo celebratae anno 746[m]. Poſt quem hii ordine ſederunt.

V. ALUBRITH[n].

790. VI. OSA[o], vel BOSA[p].

---

[f] Lib 4. c. 13. [g] *Huntin.* L. 3. f. 192. [h] Nothelmus vero non ante annum 735 factus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis. [i] *Florent.* EDBRITH, *Malmeſb.* Abbas fuit Monaſterii S. Wilfridi Epiſcopi, qui dicitur Sileſiae. Poſtea ut decretum eſt Synodali decreto Auſtr. Sax. quatenus ad civitatis Wentanae, cui tum Daniel praeerat, parochiam pertinebat, poſt Wilfridum pontificali jure praeficitur. *MS. Lameth.* [k] *Florent.* ELLA, *Malmeſb.* CEOLLA, *Beda.* [l] *Florent.* SIGA et SIGELIN, *Malmeſb.* Conſecratus eſt à Tatwino Archiep. A. 733. *Hoved* f. 230. b. [m] Ita *Malmeſb. de Pontif.* [n] *Malmeſb* ALUBERHTUS, *Florent.* [o] *Florent.* [p] *Malmeſb.*

VII. **GISELHERUS**[q].

VIII. **TOTA**[r].

IX. **WIGTHUN**[s], Malmesburienſi **PELETUN**[t].

X. **ETHELULPHUS**[u].

XI. **BEORNEGUS**[x]. 906.

XII. **COENRED**[y].

XIII. **GUTHEARD**. Obiit 960.

XIV. **ALFRED**[z]. Obiit 970. 960.

XV. **EADHELM**[a]. 970.

XVI. **ETHELGARUS** Abbas novi Monaſterii Wintoniae, conſecratus Maii ſexto 980. Cantuariam tranſlatus eſt anno 988. 980.

XVII. **ORDBRIGHT**[b]. 988.

XVIII. **ELMAR**[c]. Obiit 1019.

XIX. **ETHELRICUS**[d] (Hovedeno Agelricus) obiit [e] Novembris quinto 1038. 1019.

XX. **GRINKETELLUS**[f], *qui ejectus à ſede Orientalium*[g] *Saxonum quam emerat* (inquit Malmesburienſis) *etiam hanc pecunia emeruit et obſedit* anno 1039. Deceſſit 1047[h] 1039.

XXI. **HECA**[i], Edwardi Confeſſoris Capellanus, conſecratus 1047[k], deceſſit anno 1057[l]. 1047.

XXII. **AGELRICUS** qui ſucceſſit, Monachus Cantuarienſis, propter inſignem legum noſtrae gentis municipalium peritiam, à Rege Gulielmo primo, arbiter honorarius conſtitutus eſt, una cum Gosfrido Epiſcopo Conſtantienſi, ut litem agitatam inter Lanfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum et Odonem Cantiae Comitem, Regis vero fratrem uterinum, de praediis quibuſdam, dijudicarent et ſecundum aequum et bonum componerent. Homo igitur grandaevus, jumenti ſucceſſionem non ferens; vehiculo ad locum deſtinatum deportatus eſt (*Pikenden* hoath[m], quaſi dicas Ericetum Pikendonenſe) quo, ingens provincialium numerus confluxerat, ut teſtimonium pro Archiepiſcopo ſuo dicerent, ſecundum quem judicatum eſt, prout in Cantuarienſium hiſtoria retulimus[n]. In ſynodo Windeſorae[o] celebrata, exauthoratum hunc Epiſcopum dicit Florentius Wigornienſis, idque (ut exiſtimare videtur) injuſte et carceri Marlesburiae mancipatum anno 1070[p]. 1057.

I. STIGANDUS.

STIGANDUS, Gulielmi primi Capellanus (non ille qui his temporibus Epiſcopus fuit Wintonienſis et Archiepiſcopus Cantuarienſis) mutavit 1070. GUL. I. 5.

---

[q] GISLHERE, *Malmeſb.* SIRELHERUS, *Florent.* [r] *Florent.* TOTTA, *Malmeſb.* [s] WIHTHUNUS, *Florent.* [t] PELITUM, *Malmeſb.* [u] ETHELNULF, *Malmeſb.* AETHELULFUS, *Florent.* [x] BERNEGUS, *Malmeſb.* BERNECHUS, *Diceto.* Conſecratus à Plegmundo Archiepiſcopo tempore Edwardi primi. *MS. Gale.*—Omittitur à Florentio. [y] *Florent.* CEARED, *Malmeſb.* [z] *Florent.* ELFRED, *Malmeſb.* [a] EALKHELM, *Malmeſb.* EADELMUS, *Florent.* [b] ORDBRICH, *Malmeſb.* ORDBRIHTUS, *Florent.* [c] *Florent.* *Malmeſb.* EALMARUS, *Weſtmon.*———Conjecturae ſane haec omnia, nihil enim in hiſtoricis approbatae fidei praeter nuda nomina inventum eſt. In Chartis Regum aliorumque Eccleſiae Ciceſtrenſi datis, nomina etiam alio plerunque ordine numerantur. E. g. WITHUNUS extitit Epiſcopus Annis 711, 780, 801. *Monaſt. Angl.* T. 3. p. 116. b. p. 118. a. EADBRIGH, A. 775. *Ib.* p. 117. b. GISLEHERE, A. 780. *Ib.* p. 116. b. BEORNHEAGUS, A. 930. *Ib.* p. 119. a. ELFREDUS, A. 945. *Ib.* p. 119. b. BRITHELMUS et BRITHLINUS, A. 956, 957. *Ib.* p. 120. a, b.

[d] *Malmeſb.* AGELREDUS, *Hoved.* AGELRICUS, *Mailr. Dicet.* AETHELRICUS, *Weſtmon. Florent.* ——— Petit à Deo ne poſt mortem dilectiſſimi ſui Patris Agelnothi (Archiepiſcopi Cantuarienſis) in hac luce diu viveret. Septimo igitur die poſt deceſſum Agelnothi fatis ceſſit. *Mailr.* et *Dunelm.*

[e] *Florent. Dunelm.* et *Hoved.* par. 1 f. 251. b.

[f] GRIMKETELUS, *Hoved.* GRIMKETELLUS, *Florent.* GRIMKATEL, *Malmeſb.* GRIMKETEL, *Mailr.* GRUNKETELLUS, *Weſtm.*

[g] *Orientalium Anglorum* inquit *Malmeſburienſis.* L. 2. f. 146. b.

[h] *Florent.*

[i] *Florent.* HECCA, *Weſtm.* HETTA, *Malmeſb.*

[k] *M. Weſtmon.*

[l] *Hoved.* par. 1. f. 255. *Florent. Dunelm.*

[m] Pennenden-heath. *MS. Exeter.*

[n] P. 61.

[o] *Wintoniae* potius.

[p] Ita etiam *Hovedenus* par. 1 f. 260.

ſedem in Ciceſtriam[q], *ubi* (ut habet Malmesburienſis[r]) ***antiquitus et ſancti Petri monaſterium, et congregatio ſanctimonialium fuerat.*** Ciceſtrenſium igitur Epiſcoporum iſte primus, deceſſit anno 1087[s].

* * *

II. GULIELMUS[t].

[1088.] GUL. 2. 1. SUCCESSIT illi Gulielmus neſcio quis, de quo nihil omnino traditur.

◆ ◆ ◆

III. RADULPHUS.

[1091.] GUL. 2. 4. DE Radulpho ſucceſſore, liceat aſcribere haec Malmesburienſis[u]. "Gulielmo ſucceſſit Radulphus, qui proceritate corporis inſignis, "ſed et animi efficacia famoſus, ſacerdotalis officii contuitu, Gulielmo "juniori in faciem pro Anſelmo Archiepiſcopo, quem immerito exagi-"tabat, reſtitit. Cumque ille conſcientia poteſtatis elatus, minas ingemi-"naret; nihil alter reveritus, baculum protendit, annulum exuit, ut, ſi "vellet, acciperet, nec vero vel tunc vel poſtea auſteritatem inflecteret, "ſi aſſertorem haberet. Sed quia diſceſſu ſuo ſpem ejus et caeterorum "(ſi qui boni eſſent) Anſelmus enervavit, et tunc cauſa decidit, et poſt-"modum damno ſuccubuit. Succedentibus quoque annis religioſam "contumaciam mandatis Henrici Regis exhibuit, volentis per totam An-"gliam à presbyteris (conjugatis, qua de re vide plura in Gulielmo "Corbell Cantuarienſi*) pecuniam exigere. Id aliis vel concedentibus, "vel metu ſilentium tenentibus; in ſolo Radulpho rigor Pontificalis "emolliri nequivit. Per totam ſiquidem dioeceſin divina vacare officia, "januas Eccleſiarum ſpinis obſtrui praecepit, monachorum cantum non "inhibens, ſed tamen laicis aditum arcens. Atrocitas facti Regem in-"flexit, ut ei ſoli quaſi mentis inconſideratae homini, cenſum presbyte-"rorum indulgeret. Veruntamen religio et animoſitas viri, magnam ſibi "apud regium animum laudem paravit, ut ipſi omnia remitteret, ſub-"inde dictitans, pauperem eſſe Epiſcopatum, Eccleſiam eſſe abſumptam "(et certe Maii quinto 1114 incenſa conflagraverat) non debere tributis "expilari, ſed oblationibus augeri. Ita conſtans innocentia hominem "ſpectabilem fecit, ut Rex qui aliis auferret ipſi libens et ſummiſſus daret. "Denique Eccleſiam ſuam quam à novo fecerat, cum fortuitus ignis (ut "dixi) peſſundediſſet, liberalitate potiſſimum Regis brevi fecit. Obiit[x] "Chriſtianiſſime, omnibus ſuis in uſum pauperum diſtractis, qui et pan-"niculos ſuos uſque ad ſtramen, moriens ante ſe juſſerit erogari. Vir "aeternam boni memoriam meritò adeptus, qui ſedem ſuam ex humili "et miſerabili, ad ſummum gloriae culmen provexit. Clerum, quantum "victualia Epiſcopatus ſuſtinere poſſunt, congregavit: Ornamenta omnis

---

[q] Anno 1075. [r] *De Pontif.* L. 2. f. 146. b. [s] *Hoved.* f. 264. *Dunelm.* et *Florent.* [t] Ita *Florentius* in Catalogo. Godefridus verò Stigando ſucceſſit, ſi Annalibus Vet. MS. fides ſit adhibenda, ubi ſcriptum legimus, Anno 1088 *Godefridus fit Epiſcopus Cyceſtriae, et obiit ipſo anno.* Annales etiam Winton. A. 1088 diem obitus collocant. Godefridus etiam obedientiam praeſtitit Lanfranco. *Regiſtr. Cantuar.* [u] *De Pontif.* L. 2. f. 146. b ——Epiſcopatum ſuſcepit anno 1091. *Annal. Winton.* * P. 69. [x] Obiit anno 1123. *Dunelm.* et *Annal. Vet. MS.*——Dec. 24. 1125. *MS. Br. Willis.*

“ generis adjecit, quorum omnium pudendam ante paucitatem, taxare “ piget. Ter omni anno dioeceſin ſuam cauſa praedicandi circuibat, nihil “ Epiſcopali poteſtate à provincialibus ſuis exigens, ſed quae offerebantur “ gratabundus accipiens; delinquentibus increpando non parcens, et ſi “ minus increpatio valeret, ingenuo ludo culpam elidens.”

◆◆◆

IV. SEFFRIDUS I.

RADULPHI Cantuarienſis Archiepiſcopi frater Seffridus, Abbas[z] Glaſtonienſis, conſecratus duodecimo Aprilis[a] 1125; qui deceſſit (ut ex Weſtmonaſterienſi colligo) anno 1132[b]. 1125. HEN. 1. 25.

* * *

V. HILARIUS.

SUCCESSIT[c] illi quidam nomine Hilarius, de quo nihil traditum reperi, niſi quod ex omnibus Angliae Epiſcopis, hic ſolus inventus eſt, qui declarationem Clarendoniae promulgatam, ſimpliciter probaret, et ſine adjectione clauſulae Regi tam odioſae (*ſalvo ordine ſuo*) ſicut in vita Becketti Cantuarienſis pluribus narravimus[d]. [1148.] STEPH. 13.

* * *

VI. JOANNES DE GREENFORD.

JOANNES DE GREENFORD Decanus Ciceſtrenſis, electus anno 1173, et conſecratus 1174[e]. Deceſſit 1180[f]. 1174. HEN. 2. 20.

◆◆◆

VII. SEFFRIDUS 2.

SUCCESSIT illi Seffridus ſecundus[g], quo ſedente, (nimirum decimo nono Octobris 1187) Eccleſia Cathedralis una cum civitate Ciceſtrenſi fere univerſa, fortuito incendio abſumpta ac deleta eſt. Eccleſiam, una cum palatio Epiſcopali, hic praeſul refecit, priſtinoque nitori reſtituit[h]. [1180.] HEN. 2. 26.

---

[y] SEFRIDUS, *Hoved.* SIFRIDUS, *Bromt. Hunt.* SIFREDUS, *Par.* SAFFREDUS, *Chron. Petrob.* SIGEFRIDUS, *Weſtm.* et *Florent.*

[z] *Huntin.* L. 7. f. 219. *Hoved.* f. 274.

[a] Nominatus eſt à Rege A. 1125. *M. Par.* p. 58, et conſecratus à Gulielmo Archiepiſcopo Cantuar. apud Lametham. *Florent.*

[b] Ita *Weſtmonaſterienſis*; adhuc verò in vivis anno 1145, ſed ab Epiſcopatu depoſitus, cùm Huntingd. epiſtolam ſcripſit *de Epiſcopis ſui temporis.*——Deponitur A. 1145, et mortem obiit 1151. *Chron. Petrob.*

[c] Nominatus eſt ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem A. 1146, *Ib.* et conſecratus juſſu Papae A. 1148, ſed non ante electionem ad Archiepiſcopatum Eborac. tempore enim electionis (Jul. 24. 1148) *Clericus Papae* ſolummodo vocatus eſt. *Dunelm.*

[d] De eo haec habemus in continuat. Hiſt. Sim. Dunelm. *Hilarius in miniſterio Henrici Epiſc. Wintoniae plurimum gloriae pretium emeruit. Poſtea ad miniſterium Apoſtolici tranſlatus, in reddendis et proſequendis cauſis advocatus diſertiſſimus, et juriſconſultus peritus in Curia fuit Romana.*——Ob. anno 1169. *Annal. Winton.* et *Waverl.* Julii 13. *MS. Br. Willis.*

[e] Lamethae Oct. 6. una cum tribus aliis Epiſcopis, Winton. Elienſ. et Hereford. *Dicet.* Cantuariae. *Gervaſ.* et *Hoved.* f. 309. b. Anno 1174. *Weſtmon.* Inter Convent. et Literas apud *Rymer.* T. 1. p. 37. extat Litera Henrici Regis hac ſubſcriptione, *Datum per manum venerabilis Patris Radulphi Ciceſtr. Epiſcopi Cancellar. noſtri, apud Merewell viceſimo ſexto die Maii, Anno Regni noſtri viceſimo.*

[f] *Weſtmon.* Apr. 26. *MS. Br. Willis.*

[g] Canonicus, Archidiaconus et Decanus Eccleſiae Ciceſtrenſis. Conſecratus menſe Octobri 1180, die 17 inquit Gervaſius, 20 ait Weſtmonaſterienſis, neutiquam verò dies fuit Dominica.

[h] Interfuit coronationi Regis Joannis 27 Maii 1199. *Hoved.* f. 451. a.—Obiit anno 1204. *Annal. Winton.* et *Waverl.* Die vero 17 Martii. *MS. Aſhm.* Vol. 1146.

VIII. SIMON DE WELLES.

*1204. Joan. 6. SIMON DE WELLES electus eſt[i] in Epiſcopum Ciceſtrenſem Decembris viceſimo ſecundo 1198. Deceſſit anno 1207.

IX. NICOLAUS DE AQUILA.

*1210. Joan. 11. SUCCESSIT illi Nicolaus[k] de Aquila, conſecratus anno 1209. De quo nihil praeterea reperi memoratum.

X. RICHARDUS POORE.

*1214. Joan. 16. RICHARDUS PORUS, Decanus Sarisburienſis, conſecratus 1215[l]. Sarisburiam migravit 1217: et inde poſtea Dunelmum.

XI. RADULPHUS DE WARHAM.

1217. Hen. 3. 2. RADULPHUS de Warham, Officialis primum, ac inde (ut quidam) Eccleſiae Norwicenſis Prior, confirmatus in Epiſcopum Ciceſtrenſem per Gualonem Legatum Pontificium, temporalibus reſtitutus dicitur viceſimo ſeptimo Decembris[m] Henrici tertii ſecundo. Sedi ſuae contulit molam vento agitatam in Biſhopſton, et diem clauſit extremum anno 1222[n].

XII. RADULPHUS NEVILL.

*1224. Hen. 3. 8. SUB initium Novembris anno antedicto, electus eſt in Epiſcopum hujus Eccleſiae Radulphus Nevill[o], et anno ſequenti conſecratus[p], cum tum nuper Angliae fuiſſet conſtitutus Cancellarius[q], magno omnium bonorum applauſu et gratulatione, propter ſummam quam de juſtitia et integritate ejus fiduciam conceperant[r]. Neque vero ſpem eorum is ſefellit. Aegrè ſiquidem reperiemus quenquam, qui id muneris laudatius obiverit.

---

[i] Archidiaconus Wellenſis electus eſt inter primum et nonum Aprilis. *Chart.* 5 Joh. m. 8. et conſecratus eſt eodem anno ſc. 1204. *Weſtmon.* Et obiit ante 11 Sept. 1207. *Pat.* 9 Joh. Vacavit etiam Epiſc. 25 Feb. 1209. *Pat.* 10 Joh.

[k] Decanus fuit Ciceſtriae. Ita in Chart. in Scaccar. in Baga de Dioc. Ciceſtr. *MS. Hutt.* Vacavit Eccleſ. Ciceſtr. 30 Sept 1214. *Chart.* 16 Joh. m. 41.

[l] Februarii 22. 1214, anno ſc. exeunte. *Weſtmon.* ad A. 1215.——Cuſtodia Epiſcopatus Ciceſtr. commiſſa eſt Richardo Epiſcopo Sarum 27 Jun. *Pat.* 1 H. 3. m. 5.

[m] Regium habet aſſenſum 17 Dec. 1 *Pat.* 2 H. 3. m. 6. Et conſecratus eſt 6 (7 potius) Jan. 1217. *Annal. Wigorn.*——Natus in Caſtello de Raby Co. Durham.

[n] *Ib.* et *Weſtmon.* Vacat ante 17 Sept. *Pat.* 6 H. 3. m. 2. Ob. Apr. 15. *MS. Br. Willis.*

[o] Decanus Lichf. et Cancellarius Ciceſtriae. *Pat.* 7 H. 3. m. 3.——Rex confirmavit in Epiſcopum Ciceſtriae, et ad majorem cautelam, ipſum à nexibus Curiae penitus abſolvit. *Pat.* 7 H. 3. m. 7. *MS. Jeſ.*

[p] In Octavis Paſchae 1224 à Stephano Archiep. Cantuariae. *Weſtmon.* ad A.

[q] Cuſtos et bajulus Regii Sigilli Anno 1222. *Weſtm.* Cancellarius tempore electionis, et uſque ad annum 1238, quo ab officio privatus eſt. *Id.*

[r] *Weſtm.* A. 1222.

Cantuarienſi igitur ſede per mortem Richardi Wetherſhed vacante; à Monachis, ne rogatis quidem, in Archiepiſcopum electus eſt; ipſo eam dignitatem adeo non ambiente, ut Monachorum uni aut alteri electionem de eo factam Papae exhibituris, pecuniam ad tam longinqui itineris ſumptus largiri gravaretur. Quomodo Rege quantumvis propitio et Monachorum votis annuente, per Pontificis ſummam proterviam eo praeſulatu exciderit, in vita S. Edmundi Cantuarienſis ſupra explicuimus. Anno poſtea 1237 ad Eccleſiam Wintonienſem poſtulatus, Cancellariatum ſponte abdicavit, quem poſtea non admodum cupidè reſumpſit et ad mortem uſque retinuit. Electionis vero ad Epiſcopatum antedictum qui fuerit ſucceſſus, in vita Gulielmi Raleii Wintonienſis enarravimus. Exceſſit è vivis Londini Februarii primo 1244, in aedibus quae hodie nomen obtinent Hoſpitii Lincolnienſis, excitatis ab illo à fundamentis, ut ipſe et ſucceſſores haberent quo ſe reciperent quando ad urbem accedere contingeret. Hae poſtea neſcio qua ratione ad Henricum Laceium Comitem Lincolnienſem pervenerunt, et ab eo nomen acceperunt modernum. Aedificavit praeterea hic praeſul capellam, extra portam Orientalem civitatis Ciceſtrenſis D. Michaeli dedicatam, et Eccleſiae ſuae multis in rebus inſigniter extitit beneficus.

****

XIII. RICHARDUS DE LA WICH[s].

NEVILLO defuncto, Canonici Ciceſtrenſes, ut gratiam inirent apud Regem, elegerunt ſibi in Epiſcopum Robertum quendam Paſſelew, quem propter induſtriam et rerum gerendarum dexteritatem Rex plurimum diligebat. Sed tam indoctus erat, ut Epiſcopi regni hominis dedignati conſortium, electionem ejus caſſari[t], et Richardum de Wich illius loco renunciari curaverint. Natus dicitur hic Richardus apud Wich in Comitatu Wigornienſi (ubi ſalinae habentur) et inde cognomen aſſumpſit[u]. Poſt primae pubertatis annos, Oxonii et Pariſiis Dialecticae, et Philoſophiae ſtudiis operam navavit. Poſtea Bononiam profectus, in juris Pontificii ſcientia tantum profecit, ut poſtquam ſeptennii moram ibi loci feciſſet, ejus facultatis publicus praelector deſignatus fuerit. Reverſurus in patriam, Aureliani haeſit aliquandiu; ſtatimque ut ad ſuos rediit, Archiepiſcopi primum Cantuarienſis, ac deinde etiam Academiae Oxonienſis conſtitutus eſt Cancellarius. Ab ipſo Pontifice conſecratus dicitur, anno 1245[x] Martii quinto, et munus ſibi demandatum ea ſollicitudine ſimul ac ſolertia obiviſſe, ut magnam apud ſuos venerationem conſequutus ſit. Siquidem in concionibus ad populum egregiè diſertus fuit, necnon aſſiduus; et doctrinam exemplo ſuo confirmans, ſic vitam inſtituit, ut tam ſanctiſſimus quam doctiſſimus habitus fuerit vivens, et mortuus Sanctorum Catalogo aſcriberetur[y]. Obiit (ſi Pariſienſi[z] credimus) Aprilis ſecundo 1253; ſi Martyrologis, Aprilis tertio, anno conſecrationis ſuae nono, aetatis quinquageſimo ſexto; et in Eccleſia ſua ſepultus, poſt annos 23 in theca pretioſa conditus eſt. Vitam ejus ſcripſit Radulphus Bocking, 1245. HEN. 3. 30.

---

[s] Vid. Vies des Saintes par Baillet. [t] Bulla data Lugdun. 12 Kal. Aug. 1245. *Rym. Foed.* T. 1. p. 436. [u] *Cambd. Brit.* V. 1. p. 620. [x] Conſecratus Lugduni anno 1245, una cum Archiepiſcopo et Epiſcopo Lichf. *Weſtm.* et *Paris.* Die Dominica poſt Cineres. *Annal. Wigorn.* [y] Aprilis tertio 1262. *Weſtm.* [z] P. 744 et *Weſtm.* Apr. 8. 1262. *Annal. Winton.*

VIII. Simon de Welles.

*1204. Joan. 6. SIMON DE WELLES electus eſt [i] in Epiſcopum Ciceſtrenſem Decembris viceſimo ſecundo 1198. Deceſſit anno 1207.

IX. Nicolaus de Aquila.

*1210. Joan. 11. SUCCESSIT illi Nicolaus [k] de Aquila, conſecratus anno 1209. De quo nihil praeterea reperi memoratum.

X. Richardus Poore.

*1214. Joan. 16. RICHARDUS PORUS, Decanus Sarisburienſis, conſecratus 1215 [l]. Sarisburiam migravit 1217: et inde poſtea Dunelmum.

XI. Radulphus de Warham.

1217. Hen. 3. 2. RADULPHUS de Warham, Officialis primum, ac inde (ut quidam) Eccleſiae Norwicenſis Prior, confirmatus in Epiſcopum Ciceſtrenſem per Gualonem Legatum Pontificium, temporalibus reſtitutus dicitur viceſimo ſeptimo Decembris [m] Henrici tertii ſecundo. Sedi ſuae contulit molam vento agitatam in Biſhopſton, et diem clauſit extremum anno 1222 [n].

XII. Radulphus Nevill.

*1224. Hen. 3. 8. SUB initium Novembris anno antedicto, electus eſt in Epiſcopum hujus Eccleſiae Radulphus Nevill [o], et anno ſequenti conſecratus [p], cum tum nuper Angliae fuiſſet conſtitutus Cancellarius [q], magno omnium bonorum applauſu et gratulatione, propter ſummam quam de juſtitia et integritate ejus fiduciam conceperant [r]. Neque vero ſpem eorum is fefellit. Aegrè ſiquidem reperiemus quenquam, qui id muneris laudatius obiverit.

---

[i] Archidiaconus Wellenſis electus eſt inter primum et nonum Aprilis. *Chart.* 5 Joh. m. 8. et conſecratus eſt eodem anno ſc. 1204. *Weſtmon.* Et obiit ante 11 Sept. 1207. *Pat.* 9 Joh. Vacavit etiam Epiſc. 25 Feb. 1209. *Pat.* 10 Joh

[k] Decanus fuit Ciceſtriae. Ita in Chart. in Scaccar. in Baga de Dioc. Ciceſtr. *MS. Hutt.* Vacavit Eccleſ. Ciceſtr. 30 Sept 1214. *Chart.* 16 Joh. m. 41.

[l] Februarii 22. 1214, anno ſc. exeunte. *Weſtmon.* ad A. 1215.——Cuſtodia Epiſcopatus Ciceſtr. commiſſa eſt Richardo Epiſcopo Sarum 27 Jun. *Pat.* 1 H. 3. m. 5.

[m] Regium habet aſſenſum 17 Dec. 1 *Pat.* 2 H. 3. m. 6. Et conſecratus eſt 6 (7 potius) Jan. 1217. *Annal. Wigorn.*——Natus in Caſtello de Raby Co. Durham.

[n] *Ib.* et *Weſtmon.* Vacat ante 17 Sept. *Pat.* 6 H. 3. m. 2. Ob. Apr. 15. *MS. Br. Willis.*

[o] Decanus Lichf. et Cancellarius Ciceſtriae. *Pat.* 7 H. 3. m. 3.——Rex confirmavit in Epiſcopum Ciceſtriae, et ad majorem cautelam, ipſum à nexibus Curiae penitus abſolvit. *Pat.* 7 H. 3. m. 7. *MS. Jeſ.*

[p] In Octavis Paſchae 1224 à Stephano Archiep. Cantuariae. *Weſtmon.* ad A.

[q] Cuſtos et bajulus Regii Sigilli Anno 1222. *Weſtm.* Cancellarius tempore electionis, et uſque ad annum 1238, quo ab officio privatus eſt. *Id.*

[r] *Weſtm.* A. 1222.

Cantuarienſi igitur ſede per mortem Richardi Wetherſhed vacante; à Monachis, ne rogatis quidem, in Archiepiſcopum electus eſt; ipſo eam dignitatem adeo non ambiente, ut Monachorum uni aut alteri electionem de eo factam Papae exhibituris, pecuniam ad tam longinqui itineris ſumptus largiri gravaretur. Quomodo Rege quantumvis propitio et Monachorum votis annuente, per Pontificis ſummam proterviam eo praeſulatu exciderit, in vita S. Edmundi Cantuarienſis ſupra explicuimus. Anno poſtea 1237 ad Eccleſiam Wintonienſem poſtulatus, Cancellariatum ſponte abdicavit, quem poſtea non admodum cupidè reſumpſit et ad mortem uſque retinuit. Electionis vero ad Epiſcopatum antedictum qui fuerit ſucceſſus, in vita Gulielmi Raleii Wintonienſis enarravimus. Exceſſit è vivis Londini Februarii primo 1244, in aedibus quae hodie nomen obtinent Hoſpitii Lincolnienſis, excitatis ab illo à fundamentis, ut ipſe et ſucceſſores haberent quo ſe reciperent quando ad urbem accedere contingeret. Hae poſtea neſcio qua ratione ad Henricum Laceium Comitem Lincolnienſem pervenerunt, et ab eo nomen acceperunt modernum. Aedificavit praeterea hic praeſul capellam, extra portam Orientalem civitatis Ciceſtrenſis D. Michaeli dedicatam, et Eccleſiae ſuae multis in rebus inſigniter extitit beneficus.

* * *

XIII. RICHARDUS DE LA WICH[s].

1245. Hen. 3. 30. NEVILLO defuncto, Canonici Ciceſtrenſes, ut gratiam inirent apud Regem, elegerunt ſibi in Epiſcopum Robertum quendam Paſſelew, quem propter induſtriam et rerum gerendarum dexteritatem Rex plurimum diligebat. Sed tam indoctus erat, ut Epiſcopi regni hominis dedignati conſortium, electionem ejus caſſari[t], et Richardum de Wich illius loco renunciari curaverint. Natus dicitur hic Richardus apud Wich in Comitatu Wigornienſi (ubi ſalinae habentur) et inde cognomen aſſumpſit[u]. Poſt primae pubertatis annos, Oxonii et Pariſiis Dialecticae, et Philoſophiae ſtudiis operam navavit. Poſtea Bononiam profectus, in juris Pontificii ſcientia tantum profecit, ut poſtquam ſeptennii moram ibi loci feciſſet, ejus facultatis publicus praelector deſignatus fuerit. Reverſurus in patriam, Aureliani haeſit aliquandiu; ſtatimque ut ad ſuos rediit, Archiepiſcopi primum Cantuarienſis, ac deinde etiam Academiae Oxonienſis conſtitutus eſt Cancellarius. Ab ipſo Pontifice conſecratus dicitur, anno 1245[x] Martii quinto, et munus ſibi demandatum ea ſollicitudine ſimul ac ſolertia obiviſſe, ut magnam apud ſuos venerationem conſequutus ſit. Siquidem in concionibus ad populum egregiè diſertus fuit, necnon aſſiduus; et doctrinam exemplo ſuo confirmans, ſic vitam inſtituit, ut tam ſanctiſſimus quam doctiſſimus habitus fuerit vivens, et mortuus Sanctorum Catalogo aſcriberetur[y]. Obiit (ſi Pariſienſi[z] credimus) Aprilis ſecundo 1253; ſi Martyrologis, Aprilis tertio, anno conſecrationis ſuae nono, aetatis quinquageſimo ſexto; et in Eccleſia ſua ſepultus, poſt annos 23 in theca pretioſa conditus eſt. Vitam ejus ſcripſit Radulphus Bocking,

---

[s] Vid. Vies des Saintes par Baillet. [t] Bulla data Lugdun. 12 Kal. Aug. 1245. *Rym. Foed.* T. 1. p. 436. [u] *Cambd. Brit.* V. 1. p. 620. [x] Conſecratus Lugduni anno 1245, una cum Archiepiſcopo et Epiſcopo Lichf. *Weſtm.* et *Paris.* Die Dominica poſt Cineres. *Annal. Wigorn.* [y] Aprilis tertio 1262. *Weſtm.* [z] P. 744 et *Weſtm.* Apr. 8. 1262. *Annal. Winton.*

Dominicanus, è cujus ſcriptis hauſiſſe videntur, quae de illo tradiderunt Haraeus et alii, prolixius aliquanto, quam ut inſtituti mei ratio ſingula ab iis commemorata attingere patiatur.

XIV. JOANNES CLIPPING[a].

1253. HEN. 3. 37. CANONICUS quidam Ciceſtrenſis ſucceſſit, nomine Joannes Clipping. Hic inter alia dedit Eccleſiae ſuae mannerium de Drungwick, et aedes Epiſcopales ibidem conſtruxit[b].

XV. STEPHANUS DE BERKSTEAD.

*1262. HEN. 3. 46. STEPHANO DE BERKSTEAD temporalia hujus ſedis reſtituta comperi viceſimo Junii Henrici 3. 46[c]. Anno 1365 excommunicatus eſt, quod Baronum ſeditioſorum factioni adhaeſerit. Id quod in cauſa fuit ut Romam profectus, poſt exilium diuturnum, abſolutionem non niſi aegrè impetrarit[d]. Obiit 1287[e] *vir ſummae ſimplicitatis et innocentiae* (ſic loquitur Chronicon Oſneienſe) *qui per multos retro annos caecitatis incommodo flagellatus, vitam miſerabilem ſedens in tenebris accitavit.*

XVI. GILBERTUS DE S. LEOFARDO.

1288. EDW. I. 16. GILBERTUS DE S. LEOFARDO, Eccleſiae Ciceſtrenſis Theſaurarius, Cantuarienſis Archiepiſcopi Officialis, et Academiae Oxonienſis alumnus, temporalibus hujus ſedis reſtitutus eſt Junii 18 Edwardi primi 16[f]. Excitavit ille à fundamentis Capellam B. Mariae, et diem obiit extremum anno 1305[g]. *Pater orphanorum* (inquit Weſtmonaſterienſis[h]) *conſolator moerentium viduarum, in grabbatis, et in tuguriis decubantium pius et humilis viſitator, inopum pluſquam divitum affluens recreator.* Adjicit porro, ſi credere libet, *vitae illius ſanctimoniam ſubſecuta mox crebra miracula proteſtari.*

XVII. JOANNES DE LANGTON.

[1305.] EDW. I. 33. POST Gilbertum antedictum, Joannes de Langton huic Eccleſiae praefuit[i] Epiſcopus; qui in Academia Oxonienſi educatus, Angliae fuit Cancellarius[k]. Feneſtram magnam, et valde ſpecioſam is conſtruxit in Auſtrali parte Eccleſiae ſuae. Quamdiu ſederit[l] non comperi, certe anno 1315 ab eo qui tum fuit Epiſcopus Ciceſtrenſis, Comes Warrenius ob adulterii crimen excommunicatus eſt. Cumque ad Epiſcopum accedens armatis neſcio quot ſtipatus, violentas manus in eum videretur injecturus; Epiſcopus, famulis convocatis et clientibus, Comitem ſuoſque omnes comprehendit, et in carcerem conjecit.

---

[a] Joannes cognomento EPISCOPUS, *Annal. Winton.* BISSUP, *Annal. Waverl.* [b] Obiit anno 1262. *Chron. Wikes.* [c] Conſecratus die Dominica ante feſtum S. Michaelis (24 Sept.) 1262. *Wikes.* [d] Ciceſtriae Epiſcopatus Baronia certis de cauſis capta in manum Regis. *Fin.* 1 E. 1. m. 18. [e] Obiit 30 Octobris. *MS. Aſhm.* 1146. *MS. Anſtis.* [f] Conſecratus 5 Sept. 1288. *Le Neve* ex Hiſt. Brev. Gervaſii. [g] Obiit 12 Feb. 1304. *MS. Aſhm.* 1146. *MS. Anſtis.* Vacavit certe Aprilis decimo quarto 1305. *Rym. Foed.* T. 2. p. 962. In Eccleſia ſua ſepultus jacet. [h] A. 1305. [i] Regis habet aſſenſum 7 Maii 1 *Pat.* 33 E. 1. Reſtitutionem Temporalium 16 Jul. 2 *Pat.* 33 E. 1. Conſecratus in Eccleſ. Cantuar. Dominica proxima poſt Exalt. S. Crucis (Sept. 19.) 1305. *Regiſtr. Winchelſ.* [k] Conſtitutus Cancellarius anno 1308. *Rot. Fin.* 1 E. 2. m. 9. Vid. *Dugd. Catal.*

◆ ◆ ◆

XVIII. ROBERTUS STRATFORD.

[1337.] EDW.3.11.

ROBERTUS, Joannis Stratford Archiepiſcopi Cantuarienſis frater, et ejuſdem Eccleſiae Archidiaconus, necnon Angliae, atque Oxonienſis itidem Academiae Cancellarius, Epiſcopus Ciceſtrenſis deſignatus[m], Angliae Cancellariatum mox abdicavit, reſumere tamen brevi poſtea coactus[n] eſt. Inter Academicos Oxonienſes ſeditio ingens his temporibus exorta eſt, Auſtralibus (ea ſiquidem fuerunt factionum nomina) Aquilonares crebris injuriis ita fatigantibus, ut Stanfordiam, Lincolnienſis Comitatus oppidum, ſecedere coacti fuerint. Quomodo vero hujus Praeſulis, tum (uti diximus) prudentia, contentio haec ſopita et ſublata fuerit, Twynus, in Apologia Antiquitatis Academiae praedictae fuſius explicavit. Aldingburnae deceſſit Aprilis nono 1362[o].

* * *

XIX. GULIELMUS DE LEN. al. LULIMERE.

1362. EDW.3.36.

GULIELMUS DE LENNE (quem etiam Lulimerum appellatum comperi) legum Doctor, et Ciceſtrenſis Decanus, in Epiſcopum ibidem conſecratus[p] eſt ſub exitum Junii 1362; et Wigorniam tranſlatus 1368.

* * *

XX. GULIELMUS READE.

1369. EDW.3.43.

DE Gulielmo Reado, qui Wenghamenſis Collegii Praepoſitus, Theologiae Doctor, et Mertonenſis Collegii Oxoniae ſocius, Gulielmo ſive Lenno ſive Lulimero ſucceſſit[q], ſic apud Balaeum Lelandus. “Mertonenſe Collegium illuſtravit, partim eruditione ſua inſigni, partim etiam collatis librorum theſauris, exaedificata nobili bibliotheca. Inter caetera, cura fuit illi matheſis maxima, unde et ejus tabulae Aſtronomicae natae ſunt. Haec juvenis. Maturior vero factus, Theologiae impendio inſudabat; ac ejus profeſſionis dignitate ſuprema inſignitus, fit tandem Epiſcopus Ciceſtrenſis, quo tempore Ambrolegae (vulgo

---

[l] Obiit 17 Junii, ille enim dies aſſignatus eſt pro Miſſa anniverſaria pro Joanne Langton quondam Ciceſtr. Epiſcopo cum Diacono et Subdiacono. Ita in antiquo quodam Calendario Univ. Oxon. ——Jul. 19. 1337. *MS. Aſhm.* ut ſupra. Certe ante 23 Jul. 2 *Pat.* 11 E. 3. m. 22. Et fuit in vivis 1336, ut patet ex inſtrumento ordinationis Ciſtae de Langton per Magiſtros Oxon. in Lib. Jun. Proc. C. f. 43. et in Lib. Vicec. A. f. 76 et 77. *MS. Barlow.*

[m] Confirmatus eſt 23 Oct. 1337. 3 *Pat.* 11 E. 3. m. 21, et conſecratus 30 Novembris.

[n] Electus tantum Ciceſtr. et Archidiac. Cant. conſtitutus eſt Cancellarius, et M. Sigilli Cuſtos 23 Oct. *Clauſ.* 11 E. 3. p. 1. m. 20. *dorſo.*

[o] *Regiſtr. Iſlip.* f. 237.

[p] A Papa proviſus, reſtitutionem habet temporalium 12 Oct. 2 *Pat.* 36 E. 3. m. 25, et Profeſſionem fecit Lamethae 15 Kal. Sept. 1563. *Regiſtr. Iſlip.*

[q] Proviſus 5 Id. Oct. ab Urbano Pontif. A° 6. *Regiſtr. Witleſ.* —— Willielmus Praepoſitus de Wengham habet reſtitutionem temporalium 9 Jun. 1 *Pat.* 43 E. 3. m. 7.

" Amberley) prope ripas Aruntis fluminis, caſtellum operis egregii erexit. " Edidit et aliud opus quod Canones tabularum vocabat." Aſtronomicas tabulas in praedicto Collegio reliquit, etiamnum hodie (ut ferunt) viſendas, una cum Imagine ipſius ad vivum depicta. Teſtamentum [r] ejus probatum, et actis inſinuatum comperi, Novembris quarto 1385.

◆ ◆ ◆

XXI. THOMAS RUSHOOK.

1385. Ric. 2. 9. THOMAS RUSHOOK Dominicanus [s], et Regi Richardo ſecundo à Confeſſionibus, à ſede Landavenſi huc tranſlatus eſt [t] circa medium Octobris 1185. Ab aula pulſus eſt à Baronibus [u], et bona ejus authoritate Parliamentaria confiſcata ſunt menſe Martii 1388. Videtur etiam ad abdicandum eodem ipſo tempore adactus [x]: Brevi ſiquidem poſtea in Archivis Regiis appellatum comperi Thomam Ciceſtrenſem nuper Epiſcopum.

* * *

XXII. RICHARDUS MITFORD.

[1389.] Ric. 2. 13. QUI ſucceſſit [y] illi Richardus Mitford Sarisburiam tranſlatus eſt anno 1395.

* * *

XXIII. ROBERTUS WALDBY.

1395. Ric. 2. 19. ANNO 1395 praedicto, Robertus Waldby Archiepiſcopus Dublinenſis in Hibernia huc tranſlatus eſt [z], et anno proxime ſequenti Eboracum.

◆ ◆ ◆

XXIV. ROBERTUS READE.

1396. Ric. 2. 20. ROBERTUS READE Dominicanus, anno 1396 Epiſcopus Carlioſenſis petente Rege per Pontificem renunciatus, quanquam Gulielmus Strikland ad in muneris legitime fuiſſet electus, ſub illius anni exitum Ciceſtriam tranſlatus eſt [a], ubi crucem eximii operis in foro ſtatuendam curavit [b]. Defunctus videtur circa feſtum Pentecoſtes 1417 [c].

---

[r] Teſtamen. fact. 1 Aug. 1382; probat. 4 Nov. 1385. *Regiſtr. Courtney.* f. 213.—Obiit verò ante 17 Sept. eo enim die conceſſa eſt licentia eligendi alium Epiſc. 1 *Pat.* 9 R. 2. m. 38. Ob. Aug. 18. 1385. *MS. Br. Willis.*

[s] Ordinis Praedicatorum, huc tranſlatus eſt à Pontif. Rom. 17 Kal. Nov. *Regiſtr. Courtn.* f. 320.

[t] Cuſtodiam habet temporalium 6 Dec. 1 *Pat.* 9 R. 2. m. 11. Et poſtea reſtituta ſunt 26 Mar. 2 *Pat.* 9 R. 2. m. 23.

[u] *Walſingh.* p. 333.

[x] Thomas Ruſhok nuper Epiſcopus Ciceſtrenſis ad modicum Epiſcopatum in Hibernia [de Triburna, hodie Kilmore] promotus eſt 10 Mar. 3 *Pat.* 13 R. 2. Vid. *Waraeum de Epiſc. Hibern.*

[y] Papa Richardum Archidiac. Norfol. in Epiſcopum Ciceſtr. praefecit 15 Kal. Dec. *Regiſtr. Courtn.* f. 325. Cui Rex reſtituit temporalia 10 Mar. 3 *Pat.* 13 R. 2. m. 20.——Theſaurarius fuit Hiberniae.

[z] Temporalia habet reſtituta 4 Feb. 2 *Pat.* 19 R. 2. m. 34.

[a] Reſtitutionem habet temporalium 6 Mar. 2 *Pat.* 20 R. 2. m. 3. Et profeſſionem fecit in Eccleſia Cantuar. duodecimo ejuſdem menſis. *Regiſtr. Arund.*

[b] Non Robertus, ſed Edwardus Story hanc erigi curavit. vid. infr. ſub A. 1477.

[c] Teſtam. condit 10 Aug. 1414, quod probatum eſt 6 Jul. 1415. *Regiſtr. Chich.* f. 276. Spiritualia ſeiſita ſunt in manus Archiep. Jun. 29. 1415. *Ib.*——Roberto defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 21 Jun. 2 *Pat.* 3 H. 5. m. 39.——Unde liceat conjicere Stephanum ſucceſſorem conſecratum eſſe anno nondum finito, etſi in Regiſtris altum eſt de eo ſilentium.

XXV.

XXV. STEPHANUS PATRINGTON.

*1415. Hen. 5. 3. EPISCOPUS Menevenſis Stephanus Patrington, menſe Decembri 1417 huc migravit, et parvo tempore ſuperſtes, brevi poſtea extinctus eſt[d], ſi non (quod innuere videntur Archivi Regii) antequam tranſlatio ejus abſolvi potuit et perfici.

XXVI. HENRICUS WARE.

1418. Hen. 5. 6. HENRICUS WARUS[e], legum Doctor, et Archiepiſcopo Cantuarienſi Officialis, conſecratus eſt menſe Maio 1418[f].

XXVII. JOANNES KEMP.

*1420. Hen. 5. 8. JOANNES KEMP à Roffenſi Eccleſia huc transfertur anno 1422[g], et hinc Londinum ſub ejuſdem anni curriculum; poſteaque Eboracum primum ac deinde Cantuariam, Cardinalis etiam creatus.

XXVIII. THOMAS POLTON.

*1421. Hen. 5. 9. THOMAS POLTON ex Epiſcopo Herefordenſi, fit Ciceſtrenſis[h] primum, ac mox anno 1426[i] Wigornienſis.

XXIX. JOANNES RICKINGALE.

1426. Hen. 6. 4. JOANNES RICKINGALE[k], S. Theologiae Doctor, Cantabrigienſis Academiae alumnus, et ejuſdem, necnon Eccleſiae Eboracenſis Cancellarius, conſecratus eſt in Eccleſia Parochiali de Mortlake Junii tertio 1426. Accepi tumulo ejus haec carmina inciſa[l]:

"Tu modo qualis eris? quid mundi quaeris honores?
"Crimina deplores, in me nunc te ſpeculeris.
"En mors ante fores, quae clamitat omnibus, Adſum[m].

---

[d] Condit teſtamentum 16 Nov. 1417, probatum eſt 29 Dec. 1417. *Regiſtr. Chichl.* ita *MS. Anſtis* et *MS. Hatt.* Obiit verò 22 Sept. 1417 *Weaver* p. 438. ex Epitaph.

[e] Canonicus Ciceſtrenſis, reſtitutionem habet temporalium 13 Maii 1418. *Rym. Foed.* T. 9. p. 587. Antea proviſus à Martino Papa 8 Id. Apr.

[f] Vacavit Epiſcopatus poſt mortem Henrici 17 Oct. 1420. *Pat.* 8 H. 5. m. 1. Ob. menſe Julio 1420. *MS. Br. Willis.* Cuſtos fuit privati ſigilli. *Pat.* 5 H. 5, et 7 H. 5.

[g] Tranſlatus ab Epiſcopatu Roffenſi Bullâ datâ 2 Kal. Mar. 1420. *Regiſtr. Chichl.* f. 32; et reſtitutionem habet temporalium 21 Aug. 2 *Pat.* 9 H. 5. m. 18.

[h] Bulla data 15 Kal. Dec. 1421. Profeſſionem fecit ultimo Junii 1422. *Regiſtr. Chichl.* f. 34. Temporalia reſtituta 28 Jul. *Pat.* 10 H. 5.

[i] Bulla Martini quinti data 27 Feb. 1425.

[k] Proviſus eſt Bulla data prid. Kal. Martii 1425. *Regiſtr. Chichl.* f. 41. et conſecratus ultimo die Junii 1426 *Ib.* Temporalia reſtituta 1 Maii 2 *Pat.* 4 H. 6. m. 15.

[l] Obiit ante 6 Julii 1429. 1 *Pat.* 7 H. 6. m. 5. et poſt 2 Aprilis 1429 *Regiſtr. Chichl.*

[m] In MS. Ca. p. 47 ſic de Joanne noſtro ſcriptum eſt, Joan. Rickinghall—— Rector de Shelford parva in Comitatu Cantabrigienſi. Cuſtos Collegii Caio-Gonvill. 1423, quod officium reſignavit in Craſtino S. Benedicti 1426. ——Academiae Cancellarius manſit ab anno 1415 ad A. 1422. Continuatus (ut opinor) in eo munere propter graviſſimas lites et placitationes coram Rege et Parliamento, inter Univerſitatem et Oppidanos.

XXX. SIMON SIDENHAM.

*1429. Hen. 6. 8. SIMON SIDENHAM, legum Doctor, Decanus Sarisburienſis, conſecratus[n] eſt duodecimo Februarii 1430; quamvis (uti conſtat) quidam Thomas Bromis legum Doctor, à Ciceſtrenſibus fuerit Canonice electus[o], et ab Academia Oxonienſi (cujus fuit alumnus) epiſtolâ in ejus gratiam conſcriptâ, enixiſſime commendatus quarto Februarii 1429[p].

XXXI RICHARDUS PRATY.

[1438.] Hen. 6. 16. RICHARDUS PRATY[q], Academiae Oxonienſis Cancellarius ſucceſſit, et è vivis exceſſit circa feſtum S. Jacobi[r] 1445[s].

XXXII. ADAM MOLINS.

1445. Hen. 6. 24. ADAMUS MOLINS, legum Doctor, Sarisburienſis Decanus, necnon et S. Birini in Cornubia, et Regiorum Conſiliariorum quandoque Amanuenſis, conſecratus[t] eſt menſe Novembri 1445, et privati Sigilli Cuſtos[u] mox conſtitutus. Occiſus eſt Porteſmuthae à nautis quibuſdam, ad id ſceleris perpetrandum per Richardum Ducem Eboracenſem ſummiſſis ac ſubornatis, Junii nono 1449[x]. Dedit ille ad ornatum ſummi altaris in Eccleſia ſua vela quaedam ex holoſerico pretioſiſſima, coloris quem vulgo dicimus *Crimoſin*, qui antiquitus (ut credo) purpureus fuit.

XXXIII. REGINALDUS PEACOCK.

1449. Hen. 6. 27. DE Reginaldo Peacock qui ſucceſſit[y], ſic Balaeus[z]. "Reginaldus "Peacock, Latine Pavo, relicta Cambria ſolo natali, ad Oxonium "ſe contulit, ubi Regalis Collegii, quod Oriall vocatur, alumnus deſignatus, non modo eloquentiae, verum etiam prudentiae tum humanae "tum divinae operam dedit. Cum vero ſtudiorum orbem abſolviſſet, et "Theologi inſignia accepiſſet, ob excellentem eruditionem ac facundiam, "Aſaphenſis primo, Ciceſtrenſis poſtea Epiſcopus factus eſt, Humfredi "Ducis (ut fertur) beneficentia, qui ipſum, dum eſſet regni adminiſtrator,

---

[n] Proviſus eſt à Martino Papa 2 Id. Oct. 1429. *Regiſtr. Chichl.* f. 48. Temporalia reſtituta 24 Jan. 1 *Pat.* 9 H. 6. m. 17. Archidiaconus et Decanus Sarisbur. [o] Extat litera Regis Henrici ad Papam pro Thoma Brouns à Canonicis electo dat. 3 Aug. 1429. *Rym. Foed.* T. 10. p. 433. [p] Obiit Simon inter 11 Jan. et 6 Febr. 1437. *Regiſtr. Chichl.* et licentia eligendi conceſſa eſt 8 Feb. 1 *Pat.* 16 H. 6. m. 8. Extat Epiſtola commendatoria Hen. 6. pro Ric. Praty Capellae Regiae Decano ad Papam, data 2 Febr. 1437. *MS. Lowth.* [q] Collegii Orielenſis Socius; S. T. P. et Eccleſ. Sarum Cancellarius. Licentia conſecrandi data eſt 22 Jul. 1438. Temporalia habet reſtituta 14 Jul. 1438. 2 *Pat.* 16 H. 6. m. 19. [r] Circa exitum Auguſti 1445. *Regiſtr. Staff.* f. 128. [s] Vid. *Hiſt. et Antiqu. Acad. Oxon.* L. 2. p. 407. [t] Proviſus 8 Kal. Oct. et conſecratus Lamethae à Joanne Archiep. 30 Nov. 1445. *Regiſtr. Staff.* f. 20. Tempor. reſtituta 3 Dec. 1 *Pat.* 24 H. 6. m. 24. [u] Anno viceſimo quarto Henr. 6. *MS. Ox.* [x] Obiit paulo ante 11 Jan. 1449. *Regiſtr. Staff.* Vid. Lelandi Com. de Script Brit. p. 454. [y] Tranſlatus à ſede Aſſavenſi 20 Kal. Apr. 1449. Profeſſionem fecit Leiceſtriae ultimo die Martii. *Regiſtr. Staff.* f. 35 Temporalia reſtituta 30 Maii 2 *Pat.* 28 H. 6. m. 16. [z] P. 594.

“ amaverat. Videns hic indies magnas in Clero contra divinas ordinationes ſuccreſcere blaſphemias, maxime circa Euchariſtiam, non ſolum eos fovebat qui illas et dictis et ſcriptis tetigerant (quales fuerunt Rogerus Onlaeus, David Boyſus ipſius conterraneus, Philippus Noris Hibernus quidam, et alii) ſed et ipſe quoque Evangelico aratro manum admovit. Multa enim per viginti et amplius annos ore ac ſcriptis protulit, contra Antichriſtorum vanitates iniquas, et inſanias pluſquam diabolicas. Ab Epiſcoporum igitur Synodo Lambethum citatus, ut coram Archiepiſcopo Cantuarienſi Thoma Bourchiero doctrinae ſuae rationem redderet; non ſcripturis ſanctis, non argumentis idoneis, non accumine rationum, ſed authoritate, vi, arte, fraude, metu, terrore et tyrannide dirutus, ac damnatus ad carceres et ignes; palinodiam tandem ad Pauli fanum anno Domini 1457 Decembris quarto canere cogebatur,” libris etiam (quorum non pauca ſcripſerat volumina) ſe coram exuſtis. Sacrarum Scripturarum non pauca in vernaculam Anglicanam tranſtulit, quod iis temporibus non video reprehenſum. Sententiae propter quarum defenſionem damnatus eſt, hae fere perhibentur fuiſſe: Quod *humana ratio non eſt praeferenda utriuſque teſtamenti ſcripturis*; Quod *Epiſcopi ſuas admiſſiones ementes ab Epiſcopo Romano peccant*: Quod *nullus teneatur obedire Eccleſiae Romanae determinationi*: *In Apoſtolorum ſymbolo olim non fuiſſe quod Chriſtus deſcendit ad inferos*: Quod *non ſit neceſſarium ad ſalutem, credere corpus Chriſti eſſe naturaliter in Euchariſtia*: Quod *Eccleſia univerſalis poſſit errare in iis quae ſunt fidei*[a]. Poſt palinodiam Epiſcopatum cogitur abdicare, penſione tenui aſſignata[b] unde ſe aleret in Coenobio neſcio quo[c], ubi moerore confectus (ut par eſt credere) brevi poſtea interiit.

XXXIV. JOANNES ARUNDELL.

SUCCESSIT[d] illi Joannes Arundellus[e] Medicinae Doctor, de quo nihil praeterea reperi memoratum. * 1457. HEN. 6. 37.

---

[a] Hoc modo ab Antiquario Oxonienſi L. 1. p. 220. è Dictionario T. Gaſcoign narrantur Peacocki dogmata recantata; viz. I. Nullus ſcit probare quod Epiſcopus, in hoc quod eſt Epiſcopus, obligatur praedicare in ſua propria perſona vulgo ſuae Dioeceſ. accipiendo iſtum ſermonem *praedicare* in ſua maxime famoſa ſignificatione. II. Item poſuit, quod Epiſcopi non debent tenere ſeipſos eſſe obligatos ad praedicandum in propriis perſonis ſuis, communitati propriae ſuae Dioeceſeos in eo et pro eo quod ſint Epiſcopi ſuperiores aliis Curatis, ſed tenentur tenere ſeipſos liberos et ſolutos ab iſto onere praedicandi; verbis poſitis in iſta concluſione acceptis famoſiſſimis ſignificationibus. III. Item Epiſcopi, in hoc quod ſunt Epiſcopi, debent habere ſcientiam in illis materiis quas curati inferiores debent praedicare vel docere, et debent habere majorem ſcientiam in reſponſione et ſolutione magnarum quaeſtionum, quam debent habere Curati inferiores, in hoc et pro hoc quod ſunt Curati inferiores. IV. Item Epiſcopi habent authoritatem ad reſumendum et aſſumendum ſibi, et ad dimittendum quando volunt officium et opus Praedicationis, conſimiliter ſicut habent poteſtatem ad reſumendum et ad accipiendum quodlibet ad opus Curae pertinens infimo et immediatiſſimo Curato quando volunt, ſic quod per hoc Epiſcopi non ſunt impediti à meliore opere ſuae ordinariae Curae quod per eos fieri debet, et quod non poteſt fieri ordinarie per alium Curatum. V. Item Epiſcopi poſſunt pro diverſis cauſis eſſe abſentes à ſuis Dioeceſibus, et non reſidentes in ſuis Dioeceſibus excuſatorie et meritorie et cum gratiarum actione penes Deum, et aliter peccarent coram Deo, durante tempore illarum cauſarum. VI. Item magis utile opus poteſt fieri animabus hominum quam eſt opus praedicationis, iſto termino *praedicatione* accepto in ſua famoſa, et uſitata ſignificatione. VII. Item nec Papa, nec Epiſcopi *Angliae* ſunt Symoniaci in hoc, et pro hoc, quod recipiunt à Papa ſuos Epiſcopatus per proviſionem, et ſolvunt primos fructus ſuorum Epiſcopatuum.

Concluſiones verò ab Archiepiſcopo damnatae et à Reginaldo abjuratae, à reverendo viro Joanne Lewis Cantiano (à quo vitam hujus Epiſcopi perquam deſideratam expectare liceat) communicatae, ſic ſe habent.

I. Quod non eſt de neceſſitate ſalutis credere, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus poſt mortem deſcendit ad Inferos. II. Quod non eſt de neceſſitate ſalutis credere in Spiritum Sanctum. III. Quod non eſt de neceſſitate ſalutis credere in Sanctam Eccleſiam Catholicam. IV. Quod non eſt de neceſſitate ſalutis credere in Sanctorum Communionem. V. Quod Eccleſia Univerſalis poteſt errare in his quae ſunt fidei. VI. Quod non eſt de neceſſitate ſalutis credere et tenere, quod illud quod Concilium generale et Univerſalis Eccleſia ſtatuit, approbat, ſeu determinat in favorem Fidei et ad ſalutem animarum, eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum et tenendum: etiam quod reprobat, determinat, ſeu condemnat eſſe Fidei Catholicae vel bonis moribus contrarium, hoc ab iiſdem pro reprobato et condemnato eſſe tenendum et credendum.

[b] Quadraginta tantum librarum ad Abbatem pro ſuſtentatione dicti Reginaldi.

[c] De Thorney.

[d] Temporalia reſtituta ſunt 26 Mar. 1459. 1 *Pat.* 37 H. 6. m. 5, et Licentiam habet conſecra. ult. Maii. *Regiſtr. Cant.*

[e] Capellanus Henrici ſexti et Medicus, quem ad Dunelmenſem Epiſcopatum promoveri à Papa petiit; uti patet ex reſponſione ejuſdem Papae, Litera data Romae 10 Kal. Sept. 1457. *Rym.* T. 11. p. 404. ——— Canonicus fuit Windeſorae anno 1448. Prebendar. Eboracenſis, Sariſburienſis et Wellenſis, Archidiaconus Richmondiae et Decanus Exonienſis. *MS. Br. Willis.*

XXXV. EDWARDUS STORY.

1477. Edw. 4. 18. EDWARDUS STOREIUS, ſacrae Theologiae Doctor, Aulae Pembrochianae Cantabrigiae ſocius[f] aliquando, et Hoſpitii S. Michaelis[g] ibidem Praeſes[h], conſecratus eſt in Epiſcopum Carliolenſem decimo quarto Octobris 1468: ubi cum ſediſſet annos novem, huc tranſlatus eſt anno 1477[i]. Crucem ille operis egregii in foro Ciceſtrenſi erexit[k].

XXXVI. RICHARDUS FITZ-JAMES.

*1503. Hen. 7. 19. RICHARDUS FITZ-JAMES[l], ab Eccleſia Roffenſi huc transfertur[m] anno 1504, et hinc Londinum 1506.

XXXVII. ROBERTUS SHERBORN.

1508. Hen. 7. 24. ROBERTUS SHERBORN[n], in Collegio Wicamico Oxoniae educatus, ab Eccleſia Menevenſi ad Ciceſtrenſem tranſlatus eſt Novembris octavo[o] 1508; in qua ſedit annos 28. Mortuus Auguſti viceſimo primo 1536, annos natus 96; cùm praeſulatum tum nuper abdicaſſet[p]. Summa vir prudentia et in rebus gerendis dexteritate, multis legationibus ſub Henrico ſeptimo functus eſt. Laudatur etiam ob munificentiam, quod in menſa fuiſſet hoſpitalis, erga pauperes beneficus, miniſtrorum numerum in Eccleſia ſua auxiſſet, eique ornamenta non pauca adjeciſſet. Quare pro ſymbolo hoc dicitur uſus elogio, *Dilexi decorem domus tui, Domine:* Et nonnunquam, *Credite operibus.*

XXXVIII. RICHARDUS SAMPSON.

1536. Hen. 8. 28. RICHARDUS SAMPSON, legum Doctor, conſecratus Junii[q] nono 1536. Lichfeldiam tranſlatus eſt duodecimo Martii 1543[r].

XXXIX. GEORGIUS DAYUS.

1543. Hen. 8. 35. GEORGIUS DAYUS ſacrae Theologiae Doctor (de quo antea nonnihil in Gulielmo Dayo Wintonienſi fratre ejus) cum per annos decem Regii Collegii Cantabrigiae fuiſſet Praepoſitus[s], in Epiſcopum

---

[f] 1444. [g] Quod hodie, unà cum Aula Regia et Phiſwici, Collegium Trinit. Cantabrigiae conficit. [h] 1472. [i] Temporalia reſtituta 27 Mar. 1478. 2 *Pat.* 18 E. 4. m. 28. Obiit viceſimo nono Januar. 1502, et in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus eſt. [k] Non Robertus Read, ut ſupra p. 508. [l] Sacrae Theologiae Profeſſor, Canonicus Wellenſis, et Collegii Mertonenſis Oxoniae Gardianus. [m] A Julio Papa 3 Kal. Decembris 1503. *Regiſtr. Warham.* f. 3. [n] Natus in agro Hanton. *MS. Symon.* Archidiaconus Buckingh. et Magiſter Hoſpitii S. Crucis Winton. *Regiſtr. Smith* Ep. Linc. Decanus Eccleſiae S. Pauli London. [o] Tranſlatus Bulla data 14 Kal. Oct. 1508. Profeſſionem fecit 7 Nov. *Regiſtr. Warham.* f. 12. [p] Paul ante mortem Epiſcopatum reſignavit; 28^{o} enim Henrici 8^{i}. 22 Junii Billa allata eſt concernens ſtabilimentum penſionis Rob. Sherborne quondam Epiſcopo Ciceſtrenſi &c. Journ. Procerum. *MS. Anſtis.* [q] Dies non fuit Dominica anno 1536; Confirmatus eſt Jun. 10. et conſecratus Jun. 11. 1536. *Regiſtr. Cranm.* f. 189. [r] Confirmatus Martii nono 1542. *Regiſtr. Cranm.* f. 278. In coetum illorum qui Regi erant à ſecretioribus conſiliis prius admiſſus. [s] Annae de Cleve Reginae ab Eleemoſynis.

Ciceſtrenſem conſecratus menſe Maio 1543 [t]. Anno 1551 ſub Edwardo ſexto exauthoratus [u] eſt et in carcerem conjectus; ſed per Mariam Reginam poſt biennium et libertati et praeſulatui reſtitutus. Deceſſit Auguſti ſecundo 1556 [x].

XL. JOANNES SCORY.

[1552.] Edw. 6. 6. JOANNES SCORY, ſacrae Theologiae Baccalaureus, conſecratus in Epiſcopum Roffenſem triceſimo Auguſti 1551, brevi poſtea huc tranſlatus eſt [y]. Per Mariam Reginam exauthoratus [z], per Elizabetham Herefordenſis Epiſcopus conſtitutus eſt.

XLI. JOANNES CHRISTOFERSONUS.

1557. Mar. 5. JOANNES CHRISTOFERSONUS, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii S. Trinitatis Cantabrigiae Praeſes, et Norwicenſis Decanus, Dayo ſucceſſor deſignatus eſt à Maria Regina: Patria Lancaſtrenſis fuit, et in Collegio S. Joannis Cantabrigiae educatus [a]. Homo certe doctiſſimus, qui inter caetera opera ejus quamplurima, tam Latina lingua edita quam vernacula, in Reip. Chriſtianae uſum multa Euſebii et Philonis, è Graeco in Latinum ſermonem fideliſſimè tranſtulit. Aedes hic Praeſidis Collegii antedicti novis aedificiis multum auxiſſet; et bibliothecae ibidem libros contuliſſet non paucos, Graecos, Latinos, et Hebraeos [b].

XLII. GULIELMUS BARLOW.

1559. Eliz. 2. GULIELMUS BARLOW, ſacrae Theologiae Doctor, Epiſcopus primum Aſſaphenſis, tum poſtea Menevenſis, ac deinde Bathonenſis et Wellenſis, in Epiſcopum Ciceſtrenſem confirmatus eſt viceſimo Decembris [c] 1559, et ibidem ſedit annos plus minus decem [d].

XLIII. RICHARDUS CURTEIS.

1570. Eliz. 12. RICHARDUS CURTEIS, ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii S. Joannis Cantabrigiae olim ſocius, conſecratus eſt viceſimo [e] Maii 1570 [f].

---

[t] Electus 24 Apr. et confirmatus 5 Maii 1543. *Regiſtr. Cranm.* f. 299. et Temporalia reſtituta ſunt decimo ejuſdem menſis. *Rym. Foed.* T. 14. p. 785.

[u] Et Praepoſitura et Epiſcopatu propter conjugium. *Regiſtr. Cantuar.*

[x] Sepultus in Eccleſia ſua Cathedrali.

[y] Regiis Literis dat. 23 Maii 1552 quam diu ſe bene geſſerit. *Rym.* T. 15. p. 303.

[z] Poenitentiam egit de conjugio: Inde Bonerus permiſit functionem miniſterii Eccleſiaſtici et Paſtoralis officii intra Dioeceſin Londinenſ. *MS. Symonds* è *Regiſtr. Boner.* f. 347.

[a] Coll. S. Joan. Socius. Rector de Swanton Morley. Confeſſor Reg. Mariae. Huc proviſus eſt Bulla data Non. Maii 1557. Conſecratus 21 Nov. *Regiſtr. Pool.* f. 11, 12. Temporalia reſtituta 21 Nov. 1557. *Pat.* 4. 5. P. et M. par. 1. m. 2. *Rym.* T. 15. p. 480. —Hic cum quatuor aliis delegatus eſt ad viſitandam Acad. Cantabr. à Reginaldo Polo, ejuſdem Cancellario. *MS. Cai.* 5. p. 1556.

[b] Spiritualia ſeiſita à Decano et Capit. Cantuar. vacan. per mortem Joannis Chriſtopherſon. Jan. 2. 1558.

[c] Regium habet aſſenſum 18 Dec. 1559. et temporalia reſtituta 23 Martii ſequentis. *Rym. Foed.* T. 15. p. 550, 576.

[d] Obiit 13 Aug. 1568. *Le Neve.* Dec 10. 1569. *MS. Br. Willis.*

[e] Dies viceſimus primus fuit Domin. et Regiſtris concordat.

[f] Obiit menſe Auguſto 1582; et in Eccleſ. ſua Cath. ſepultus ultimo ejuſdem menſis.

XLIV. THOMAS BICKLEY.

1584. Eliz. 27. INEUNTE anno 1585[g] Thomas Bickley, ſacrae Theologiae Doctor, Mertonenſis Collegii Oxoniae Gardianus, ad hujus Eccleſiae Praeſulatum conſecratus eſt. Hic Stoae natus in Comitatu Buckingamenſi et in Collegio Magdalenenſi educatus, Choriſta primum fuit ibidem, mox ſcholaris, ac tandem ſocius. Maria Regina rerum potita, in exilium ſponte profectus, Pariſiis et Aureliani commoratus eſt, donec paulo poſt mortem ejus reverſus in patriam, à Parkero Archiepiſcopo Cantuarienſi in Domeſticum Capellanum aſcitus eſt, et ejus opera brevi poſtea Collegii Mertonenſis Gardianus deſignatus. A Benthamo deinde veteri amico et exilii conſorte Epiſcopo Lichfeldenſi creato, Praebenda quadam Lichfeldenſi et Archidiaconatu Staffordenſi honeſtatus eſt. Poſtquam Collegium antedictum laudatiſſimè rexiſſet annos viginti, hunc Epiſcopatum oblatum ultrò haud nimis cupidè accepit, vir honorum non admodum appetens, qui ad octogeſimum aetatis annum tum proxime accedebat. Coelebs deceſſit Aldingburnae triceſimo Aprilis 1596, ferme nonagenarius[h], cum ſediſſet annos undecim, et honorifico funere elatus, in Eccleſia ſua tumulatus eſt. Collegio Mertonenſi teſtamento legavit centum libras, et Magdalenenſi quadraginta, praeter alias pecunias in pios etiam uſus erogandas.

XLV. ANTONIUS WATSON.

1596. Eliz. 38. ANTONIUS WATSON[i], Decanus Briſtolienſis, et olim Collegii Corporis[k] Chriſti Cantabrigiae ſocius, conſecratus eſt decimo quinto Auguſti[l] 1596; et à Regina, Fletchero Londinenſi offenſa, in Eleëmoſynarii munere datur illi ſucceſſor. Hic vitam (quam etiam ſicut anteceſſor caelibem duxerat) menſe terminavit Septembri[m] 1605.

XLVI. LANCELOTUS ANDREWS

1605. Jac. 1. 3. LANCELOTUS ANDREWS, ſacrae Theologiae re vera Doctor, et Weſtmonaſterienſis Decanus, conſecratus Novembris tertio 1605[n], ad Elienſem Eccleſiam poſt quadriennium tranſlatus eſt[o].

XLVII. SAMUEL HARSNET.

1609. Jac. 1. 7. SAMUEL HARSNET, ſacrae Theologiae Doctor et Archidiaconus Colceſtrenſis, ſocius primum, mox Praeſes Aulae Pembrochianae Cantabrigiae, conſecratus Decembris tertio 1609[p]. Ab hac ſede ad Norwicenſem tranſlatus eſt Auguſti viceſimo octavo 1619[q].

[g] Conſecratus 30 Jan. 1584. *Regiſtr. Whitg.* f 57.

[h] Aetatis ſeptuageſimo octavo. *Ex Epitaph.*

[i] Filius Edwardi de Thorp Thules in Com. Dunelm. filii Willelmi de eadem Parochia. *MS. Anſtis.*

[k] Collegii Chriſti Alumnus, Aulae verò Pembrochianae Socius 1578. Natus apud Cheam in Comit. Surriae; ibique ſepultus 19 Sept. 1605.

[l] *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 90.

[m] Die decimo. *Le Neve.*

[n] *Regiſtr. Bancr.* f. 42.

[o] Nov. 6. 1609. *Ib.* f. 84.

[p] *Ib* f. 102.

[q] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 24.

XLVIII.

XLVIII. GEORGIUS CARLTON.

1619. Jac. 1. 17. SUCCESSOR illi tum deſignatur Georgius Carlton Epiſcopus Landavenſis, cujus electio confirmata eſt viceſimo Septembris[r] anno praedicto 1619.

* * *

Anno 1618 comitantibus Joſepho Hall, Joanne Davenant aliiſque melioris notae Theologis ad Synodum Dordectrenſem à Jacobo Rege delegatus, qui Cleri Anglicani nomine conſiliis publicis intereſſet. Res à Synodo geſtas non noſtrum eſt attingere; ſatis erit adnotaſſe Landavenſem hunc noſtrum tanta cum eruditionis et pietatis laude controverſias agitatas adminiſtrâſſe, ut in patriam reverſus, Jacobo Regi carior factus, ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem viceſimo Septembris 1619[s] promoveretur. Mortem obiit menſe Maio 1628, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

XLIX. RICHARDUS MOUNTAGUE.

1628. Car. 1. 4. IN defuncti locum ſucceſſit Richardus Mountague viceſimo quarto Auguſti 1628, Collegii Regalis Cantabrigiae, et inde Collegii B. Mariae de Eton ſocius, et Eccleſiae Windeſorenſis Canonicus. Poſt triennium ibi exactum ad Dioeceſin Norwicenſem tranſlatus migravit. De eo inter Norwicenſes plura.

L. BRIANUS DUPPA.

1638. Car. 1. 14. BRIANUS DUPPA S. T. P. aedis Chriſti Oxoniae Decanus, conſecrationis ritibus inauguratus eſt 17 Junii 1638: ad Dioeceſin Sariſburienſem tranſlatus 1641, et inde ad Wintonienſem 1660. Ubi de eo plura.

LI. HENRICUS KING.

1641. Car. 1. 17. SUCCESSIT Henricus King, Joannis aliquando Londinenſis Epiſcopi filius, multi in Eccleſiaſticis honoribus nominis, Eccleſiae demum Roffenſis Decanus, à Rege jam tum Puritanis, quibus noſter aliquatinus favere exiſtimabatur, gratum facere cupiente, decimo ſexto Februarii 1641 Epiſcopus Ciceſtrenſis eſt conſecratus. Nihilominus cùm graſſante bello civili Hierarchia extincta jaceret, ipſe cum fratribus pariter vexatus exulavit. Cum Carolo tandem reſtitutus, et novennio deinde decurſo vitam terminavit Octobris primo 1669, in Eccleſia Cathedrali ſua ſepultus, ubi honorarium extat marmor, his inter alia inſcriptis ——

---

[r] Ib. f. 30. [s] Regiſtr. Abbot. par. 2. f. 30.

“ Antiqua eaque Regia Saxonum apud Danmonios in agro Devonienſi
“ proſapia oriundus, Natalium ſplendore illuſtris, Pietate, Doctrina et
“ Virtutibus illuſtrior.”

LII. PETRUS GUNNING.

1669. Car. 2. 22. PETRUS GUNNING, Collegii D. Joannis Cantabrigiae Magiſter, et in Academia Theologiae Profeſſor Regius, conſecratus eſt ſexto Martii 1669: infra quinquennium ad Dioeceſin Elienſem tranſlatus.

LIII. RADULPHUS BRIDEOAKE.

1675. Car. 2. 27. IN ſucceſſorem electus eſt Radulphus Brideoake, ſacrae Theologiae Doctor, aliquando è Collegio Aenei Naſi Oxoniae, Eccleſiae Sarisburienſis Decanus, qui conſecratus eſt decimo octavo Aprilis 1675. Dioeceſeos viſitationem cum iniret, in ipſo itinere morte abreptus obiit, et in Capella Windeſorenſi ſepultus.

LIV. GUIDO CARLETON.

1678. Car. 2. 30. GUIDO CARLETON à Dioeceſi Briſtolienſi huc tranſlatus eſt Januarii octavo 1678; aliquando Collegii Reginalis Oxon. Socius, deinde Eccleſiae Carleolenſis Decanus. Ceſſit naturae ſexto Julii 1685, et in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet: ubi extat marmor hiſtorico Elogio perquam longo ornatum.

LV. JOANNES LAKE.

1685. Jac. 2. 1. ILLI defuncto mox ſufficitur Joannes Lake, è Collegio D. Joannis Cantabrigiae, ubi ob inconcuſſam erga Regem Carolum fidem gravia multa perpeſſus, ad Oxonium fuga elapſus ſe recepit, per quadriennium arma miles geſſit, partium Regiarum ſigna et fortunas ſecutus. Anno 1682 ad Epiſcopatum Sodorenſem, 1684 ad Briſtolienſem, et poſtremò decimo nono Octobris 1685 ad Ciceſtrenſem fuit evocatus. E ſeptem Epiſcopis unus Metropolitani exemplum et autoritatem ſecutus, à Jacobo Rege incarceratus, in judicium publicum vocatus, abſolutus diſceſſit. Brevi poſtea obiit Auguſti triceſimo 1689, in Eccleſia Paroeciali S. Botolphi Aldgate ſepultus.

LVI. SIMON PATRICK.

1689. Gul. et Mar. 1. IN defuncti locum mox ſufficitur Simon Patrick, Eccleſiae Petroburgenſis Decanus, decimo tertio Octobris 1689. Intra biennium deinde ad Dioeceſin Elienſem tranſlatus.

LVII. ROBERTUS GROVE.

1691. Gul. et Mar. 3. TRANSLATO Simone ſufficitur Robertus Grove ſacrae Theologiae Doctor, Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae aliquando Socius; conſecrationis ritus accepit triceſimo Auguſti 1691[t]. Inter iter faciendum curru excuſſus, crure fracto vulnus lethale excepit; obiit 25 Sept. 1696, aetatis anno 62, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

LVIII. JOANNES WILLIAMS.

1696. Gul. 3. 8. SUCCESSIT Joannes Williams S. T. P. ex Academia Cantabrigienſi, vir pietate, modeſtia et eruditione multiplici ſatis clarus; conſecratus decimo tertio Decembris 1696. Diem clauſit extremum Aprilis viceſimo quarto 1709; in Eccleſia S. Mildredi in vico vulgo dicto Poultry in civitate Londinenſi ſepultus.

LIX. THOMAS MANNINGHAM.

1709. Annae 8. IN ſucceſſorem electus eſt Thomas Manningham, Eccleſiae Windeſorenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus 13 Novembris 1709, obiit menſe Auguſto 1722.

LX. THOMAS BOWERS.

1722. Geo. 1. 9. THOMAS BOWERS, Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantabrig. alumnus, Archidiaconus Cantuarienſis, Epiſcopus Ciceſtrenſis conſecratus eſt ſeptimo Octobris 1722. Morti ſuccubuit 22 Auguſti 1724.

LXI. EDWARDUS WADDINGTON.

1724. Geo. 1. 11. SUCCESSIT Edwardus Waddington, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Regalis Cantabrigiae, et inde Collegii B. Mariae de Eton Socius, Epiſcopus conſecratus undecimo Octobris 1724. Pietatis et munificentiae multa reliquit monumenta; Aedes Epiſcopales diuturnitate temporis foedas et labefactatas, pecuniis ampliſſimis eum in uſum impenſis refecit, novo ſplendore donatas. Bibliothecam inſtructiſſimam Collegio Etonenſi moriens legavit. Obiit octavo Septembris 1731.

---

[t] *Regiſtr. Tillotſ.* f. 66.

LXII. FRANCISCUS HARE.

1731. Geo. 2. 5. IN defuncti locum ſucceſſit Franciſcus Hare, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Regii Cantabrigiae et Collegii Etonenſis aliquando Socius. Marlburio Duci in bello Civitatum Regionumque foederatarum à ſacris caſtrenſibus. Eccleſiae Wigornienſis, deinde Paulinae Decanus, ad Epiſcopatum Aſaphenſem evocatus 1727, ad Ciceſtrenſem viceſimo quinto Novembris 1731. Exceſſit è vivis viceſimo ſexto Aprilis 1740, vir ingenio acri et acuto, et eruditione multifaria ſatis clarus.

LXIII. MATTHIAS MAWSON.

1740. Geo. 2. 13. MATTHIAS MAWSON, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Magiſter digniſſimus, ab Epiſcopatu Landavenſi ad Ciceſtrenſem tranſlatus eſt viceſimo primo Octobris 1740. De quo quidem quae voluntas urget dicere, neque noſtri inſtituti ratio, neque ipſius patitur modeſtia.



De EPISCOPIS ROFFENSIBUS.

AUGUSTINO (cui quod religionis Chriſtianae in nonnullis hujus inſulae regionibus reſtaurator extiterit, Sancti nomen inditum) poſtquam Doroberniae (quae nunc Cantuaria) conſediſſet, conſultum viſum, in civitatibus vicinis Epiſcopos conſtituere; ideoque duos ſimul eodemque tempore ordinavit; ad Londinenſem videlicet *Mellitum* (de quo antea) et ad Roffenſem *Juſtum*, patria Romanum, qui anno pòſt conſecrationem ſeptimo, Chriſti nimirum 613, ſolum vertere coactus eſt una cum Mellito praedicto, ſicut antea, ubi de Londinenſibus egimus, demonſtratum eſt. Anno poſtea 622 in Archiepiſcopatu Cantuarienſi Mellito, qui illuc Londino migraverat, et tum nuper diem obierat, ſucceſſor deſignatus eſt.

◆ ◆ ◆

I. JUSTUS.

EPISCOPORUM igitur Roffenſium primus numeratur Juſtus[a] antedictus. * 604.

---

[a] Conſecratus anno 604. *Chron. Saxon.* 605, *Florent.*

◆◆◆

II. ROMANUS.

*624. JUSTO ſucceſſit[b] in Eccleſia Roffenſi Romanus, qui à Juſto tum Archiepiſcopo Cantuarienſi ad Honorium miſſus, Romanum tum Pontificem, naufragio periit, antequam littus Gallicum attingeret ſubmerſus[c].

◆◆◆

III. PAULINUS.

*633. ECCLESIAE Eboracenſis Archiepiſcopus primus Paulinus, à ſuis in exilium pulſus[d] (ſicuti pluribus Deo volente oſtendemus, quando ad Eboracenſes perventum fuerit) Epiſcopatus Roffenſis tum vacantis adminiſtrationem ſuſcepit, ibique cum annos praefuiſſet tredecim diem clauſit extremum Octobris decimo anno 644[e], et in Eccleſia S. Andreae tumulatus eſt, quam Ethelbertus Cantiae Rex à fundamentis excitarat.

◆◆◆

IV. ITHAMAR[f].

[644.] IN Eccleſiae hujus Praeſulem tunc ordinatus eſt Ithamarus homo Anglus, neque tamen ceu vitae ſpectes morumque integritatem, ceu doctrinam et eruditionem, anteceſſorum cuiquam poſtponendus[g]. Hic gentis noſtrae (Saxonum dico ſive Anglorum) primus extitit Epiſcopus[h].

◆◆◆

V. DAMIANUS.

656. SUCCESSIT illi Damianus[i]; Quo defuncto, aliquot per annos paſtoris ſolatio Eccleſia Roffenſis deſtituta vacavit[k].

◆◆◆

VI. PUTTA.

669. “ IN civitate Hroſi (ubi defuncto Damiano Epiſcopatus jam diu ceſſaverat,
“ Theodorus (Archiepiſcopus Cantuarienſis) ordinavit virum,
“ magis Eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutum, et vitae ſimplicitate contentum,
“ quam in ſaeculi rebus ſtrenuum, cui nomen erat PUTTA; maximè

---

[b] Juſtus ad Archiepiſcopatum Cantuar. non migravit ante annum 624.

[c] Ante exitum anni 627, quo Juſtus interiit.

[d] Paulo poſt 12 Oct. 633. quo die interfectus eſt Edwinus Rex.

[e] *Beda* L. 3. c. 14.

[f] YTAMAR, *Chron. S. Crucis.* De gente Cantuariorum oriundus. *Beda.* L. 3. c. 14. *Gervaſ. Chron.* Succeſſit anno 644. *Beda.* ib.

[g] *Malmeſb. de Pontif.* L. 1. f. 132.

[h] Obiit anno 655.

[i] De gente Auſtralium Saxonum. *Beda.* L. 3. c. 21.

[k] Tempus Damiani obitus hoc modo certum facit Cl. Whartonus. “ Obiit paulo ante Deuſdedit Archiep. qui mortuus eſt quarto Julii
“ 664. Cedda enim Archiep. Ebor. ordinandus Cantuariam veniens, comperta Deuſdedit Archiepiſcopi morte, ſine conſecratione
“ habita receſſit: et Wighardus Presbyter, ſucceſſor Deuſdedit Archiepiſcopo deſignatus, miſſus eſt Romam
“ conſecrandus. Sin verò Damianus Deuſdedit Archiepiſcopo ſuperfuiſſet; uterque ab illo conſecrationis munus ſuſcepiſſet.
“ Nec tamen diu ante Deuſdedit obiiſſe potuit: Aliter enim Archiepiſcopus ante obitum ſuum ſucceſſorem illi
“ ſubrogaſſet.”

“ autem, modulandi in Eccleſia more Romanorum, (quem à diſcipulis
“ Papae Gregorii didicerat) peritum.” Sic Beda[l]. Sedis ſuae paupertatem pertaeſus, homo non nimium ſolers, de ea deſerenda cogitabat, quando Edilredus Merciae Rex, civitate Roffenſi incenſa, et eodem incendio Eccleſia etiam Cathedrali abſumpta, in propoſito eum confirmavit. Anno igitur 676 in Merciam diſceſſit, ibique Eccleſiolae neſcio cujus ſuſcepit curam, ſub Saxulfo illarum regionum Epiſcopo, ex puerorum in Muſicae elementis inſtitutione victum plerunque tolerans[m]. In hoc vitae genere conſenuit, nec ad Epiſcopatum derelictum ut rediret monentium voces aequo animo audivit.

VII. QUICHELMUS[n].

PRO illo Theodorus Quichelmum ordinavit Epiſcopum, quem Baeda alicubi (ni malè memini) Gulielmum[o] appellat. Sed et ille etiam, inopia cogente, poſt non multum temporis ſedem dereliquit[*]. 676.

VIII. GEBMUNDUS[p].

QUICHELMO ſubſtitutus eſt Gebmundus, aliis Godmundus dictus, aliis etiam Godwinus; qui ſtationem ſibi commiſſam non deſerens, Epiſcopus Roffenſis deceſſit anno 692. 681.

IX. TOBIAS.

“ GEBMUNDO defuncto, Tobiam pro illo conſecravit[q] Brightwaldus *692.
“ Archiepiſcopus, virum (inquit Baeda[r]) Latina, Graeca et Saxonica
“ lingua, atque eruditione multiplici inſtructum.——[s]Erat enim diſcipulus
“ beatae memoriae magiſtrorum Theodori Archiepiſcopi et Abbatis
“ Adriani; unde (ut dictum eſt) cum eruditione literarum, vel eccleſiaſticarum
“ vel generalium, ita Graecam quoque cum Latina didicit linguam,
“ ut tam notas et familiares ſibi eas quam nativitatis ſuae loquelam
“ haberet. Defunctus anno Dominicae incarnationis 726[t], ſepultus eſt
“ in porticu S. Pauli Apoſtoli, quam intra Eccleſiam S. Andreae Apoſtoli
“ ſibiipſi in locum ſepulchri fecerat.”

X. ADULFUS[u].

POST eum Epiſcopatus officium Aldwlf, Bertwaldo Archiepiſcopo conſecrante, ſuſcepit, qui obiit anno 741[x]. 727.

[l] *Hiſt. Eccleſ.* L. 4. c. 2. [m] *Malmeſb. de Pontif.* L. 1. f. 132. b. [n] *Malmeſb.* CUIKELMUS, *Gervaſ.* CHICHELINUS, *Bromt.* [o] CUICHELMUM, *Beda* L. 4. c. 12. [*] *Beda* et *Malmeſb.* [p] *Malmeſb. Beda, Florent.* GILEMUNDUS, *Bromt.* GESMUNDUS, *Chron. S. Cru.* GYBMUNDUS, *Ernulfus.* [q] Anno 692; eo enim anno interfuit Concilio Baccanceldenſi. *Concil. Anglic.* T. 1. p. 56. Edit. Lond. 1737. [r] *Hiſt. Eccleſ.* L. 5. c. 8. [s] *Ib.* L. 5. c. 23. [t] A. 727. *Chron. Saxon.* [u] *Hoved.* ALDULFUS, *Huntin. Mailr. Bromt.* ELDULFUS et ALDULF, *Dunelm.* ALDULFUS et ALTWLFUS, *Florent.* ALDWLF, *Beda.* [x] Obiiſſe dicitur anno 739. à *Mailroſ. Dunelm.* et *Hovedeno.* anno 741 à *Florentio Wigorn.*

XI. DUN[y], alias DUINA.

741. DUN[z], à nonnullis Duina appellatus, Synodo interfuit Cliffae prope Roſſam celebratae Septembri menſe 747[a].

XII. EARDULFUS[b].

747. EARDULFO[c], Dunae ſucceſſori, Offa Merciorum Rex mannerium contulit de Frendsbury, (quod illa tempeſtate Eſlingham appellatum eſt) circa annum Domini 770. Egbertus deinde Cantiae Rex dedit neſcio quid agelli intra caſtellum Roſſenſe anno 763. Et Ethelbertus Cantiae itidem Rex dedit Woldham anno 751[d].

XIII. DIORA.

[778.] EGBERTUS Rex (non ille qui Chriſtianorum principum quartus ante centum annos regnavit, ſed alius neſcio quis regulus) Diorae Epiſcopo Roſſenſi tantum fundorum dedit in Halling, quantum decem aratra colerent, et deinde nemora quaedam[e].

XIV. WEREMUNDUS[f].

[788.] WEREMUNDUS[g] obiit anno 800[h].

XV. BEORNMOD[i].

*803. BEORNMOD, nonnullis Beornredus obiit anno ſalutis 804[k].

---

[y] *Malmeſb. Hoved.* DUMI, *Weſtm.* DOM, *Mailr.* DUNNA, *Florent.*

[z] Succeſſit anno 740. *Hoved.* f. 231. *Mailr.* et *Weſtm.* Anno 741, *Florent.* et *Chron. Saxon.* Tempore Zachariae Papae *Hunt.* L. 4. f. 195. b. et ſi ita, non ante Kal. Decembris; eo enim die electus eſt Zacharias.

[a] Interfuit Synodo Cloveſhovienſi anno 747. *Conc. Angl.* V. 1. p. 94.

[b] *Florent.* ERDULFUS, *Malmeſb.*

[c] Haec ſolummodo de Eardulfo habent Hiſtorici; Anno 761 Egbertus conceſſit Eardulfo et Eccleſiae Roſſenſi Seſqui-jugerum terrae in civitate Roſſa. *Text. Roſſ.* p. 69. *Ed. Hearn.* ——— Anno 762 Eardwlfus Cantiorum Rex illi paſcua duodecim gregum porcorum donavit. *Ib.* p. 71 ——— Anno 764 Offa Merciorum Rex dedit terram viginti aratrorum in *Aeſlingaham*. *Ib.* p. 74. ——— A. 765 Ecgberhtus Cantiae Rex dedit terram intra Caſtelli moenia. *Ib.* p. 77.

[d] Hoc etiam refert Whartonus ex Annalibus Roſſenſibus, ſed annum 750 aſſignat.

[e] Egbertus dedit dimidiam partem aratri in *Bromgeheg* (Bromley) et mariſcum de Scaga anno 778. *Text. Roſſ.* p. 82; et donum confirmat 779. *Ib.* p. 82. —— Ethelberhtus Rex dedit terram intra moenia Civitatis anno 781. *Ib.* p. 85, et terram decem aratrorum in *Hallinges*, p. 79.

[f] *Malmeſb.* WERMUNDUS, *Floren.* WEORMUNDUS, *Ernulfus.*

[g] Huic Epiſcopo Offa Merciorum Rex dedit terram ſex aratrorum in *Trotteſclib* anno 788. *Text. Roſſ.* p. 86; et unius aratri in *Bromgehege* A. 789 *Ib.* p. 88. —— Anno 790 Aedelbearht Cantiorum Rex dedit viginti acra, unum viculum et unum mariſcum; *Ib.* p. 91. ante duodecimum Auguſti, quo die Archiep. Cantuarienſis Cealnothus mortem obiit.

[h] Interfuit Concilio Cloveſhovienſi anno 803 habito, vel 802; et eodem, vel proximo anno defunctus eſt; Succeſſor enim Bermod Athelardo Archiepiſcopo (qui fatis ceſſit anno 803) profeſſionem fecit. *Text. Roſſ.* p. 258.

[i] *Floren.* BERUMODUS, *Malmeſb.* BERMOD, *Text. Roſſ.*

[k] De obitu Beornmodi multum errat Godwinus; anno enim 811 Coenwlfus tria dedit aratra ad meridianam urbis partem Beornmodo Epiſc. Roſſenſi. *Text. Roſſ.* p. 96. —— Subſcripſit donationi Egberti Regis anno 823. *Ib.* p. 97. —— Egbertus etiam plures terras dedit eidem Epiſcopo anno 838. *Ib.* p. 99. —— Et Ethelwlfus Rex terram dedit in *Holanbeorge* anno 841. *Ib.* p. 100. et paulo poſt obiiſſe videtur. ——— Succeſſio Epiſcoporum Roſſenſium à *Florentio* data ſic ſe habet (15) BEORNMOD. (16) BURHRICUS. (17) ALSTANUS. (18) GODWINUS. (19) GODWINUS. (20) SIWARDUS. —— *Malmeſburienſis* hoc ordine, BERUMODUS, BURTHRICUS, ALSTANUS, GODWINUS, SIWARDUS. Quid vero de his Epiſcopis dicendum eſt parum conſtat; multo minus de interpoſitis, quorum nuda nomina ex Archivis Eccleſiae Roſſenſae producta ſunt.

◆ ◆ ◆

XVI. TADNOTH[l]. [841.]

* * *

XVII. BEDENOTH.

DE Tadenotho et Bedenotho nihil traditum reperi praeter nuda nomina.

◆ ◆ ◆

XVIII. GODWINUS I.[m]

EPISCOPORUM Roffenſium ſeriem circa haec tempora, ſi non mutilam et imperfectam, at certè incertam haberi fatendum eſt, nimirum à Beornmodo ad Siwardum, per ſpatium centum et 60 annorum. Malmesburienſis, pro toto eo tempore, quod inter aetatem Bedae et Gulielmum Normannum interceſſit novem tantum recenſet Epiſcopos. Florentius Wigornienſis ei numero unum duntaxat adjicit. Sed Catalogus quem reperi in Archivis Eccleſiae Roffenſis, ſeptem adhuc alios interſerit. Quibus (utrum hoc ordine collocandus, an forte alibi, non auſim affirmare) addendus videtur hic Godwinus, quem conſtat annis 833 et 851[n] diplomata confirmaſſe Merciae Regum, alterum Withlafi, Bertulfi vero alterum, quorum exemplaria apud Ingulfum habentur: Niſi credere libeat (cujus rei animum meum nonnulla tetigit ſuſpicio) hujuſmodi Epiſcoporum et Procerum confirmationes, annis ſaepe non paucis, adjectas diplomatis, poſt earum confectionem.

* * *

XIX. CUTHERWULF.

DE quo nihil memoratur[o]. [868.]

* * *

XX. SWITHULFUS[p].

SWITHULFUS obiit anno 897[q], quando tum nuperrimè unus è Gardianis regni conſtitutus fuiſſet, ut illud contra vim irruentium Danorum tueretur ac defenderet. [880.]

---

[l] Tadnothus ſucceſſit poſt obitum Beornmodi anno 841. [m] Godwinum Epiſc. Roffen. hiſce temporibus extitiſſe non conſtat. [n] Ita quidem *Ingulfus* p. 11, 15; qua verò fide non conſtat. [o] Huic Epiſcopo Aetheredus Occidentalium Saxonum Rex terras conceſſit anno 868. *Text. Roff.* p. 104. [p] *Weſtmon.* SUITHULFUS, *Floren.* Hic terras quaſlibet habet conceſſas in Cucolanſtane à Rege Aethelulfo anno 880. *Text. Roff.* p. 106. [q] *Weſtmon.* et *Chron. Saxon.*

[898.] XXI. BUIRICUS[r].

XXII. CHEOLMUND.

XXIII. CHINEFERTH.

De his tribus ab hiſtoricis nihil traditur.

XXIV. BURRHICUS[s].

EDMUNDUS, Athelſtani Regis frater, anno 945 dedit Burrhico et ſucceſſoribus Mallingam his verbis, *Do, &c. terram trium aratrorum in Mealings.*

XXV. ALFSTANUS.

[955.] ALFSTANUS[t] obiit anno 984[u].

[985.] XXVI. GODWINUS 2.[x]

XXVII. GODWINUS 3.

ISTORUM unus, diploma confirmavit Edgari Regis anno 966, quod apud Ingulfum habetur; necnon et aliud itidem 996. Florentius porro Wigornienſis, Huntingdonus et Hovedenus[y] tradiderunt, Godwinum Epiſcopum Roffenſem à Danis captum, una cum Alphego Cantuarienſi anno 1011. Ubi igitur à Weſtmonaſterienſi aliiſque ſcriptoribus narratur, Epiſcopum Roffenſem (cujus nomen non edunt) ab Ethelredo

---

[r] BURHRICUS, BURTHRICUS, PUTHRICUS. Burhrico Roffenſi Epiſcopo Alfredus Rex mannerium contulit de Frekingham; qui quidem Alfredus obiit anno 900. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 332.——Eidem Epiſcopo Edmundus Rex terras conceſſit in Meallingas, tempore Odonis Archiep. Edmundus Regni ſolium aſcendit 941 et obiit 946. *Text. Roff.* p. 108.

[s] Idem cum Buirico Nu. XXI. vid. not. poſtr.

[t] Aelfſtano et ſucceſſoribus confirmata eſt terra in Bromleage ab Edgaro Rege A°. 955. *Text. Roff.* p. 120.——*Anno* 983 *ſurrexit inter Regem Aethelredum et Roffenſem Epiſcopum contentio, ſed qua de cauſa habetur incertum. Quo circa Rex contra Roffenſium civitatem obſidionem componens, eam debellare diſpoſuit ——nec diſcedere voluit, priuſquam ab Epiſcopo centum libras accepit.* Weſtmon. p. 194.

[u] Obiit anno 984. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 332. ex *Annal. Roff.*

[x] Godwino Epiſcopo Aethelredus Rex conceſſit ſex manſas in Wldeham, et unam in Lytlanbroce anno 995. *Text. Roff.* p. 124.——Eidem reſtituit terras in Bromleage (Bromley) A°. 998. *Ib.* p. 130.——Et conceſſit quindecim manſas in Stantune et Hiltune A° 1012. *Ib.* p. 135.

[y] Ita etiam *Dunelm. Mailroſenſis* et *Weſtmonaſt.*

Rege in civitate ſedis ſuae anno 983 longo tempore obſeſſum, neque obſidionem voluiſſe ſolvere Regem (quantumvis ſuadente ut id faceret Dunſtano) donec ab eo centum libras extorſiſſet: Dubitari certe non poteſt Godwinum appellatum Epiſcopum ſic obſeſſum[z]. Conſtat deinde ex Epiſtola quadam Edwardi Confeſſoris ad Edſinum Archiepiſcopum Cantuarienſem et Godwinum Antiſtitem Roffenſem perſcripta, Godwinum ſedi Roffenſi circa annum 1040 praefuiſſe. His morte ſublatis[a], et ſive per moleſtias illis exhibitas, ſive per clades bellicas, ad paupertatem redacta Eccleſia, diu videtur paſtore viduata permanſiſſe, ad annum videlicet 1058.

❖ ❖ ❖

XXVIII. SIWARDUS.

TEMPORE praedicto, Siwardus Abbas Abendonenſis (nonnullis Chertſeienſis[b]) in Epiſcopum Roffenſem ſacratus eſt. Cujus rei occaſionem in Eadſino Cantuarienſi ſupra retulimus. *Hic eo tempore erat Epiſcopus* (inquit Malmesburienſis[c]) *quo Normanni in Angliam venerunt, pauciſque diebus ſupervivens, fatum explevit Abindonae.* Ab eodem tamen ipſo Malmesburienſi numeratur inter illos Epiſcopos qui Lanfranci Cantuarienſis conſecrationi anno 1070 interfuerunt; necnon et inter eos qui Synodum celebrarunt anno 1072 Wintoniae inchoatam, Windeſorae vero finitam. Et alibi traditum reperi, anno illum 1075 è vita exceſſiſſe. Quandoque demum id fuerit, "Eccleſiam certe dereliquit (teſte Malmeſburienſi[d]) miſerabilem et vacuam, omnium rerum indigentem, intùs et extrà. Vix enim quatuor Canonici erant, qui victu exili, et ipſo ad horam vel prece vel pretio comparato, et indumento plebeio vitam tolerarent:" Sic ille. 1058.

❖ ❖ ❖

XXIX. ARNOSTUS[e].

MALIS ut occurreret praedictis, et Eccleſiae res in meliorem locum redigeret, Arnoſtum quendam, Monachum Beccenſem, cujus animi virtutes ſatis habebat perſpectas, Lanfrancus antiſtitem hic conſtituit[f]. 1075. Gul. i. 10

❖ ❖ ❖

XXX. GUNDULPHUS.

EX eodem Beccenſi Coenobio monachus itidem Gundulphus, veloci morte praerepto Arnoſto, ejuſdem Lanfranci opera ſubſtitutus[g] eſt, qui Canonicis excluſis, monachos primus in hanc Eccleſiam introduxit. *1076. Gul. i. 11

---

[z] Vid. ſupr. Not. [t]. [a] In Obituario Cantuar. Godwinus alter 7 Id. Martii, alter 2 Id. Apr. obiiſſe dicitur. Sic *Whartonus*. [b] Abbas Certeſiae alius ab Abbate Abendonenſi, etſi uterque Siwardi nomen habuit. Et Epiſcopus Roffenſis longè alius à Chorepiſcopo Cantuarienſi. Chorepiſcopus aſcitus ab Eadſio 1044, et obiit 1050 adhuc vivente Archiepiſcopo. Epiſcopus Roffenſis conſecratus anno 1058 à Stigando. *Chron. Saxon.* interfuit conſecrationi Lanfranci A°. 1070 *Malmeſb.* f. 117. a; ſubſcripſit concordiae inter Lanfrancum Cantuar. et Thomam Eborac. Archiepiſcopos 1072. *Ingulf.* p. 92. et obiit anno 1075. *Whart.* ex *Annal. Antiqu. Roff.* p. 332. [c] *De Pontif.* f. 132. b. [d] *Ib.* [e] *Malmeſb. Florent.* ERNOSTUS, *Ernulf.* [f] *Malmeſb.* ut ſupr. et *Du Monſtier in Neuſtria pia.* p. 493. [g] Et conſecratus decimo nono Martii 1076, anno exeunte. *Vit.* p. 291. —— Ille ſolus ex omnibus Angliae Epiſcopis cum Anſelmo ſtetit contra Willelmum ſecundum Regem.

Homo fuit non admodum doctus, ſed prudentia, et rerum gerendarum ſolertia inſignis. Nam cum Clericos adveniens reperiſſet tantum ſex; auxit eouſque Eccleſiae res induſtria ſua; ut monachos in eadem reliquerit moriens 50 (ſunt qui numerent 60) ac deinde ipſam Eccleſiam de novo conſtructam, à fundamentis excitavit, et ad eam perduxit amplitudinem quam hodie cernimus. A Lanfranco his in rebus multum adjutus eſt; qui praeter magnam pecuniam, mannerium etiam de Heddre, illi Eccleſiaeque ſuae contulit[h]. Cum deinde Odo Cantiae Comes multa tam Archiepiſcopatus quam hujus Eccleſiae praedia per vim occupaſſet, manneria nimirum de Detling, Stoke, Preſton, Dainton et alia nonnulla; in jus eum vocatum ad reſtitutionem compulerunt. Qua de re apud Agelricum Ciceſtrenſem plura à me ſupra dicta ſunt. Fundavit praeterea hic praeſul Ptochotrophium S. Bartholomaei Chettamae, et Monialibus Coenobium Mallingae, quod ſuppreſſionis tempore valere cenſebatur annuatim 245 libras, decem ſolidos et denarios duos. Magnam etiam partem arcis Roffenſis conſtruxit, turrim nimirum praegrandem illam etiamnum ibi viſendam; cujus ſtructurae ſumptum Rex dono mannerii[i] cujuſdam compenſavit. Denique Sancti Paulini oſſa, feretro praetioſiſſimo condidit, et ſeptimo Martii 1107 naturae debitum perſolvit[k].

XXXI. RADULPHUS.

1108. HEN. I. 9. RADULPHUS Abbas Sagienſis in Normannia, conſecratus eſt undecimo[l] Auguſti 1108, et anno 1114 Cantuariam tranſlatus.

XXXII. EARNULPHUS[m].

1115. HEN. I. 16. DE Earnulpho qui ſucceſſit[n], haec habet Malmeſburienſis[o]. "Earnulphus, natione Gallus, apud Coenobium S. Luciani in Belvaco "non paucum tempus Monachus egit. Sed cum nonnulla plena inſolentiae videret, quae nec emendare poſſet, nec pati vellet, diſceſſum intendit. Quaeſito prius à Lanfranco conſilio, incunctanter facturus quicquid ille jubendum putaſſet: Ille (qui hominis induſtriam probe calleret, nam et apud eum diu Becci ſtuduerat) perſuaſit, ut ad ſe veniret, "quia ibi animam ſuam ſalvare non poſſet. Venit ergo, et toto tempore "Lanfranci Monachus apud Cantuariam, ab Anſelmo Prior ibidem, mox "apud Burgum Abbas, à Radulpho Epiſcopus apud Roſam conſtitutus "eſt, et conſecratus Cantuariae una cum Galfrido Herefordenſi viceſimo "ſexto Decembris 1115[p]. Grave quidem memoratu (inquit ille) quantae "probitatis et prudentiae in omnibus officiis fuerit. Cantiae dejectam "priorem partem Eccleſiae quam Lanfrancus aedificaverat, adeo ſplendide erexit, ut nihil tale poſſit in Anglia videri, in vitrearum feneſtrarum luce, in marmorei pavimenti nitore, in diverſi coloribus picturis,

---

[h] Haec et plura in *Malmeſb.* L. 1. [i] De Hedenham in Comit. Buck. *Text. Roff.* [k] A° 1107. Mar. 7. *Dunelm. Hoved. Floren.* [l] Auguſti nono, dies enim fuit Dominica. *Hovedenus* verò et *Florentius* undecimum aſſignant. [m] ARNULFUS, *Hoved. Floren. Weſtmon.* ARNULPHUS, *Bleſen. Chron. Petrob.* ERNULFUS, *Malmeſb. Huntin. Paris.* [n] Electus die Aſſumptionis S. Mariae 1114, ſeu nominatus potius ab Archiepiſcopo Cantuar. [o] *De Pontif.* L. 1. f. 133. a. [p] Ita *Floren. Dunelm.* et *Hovedenus*, f. 271. b. A Radulpho Archiepiſcopo, *Eadmerus* p. 117.

“ quae mirantes oculos trahunt ad faſtigia lacunaris. In Burgo mona-
“ chorum numerus auctus, religio bonis monitis conſota; aedium vete-
“ rum ruderibus deturbatis, nova fundamenta jacta, culmina erecta. Ea-
“ que omnia cum vorax ignis abſumpſiſſet meditanti reficere, honos
“ pontificalis impactus. Ibi quamvis omnia jam facta viderentur (praeve-
“ nerat enim vivacitas Gundulfi omnium ſucceſſorum diligentiam) tamen
“ ſemper aliquid comminiſci, ubi virtus eniteſcere poſſet; firmare anti-
“ qua, moliri recentia. Vixit in Epiſcopatu aliquot dies ſuper novennium,
“ deceſſitque quatuor et octoginta annos natus, multa probitatis ſuae mo-
“ numenta relinquens.” Dicitur Eccleſiae Roffenſis hiſtoriam ſcripſiſſe, quam mihi nondum contigit videre. Obiit (ut videtur) menſe Martio[q] 1124.

XXXIII. JOANNES

JOANNES Archidiaconus Cantuarienſis conſecratus eſt viceſimo tertio[r] Maii 1125, et mortem obiit anno 1137[s]; quo anno, Junii tertio, tam Eccleſia quam civitas univerſa Roffenſis incendio fortuito conflagravit[t]. 1125. HEN. I. 25.

XXXIV. ASCELINUS[u].

ASCELINUS[x], nonnullis (ſed perperam) Anſelmus, deceſſit anno 1147. Ad eum D. Bernardi Epiſtola 205 perſcripta eſt. *1142. STEPH. 8.

XXXV. WALTERUS.

AD hoc uſque tempus, Archiepiſcopus Cantuarienſis hunc Epiſcopatum, quoties vacare contingeret, cuicunque viſum pro libitu conferre conſuevit. Theobaldus Archiepiſcopus, deſignandi antiſtitis jus, in monachos Eccleſiae Roffenſis tranſtulit[y], qui omnium primum ſuis ſuffragiis renunciarunt Walterum[z] Archidiaconum Cantuarienſem. Eo praeſidente, Aprilis nempe viceſimo 1177[a], et Eccleſia et civitas univerſa iterum conflagravit. Obiit, cum ſediſſet annos pene 35, Julii viceſimo ſexto 1182[b]. 1147. STEPH. 13.

---

[q] Decimo quinto Martii 1124. *Chron. Saxon. Floren.* Anno 1124, *Weſtmon. Paris.* [r] Conſecratus 24 Maii (dies enim erat Dominica) una cum Simone Wigorn. Epiſcopo. [s] Viceſimo ſecundo Junii. *Obitua. Cantuar.* [t] Conflagravit Civitas Roffenſis 7 Maii 1130, preſente Rege Henrico. *Floren.* [u] Joanni ſucceſſit Joannes alius, Monachus Sagienſis, conſecratus anno 1137, et mortuus anno 1142. *Text. Roff.* et *Regiſtr. Eccl. Roff.* [x] Prior Dovor. conſecratus anno 1142. Obiit 1147 Jan. 24. *Gerv.*——Anno 1146. *Weſtm. Paris.* 1148. *Annal. Waverl.* [y] Nequaquam, ſi *Gervaſio* fides ſit adhibenda in *Chronico* Col. 1362, ubi haec ſcripta legimus; Aſcelino ſucceſſit Walterius —— qui *ſecundum antiquam conſuetudinem in Capitulo Cantuarienſi electus eſt à Monachis Rofae.*——Eſt autem conſuetudo ab antiquis temporibus conſtituta, quod Epiſcopus Rofenſis debeat eligi in Capitulo Cantuarienſi, ex dono Archiepiſcopi et electione Conventus Rofenſis Eccleſiae. [z] Theobaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi fratrem. *Rob. de Monte.* f. 139. Conſecratus 14 Martii 1147; exeunte anno. [a] Aprilis decimo 1177. *Gervaſ.* Col. 1456. [b] Anno 1183. *N. Trivet.* 1182. *Hoved.* et *Weſtmon.* Ad hunc Epiſcopum P. Bleſenſis ſcribit Epiſtolam 56, quem jam octogenarium à venandi ſtudio dehortatur.

XXXVI. GUALERANUS[c].

* 1182. Hen. 2. 29. SUCCESSIT illi Gualeranus Archidiaconus Bajocenſis[d], qui obiit anno 1184[e]. Poſt mortem ejus lis ingens exorta eſt inter monachos Cantuarienſes et Roffenſes; aſſerentibus illis, pedum paſtorale Epiſcopi defuncti, ſuper altare Cantuarienſis Eccleſiae relinquendum, et ab ipſis novo Epiſcopo tradendum. Hoc iſti verbis negabant, et de facto baculum apud ſe detinebant. Poſt multam altercationem res tandem ad Archiepiſcopi Cantuarienſis arbitrium dijudicanda permittitur, qui baculum Cantuarienſibus tradidit, prout illi Epiſcopo mox deſignato[f].

XXXVII. GILBERTUS GLANVILL.

1185. Hen. 2. 31. GILBERTUS GLANVILL Archidiaconus Lexovienſis conſecratus eſt viceſimo nono Septembris 1185[g]. Inter hunc et monachos ſuos lites et contentiones (qua de re neſcio) exarſerunt ingentes. Unde iritatus ille, abſtulit eis omnia bona mobilia, Eccleſiae ornamenta, et magnam partem praediorum. Et illi, ceu rerum neceſſarium inopia coacti, ſive ut haberent in litigationis ſumptum pecuniam, feretrum argenteum D. Paulini conflaverunt, et inde nummos percuti curaverunt. Certamen longum, quae mortalia cuncta, mors tandem terminavit, nimirum Epiſcopi, qui deceſſit viceſimo quarto Junii 1214[h]. Monachorum tamen animos inſenſos, interitus ejus adeo non pacavit, ut exequias ejus celebrare renuentes, corpus ſine ulla conſuetarum ceremoniarum pompa ſepulturae mandarint. Hoſpitale apud Strodam prope Roffam ab hoc Praeſule conditum eſt et praediis dotatum, quae hodie valere dicuntur annui cenſus libras 52[i].

XXXVIII. BENEDICTUS.

1214. Joan. 16. BENEDICTUS, Eccleſiae S. Pauli Londini Praecentor, conſecratus eſt viceſimo ſecundo Februarii 1214[k]; qui mortem obiit anno 1226[l].

---

[c] WALERANNUS, *Hoved.* [d] *Hoved.* f. 352. b. Richardi Cantuarienſis Archiepiſcopi domeſticus; electus eſt in Capitulo Roffenſi Nov. 9. 1182, praeſente Archiepiſcopo; et conſecratus menſe Decembri apud Lexoviam. *Dicet. Ymag.* Col. 615. [e] Apud Roffam 29 Aug. 1182, ibique ſepultus jacet. *Gerv. Hoved.* [f] *Gervaſ. Chron.* [g] Electus eſt apud Otteford 16 Julii 1185, Preſbiter ordinatus Lamethae 22 Sept. et Cantuariae conſecratus 29 ejuſdem menſis. *Dicetenſis. Gerv.* et *Hoved.* f. 359. [h] Ita *Pariſien.* et *Weſtmon.*——Rex cuſtodibus Epiſcopatus Roffenſis Nov. 20. *Clauſ.* 16 Joan. [i] $52^{l}. 9^{s}. 10^{d}$ *ob. Monaſt. Angl.* [k] Electus in Capitulo Roffenſi 13 Dec. et conſecratus 8 Kal. Mar. (Feb. 22.) 1214 apud Oxenfordiam in Eccleſia B. Mariae de Oſney. Ita *MS. incert. Autho.* in Bibl. Coll. Magd. Ox. [l] Obiit 21 Decem. 1226. *Wharton* ex fide Annal. Priora. de Suthw. ſepultus in Eccleſia ſua Cathedrali.

XXXIX. HENRICUS DE SANFORD.

1227. Hen. 3. 11. HENRICUS DE SANFORD, Archidiaconus Cantuarienſis, conſecratus eſt anno 1227[m]. Poſt biennium deinde lis exorta eſt inter hunc et Jocelinum Bathonenſem ac Wellenſem Epiſcopum. Nam cum ſacrationem peterent tres ad Praeſulatus deſignati, Richardus ad Cantuarienſem ſedem, Rogerus ad Londinenſem, ac denique Hugo ad Elienſem: Hos ritus illis impendi à ſe oportere contendebat Roffenſis, tanquam Cantuarienſis Capellano; cum è contra Bathonenſis, ad ipſum hoc munus aſſereret ſpectare, quod omnium Cantuarienſis provinciae Epiſcoporum eſſet antiquiſſimus. Poſt multam altercationem, convenit tandem inter eos, ut Roffenſis Archiepiſcopum conſecraret, reliquos autem duos Bathonenſis. Quod jam mox narrabo, indignum fortaſſe videatur memoratu: ſilentio tamen non duxi praetereundum, ut perſpiciat inde lector, quam levi momento virorum vel graviſſimorum mentes iis temporibus illuſionibus diabolicis in craſſiſſimos errores impellerentur. "Henricus Roffenſis Epiſcopus (inquit Pariſienſis[n], et illis ipſis verbis ſequutus eum Weſtmonaſterienſis[o]) cum apud Sidingeburniam, praeſente Cantuarienſi electo, ordines celebraſſet ſolennes; aſtante clero et populo, fiducialiter cum ſermonem faceret proteſtatus eſt dicens, Gaudete omnes in domino fratres, qui hic praeſentes eſtis, ſcientes indubitanter, quod uno et eodem die exierunt de Purgatorio, Rex quondam Anglorum Richardus, et Stephanus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cum uno Capellano ejuſdem Archiepiſcopi, ad conſpectum divinae majeſtatis migraturi: Et in illo die non niſi illi tres de locis poenalibus exierunt. Et his dictis meis fidem adhibeatis pleniſſimam et certam, quia mihi et cuidam alii tertia jam vice hoc revelatum eſt per viſionem ita manifeſtè, quod ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas removetur." Caeterum videnti iſti parum oculato, qui talibus viſis fidem potuit adhibere, aut credita aliis propalare; ne talia videndo, et enarrando, caecus dux pergeret eſſe caecorum, mors oculos clauſit Februarii 24. 1235[p].

* * *

XL. RICHARDUS DE WENDOVER.

1238. Hen. 3. 23. RICHARDUS DE WENDOVER, Eccleſiae Bromleienſis Rector, in Epiſcopum Roffenſem legitimè electus[q]; cum conſecrationem peteret ab Edmundo Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui poſtea in album Sanctorum aſcriptus eſt; tanquam rudis et indoctus ob inſcitiam eſt rejectus. Hic tamen talis cum eſſet, ad Romanum Pontificem provocans, ab eo confirmatus eſt, Archiepiſcopo quantumvis invito, quem oderat Papa, quod aſſiduis exactionibus Eccleſiam Anglicanam depraedanti vir pius reniteretur nonnunquam. Pontificio igitur mandato conſecratus eſt

---

[m] Electus 26 Dec. 1226, et conſecratus Apr. 25. 1127. *Annal. Wigorn.* Maii nono. *Annal. Waverl.*

[n] P. 314.

[o] Ad annum 1232.

[p] Anno 1234 exeunte. *Weſtmon.* et alii; et in Eccleſ. ſua Cathedrali ſepultus.

[q] Electus à Monachis 26 Mar. 1235, à Papa confirmatus die S. Cuthberti 1237, et conſecratus Cantuariae ab Archiepiſcopo in Eccleſia S. Gregorii 21 Nov. 1238. *Annal. Roff. Weſtm.* et *Annal. Waverl.*

Wendoverus anno 1238. Et cum anno 1250, circa feſtum ſancti Michaelis[r], mortem obiiſſet; in Eccleſia Weſtmonaſterienſi Rege praecipiente tumulatus eſt, quod pietate, vitaeque ſanctimonia inſignis fuerit habitus.

◆ ◆ ◆

XLI. LAURENTIUS DE S. MARTINO.

1251. Hen. 3. 35. “ DEFUNCTI Wendoveri loco, Monachi Roffenſes elegerunt[s] magiſtrum Laurentium de S. Martino[t], Domini Regis Clericum, “ et conſiliarium ſpecialem, ne ſi forte alium elegiſſent, ſe Rex electioni “ oppoſuiſſet.” Sic Pariſienſis[u]. Conſecratus eſt Lugduni duodecimo[x] Aprilis 1241, ubi per diſpenſationem Pontificiam facultas ei data eſt, quicquid ſacerdotiorum ante ſuſceptas infulas fuiſſet adeptus, ut etiam Epiſcopus creatus retineret. Sed neque ſic contentus; Epiſcopatum ſuum totius Angliae tenuiſſimum, imo Carleolenſi non paulo tenuius dictitans; quiritandi finem non fecit, donec à dioeceſis ſuae Clero, omnium Eccleſiaſticorum proventuum quintam partem ſibi per annos quinque pendendam curaſſet[y]. Hunc Bonifacius Archiepiſcopus Cantuarienſis injurioſius tractavit, poſſeſſiones ſedis ſuae per vim occupando, et multa auferendo, quae ſemper ad Eccleſiam Roffenſem ſpectare noſcebantur. Qua de re conqueſtus apud Regem, nihil profecit. Reginae avunculus erat Bonifacius, quam homo uxorius noluit offendere, injurias Epiſcopo à Bonifacio illatas vindicando. Surdo igitur cum fabulam narratam intelligeret, ad Papam ſe convertit. Verum neque hic auditus eſt aequis auribus. Pontifici vicinus erat Bonifacii frater Sabaudus, cui noluit aegrè facere, fratrem caſtigando. Quid jam faceret? Premit alto corde dolorem. Exceſſit è vivis tertio Junii 1274[z].

* * *

XLII. WALTERUS DE MERTON.

1274. Edw. 1. 2. WALTERUS DE MERTON[a] Angliae Cancellarius[b], ante Pontificatum Collegii fundationem molitus eſt Maldoniae in Comitatu Surreienſi, anno videlicet 1264; ſed poſt decennium mutata ſententia, Maldoniam neglexit, et curas tranſtulit Oxoniam, ubi Collegium poſuit nobiliſſimum (Mertonenſe hodie nuncupatum) anno 1274, ſub id ipſum tempus quo Roffenſis deſignatus eſt Epiſcopus[c]. Cùm annos ſediſſet tres vel quatuor, exceſſit è vivis, ſi Weſtmonaſterienſi credimus, in feſto D. Lucae 1277: ſi aliis (quibus fidem potius adhibuerim) viceſimo ſeptimo Octobris 1278. Sepultus jacet prope murum Septentrionalem Eccleſiae ſuae, è Regione fere Cathedrae Epiſcopalis, ubi loci illuſtriſſimi Equitis opera Henrici Savilli, Collegii Mertonenſis Gardiani (qui ingenti ſumptu Chryſoſtomum nuper integrum edi curavit in uſum Reip. Chriſtianae) monumento veteri marmoreo diruto, novum erectum eſt elegantiſſimum, ex lapidibus Lydiis, et alabaſtrinis, hoc inſculpto Epitaphio:

---

[r] Octobris duodecimo. *Annal. Roff.* [s] Octobris 19. 1250. *Ib.* [t] Archidiaconum Coventrenſem et Praeb. Lichf. *Pat.* 30 H. 3. [u] P. 693. [x] Aprilis nono 1251. *Annal. Roff.* dies enim erat Dominica, 12 non ita. [y] Et antea Rectorias de Iſleham et Dartford; ut conſtat è confirmatione Cardinalis Ottobonis. *Regiſtr. Haymo* f. 37. b. [z] Ita *Annal. Roff.* [a] Canonicus Sarum. [b] Cuſtodiam habet Sigilli, aegrotante Wenghamo, 7 Maii 1258. *Pat.* 42 H. 3. m. 29.—— Anno 1261 conſtituitur Cancellar. inconſultis Baronibus. *Weſtmon.* p. 380, annuo ſtipendio 400 Marcarum conceſſo ad ſuſtentationem ſui et Cancellariae Regis. *Pat.* 45 H. 3. m. 19, 18.—Iterum Cancellarius primo Edw. 1. *Rym. Foed.* T. 2. p. 13. [c] Electus circ. 20 Jul. et conſecratus apud Gillingham 21 Oct. 1274. *Archiv. Eccleſ. Cant.*

"Waltero de Merton, Cancellario Angliae, ſub Henrico tertio; Epiſ- "copo Roffenſi, ſub Edwardo primo Rege[d]; unius exemplo, omnium "quotquot extant Collegiorum[e] fundatori; maximorum Europae totius "ingeniorum foeliciſſimo parenti; Cuſtos et ſcholares domus ſcholarium "de Merton, in Univerſitate Oxon. communibus Collegii impenſis, debi- "tum pietatis monumentum poſuere, anno Domini 1598, Henrico Sa- "vile Cuſtode. Obiit in vigilia Simonis et Judae, anno Domini 1277, "Edwardi primi quinto. Inchoaverat Collegium Maldoniae in agro Surr. "anno Domini 1264, Henrici tertii 48: cui dein ſalubri conſilio Oxo- "nium, anno 1270 tranſlato, extrema manus foeliciſſimis (ut credi par "eſt) auſpiciis acceſſit anno 1274, ipſis Cal. Aug. anno regni Regis "Edwardi primi ſecundo.

"Magne ſenex titulis, Muſarum ſede ſacrata,
"Major Mertonidum, maxime progenie:
"Haec tibi gratantes poſt ſecula ſera nepotes,
"En votiva locant marmora, ſancte parens.

XLIII. JOANNES DE BRADFEILD[f].

ECCLESIAE Roffenſis Monachus[g] et Praecentor, conſecratus eſt in 1278.
Epiſcopum ibidem, Joannes de Bradfeild, Maii 29. 1278[h], una cum EDW. I. 6.
Norwicenſi, et defunctus viceſimo tertio Aprilis 1283[i]. Hunc Chronicum Oſneienſe appellat "Joannem de Ho, Eccleſiae Roffenſis Celerarium, et virum teſtatur extitiſſe honeſtae converſationis et innocentiae, "decenter literatum, et in omnibus morigeratum.

XLIV. THOMAS INGLETHORP[k].

THOMAS INGLETHORP, Eccleſiae Paulinae Decanus, conſecra- 1283.
tus anno 1283[l], deceſſit duodecimo[m] Maii 1291. EDW. I. 11.

XLV. THOMAS DE WULDHAM[n].

THOMAS DE WULDHAM, Roffenſis Prior[o], obiit Februarii viceſi- 1291.
mo octavo 1316[p]. EDW. I. 20.

---

[d] Sic legendum puto; *ſub Edwardo primo*; *Re unius, exemplo omnium, quotquot* &c.

[e] Domus S. Petri Cantabr. ab Hugone de Balſam inchoata creditur antequam eſſet Epiſcopus, quod ad annum 1257 redigendum eſt. Sane Cartam Regiam vidi datam Cuſtodi et Scholaribus Domus S. Petri dat. 15 Maii Regni Edw. primi 2°, quod incidit in annum 1273 (1374.) *MS. Wren.*

[f] BRADEFEUD. *Archiv. Eccl. Cant.*

[g] *Weſtmon.*

[h] *Annal. Roff.*

[i] *Annal. Wigorn.*

[k] Mortuo Joanne, electus eſt à Monachis Joannes de Kyrkeby, Archidiaconus Coventrenſis; qui electioni de ſe factae conſentire noluit, et juri ſuo coram Archiepiſcopo renunciavit apud Michelham 16 Jun. 1283. *Wharton* ex autogr. reſignat.

[l] Conſecra. 26 Sept. 1283.

[m] *Annal. Roff.* Undecimo, *Wikes.*

[n] De WOLDHAM vel WOLDEHAM.

[o] Licentiam conſecrationis extra Eccleſ. Cantuar. obtinuit 5 Jan. 1291, *Arch. Eccl. Cant.* et poſtridiè conſecratus eſt apud Chartham. *Regiſtr. Sutton. Lincol.* et *Annal. Roff.*

[p] Ita *Dene* in *Hiſt. Roff.*——In ſummonitionibus ad Parliam. dat. 6 Feb. 27 E. 1. mentio fit de Joan. Roffenſ. Epiſcopo. *Dugd.* in *Summon.*

XLVI. HAYMO DE HEATH.

1319. Edw. 2. 13. HAYMO DE HEATH[q], vel potius de Hitha (ab oppidulo Hithenſi in Cantia, ubi natus eſt, ſumpto cognomine) Regi Edwardo ſecundo à Confeſſionibus, conſecratus eſt 1319[r]. Multa is conſtruxit Hawlingae anno 1323, aulam nimirum et frontiſpicium illud excelſum in palatio Epiſcopali ibidem, molendinum vicinum reſtauravit, et omnia aedificia domus praedictae refecit. Deinde in oppido Hithenſi antedicto Ptochotrophium S. Bartholomaei, pauperibus decem alendis, inſtituit[s], et praediis dotavit viginti marcarum annui cenſus. Epiſcopatum ſponte abdicavit[t] anno 1352[u].

XLVII. JOANNES DE SHEPEY.

1352. Edw. 3. 27. JOANNES DE SHEPEY, Eccleſiae Roffenſis Prior, ſucceſſit[x], et anno 1358[y] conſtitutus eſt Angliae Theſaurarius. Obiit decimo nono Octobris 1360, in mannerio ſuo prope Lametham, quod THE PLACE appellatur[z].

XLVIII. GULIELMUS WITTLESEY.

1361. Edw. 3. 36. GULIELMUS WITTLESEY[a], Archidiaconus Huntingdonenſis, conſecratus ſexto[b] Februarii 1361. Wigorniam tranſlatus eſt 1363, et poſtea Cantuariam.

XLIX. THOMAS TRILLEG.

*1364. Edw. 3. 38. THOMAS TRILLEG[c], Eccleſiae Paulinae Decanus, conſecratus anno 1363, deceſſit 1372[d].

[q] Electus à Monachis 18 Mar. 1316. *Hiſt. Roff.* [r] Conſecratus Avinione à Cardinali Hoſtienſi non ante 26 Aug. 1319; Cauſa pendente per tres annos in Curia Romana. *Id.* ——— Temporalia habet reſtituta 5 Dec. *Pat.* 13 E. 2. [s] Anno Dom. 1336; ut conſtat è Charta fundationis. *Regiſtr. Haym.* f. 121. b. [t] Uſque ad obitum Epiſcopatum tenuit; Archiepiſcopus enim ſeiſivit Temporalia et Spiritualia hujus Epiſcopatus, poſt mortem Haymonis, 29 Nov. 1352, et non antea; etſi deceſſit ante 22 Oct. praecedentis. *Regiſtr. Iſlip.* [u] *Walſingh.* p. 161. [x] A Papa proviſus eſt, Bulla data 22 Oct. 1352. *Regiſtr. Iſlip.* f. 65: et conſecratus per Epiſc. Wintonienſem apud Prioratum S. Mariae de Overee 10 Mar. 1352. *Regiſtr. ipſius.* [y] Angliae conſtitutus eſt Cancellarius anno 1356, et id muneris uſque ad annum 1358 adminiſtravit. 3 *Pat.* 30 E. 3. m. 10. [z] *Regiſtr. Iſlip.* f. 222. [a] Domus Petrenſis Cantabrigiae Cuſtos. [b] *Regiſtr. Wyttleſ. Roff.* Proviſus prius et confirmatus ante 18 Oct. *Rym. Foed.* T. 6. p. 334, et Temporalia reſtituta 13 Dec. 3 *Pat.* 35 E. 3. m. 3. [c] Canonicus prius Wellenſis, proviſus eſt ab Urbano 5° Papa, Bulla data 2 Non. Maii Pontif. 2°. *Regiſtr. Iſlip.* f. 245. Conſecratus 26 Maii 1364 per Guidonem Cardinalem Boloni. in capella Hoſpitii ejuſdem. *Regiſtr. Trilleke.* Temporalia reſtituta 6 Feb. 1 *Pat.* 39 E. 3. m. 34. [d] Teſtamen. fact. 11 Dec. 1372. Probat. 3 Non. Jan. 1372. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 126.

L. THOMAS BRINTON.

DE eo qui ſucceſſit[e], ſic Balaeus[f]; “Thomas Brinton (alii Britonem 1372. Edw. 3. 47. “ nuncupant) Benedictinorum ordinis apud Nordovicenſes alum- “ nos Monachus, perluſtratis Anglorum gymnaſiis doctis, ſummae erudi- “ tionis fama multis per orbem innotuit. Romam in poſterum perveniens, “ plures coram ejus urbis Pontifice in Latino ſermone conciones fecit; “ et ideo Romanae ſedis Poenitentiarius ac Roffenſis Epiſcopus ordinatus, “ in Angliam ab eo diſceſſit, et chartis commiſit Sermones coram Ponti- “ fice et Sermones alios ſolennes.” Fuit hic Brintonus Regi Richardo[g] ſecundo à Confeſſionibus, et hoſpitii Anglorum Romae praecipuus benefactor. Obiit anno 1389[h].

LI. GULIELMUS DE BOTTLESHAM.

GULIELMUS DE BOTTLESHAM[i] vel Boltſham (quem Walſin- 1389. Ric. 2. 13. gamus, Balaeus et alii Joannem nuncupant, ſed perperam) natus eſt Bottleſhamae, in Comitatu Cantabrigienſi, et inde ſumpſit appellationem. Dominicanus fuit, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, et propter eruditionem atque in concionibus facundiam multum celebratus, à Rege Richardo ſecundo, ad Epiſcopatum primum Landavenſem, mox Roffenſem provectus eſt[k], quanquam Richardus quidam Barnet, ad ſedem Roffenſem jam fuiſſet legitime electus[l]. Mentio habetur apud Foxum Battleſhami fraterculi cujuſdam, Theologiae Doctoris, quem Epiſcopum Nannatonenſem appellatum perhibet, Julii 25. 1382. Alibi vero traditum reperi Epiſcopum eum fuiſſe Bethleemitanum[m], priuſquam in Landavenſi ſede collocatus fuerit. Deceſſit ſub initium Februarii 1399[n].

LII. JOANNES DE BOTTLESHAM.

JOANNES DE BOTTLESHAM[o] Archiepiſcopi Cantuarienſis Sacel- 1400. Hen. 4. 2. lanus, conſecratus quarto Julii 1400. Poſt infulas ſuſceptas Eccleſiam ſuam Cathedralem nunquam vidit. Academiae Cantabrigienſis benefactor extitiſſe dicitur, necnon et Hoſpitio divi Petri ibidem. Exceſſit è vivis ſub initium anni 1401[p].

---

[e] Monachi eligerunt Joannem de Hertley Priorem ſuum; Papa verò ex plenitudine poteſtatis Epiſcopatum contulit Thomae Brinton 2 Kal. Feb. 1372. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 138. Temporalia habet reſtituta 21 Oct. 2 *Pat.* 48 E. 3. m. 17.

[f] Cent. 12. p. 80.

[g] In coronatione Richardi Regis concionem habuit ad Populum, “in qua (ut habet *Walſingh.* “ p. 196.) exhortatur, ut diſſentiones et diſcordiae ortae et diu continuatae inter plebem et Dominos ſopirentur, pro- “ bans per multa argumenta hujuſcemodi diſſentiones Deo plurimum diſplicere.——Monuit etiam, ut relictis vitiis qui- “ bus inſerviebant, viz. ſtupris in fornicationibus et adulteriis, Regis puritati et innocentiae ſe conformare ſtuderent.”

[h] *Id.* p. 368.

[i] Aulae Pembrochianae Cantab. Socius, et Sub-Prior de Angleſey.

[k] Temporalia à Rege reſtituta ſunt 12 Feb. 1389. 2 *Pat.* 13 R. 2. m. 11. Tranſlatus ab Urbano 6 Kal. Sept. Pontificatus A° 12. Profeſſionem fecit 14 Dec. *Regiſtr. Courtn.* f. 328.

[l] Poſtulatus in Epiſcopum Roffenſem 26 Maii. 2 *Pat.* 12 R. 2. m. 17.

[m] Ita 1 *Pat.* 10 R. 2. m. 31.

[n] Notifica. vacationis Archiepiſcopo 26 Feb. 1399. *Regiſtr. Arund.* par. 1. f. 463.—— Teſtamen. fact. 16 Feb. 1399. Probat. 23 Maii 1402. *Regiſtr. Arund.* par. 2. f. 167. Sepultus inter Dominicanos Londinenſes.

[o] Prebendarius de Brampton in Eccleſ. Lincoln. et Domus D. Petri Cantabr. Cuſtos.

[p] Obiit 17 Apr. 1404. *Regiſtr. Bottleſh.* f. 186. b. et in Eccleſ. ſua Cathedrali ſepultus jacet.

LIII. RICHARDUS YONG.

1404. Hen. 4. 6. RICHARDUS YONG[q], in vinculis neſcio ubi[r] detentus, à ſede tamen Bangorenſi huc tranſfertur Martii ſecundo 1404. Feneſtras quaſdam extruxit ille in Eccleſia Frendsburienſi, et mortem obiit viceſimo ſeptimo Julii 1419[s].

LIV. JOANNES KEMP.

1419. Hen. 5. 7. JOANNES KEMP[t], legum Doctor, et Archidiaconus Dunelmenſis, conſecratus eſt menſe Septembri ſequente, et poſtea tranſlatus Ciceſtriam primo 1422[u], deinde Londinum, mox Eboracum, ac tandem Cantuariam.

LV. JOANNES LANGDON[x].

1422. Hen. 5. 10. IN feſto ſacroſanctae Trinitatis 1422 Joannes Langdon conſecratus eſt; de quo ſic Balaeus[y], "Joannes Langdon Monachus Eccleſiae Chriſti quae eſt Cantuariae, ac Doctor Oxonienſis, in Cantiae Comitatu ortus, ita foeliciter in omni literarum genere adhuc adoleſcens ſe exercuit, praeſertim in rerum inſigniter geſtarum hiſtoriis, ut inde non infima laus illi accreverit. Thomas Rudburnus, junior ille, Wintonienſis olim Eccleſiae Monachus, ejus authoritate prae caeteris utitur in concinnatione ſuorum Chronicorum. Fuit hic Langdonus, ex duodecim malis Judicibus illis unus, qui ſub praedicti Arundeli Archiantichriſti tyrannide, Chriſti doctrinam in Wicleſo damnavit, atque ob id Epiſcopus Roffenſis eſt poſtea factus. Collegit ille ex diverſis hiſtoriis Anglorum Chronicon, et Sermones aliquot ſcripſit." Hic proviſione Papali in hanc ſedem intruſus eſt. Qua in re (audi jam pauliſper Antiquitatum Britannicarum authorem[z]) "Cantuarienſi Archiepiſcopo injuriam feciſſe Papa viſus eſt, quod Epiſcopatus Roffenſis à Cantuarienſi Archiepiſcopo primo erectus atque ſtabilitus, omnia tam ſpiritualia quam temporalia jura ab eodem accepit: Semperque ſub ejus tutela, atque poteſtate fuit, et Roffenſis Epiſcopus, Cantuarienſi Archiepiſcopo pro temporalibus homagium praeſtare conſuevit. Cujus homagii verba à Joanne Langdon Gallice prolata hic inſeruimus. Jeo Jehan Langdon, Eveſque de Rouceſtre jure à les ſaintes Evangelies, qui de ce jour en avant ſerra foial, et loial, et foy porterai à vous treſreverent pieren Dieu Henry par la grace de Dieu l'Archeveſque de Canterbiry, et Primat de toute l'Angleterre, et à vos ſucceſſeurs, de terres et tenementes les queux ieo claime tenir de vous, et loialment ferai et cannoiſtrai les ſervices, que ieo doi fair à vous mon Seigneur; ſi Dieu me aide, et les ſaintes Evangelies." Hic Praeſul (qui magnam pecuniam impendit in pontis Roffenſis ſive ſtructura, ſive reparatione) dum Concilio[a] Baſilienſi intereſſet anno 1434, fato functus eſt[b].

---

[q] Proviſus eſt ab Innocentio Papa, Bulla data 3 Id. Nov. Pontif. 1°. *Regiſtr. Arund.* par. 2. f. 35.

[r] A Wallis.

[s] Teſtamentum condit 17 Oct. 1418. Prob. 28 Oct. 1418. *Regiſtr. Chichl.* f. 323.——Vacavit 28 Jan. *Pat.* 6 H. 5. m. 10.

[t] Proviſus eſt à Papa Martino 6 Kal. Jul. anno Pontif. 2°. *Regiſtr. Chichl.* par. 2. f. 23. Spiritualia reſtituta 9 Nov. 1419. *Ib.* f. 24.—Jam electus Roff. Cuſtos fit privati ſigilli 22 Apr. 1 *Pat.* 7 H. 5. *Norman.* n. 137.

[u] 1401.

[x] Monachi Roffenſes in Epiſcopum et Paſtorem elegerunt Thomam Spofford Abbatem Coenobii S. Mariae Eborac. Papa verò eundem tranſtulit ad Hereford. et Joannem Langdon conſtituit Epiſcopum Roffenſem Bulla data 15 Kal. Dec. (17 Nov.) et conſecratus eſt ſeptimo Junii, in feſto S. Trinitatis, 1422, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Regiſtr. Chichl.* f. 33. et *Regiſtr. Langdon.* init.

[y] P. 559.

[z] P. 417. *Edit. S. Drake.*

[a] Conceſſae ſunt centum librae Epiſcopo Roff. ituro ad Concilium Baſil. 19 Jul. 1432. *Rym. Foed.* T. 10. p. 519.

[b] Ultimo Septembris, et in domo Carthuſien. ibidem jacet honorifice tumulatus. *Regiſtr. ipſius.* f. 98. b. et *Obit. Cantu.*

LVI. THOMAS BROWN.

THOMAS BROWN[c], Vicarius generalis Henrici Chichleii Archiepiſcopi Cantuarienſis, et Sariſburienſis itidem Decanus, conſecratus eſt primo Maii 1434[d]. Dum Concilio Baſilienſi intereſſet, ad Norwicenſem Eccleſiam, cum ea de re ne per ſomnum quidem cogitaſſet, poſtulatus eſt, et antequam domum reverteretur tranſlatus[e]. *1435. HEN. 6. 13.

LVII. GULIELMUS WELLS.

GULIELMUS WELLS Eboracenſis Coenobii Abbas ſucceſſit[f], et mortem obiit Martii ſecundo[g] 1443. 1436. HEN. 6. 15.

LVIII. JOANNES LOWE.

DE ſucceſſore[h] ejus, ſic Balaeus[i]: "Johannes Lowe, in Wigornienſi Comitatu natus, et Auguſtinianae profeſſionis in Wichienſi Collegio fraterculus, à teneris annis, Lelandi teſtimonio, bonarum artium vel ſtudioſiſſimus fuit. Maturiori verò aetate, publicas Academias percelebravit, unde et nomen dignitatemque facile adeptus eſt; uſque adeo, ut in Doctorum relatus numerum, hominibus ſui ordinis (quorum numeroſa ſocietas erat) Londini et in tota Anglia meritò praeficeretur, et famam ſuam, alioqui ſatis notam, notiorem redderet. Auguſtiniani quippe illum magnificè praedicant, opuſcula ſcripſiſſe quaedam purgatis auribus digna. Illud interim mihi conſtat, fuiſſe illum longe diligentiſſimum veterum exemplarium exquiſitorem. Bibliotheca enim (quam magnificam Londini in ſuo inſtituit Collegio) fidem in hac parte meam vehementer comprobat. Anglorum Rex Henricus ſextus hujus cum literas tum virtutes tam magni fecit, ut eum, primò fani Aſaphi Epiſcopum deſignaret[k], deinde et Pontificatum Roffenſem[l] adderet." Scripſit non pauca quorum nonnulla idem Balaeus mox recenſet. Deceſſit anno 1467[m], et tumulo conditus eſt marmoreo, è regione monumenti Mertoniani, prout Epitaphium ibidem teſtatur eidem inſculptum. *1444. HEN. 6. 22.

LIX. THOMAS ROTHERAM.

THOMAS ROTHERAM[n] Lincolniam hinc tranſlatus eſt 1471, et poſtea Eboracum. *1468. EDW. 4. 9.

---

[c] BROUNS, *Regiſtr.*——Papa, poſt mortem Joannis, Thomam *electum* Roffen. &c. authoritate Apoſtolica providerit; cui Rex reſtituit temporalia 12 Maii. *Pat.* 13 H. 6. m. 10.

[d] Conſecratus ab Archiepiſc. apud Cantuar. in feſto SS. Apoſtolorum Philippi et Jacobi 1435. *Regiſtr. ipſius.*

[e] Bulla data 13 Kal. Oct. (Sept. 19.) 1436. *Regiſtr. Chichl.* f. 53.

[f] Conſecratus in Hoſpitio Epiſcopi Dunelmenſis prope Weſtmonaſterium, Dominica in Ramis Palmarum, 24 Martii 1436. *Regiſtr. ipſius.* et *Regiſtr. Chichl.* f. 54.——Papa de Willelmo Abbate B. Mariae Ebor. providerit, et Rex reſtituit Temporalia 21 Mar. *Pat.* 15 H. 6. m. 15.

[g] Ante 26 Feb. eo enim die Archiepiſcopus Robertum Eaſt receptorem temporalium Eccleſ. Roffenſis vacantis conſtituit. *Whart. in Angl. Sac.* V. 1. p. 380. è Regiſtr.——Teſtamentum condidit 3 Feb. 1443, probat. 14 Maii 1444. *Regiſtr. Stafford.* f. 122.

[h] Mortuo Gulielmo, Monachi Roffenſes licentiam eligendi petunt ab Archiep. 3 Mar. 1433; conceſſa eſt poſtridie. *Regiſtr. Stafford.* f. 43.

[i] P. 575.

[k] Anno 1433.

[l] Tranſlatus eſt ab Eugenio Papa, Bulla data 22 Apr. 1444. *Regiſtr. Stafford.* f. 44. et *Regiſtr. ipſius Epiſc.*

[m] Teſtamen. ejus in Cur. Prerog. Cant. in Libro *Godyng* p. 263. fact. in feſto Aſſum. B. Mariae 1460; probat. 21 Nov. 1467. *MS. Anſtis.*

[n] Licentiam habet conſecrationis extra Eccl. Cantuar. 27 Martii 1468. *Regiſtr. Cant.* ita *MS. Lowth.*

LX. JOANNES ALCOCK.

1471. Edw. 4. 11. JOANNES ALCOCUS[o] ad Wigornienſem ſedem primum tranſlatus eſt 1476, et deinde ad Elienſem.

LXI. JOANNES RUSSELL.

1476. Edw. 4. 16. JOANNI RUSSELLO, dum Roffenſis[p] eſſet Epiſcopus, Edwardi Principis pueritia traditur regenda. Anno 1480 Lincolniam tranſlatus eſt.

LXII. EDMUNDUS AUDLEY.

1480. Edw. 4. 20. EDMUNDUS AUDLEIUS[q], hinc Herefordiam tranſlatus eſt, et inde poſtea Sariſburiam.

LXIII. THOMAS SAVAGE.

*1493. Hen. 7. 8. THOMAS SAVAGIUS[r] Londinum tranſlatus eſt, et inde Eboracum.

LXIV. RICHARDUS FITZ-JAMES.

*1497. Hen. 7. 12. RICHARDUS FITZ-JAMES[s] Ciceſtriam tranſlatus eſt 1504[t], et mox deinde Londinum.

LXV. JOANNES FISHER.

1504. Hen. 7. 20. DE Joanne Fiſhero[u] ſucceſſore, ſic Balaeus[x], ſuo more paulo acerbius: “ Joannes Fiſherus Epiſcopus olim Roffenſis, Collegii Re-
“ ginae Cantabrigiae Praeſes, et ejuſdem Academiae ſub Cancellarii titulo
“ tutor ſupremus, omnium Epiſcopalium virtutum genere ſuffarcinatiſſi-
“ mus, ab Eraſmo Roterodamo depraedicatur. Is erat (inquit) ſingulari
“ linguae gratia praeditus, atque hoc nomine aliquando Regis Henrici 8
“ aviae paternae Margaretae egregie charus. Nam et hujus hortatu (in-

---

[o] Eandem habet licentiam Joannes Ruſſell, Decanus Capellae Regiae S. Stephani Weſtmonaſt. 13 Mar. 1471. *Regiſtr. Cant.* Apr. 29. 1462 conſtitutus eſt Rotulorum Cuſtos; et 20 Sept. 1473 Cuſtos fit Magni Sigilli.

[p] Jam electus cuſtodiam habet Temporalium 6 Sept. 1 *Pat.* 16 E. 4. m. 10. —— Licentiam habet conſecrationis 20 Sept. 1476. *Regiſtr. Cant.*——Cuſtos fuit privati Sigilli. v. *Vincent.* p. 354.

[q] Artium Magiſter, licentiam conſecr. habet 18 Sept. 1480. *Regiſtr. Cant.*

[r] Legum Doctor, Decanus Capellae Regiae, proviſus eſt Bulla data 3 Non. Dec. 1492. *Regiſtr. Morton.* f. 16. Conſecratus verò non ante 13 Apr. 1493; eo enim die licentiam obtinuit. *Regiſtr. Cant.*

[s] Canonicus Wellenſis, Collegii Mertonenſis Oxoniae Cuſtos. et Xenodochii S. Leonardi Bedf. Magiſter.——Conſecrationis habet licentiam 17 Maii 1497. *Regiſtr. Cant.*

[t] Anno 1503. vid. inter Ciceſtrenſes.

[u] Beverlaci natus: Socius Domûs Michaelis, ſacrae Theologiae Doctor et Collegii Reginalis Magiſter, Epiſcopus Roffenſis 1504, Bulla data Prid. Id. Oct. *Regiſtr. Warham* f. 9. Licentiam habet conſecrationis extra Eccl. Cant. 22 Nov. 1504. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Anno 1512 Concilio Lateranenſi interfuit. Anno 1514 electus eſt Academiae Cantabrigienſis Cancellarius; eo verò recuſante, Wolſaeus magnus ille Cardinalis eligitur, tum Epiſcopus Lincolnienſis; qui honorem non aſpernatus eſt, ut patet è literis Univerſitati datis 2 Junii 1514. *MS. penes Editorem.*——Henricus 8 Cantabrigiae literis inſtitutus fuit, forſan ſub Fiſhero; ait *Antiqu. Britan. Author* p. 464. —— Vacavit Epiſcopatus Roffenſis à die ſecundo Januarii 1534, eo quod Fiſherus ſupprematum Regium juramento confirmare noluit. Cardinalis fuit creatus à Paulo Pontifice Romano, titulo S. Vitalis Preſbyteri Cardinalis 21 Maii 1535, Galero Caleſiam uſque tranſmiſſo. Citò igitur capite plexus eſt 22 Jun. ejuſdem anni.

[x] Cent. 8. p. 654.

« quit etiam Polydorus) eo in gymnaſio binas extruxit magnificas aedes, « alteram Chriſto ſervatori, alteram D. Joanni Evangeliſtae dedicans, « deditque ad eorum victum largiter fundos. Sed mox ut affulgeſcere « Germanis coepit aeterna Dei ex Evangelio veritas (quam in ejus vita « Lutheranae factionis haereſin Georgius Lilius vocat) nemo magis ex- « canduit, nemo potentius adverſus illam deſaeviit, quam hic mataeolo- « gus et impoſtor Papiſticus, crumenae ac ventri proſpiciens. Non ſolum « ille contra ſinceros divini verbi miniſtros pro elevando Antichriſti « pſeudomagiſterio ſcripſit; ſed et totis viribus ſuo Regi Henrico ſedi- « tioſe obſtitit, dum religioſe is laboraret à ſuo regno purpuratae mere- « tricis jugum pernicioſum excutere. Capitis ſupplicium delirus ſenex « pertulit, (cum à Paulo tertio, Pharaone Romano, in praemium laboris, « Cardinalis eſſet deſignatus) anno Chriſti 1535 Junii 22. Et Cochlaeus « longe poſitus miracula confinxit, ut ſanctus eſſe à Papiſtis crederetur." Scripſit multa ab eodem Balaeo memorata. Praeciſum caput ejus pilo transfixum, in ponte Londinenſi ſuſpenſum; corpus vero in Coemiterio Barkingenſi humatum eſt.

LXVI. JOANNES HILSEY.

JOANNES HILSEY[y] (fraterculus niger Briſtolienſis vulgo dictus) *1535.
ſucceſſit[z], S. Theologiae Doctor Cantabrigienſis. HEN. 8. 27.

LXVII. NICOLAUS HEATH.

NICOLAUS HEATH[a] conſecratus eſt[b] in Epiſcopum Roffenſem *1540.
quarto Aprilis 1539[c]. Wigorniam tranſlatus 1543, et poſtea Ebo- HEN. 8. 31.
racum.

LXVIII. HENRICUS HOLBEACH.

HENRICUS HOLBEACH[d], conſecratus in Epiſcopum Suffraganeum 1544.
Briſtolienſem viceſimo quarto Martii 1537, huc tranſlatus eſt Junii HEN. 8. 36.
nono 1544, et hinc Lincolniam 1547.

LXIX. NICOLAUS RIDLEY.

NICOLAUS RIDLEIUS, conſecratus quinto[e] Septembris 1547, Lon- 1547.
dinum tranſlatus eſt 1549. EDW. 6. 1.

---

[y] Ordinis Praedicatorum, et Conventûs Dominicani Londinenſis Praeſes. Vid. *Rym. Foed.* T. 14. p. 489, 490, 609.

[z] Conſecratus apud Vencheſtre Winton. Dioc. 18 Sept. 1535. *Regiſtr. Hilſey.* Temporalia reſtituta Oct. 4. 1535. *Rym.* T. 14. p. 553.

[a] Henrici Regis Eleemoſynarius.

[b] Confirmatus eſt 3 Apr. 1540, et poſtridie conſecratus in Eccleſ. S. Pauli Lond. *Regiſtr. Cranm.* f. 255, 259. Regium habet aſſenſum, et Temporalia reſtituta 31 Mar. 1540. *Rym. Foed.* T. 14. p. 655, 656.

[c] Secundo Aprilis 31 H. 8 diſpenſatio pro Nic. Heath Magiſtro Theologiae, qui in Epiſc. Roffen. electus eſt, ut Archidiaconatum Staffordiae ad prox. feſtum Jo. Bapt. et Eccleſias de Cleve et Shoreham Cant. Dioec. ad vitam in Commendam retineat. *MS. Anſtis.*

[d] Decanus Wigorn. electus ad Epiſc. Roffenſem 3 Mar. 1443, confirmatus 18 Jun. 1544. *Regiſtr. Cranm.*

[e] Conſecratus quarto (non quinto) Sept. 1547. *Regiſtr. Cranm.* f. 321.

LXX. JOANNES POYNET.

1550. EDW. 6. 4. JOANNES POINETUS[f], conſecratus Junii viceſimo ſexto 1550, Wintoniam ante annum tranſactum tranſlatus eſt.

LXXI. JOANNES SCORY.

1551. EDW. 6. 5. JOANNES SCOREIUS conſecratus Auguſti triceſimo[g] 1551, et paulo poſt Ciceſtriam tranſlatus[h], ſub initium Mariae Reginae exauthoratus, per Elizabetham Principem ad Herefordenſem praeſulatum evectus eſt.

LXXII. MAURITIUS GRIFFIN.

1554. MAR. 1. MAURITIUS GRIFFIN, Archidiaconus Roffenſis, Oxonienſis Academiae alumnus, conſecratus eſt Aprilis primo 1554. Obiit[i] anno 1559, et ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Magni prope pontem Londinenſem.

LXXIII. EDMUNDUS GUEST.

1559. ELIZ. 2. EDMUNDUS GUEST, ſacrae Theologiae Doctor[k], conſecratus viceſimo quarto Martii 1559, Sariſburiam transfertur 24 Decembris 1571.

LXXIV. EDMUNDUS FREAKE.

1571. ELIZ. 14. EDMUNDUS FRECUS, ſacrae Theologiae Doctor[l], conſecratus Martii nono 1571, Norwicum migravit anno 1576, et poſtea Wigorniam.

LXXV. JOANNES PIERS.

1576. ELIZ. 18. JOANNES PIERS, ſacrae Theologiae Doctor, aedis Chriſti Oxoniae Decanus, conſecratus decimo quinto Aprilis 1576, Sariſburiam 1577, et poſtea ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus eſt.

---

[f] Junii 29. 1550 ordinatum eſt in Concilio Regis privato, quod deinceps nullus Epiſcopus aliquod aliud beneficium in Commendam retineat, excepto Joanne Poynet electo ad Epiſcopatum Roffenſem, eo quod nullum habet Palatium Epiſcopale. *Strype Memor. Eccl.* V. 2. p. 220.——Nominatus eſt Regiis Literis Mar. 8. 1549, et conſecratus Lamethae 29 Jun. 1550. *Regiſtr. Cranm.* f. 330.——S. T. D. Cantabrigiae.

[g] Ita *Regiſtr. Cranm.* f. 333.

[h] Regiis Literis dat. 23 Maii 1552. *Rym. Foed.* T. 15. p. 303.

[i] Obiit viceſimo Novembris apud Southwark in Palatio ſuo, etiamnum Rect. Eccl. S. Magni. *Strype ut ſup.* p. 451.

[k] Colleg. Regal. Cantabr. Socius. Natus in Com. Ebor. Archidiaconus Cantuar.

[l] Cantabrigienſis; Canonicus Windeſor. Archidiaconus Cantuar. et Sariſburienſis Decanus.

LXXVI. JOANNES YONG.

JOANNES YONG[m], ſacrae Theologiae Doctor, et Aulae Pembro- 1577.
chianae Cantabrigiae Praeſes, conſecratus decimo ſexto Martii 1577, ELIZ. 20.
obiit menſe Aprili 1605[n].

LXXVII. GULIELMUS BARLOWE.

GULIELMUS BARLOWE, ſacrae Theologiae Doctor[o], Ceſtrenſis 1605.
Eccleſiae Decanus, et Aulae S. Trinitatis olim ſocius, conſecratus JAC. 1. 3.
triceſimo Junii 1605[p], Lincolniam transfertur anno 1608.

LXXVIII. RICHARDUS NEILE.

RICHARDUS NEILE, ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Weſt- 1608.
monaſterienſis, Collegii D. Joannis Cantabrigiae alumnus, conſe- JAC. 1. 6.
cratus Octobris nono 1608[q]; ſub exitum anni 1610 ad ſedem Coventrenſem et Lichfeldenſem tranſlatus eſt, poſtea Lincolniam, [Dunelmum, Wintoniam et Eboracum.]

LXXIX. JOANNES BUCKERIDGE.

JOANNES BUCKERIGIUS, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii S. Jo- 1611.
annis Oxoniae Praeſes, una cum Gloceſtrenſi conſecratus eſt nono JAC. 1. 9.
Junii 1611[r], et tam ſcribendo quam concionando veritatem Evangelicam haud ſegniter ſatagit propugnare. Librum certe nuper is perſcripſit de poteſtate Papae in temporalibus, quem ſi vidiſſet Fiſherus anteceſſor ejus; in dogmatis palam tam falſi defenſione vitam nunquam abjeciſſet. Neque enim inter doctos quenquam reperiri poſſe credo tam parum oculatum, ut hoc Buckerigii noſtri opus cum perlegerit, à nobis ſtare veritatem ſtatim non perſpiciat. Joannem itaque Roffenſem habemus, quem Joanni Roffenſi opponamus, Fiſhero Buckerigium, cujus argumentis (ſi quid ego video) ne à mille quidem Fiſheris unquam reſpondebitur. Anno 1628 ad Epiſcopatum Elienſem migravit.

* * *

LXXX. GUALTERUS CURLE.

SUCCESSIT Gualterus Curle, Eccleſiae Lichfeldenſis Decanus, con- 1628.
ſecratus ſeptimo Septembris 1628[s]. Inde ad Dioeceſin Bathonio- CAR. 1. 4.
Wellenſem, et deinde ad Wintonienſem poſtea tranſlatus.

---

[m] Natus in Civitate Lond. in vico vocato *Cheap-ſide*, S^{ti} Aegidii apud Cripplegate Vicarius.

[n] Sepultus in Eccleſia de Bromley in agro Cantiano.

[o] Whitgifto Archiepiſcopo, nec non Reginae à Sacris.

[p] *Regiſtr. Bancr.* f. 25.

[q] *Ib.* f. 83.

[r] *Regiſtr. Abbot.* par. 1. f. 20.

[s] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 156.

LXXXI.

LXXXI. JOANNES BOWLE.

1629. CAR. I. 5. IN ſucceſſorem electus eſt Joannes Bowle, Collegii Trin. Cantabrigiae aliquando ſocius, deinde Eccleſiae Sarisburienſis Decanus; Epiſcopalibus ſacris initiatus eſt ſeptimo Februarii 1629[t]. Naturae ceſſit nono Octobris 1637, et in Eccleſia S. Pauli Lond. tumulatus eſt.

LXXXII. JOANNES WARNER.

1637. CAR. I. 13. JOANNES WARNER, ſacrae Theologiae Doctor, Lichfeldenſis Decanus, Epiſcopus Roffenſis eſt conſecratus decimo quarto Januarii 1637. Graſſante bello civili ejectus, cum Carolo reſtitutus eſt. Vir ob pietatem et munificentiam inter primos clarus, laudum ſuarum materiem ſatis amplam reliquit. Paroeciae de Bromley in agro Cantiano, ubi ſitae ſunt aedes Epiſcopales, legavit viginti libras, et ibi in perpetuam Eleemoſynam Hoſpitium erexit viginti Clerici nominis viduarum uſibus accommodatum, quibus ſingulis annuatim viginti libras in ſtipendium allocandas curavit, et Capellano inſuper quinquaginta libras: Collegio Magdalenenſi Oxon. 1350 libras: Collegio Baliolenſi Oxon. octoginta libras annuatim, in alimonium quatuor ſcholarium è Scotia oriundorum, eo nimirum conſilio, ut inter Scotos nunquam deeſſent qui Hierarchiam in Eccleſia Anglicana conſtitutam tuerentur: Eccleſiae Cathedrali Roffenſi in aedificia reparanda mille libras: In Bibliothecae ibidem uſum quingentas: Ad Eccleſiarum in Dioeceſi Roffenſi patrimonium è Laicorum manibus aliquatenus redimendum ducentas: Ad Eccleſiae D. Pauli Lond. reparationem mille et quinquaginta libras: Paroeciae S. Clementis Lond. viginti. Et (quod munificentiae acceſſit cumulo) tum donationibus, tum ad Captivos è ſervitute Barbarica redimendos pecuniis identidem collatis, in uſus publicos quindecim millia librarum erogata comperimus. Ab hac aerumnoſa ad meliorem vitam tranſivit decimo quarto Octobris 1666, aetatis 86, et in Eccleſia ſua tumulatus eſt, ubi marmor ſepulchrale magnifico ornatum elogio extat.

LXXXIII. JOANNES DOLBEN.

1666. CAR. 2. 18. PROXIME ſucceſſit Joannes Dolben, Decanus Weſtmonaſterienſis, qui per conſecrationem Epiſcopalibus ſacris initiatus eſt viceſimo quinto Novembris 1666[u]: inde ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus anno 1683.

LXXXIV. FRANCISCUS TURNER.

1683. CAR. 2. 35. FRANCISCUS TURNER, ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Windeſorenſis et Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae Magiſter, conſecratus eſt undecimo Novembris 1683[x], et anno nondum elapſo ad Elienſem ſedem migravit.

---

[t] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f. 17. [u] *Regiſtr. Sancr.* f. 6. [x] *Ib.* f. 75.

LXXXV. THOMAS SPRAT.

IN tranſlati locum ſucceſſit Thomas Sprat, aliquando Collegii Wadhamenſis Socius, inde Eccleſiae Windeſorenſis Canonicus et Weſtmonaſterienſis Decanus, Epiſcopus Roffenſis conſecratus ſecundo Novembris 1684[y]. A Rege Jacobo, jam tum in Eccleſia rebus novis ſtudente, unus è Delegatis conſtitutus qui de rebus Eccleſiaſticis adminiſtrandis conſulerent; et aliquandiu ſane ipſorum conſiliis interfuit, verum eo unice animo, ut quantum impendebat malorum omni ope amoliri et Eccleſiae laboranti melius ſuccurrere poſſet. Cum verò in Pontificiorum partes omnia praecipiti curſu transferri videret, delegatione deceſſit, et edito libello diſceſſionis ſuae rationes expoſuit. Anno 1692 famae vitaeque diſcrimen adiit in conjurationis cujuſdam ſuſpicionem, criminatione injuſta, adductus; verum adhibito examine accuratiori, et criminatorum fraude detecta, honorifice abſolutus diſceſſit. Apoplexia extinctus obiit viceſimo Maii 1713, aetat. 77. Vir ingenii acumine et ſtili elegantia nemini ſecundus; inter Poetas et Oratores juxta ac Theologos merito ſuo celeberrimus, elogio quod ſepulchrale marmor, in Capella S. Edmundi in fano Weſtmonaſterienſi poſitum exhibet, fidem adimplens[z]. 1684. Car. 2. 36.

LXXXVI. FRANCISCUS ATTERBURY.

ILLI defuncto mox ſufficitur Franciſcus Atterbury ſacrae Theologiae Doctor, vir neque dicendus neque tacendus ſine cautela; quem non omnino laudare tam inhoneſtum foret, quam ultra modum laudare periculoſum. Adoleſcens in Aede Chriſti Oxon. ingenii elegantis perinde ac acuti exemplo multiplici ſe commendavit; in aciem Reip. prodiit ſui temporis concionator diſertiſſimus; et, quod de eo publice profitebatur teſtis ſane idoneus[a], *vir fuit in nullo literarum genere hoſpes, in pleriſque artibus et ſtudiis diu et feliciter exercitatus, in maxime perfectis literarum diſciplinis perfectiſſimus.* Acri et irrequieto ingenio magna ſemper, et plerunque nova moliens, ita tamen ut publici potius quam privati boni honeſta ſpecies praetexeretur: verum in omnibus fere quae attigerat locis ambitione flagrans ingentem invidiam partium concitavit. Non neceſſe habeo controverſias, quas quidem multiplices acerrime agitavit, enumerare; ſat erit adnotaſſe illum jam ingenii et eruditionis fama florentem, poſt longum honorum Eccleſiaſticorum decurſum, quinto Julii 1713, jam tum Decanum Eccleſiae Weſtmonaſt. ad Epiſcopatum Roffenſem 1713. Annae 12.

---

[y] *Regiſtr. Sandcr.* f. 102.

[z] “ H. S. E. THOMAS SPRAT, S. T. P. in agro Durotrigum patre Clerico natus, Collegii Wadhamenſis Oxon. Socius. Varia egregiae indolis ac doctrinae ſpecimina Poeta adhuc impubes edidit: Sed Muſis
“ utcunque amicis, cito valedicens, hanc *Couleio* ſuo gloriam relinquere, et ſolutae orationis Venuſtatem ſequi maluit:
“ Hoc ſeſe in ſtudio exercens atque oblectans, inter eos, qui tum linguam Anglicanam perpolire coeperant, ferè primus
“ emicuit, omneſque in ſermonem patrium Graecae Romanaeque eloquentiae gratias transfudit: Merito itaque viri-
“ primoribus cum eſſet acceptiſſimus, ſtatim *Georgio* illuſtriſſimo Buckinghamiae Duci, deinde Regi CAROLO, ſubtili illi
“ elegantiarum arbitro, commendatus eſt: et in Eccleſia Weſtmonaſterii et Windeſoriae Praebendam obtinuit. Mox hac
“ in Aede Decanus, deinde Epiſcopus Roffenſis conſtitutus, utramque provinciam ſumma cum dignitate adminiſtravit.
“ Tum in ſcriptis ejus, tum in quotidiano ſermone, illa enituit urbanitas, quae illum cum Magnis fuiſſe verſatum haud
“ obſcure oſtendit: ſuaviter itaque cum omnibus vixit; et tamen eâ, quam ſibi arrogare minime videbatur, maxime
“ ſemper valuit Authoritate. In dubiis pariter ac ſecundis temporibus, conſtanti in Eccleſiam et Reges fide perſtitit:
“ tantamque in ſe perditorum hominum invidiam conflavit, ut falſis ipſorum criminibus in capitis diſcrimen adduceretur
“ ſed hiſce anguſtiis feliciter expedito, aequabili deinceps temperamento defluxit vita, nec ipſi, nec amicis injucunda:
“ donec Senectutis maturitate ſenſim collapſus, tranquille, uti vixerat, obiret, Maii xx^mo A. D. MDCCXIII. Aet. LXXVII”

[a] Georg. Smalridge in Orat. Inaug.

fuiſſe conſecratum. Auguſti viceſimo ſecundo 1722 conjurationis ſive princeps ſive conſcius in judicium publicum, utpote Laeſae Majeſtatis reus coram ſuperioris domus Parliamenti tribunali ſiſtitur; et cum legum jam latarum voce damnari non potuit, ſpecialis lex ea ipſa de cauſa feretur poenas illi arrogans, non extremas quidem, ſed exilium perpetuum. Itaque ergo Lutetiae Pariſiorum exul obiit decimo quinto Februarii 1732. In fano Weſtmonaſterienſi corpus ſepultum jacet.

LXXXVII. SAMUEL BRADFORD.

1723. Geo. 1. 9. IN Atterburii exauthorati ſucceſſorem deſignatus eſt Samuel Bradford, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Magiſter, et Epiſcopus Carleolenſis, decimo nono Julii 1723. Diem obiit decimo ſeptimo Maii 1731, et in Eccleſiae Collegiatae Weſtmon. parte Boreali jacet ſepultus.

LXXXVIII. JOSEPHUS WILCOCKS.

1731. Geo. 2. 5. SUCCESSIT Joſephus Wilcocks S. T. P. Epiſcopus Glouceſtrenſis, viceſimo Auguſti 1731. Eccleſiae Weſtmonaſterienſis Decanatum jure commendatitio adjunctum tenens.



De EPISCOPIS OXONIENSIBUS.

CIRCA annum ſalutis (ſi noſtris credimus hiſtoricis) 730, Oxoniae Regulus quidam imperitabat nomine Didan, cui filia erat pulchritudinis ac venuſtatis eximiae, Fridiſwida appellata; quae etſi à procis quamplurimis petita, magnae nobilitatis ac potentiae adoleſcentibus; pervulgato tamen illorum temporum errore abrepta, quaſi conjugatis vix aut ne vix coelum pateret, caelibem perpetuo vitam ducere decrevit. Inter caeteros hujus virginis amatores, Reguli cujuſdam filius memoratur Algarus nuncupatus, "qui cum ad nuptias ejus animum applicuiſſet (Pariſienſem[a] audias qui ex Malmesburienſi hanc videtur hauſiſſe narrationem) precibus tandem et blanditiis inaniter conſumptis, violenter intendit rem agere cum puella. Quo comperto, Frideſwida in ſylvam quandam latenter confugit; nec tamen latibulum latere potuit amatorem, quia deſidia non defuit, quin diligentius quaereret fugientem. Virgo igitur iteratò juvenis furore comperto, per occultos tramites, Deo comitante, Oxoniam, de nocte fugiens, pervenit. Cumque mane illuc curioſus amator advolaſſet, puella de fuga jam deſperans, ſimulque propter laſſitudinem nuſquam progredi valens; Dei tutelam ſibi, et perſecutori poenam, anxia imprecatur. Jamque juvenis ille, cum comitibus portas urbis ſubibat, cum coeleſti plaga irruente, caecitatem incurrit. Intellecto igitur pertinaciae ſuae delicto, juvenis

---

[a] P. 54. Ed. Lond. 1684.

“ luce privatus, et Frideſwida ut miſereretur per nuncios exorata, eadem “ facilitate lumen recepit, qua, imprecante puella, amiſerat. Hinc Regi“ bus Angliae timor inolevit, illius urbis hoſpitium et ingreſſum cavere, “ quod feratur peſtifera eſſe illis, cum non velint rei veritatem ſuo dam“ no aut periculo experiri. Tunc virgo beata, conſtructo ibidem Mona“ ſterio, virginibus congregatis, uſque ad exitum vitae ſuae Deo placens, “ illis praefuit nomine Abbatiſſae. Hoc autem Monaſterium, tempore “ Anglorum Regis Ethelredi, Danis neci adjudicatis, et cauſa ſalutis in “ illud confugientibus; diſcurrentibus flammis, cum eis conſumptum “ eſt; ſed non multo poſt ab eodem Rege conſtructum, et competenti“ bus eſt praediis ampliatum.” Poſt hanc reſtitutionem, ſub adventum Normannorum in Angliam “ Abendoniae cuidam Abbati (ſic habet “ Twynus[b] noſter ex libro Frideſwidae) Eccleſia illa cum poſſeſſionibus “ ſuis, à quodam Rege donata fuit. Spoliati igitur bonis ſuis, et ſedibus “ expulſi Canonici ſeculares memorantur, et Monachis res addicta per “ aliquot annos, eorum diſpoſitioni ſervivit. Poſtea (ſicut ſe habent res “ mortales) Regis cujuſdam beneficio, Canonicis praefatis ſua ſunt reſti“ tuta, et uſque ad annum incarnationis Domini 1122 eidem Eccleſiae “ praefuerunt. Quo tempore (inquit Malmesburienſis, Pariſienſis habet “ 1111) pauciſſimis ibi Clericis qui pro libitu viverent, reſiduis, datus ille “ locus à Rogero Salesburienſi Epiſcopo Guimundo excellentis literaturae “ et non aſpernandae religionis Canonico: Qui non inoperoſe commiſſo “ inſudans muneri, multos ibi Canonicos regulariter victuros Deo exhi“ buit.” Caeterum dictus Frideſwidae liber[c], donationem illam ipſi Regi aſcribit, et ejus hujuſmodi memorat occaſionem. “ Anno Domini “ 1122, Henrici vero Regis 22°, Guimundus videns quod Rex Clericos “ ſuos fere illiteratos in Epiſcopos promoveret; aliis dignitates, aliis red“ ditus non modicos conferens, ſibi literatus cum eſſet, et integrae opi“ nionis, nihil praeter victum et veſtitum à Rege donari: Indignans ſuper “ hoc, die Rogationum cum Rex miſſam audiret, ipſe lectionem prophe“ ticam in qua ſcriptum eſt, *Non pluet ſuper terram annos* III. *et menſes* “ VI. ſic pronunciando legit, Non pluet ſuper terram annos I. I. I. et men“ ſes V. I. diſtinguendo notas, Clericis omnibus ſuper hoc admirantibus, “ ipſumque deridendo ſubſannantibus. Increpatus igitur poſt miſſam à “ Rege, et interrogatus quare ſic feciſſet, ſubridendo reſpondit, Quia vos, “ ſic legentibus Epiſcopatus et Eccleſiaſtica beneficia confertis. Ideoque “ ſciatis me de caetero ſoli Chriſto Regi Regum ſummo ſerviturum, qui “ ſibi ſervientibus, non ſolum temporalia beneficia largiri novit, ſed et “ aeterna. Ex qua reſponſione confuſus Rex, Eccleſiam S. Frideſwidae “ Oxon. ad Capellam ſuam ſpectantem cum omnibus pertinentiis ſuis ei “ dedit, qui mox ejectis inde Canonicis ſecularibus, qui uſque ad id tem“ pus eidem Eccleſiae praefuerunt, Regulares ſibi Canonicos congregavit, “ quorum ipſe primus Prior extitit; dictam Eccleſiam foeliciter regens “ annis 19.” Ab eo jam tempore à Canonicis Regularibus inſeſſum fuit hoc Collegium, donec anno 1524 Wolſaeo Cardinali facultas data eſt, novum Collegium ibi loci ſtudioſis condendi, cui nondum perfecto nomen impoſuit *Collegii Cardinalitii.* Illo vero paulo poſt corruente, Henricus Rex, ut fundationis hujus gloriam ad ſe transferret, *Collegium* appellavit *Henrici octavi.* Sed mutato dein conſilio, cum decreviſſet Sedem

---

[b] *Antiqu. Acad. Oxon.* L. 2. p. 206.

[c] *Twyni Antiqu. Oxon.* L. 2. p. 223.

Epiſcopalem hic collocare (neglecta Oſneia, quam in Eccleſiam Cathedralem modo erexerat, indito nomine *B. Mariae de Oſney*) ut una fidelia (quod aiunt) duos parietes dealbaret; ex praediis à Cardinale comparatis (ſi non et exilioribus et deterioribus) praeter ſtudioſos centum, Decano, Praebendariis octo, Miniſtris aliquot ſacrorum, et pauperibus 24 ſtipendia hic aſſignavit; Epiſcopo etiam latifundiis attributis, quae nunc poſſidet, et tunc nuncupari ordinavit, *Eccleſiam Chriſti Cathedralem Oxoniae, ex fundatione Regis Henrici Octavi.*

◆ ◆ ◆

I. ROBERTUS KING.

*1542. Hen. 8. 34. ROBERTUS KING, ſacrae Theologiae Doctor, Oxonienſis Academiae alumnus, ejuſdem Epiſcopus primus fuit, et Coenobii Oſneienſis Abbas poſtremus. Qui Oſneiae inſtallatus eſt anno 1541, unde poſt quinquennium (anno nimirum 1546) ad Collegium antedictum ſedes tranſlata eſt. Dum illi Coenobio Abbas praeeſſet, umbratilem Epiſcopatum adeptus, Archiepiſcopo Athenienſi[d] (ſi diis placet) Suffraganeus in Epiſcopum conſecratus fuerat. Inde huc tranſlatus[e], ſedit annos ſedecim, et Decembris quarto 1557 defunctus, ab Aquilonari parte ſummi altaris conditus, in tumulo jacet parieti inſerto, cui haec verba legimus inſcripta:

"Hic jacet Robertus King S. Theologiae Profeſſor, et primus Epiſcopus Oxon. qui obiit 4 die Decembris 1557.

II. HUGO CURWYN[f].

1567. Eliz. 9. HUGO CURWIN[g] vel Coren, legum Doctor Oxonienſis, ex Archidiacono Oxonienſi[h] et Decano Herefordenſi, Archiepiſcopus Dublinenſis[i] et Hiberniae Cancellarius creatus eſt. Quae munera multo honoratiora, hujus ſedis quieti poſtponens, huc ſe curavit transferri decimo quarto Octobris 1567; ubi cum annum duntaxat unum ſediſſet, Swinbrochiae deceſſit prope Burfordiam, et in Eccleſia parochiali ſepultus eſt ibidem primo Novembris 1568.

◆ ◆ ◆

III. JOANNES UNDERHIL.

1589. Eliz. 32. ANNOS totos viginti poſt obitum Curwyni, Epiſcopo caruit haec ſedes. Elizabethae Reginae viſum tandem, in Joannem Underhillum[k] eam conferre, Capellanum ſuum, ſacrae Theologiae Doctorem, et Collegii Lincolnienſis Rectorem. Conſecratus menſe Decembri[l] 1589, exceſſit è vivis ſub initium Maii 1592, et in medio chori verſus Orientem jacet humatus.

---

[d] Abbas fuit de Thame, Epiſcopus Reonenſis in partibus infidelium et Epiſcopo Lincolnienſi Suffraganeus. *Regiſtr. Longland Linc.*

[e] Literae Patentes pro erectione hujus Epiſcopatus datae primo Septembris 1542. *Rym. Foed.* T. 14. p. 759.

[f] Mortuo Roberto, Thomas Goldwell Epiſc. Aſaphenſis nominatus eſt, et cuſtodiam habet Temporalium ſibi commiſſam 25 Oct. 1558. *Rym.* T. 15. p. 492.

[g] Natus in Comitatu Weſtmorlandiae.

[h] Non conſtat; Richardus enim Corren S. T. P. Archidiac. fuit Oxonienſis, non Hugo.

[i] Conſecratus in Eccleſ. S. Pauli Lond. 8 Sept. 1555.

[k] Natus in Parochia S. Martini infra Civitatem Oxon. *Regiſtr. Coll. Nov.*

[l] Conſecr. 24 Dec. 1589. *Regiſtr. Whitg.* f. 70.

IV. JOANNES BRIDGES.

1603. Jac. I. 1. PER annos poſtea undecim vacavit haec ſedes. Jacobus Rex noſter ſereniſſimus, initio ſtatim regni ſui, praeſulem hujus Eccleſiae renunciavit Joannem Bridges Sacrae Theologiae Doctorem, Sarisburienſem Decanum, et Aulae Pembrochianae Cantabrigiae olim ſocium, qui duodecimo Februarii[m] 1603 conſecratus eſt. Nonagenarius deceſſit viceſimo ſexto Maii 1618[n].

V. JOANNES HOWSON.

1619. Jac. I. 17. JOANNES HOWSONUS, ſacrae Theologiae Doctor, et Aedis Chriſti Oxoniae alumnus primum, mox Praebendarius, conſecratus eſt in Epiſcopum ejuſdem Eccleſiae, una cum Ceſtrenſi et Briſtolienſi nono[o] Maii 1619, natali ſuo, quo nimirum ipſo die tertium ſupra ſexageſimum aetatis annum ingreſſus eſt. Vir quam eruditus, lucubrationes teſtantur in publicum emiſſae; caeteris porrò virtutibus Epiſcopalibus quam inſtructus, de veteri ac conjunctiſſimo amico quam libenter commemorarem, ſi inſtituti mei ratio id pateretur.

* * *

De illo hoc eſt memoratu dignum, Collegii Chelſeani inter Socios primos ita illum extitiſſe, ut etiam idem inter poſtremos extiterit. Scias nimirum Regem Jacobum circiter annum 1610 Collegium Chelſeanum eo conſilio inſtituiſſe, ut eſſet Theologorum, qui controverſiis diſcutiendis unice operam darent, domicilium, qui porro Eccleſiae Anglicanae tum Doctrinam tum Politeiam ſcriptis defenderent: his inſuper acceſſere Hiſtoriographi duo qui rerum tum in Eccleſia tum in Rep. inſigniter geſtarum memoriam literis conſignatam aeternitati conſecrarent. Verum inſtitutio laudatiſſima et ſaluberrima paulatim neglecta, et nervis deſtituta, prorſus intercidit, et Collegium aliis uſibus accommodatum inſervit, militum invalidorum vel emeritorum Hoſpitium. Hac in Dioeceſi ad annum 1628 commoratus, Dunelmum migravit.

VI. RICHARDUS CORBET.

1628. Car. I. 4. RICHARDUS CORBET, Aedis Chriſti Oxon. Decanus, conſecratus eſt decimo nono Octobris 1628, et anno 1632 ad Norwicenſem Dioeceſin tranſlatus.

---

[m] *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 84.

[n] Sepultus apud March Balden Oxoniam juxta *MS. Sym.*

[o] *Regiſtr. Abbot,* par. 2. f. 14.

VII. Joannes Bancroft.

Huic ſucceſſit Joannes Bancroft, ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Univerſitatis Oxon. Magiſter, decimo Junii 1632. Reditus ad Epiſcopatum pertinentes, ultra modum exiles, augendos curavit, quippe Vicariam de Cuddeſdon in perpetuum Epiſcopatui annexam reliquit, et ibi aedes Epiſcopales erexit, quae quidem flagrante bello civili funditus abſumptae interierunt; à Rege porrò impetravit mannerium de Shotover. Mortem obiit menſe Februario 1640, et in Eccleſia de Cuddeſdon in agro Oxonienſi ſepultus jacet. 1632. Car. 1. 8.

VIII. Robertus Skinner.

Successit Robertus Skinner, ab Epiſcopatu Briſtolienſi huc tranſlatus anno 1640. A perduellibus ejectus, vexatus, verum cum Carolo reſtitutus, et ad Dioeceſin Wigornienſem evectus anno 1663. 1640. Car. 1. 16.

IX. Gulielmus Paul.

Gulielmus Paul S. T. P. Decanus Eccleſiae Lichfeldenſis, conſecrationem accepit viceſimo Decembris 1663[p]. Aedes Epiſcopales, quae prorſus dirutae jacebant, de integro exaedificare meditatus, materiem operi inchoando deſtinatam ſatis amplam congeſſit; verum viceſimo quarto Maii 1665 mors improviſa magna molientem oppreſſit. In Eccleſia de Baldwin-Brightwell in agro Oxonienſi ſepultus jacet, ubi extat marmor honorificum ipſius memoriae ſacrum. 1663. Car. 2. 15.

X. Gualterus Blandford.

In defuncti locum ſucceſſit Gualterus Blandford, Collegii Wadhamenſis Oxon. Guardianus, conſecratus tertio Decembris 1665 in Capella Collegii Novi; anno 1671 Wigorniam migravit. 1665. Car. 2. 17.

XI. Nathaniel Crew

Quo tranſlato Nathaniel Crew, legum Doctor, ſucceſſit, filius Joannis Crew Baronis de Stene; aliquando Collegii Lincolnienſis Oxon. Socius, Decanus Ciceſtrenſis, conſecratus Lamethae die Julii ſecundo 1671[q]. Triennio deinde decurſo ad Dunelmenſem ſedem migravit, ubi de eo plura. 1671. Car. 2. 23

---

[p] *Regiſtr. Juxon. f.* 376.

[q] *Regiſtr. Sheld. f.* 90.

XII.

XII. HENRICUS COMPTON.

1674. CAR. 2. 26. SUCCESSIT Henricus Compton, nobili itidem genere, Spenceri Comitis de Northampton filius, Coenobii S. Crucis prope Wintoniam Magiſter, et Aedis Chriſti Oxon. Canonicus, in Epiſcopum conſecratus ſexto Decembris 1674[r]: inſequenti anno ad Dioeceſin Londinenſem eſt tranſlatus.

XIII. JOANNES FELL.

1675. CAR. 2. 28. JOANNES FELL, Samuelis filius, puer undecennis inter alumnos Aedis Chriſti à Patre Decano aſcriptus: idem miles arma geſſit dum Oxonium à perduellibus obſidione dura premeretur, partium Regiarum propugnator acerrimus. Urbe capta ejectus et exul; aliquando tandem à Carolo reſtituto ad Canonicatum, dein Decanatum Aedis Chriſti evocatus; neque vero quiſquam eo dignior reperiri potuit, qui aut Collegii aut Academiae rebus adminiſtrandis praeeſſet. Cum omnia fere temporum iniquitate in pejus dilapſa videret, id imprimis negotii ſibi datum intellexit, ut eadem in priſtinum ſplendorem vitamque revocaret. Collegii itaque ſui diſciplinam inſtauravit, juventutis ſtudia moreſque ad meliorem normam compoſuit; in publica natus commoda ſe ſuaque omnia in commune bonum impendiſſe videbatur. Typographeum Academicum ſupellectile nova, et pretioſiſſima quidem illa, dotavit, ita ut qui è Theatro Sheldoniano prodierunt libri, illius quoque memoriam ſuae comitem laudis ad poſteros deduxerint. Magni vir animi omnia ad pietatis et rei literariae alimenta et ſubſidia contulit, autoritate, munificentia, exemplo.

Hoſpitii S. Oſwaldi in Wigornia, Magiſter cum eſſet, praedia direpta poſtliminio reſtituta confirmavit, ibique aedificium in fratrum pauperculorum uſum erexit; idem pietatis monumentum ſuae in Aede Chriſti aedificium in alumnorum uſum, etiamnum ſuo de nomine appellatum, extruxit; porrò decem è Commenſalium numero publicè examinandis, et per Decanum et Canonicos nominandis, et in Academia commorantibus, ſingulis decem libras annuatim numerandas in perpetuum allocavit. Epiſcopus Oxonienſis conſecratus Februarii ſexto 1675; Aedes Epiſcopales in Cuddeſdon jamdiu dirutas extruxit. In ſumma rei literariae et pietati viris bonis doctiſque favere, patrocinari, id illi erat divitiis frui, autoritate uti: et virtutum in Collegio et Academia, tanta cum laude verſatarum, ad poſteros redundarunt fructus. Cum ingenti bonorum omnium deſiderio obiit decimo Julii 1686, in Eccleſia Cathedrali ſepultus, ubi extat marmor ſepulchrale elogio honorifico ornatum: inter caetera hoc extat legendum.

“ ——Deſideratiſſimi Patris Pietatem non hoc *Saxum*, ſed haec te-
“ ſtentur *Moenia*; Munificentiam, hujus loci *Aedificia*; Liberalitatem,
“ *Alumni*; Quid in Moribus potuit reformandis, haec *Aedes*; Quid in

---

[r] *Regiſtr. Sheld.* f. 123.

“ publicis Curis ſuſtentandis, *Academia*; Quid in propagandâ Religione, “ *Eccleſia*; Quàm feliciter juventutem erudierit, *Procerum* familiae; “ Quàm praeclarè de Republica meruit, tota *Anglia*; Quantum de bonis “ Literis, univerſus *Orbis Literatus*.”

◆ ◆ ◆

XIV. SAMUEL PARKER.

1686. Jac. 1. 2. PROXIME ſucceſſit Samuel Parker S. T. P. aliquando è Collegio Wadham. Oxon. Vir eruditionis copioſae, acuti et verſatilis ingenii, temporibus docilis ſervire, inter Puritanos extitit ſiquis alius maximè Puritanus; deinde Carolo jam reſtituto iiſdem maximè infeſtus, ita ad honores Eccleſiaſticos viam ſibi aperuit. A Jacobo Epiſcopus Oxonienſis conſtitutus, et conſecratus decimo ſeptimo Octobris 1686[s], adeo non Eccleſiam Anglicanam tum periclitantem defendit, ut aulicis inſidiantibus lenocinaretur, et Pontificiorum conatibus faveret: propter demerita ſua à Rege tyrannidem affectante, praeter fas et aequum nominatus, Praefecturam Collegii Magdalenenſis Oxoniae invaſit; ibi poſt menſes aliquot deceſſit viceſimo Martii 1687, in Collegii Sacello ſepultus.

* * *

XV. TIMOTHEUS HALL.

1688. Jac. 1. 4. HUJUS tum ſedis cathedram conſcendit Timotheus Hall, vir nullius inter Literatos vel Clericos nominis, verum quod Regiae voluntati obſecutus Eccleſiae Anglicanae jura perfidè deſeruerat, id erat illi meritorum inſtar omnium: quare ad hanc Dioeceſin evectus ſeptimo Octobris 1688, nomine magis quam re Epiſcopus, poſt aliquot menſes miſere exactos, inops et contemptus obiit decimo Aprilis 1690.

◆ ◆ ◆

XVI. JOANNES HOUGH.

1690. Gul. et Mar. 2. JOANNES HOUGH, ſacrae Theologiae Profeſſor, Collegii Magdalenenſis Oxon. Praeſes, ſacratus eſt ad Epiſcopatum Oxonienſem undecimo Maii 1690[t]. Anno 1699 ad Lichfeldenſem tranſlatus, inde ad Wigornienſem 1717. Inter Wigornienſes de eo plura.

* * *

XVII. GULIELMUS TALBOT.

1699. Gul. 3. 11. IN tranſlati locum ſufficitur Gulielmus Talbot, Eccleſiae Wigornienſis Decanus, conſecratus viceſimo quarto Septembris 1699. Ad Sariſburiam anno 1715, et inde Dunelmum 1721 tranſlatus.

---

[s] *Regiſtr. Sancr.* f. 161.
[t] *Regiſtr. Suſpenſ.* Sancr. f. 25.

XVIII. JOANNES POTTER.

1715. Geo. 1. 1. JOANNES POTTER, Theologiae in Academia Oxonienſi Profeſſor Regius, ſucceſſit decimo quinto Maii 1715. Quo quidem diutius anteceſſorum nullus unquam hanc rexerat Dioeceſin, ſine ambitione honores in Eccleſia cum bonorum omnium plauſu aſſecutus, ad Metropoliticam ſedem Cantuariae 1736 evocatus migravit.

XIX. THOMAS SECKER.

1737. Geo. 2. 10. SUCCESSIT Thomas Secker, legum Doctor, Eccleſiae S. Jacobi Weſtmon. Rector, à Dioeceſi Briſtolienſi tranſlatus Maii decimo quarto 1737.

H.Gravelot inv. et delin.
F. Vivars Sculp.

De EPISCOPIS GLOCESTRENSIBUS[a].

OSRICUS Northumbriae Rex, Monialibus Coenobium condidit Gloceſtriae circa annum 700. Kineburga, Eadburga et Eva, Merciae omnes Reginae, ſibi mutuo ſuccedentes, Abbatiſſae ibidem munus perfunctae ſunt. A Danis id vaſtatum et deletum, deſertum jacuit, ad tempora uſque Aldredi Eboracenſis Archiepiſcopi, qui circa annum Domini 1060 refecit, monachis complevit, et Eccleſiam magnificam à fundamentis excitavit, ubi dioeceſis illius Cathedram Epiſcopalem Henricus octavus collocavit, aſſignatis praediis ad Epiſcopi, Decani, et ſex Praebendariorum ſuſtentationem.

◆ ◆ ◆

I. JOANNES WAKEMAN.

GLOCESTRENSIS Epiſcopus primus (novae ſaltem hujus fundationis) Joannes Wakemannus perhibetur, Abbas Teuxburienſis, qui 1541. Hen. 8. 33. conſecratus eſt viceſimo Septembris[b] 1541. Tumulum is ſibi vivus conſtruxerat Teuxburiae, in capella quae à ſummo altari ad ortum hibernum ſita eſt. Corpus vero ejus Worthingtonae (ubi ſub initium Decembris 1549 deceſſit) humatum accepi[c].

---

[a] Literae Patentes pro erectione hujus Epiſcopatus datae 3 Sept. 1541. *Rym. Foed.* T. 14. p. 724.

[b] Apud Croydon 25 Sept. 1541. *Regiſtr. Cranm.* f. 271.

[c] Spiritualia accepta in manus Archiepiſcopi 6 Dec. 1549. *Ib.*

II. JOANNES HOOPER.

1550. Edw.6.4. JOANNES HOOPER[d], Oxonienſis Academiae alumnus, in Epiſcopum Gloceſtrenſem conſecratus eſt Martii octavo 1550[e], accepto etiam (Edwardi Regis dono) Wigornienſi, multo opulentiori Epiſcopatu, quem ſimul cum Gloceſtrenſi (per ejuſdem Regis diſpenſationem) tenuit. Multum interea is deſudarat in Bonero Londinenſi accuſando; quae res (ut credibile eſt) illi poſtea vertit in perniciem. Statim enim ut regnum adepta eſt Maria, Londinum accerſitus, in carcerem conjectus, et haereticus tandem judicatus eſt. Sub Henrico Rege multum temporis in Germania conſumpſit (ubi Burgundam quandam duxit uxorem) et inter multos alios doctos pioſque viros, familiaritate praecipue uſus eſt Henrici Bullingeri, cui ob eruditionem non contemnendam, morumque tam ſanctitatem quam ſuavitatem, percharus fuit. Ad mortem damnatum placuit Gloceſtriam ablegare, ut ibi plecteretur, ubi plurimum peccaſſe viſus, errorum ſemina jaciendo: ipſo non parum laetante, occaſionem datam veritatem doctrinae, effuſi ſanguinis teſtimonio confirmandi, ſub oculis illorum, quorum auribus, ſe praecone, toties ea inſonuerat. Ibi igitur rogo impoſitus et vivus crematus, ignis cruciatum magna animi conſtantia pertulit, nimirum Februarii nono 1555[f].

III. JACOBUS BROKES.

[1554.] Mar. 1. JACOBUS BROCUS S. Theologiae Doctor (qui in Collegio Corporis Chriſti Oxoniae educatus, Balliolenſis Praefectus ſive Magiſter extiterat) Hoopero ſucceſſor datus eſt à Maria Regina[g]. Quomodo Papae delegatus, viros illos inſignes et martyres ſanctiſſimos, Cranmerum, Ridleium et Latimerum ad mortem is damnarit, ſupra à me narratum eſt. Mortem obiit ſub initium Februarii 1559[h].

IV. RICHARDUS CHEINEY.

1562. Eliz. 4. RICHARDUS CHEINAEUS, ſacrae Theologiae Baccalaureus è Cantabrigienſi Academia[i], Luthero addictior (fortaſſe quam par erat) in ſynodo, Maria regnum auſpicante, Pontificiis tum Papiſmum reſtaurantibus, magno animo ſe oppoſuerat, quod ipſi perinde ac aliis non fuiſſe exitiale, miror. Conſecratus decimo nono Aprilis 1562, praefuit huic Eccleſiae ſimul ac Briſtolienſi, (quam rexit commendatarius per Reginae diſpenſationem) annos plus minus ſedecim, et decedens anno 1578[k] in eodem crypto conditus eſt quo Parkerus, Gloceſtrenſis Abbas poſtremus, cujus tumulum videmus in ſacello, quod à Septentrionali parte Presbyterii ſitum eſt, è regione fere Cathedrae Epiſcopalis[l].

---

[d] Monachus quandoque Domus ſive Monaſterii de Cliva Ordinis Ciſtercienſis. *Memor. Eccleſ.* V. 3. Num. 28. in App. ——Natus in agro Somerſetenſi. *Bale.* Cent. 8.

[e] *Regiſtr. Cranm.* f. 331. Conſtitutus verò Epiſcopus Literis Regis Jul. 3. 1550. *Rym.* T. 15. p. 240. Et Aprilis 26 eodem anno dat et concedit totum illum Epiſcopatum &c. cum ſuis juribus &c. Regi Edwardo ſexto. *Ib.* p. 297. et tranſlatus eſt ad Epiſcopatum Wigorn. Maii 20. *Ib.* p. 298.

[f] 1554.

[g] Licentia eligendi conceſſa eſt 19 Mar. 1553. *Ib.* p. 374, et temporalia reſtituta 7 Maii 1554. *Ib.* p. 389. Jacobo prius conſecrato Aprilis primo.

[h] Sept. 7. 1558. *A. Harmer.* p. 149. Et Oct. 25. ſequent. Joannes Bowrſher S. T. B. cuſtodiam habet Temporalium. *Rym.* T. 15. p. 489.

[i] Aulae Pembrochianae Socius 1531, et poſt duos annos ad Collegium Chriſti migravit. *Archiv. Aul. Pembr.*

[k] Aprilis 25. 1579. *Br. Willis.*

[l] Excommunicatus eſt ob contumaciam anno 1571 Apr. 20. Maii vero duodecimo abſolutus evaſit. *Strype in vita Parkeri* p. 318. et *Collier in Hiſt. Eccleſ.* V. 2. *Collect.* p. 96.

V. JOANNES BULLINGHAM.

JOANNES BULLINGHAM, ſacrae Theologiae Doctor, Magdalenen- 1581.
ſis Collegii Oxoniae alumnus[m], ad hanc ſedem conſecratus eſt tertio Eliz. 23.
Septembris 1581, cum annos ferme tres ea vacaſſet; data etiam in Commendam Briſtolienſi, quae tamen anno 1589 erepta eſt. Deceſſit circa diem viceſimum Maii 1598.

VI. GODFRIDUS GOLDSBOROUGH.

GODFRIDUS GOLDSBOROUGH, ſacrae Theologiae Doctor[n], Ar- 1598.
chidiaconus Wigornienſis, conſecratus eſt duodecimo Novembris Eliz. 40.
1598. Socius aliquando Collegii Trinitatis Cantabrigiae, et gratitudinis ergo legavit moriens eidem Collegio argentum caelatum non parvi pretii[o]. Obiit viceſimo ſexto Maii 1604[p].

VII. THOMAS RAVIS.

THOMAS RAVIS, ſacrae Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxoniae 1604.
alumnus primum, ac mox Decanus, conſecratus decimo nono[q] Jac. 1. 2.
Martii 1604, Londinum tranſlatus eſt 1607.

VIII. HENRICUS PARRY.

HENRICUS PARRY, ſacrae Theologiae Doctor, ſocius olim Collegii 1607.
Corporis Chriſti Oxoniae[r], conſecratus duodecimo Julii 1607. Jac. 1. 5.
Exeunte Septembri 1610 Wigorniam tranſlatus eſt.

IX. AEGIDIUS TOMSON.

AEGIDIUS TOMSONUS, ſacrae Theologiae Doctor, Windeſorenſis 1611.
Decanus et Collegii Omnium Animarum Oxoniae aliquando So- Jac. 1. 9.
cius[s], conſecratus [Junii] nono 1611, una cum Roffenſi Buckrigio: primo praeſulatus anno nondum expleto, morte immatura ſublatus eſt decimo tertio[t] Junii 1612[u].

X. MILO SMITH.

MILO SMITH, ſacrae Theologiae Doctor, Herefordenſis Eccleſiae 1612.
Canonicus Reſidenſiarius, qui primum in Collegio quod ab Aeneo Jac. 1. 10.
naſo nomen habet, deinde Aedis Chriſti capellanus, Oxoniae multos per

---

[m] Archidiaconus Huntingd. [n] Natus Cantabrigiae, ibique educatus in Collegio S. Trinitatis. [o] Centum Marcar. [p] Sepultus jacet in tumulo ab Orientali parte Chori in Eccleſia ſua Cathedrali. [q] Martii decimo quinto 1604. *Regiſtr. Bancr.* f. 28.——Erratum hic corrigere liceat inter Epiſcopos Londin. ubi per Typographi incuriam dies 27 non 15 apponitur conſecrationi hujuſce Epiſcopi. [r] Et Decanus Ceſtrenſis. Nec non Rect. de Bredon in Com. Wigorn. quam in Commend. tenuit. [s] Collegii Univerſ. Alumnus, Omnium Anim. Socius, et Theologiae Praelector in Coll. Magdalen. Ox. Decanatum per diſpenſationem Regiam cum Epiſcopatu ad annum unum obtinuit. [t] Quarto decimo. [u] Windeſorae ſepelitur in Capella Meridiem verſus, ubi extat marmor honorificum illius memoriae ſacrum.

annos bonarum literarum ſtudio gnaviter incubuit, in hujus Eccleſiae Antiſtitem ſacratus eſt viceſimo Septembris 1612, poſtquam in ſacrorum Bibliorum verſione, una cum aliis aliquot viris doctiſſimis, utiliſſimam navaſſet operam.

* * *

Hoc verò non eſt praetereundum, hominem Calvini dogmatibus addictiſſimum, Puritanorum partibus impenſe faviſſe; quod ſane documento non laudabili oſtendit anno 1616; cum enim juſſu ſuperiorum menſa Euchariſtica ab Eccleſia media ad partem Orientalem intra cancellos transferretur: Ordinationem hanc, qua, ſive pietatis ſive decoris ratio habeatur, nihil erat juſtius aut ſalubrius, homo diſciplinae Calviniſticae fautor indignabundus ita moleſtè tulit, ut inpoſterum quoad vixit in Eccleſiam ſuam Cathedralem ea de cauſa pedem inferre noluerit. Deceſſit viceſimo Octobris 1624, in Capella B. M. in Eccleſia Cathedrali ſepultus.

XI. GODEFRIDUS GOODMAN.

1624. Jac. 1. 22. SUCCESSIT Godefridus Goodman S. T. P. aliquando è Collegio S. S. Trinitatis Cantabrigiae, Canonicus Windeſorenſis et Roffenſis Decanus, ad Epiſcopatum Gloceſtrenſem conſecratus ſexto Martii 1624[x]. De illo quidem nihil memoratu dignius comperimus, quam quod Pontificiorum partibus aliqua in cauſa favens, Canonibus utriuſque domus Convocationis authoritate ſancitis 1640 ſedulo adverſabatur; quapropter, Synodo rogante, ab officio et beneficio ſuſpenſus omnium ordinum offenſionem provocabat. Ardente bello civili, cum fratribus Reverendiſſimis pariter vexatus et ſpoliatus, Cromwelli, tum dominantis, miſericordiam libello edito fruſtra blanditiis ſervilibus petivit. Obiit decimo nono Januarii 1655. Quantum ex tabulis ſupremis conjicere licet, moriens inter Pontificios nomen ſuum profitebatur.

XII. GULIELMUS NICHOLSON.

1660. Car. 2. 12. A CAROLO reſtaurato nominatus eſt Gulielmus Nicholſon, ſacrae Theologiae Doctor, Archidiaconus Brechinienſis, conſecratus Epiſcopus decimo tertio Januarii 1660[y]. Obiit anno 1671, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus. Viri de Eccleſia bene meriti laudes melius enarrabit, quam oratio noſtra, Elogium à Reverendiſſimo Georgio Bull marmori ſepulchrali inſcriptum.

“Aeternitati ſacrum. In ſpe beatae Reſurrectionis hic Reverendas Exuvias depoſuit Theologus inſignis, Epiſcopus vere primitivus GULIELM. NICHOLSON, in agro *Suffol.* natus, apud *Magdalenenſes* educatus, ob fidem Regi et Eccleſiae afflictae praeſtitam ad ſedem *Glouceſtrenſem* meritò promotus A° 1660. In concionibus frequens, in ſcriptis nervoſus, legenda ſcribens et faciens ſcribenda. Gravitas Epiſcopalis in fronte emicuit, pauperibus quotidiana Charitate beneficus, Comitate erga Clerum et Literatos admirandus. Gloriae ac Dierum ſatur in Palatio ſuo ut vixit pie deceſſit Feb. 5. Anno Aetatis 82. Dom. 1671.”

---

[x] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 96.

[y] *Regiſtr. Juxon.* f. 387.

XIII. JOANNES PRICHET, al. PRICHARD.

1672. CAR. 2. 24. IN defuncti locum ſucceſſit Joannes Prichet al. Prichard S. T. P. è Collegio Reginenſi Oxon. et Eccleſiae S. Aegidii de Cripplegate Lond. Vicarius. Epiſcopus conſecratus tertio Novembris 1672. Vitam terminavit primo Januarii 1680 apud Harefield in agro Middleſex. ibique ſepultus jacet.

XIV. ROBERTUS FRAMPTON.

1681. CAR. 2. 33. IN ſucceſſorem electus eſt Robertus Frampton, ſacrae Theologiae Doctor, Eccleſiae Gloceſtrenſis Decanus, aliquando Aedis Chriſti Oxon. alumnus, et per ſedecim annos Societati Mercatorum Alepponenſium à ſacris: conſecrationis ritibus inauguratus eſt viceſimo ſeptimo Martii 1681. Gulielmo rerum potito, cum fidelitatis juramentum imperatum praeſtare recuſaſſet, juriſdictione Epiſcopali exutus, in villam de Standiſh prope Gloceſtriam receſſit; et ibidem obiit viceſimo quinto Maii 1708, in Eccleſia Paroeciali ſepultus, ubi marmor extat hoc elogio inſcriptum:

> “ROBERTUS FRAMPTON, Epiſcopus *Glouceſtrenſis*; Caetera quis neſcit;
> “ Obiit 8 Cal. *Junii*, A° aetatis ſuae 86, conſecrationis 28, Aerae Chriſtianae 1708.”

XV. EDWARDUS FOWLER.

1691. GUL. et MAR. 3. IN Epiſcopi, ita ut ſupra diximus, exauctorati locum ſufficitur Edwardus Fowler, è Collegio Corporis Chriſti Oxon. conſecratus quinto Julii 1691. Qui cùm Eccleſiae Anglicanae, cum Carolo una reſtitutae, diſciplinae ſe conformare recuſaret, Beneficio Eccleſiaſtico in Comitatu Bedfor. exutus, aliquando temporibus in melius immutatis ſervire didicit; Eccleſiae S. Aegidii de Cripplegate Lond. Vicarius conſtitutus. Deceſſit viceſimo ſexto Auguſti 1714.

XVI. RICHARDUS WILLIS.

1714. GEO. 1. 1. EO mortuo ſufficitur Richardus Willis, Collegii Omnium Animarum Oxon. aliquando Socius, et Decanus Lincolnienſis, conſecratus decimo ſexto Januarii 1714, ad Epiſcopatum Sariſburienſem 1721, inde Wintoniam tranſlatus eſt 1723.

XVII. JOSEPHUS WILCOCKS.

1721. GEO. 1. 8. SUCCESSIT Joſephus Wilcocks, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Magdalenenſis Oxon. aliquando Socius, et Eccleſiae Weſtmonaſterienſis Praebendarius; Epiſcopus conſecratus tertio Decembris 1721, et anno 1731 ad Dioeceſin Roffenſem tranſlatus.

XVIII. ELIAS SYDALL.

1731. Geo. 2. 5. HUIC ſufficitur Elias Sydall, Chirothecarii filius Norwici, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Socius, Thomae Archiepiſcopo Cantuarienſi à Sacris, ab eodem Eccleſiae Cantuarienſis Praebendarius conſtitutus, ejuſdemque Decanus anno 1728. Ad Dioeceſin Menevenſem promotus 1731, et eodem anno ad Gloceſtrenſem tranſlatus. Obiit 1733.

XIX. MARTINUS BENSON.

1734. Geo. 2. 8. MARTINUS BENSON, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, ſed Aedis Chriſti Oxon. aliquando alumnus, Archidiaconus Berkerienſis, et Eccleſiae Dunelmenſis Praebendarius, conſecratus eſt Epiſcopus Gloceſtrenſis decimo nono Januarii anno 1734, una cum electo Briſtolienſi. Viventi nihil laudis afferimus, niſi id quod in bonorum omnium votis continetur, vitae quae utilitatibus publicis impenditur diuturnitatem apprecantium.





De EPISCOPIS

PETROBURGENSIBUS.

CIVITATEM Petrōburgenſem ab Auſtro praeterlabitur fluvius, NEN ab incolis nuncupatus, Latinè Avona, in cujus medio gurges eſſe perhibetur profunditatis non credendae, qui propter latices ibi perpetuò ſcaturientes, gelu nunquam adhuc potuit conſtringi. Hic ſive fons, ſive gurges, *Medeſwell* antiquitus conſuevit appellari, et inde civitas adjuncta MEDES-WELL-HAMSTEAD, et MEDESHAMSTEAD, *quae poſtquam Kenulfus Abbas locum muro erexit* (ſic loquitur Malmesburienſis) *à ſimilitudine urbis Burgh vocata eſt*, et nobis hodie PETERBURGH, propter Monaſterium ibi loci D. Petro olim conſecratum. Peada filius Pendae, Merciorum Regum primus qui Chriſtianam religionem amplexus eſt, Coenobium illic anno Chriſti 656 molitus, per uxoris[a] malas artes è medio ſublatus eſt, antequam ad umbilicum opus perducere potuerit. Quod Wolferus frater et ſucceſſor tantum abfuit, abſolvi[*] curaverit, ut in Gentilium ſuperſtitionibus colendis pertinax, Wolfalum et Ruffinum filios proprios necaverit, nullam aliam ob cauſam, quam quod Chriſtiani extitiſſent. Poſtea tamen ex ſpiritus ſancti gratia adeo cor illi immutatum, ut ipſe Chriſtianus factus, et poenitentia ductus ob paricidium tam immane; in reſipiſcentiae teſtimonium Coenobium antedictum magnificentiſſimè decreverit extruere, quod revera praeſtitit, à fratre Ethelredo multum adjutus, necnon à Keneburga et Keneſwitha ſororibus, quae (ut aſſerit Malmesburienſis) in Eccleſia ibidem jacent conditae. Hoc Coenobium honori dicavit Divi Petri; et Abbatem praefecit eidem Saxulfum quendam (in Lichfeldenſem Epiſcopum poſtmodum aſſumptum) qui operis aggrediendi author illi jampridem fuerat. Annis tum pluſquam ducentis, in ſumma omnium rerum affluentia hoc Coenobium effloreſcens, à Danis tandem deletum eſt, qui aedificiis everſis, à Wolphero tantis ſumptibus erectis Monachos partim fugarunt, partim morte affecerunt. Ab eo tempore deſertum jacuit per annos plus minus centum. Ethelwoldus[b] tandem (Monachiſmi ſummus patronus) circa annum 970 reſtauravit; qui Oundaliae in Comitatu Northantonenſi Coenobium condere aggreſſus, de hujus loci opportunitate admonitus, ſtructuram Oundaliae coeptam in Parochialem convertit Eccleſiam et *Monaſterium hic conſtruxit, adeo elaboratis ſumptibus* (inquit Malmesburienſis) *et ampliatis poſſeſſionibus, ut pene tota circa regio illi ſubjacuerit.* Hoc in opere perficiendo auxilium illi tulerunt Eadgarus Rex, et Adulphus Regis Cancellarius, qui aegerrimè ferens quod filiolus (quem unicum habebat) ab eo et uxore in ſomno ſuffocatus eſſet; univerſas opes in hujus Monaſterii reſtauratione effudit, mundo valedixit, et renovati Monaſterii factus eſt Abbas. Jam inde multis opibus et magnis privilegiis celeberrimum fuit uſque ad parentum noſtrorum tempora, quando Henricus Octavus Monachos ubique exturbavit. Huic viſum, Lincolnienſem dioeceſim, ſpatioſam nimis, arctioribus finibus circumſcribere, detractis inde comitatibus, Oxonienſi (quem novus Epiſcopus regeret, Oxonienſis dictus) ac deinde Northantonenſi et Rutlandenſi, quibus Epiſcopus itidem praeeſſet Petroburgi collocandus, Decano etiam conſtituto ibidem et ſex Praebendariis.

---

[a] Matris potius.

[*] Ita auctor.

I. JOANNES CHAMBERS[c].

1541. Hen. 8. 33. NOVAE hujuſce fundationis Epiſcopus primus, fuit Abbatum Petroburgenſium poſtremus[d], Joannes Chambers Medicinae Doctor, Collegii Mertonenſis Oxoniae alumnus, et Collegii S. Stephani Weſtmonaſterii aliquando Decanus, qui conſecratus eſt viceſimo tertio Octobris 1541.

II. DAVID POOLE.

1557. Mar. 5. DAVID POOLE, legum Doctor, ſocius olim Collegii Omnium Animarum Oxoniae, Arcuatae curiae Decanus, Derbienſis Archidiaconus, et Dioeceſis Coventrenſis ac Lichfeldenſis Cancellarius[e], conſecratus decimo quinto Auguſti[f] 1557, ante biennium exactum ſub Elizabetha Regina exauthoratus eſt[g].

---

[b] Epiſcopus Winton.

[c] Literae Patentes pro erectione hujus Epiſcopatus datae 4 Sept. 1541. *Rym. Foed.* T. 14. p. 731.

[d] Abbas fuit poſtremus Petroburgenſis; ſed nec M. D. Mertonenſis Collegii Alumnus, nec S. Steph. Decanus; alius enim ab illo. Sacrae Theologiae fuit Bacc. in Academia Cantabrigienſi, conſecratus Epiſc. 23 Oct. 1541: et exeunte Februario 1555 animam Deo reddidit, et in Eccleſia Petroburgenſi ſepultus jacet.

[e] Proviſus eſt à Papa, Bulla dat. 7 Id. Apr. 1557. *Regiſtr. Poole.* f. 7.

[f] *Ib.* f. 10.

[g] Spiritualia ſeiſita à Dec. et Cap. Cantuar. (Sede vacante) Nov. 11. 1559. *Regiſtr. Cant.*

III. EDMUNDUS SCAMBLER.

EDMUNDUS SCAMBLER conſecratus decimo ſexto Februarii 1560, anno 1584 Norwicum tranſlatus eſt[h]. 1560. ELIZ. 3.

IV. RICHARDUS HOWLAND.

RICHARDUS HOWLAND[i] ſucceſſit, ſacrae Theologiae Doctor[k], et Collegii S. Joannis Cantabrigiae Praeſes, qui menſe Junio deceſſit 1600. 1584. ELIZ. 27.

V. THOMAS DOVE.

THOMAS cognomento Dove[l] (quod Anglice Columbam ſonat) Norwicenſis Decanus, Aulae Pembrochianae Cantabrigiae alumnus, et Elizabethae Reginae à ſacris, ſub exitum anni 1600 conſecratus eſt[m]: Ea vir facundia ac eruditione, ut Regina antedicta, cum concionantem audiviſſet, palam ſtatim pronunciarit columbam hunc, niſi gratia illius inſpiratum qui columbae olim ſpeciem aſſumpſit, ſic loqui neutiquam potuiſſe. Obiit triceſimo Auguſti 1630, Aetatis 75, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus. 1600. ELIZ. 41.

* * *

VI. GULIELMUS PIERSE.

SUCCESSIT Gulielmus Pierſe, Aedis Chriſti Oxon. Canonicus, et hujuſce Eccleſiae Decanus, Epiſcopus conſecratus viceſimo quarto Octobris 1630[n]; et poſt biennium deinceps ad Dioeceſin Bathonio-Wellenſem tranſlatus. 1630. CAR. I. 6.

VII. AUGUSTINUS LINDSELL.

QUO ut dictum eſt tranſlato, ſucceſſit Auguſtinus Lindſell, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, Eccleſiae Lichfeldenſis Decanus, conſecratus decimo Februarii 1632. Ad Dioeceſin Herefordenſem migravit viceſimo quarto Martii 1633. 1632. CAR. I. 8.

---

[h] Ob inſigne ſuum meritum in dilapidandis Epiſcopatibus.

[i] Filius et Heres Joannis Howland de Lond. per Annam filiam——Greenway de Clay in Com. Norf. *MS. Wood.*

[k] Collegii Petrenſis Socius, Magdalenenſis primo dein S. Joannis Magiſter.——Conſecratus ſeptimo Februarii 1584 apud Lametham. *Regiſtr. Whitg.* f. 4.

[l] Natus in Civitate Londinenſi. *Fuller in Herowl.*

[m] Aprilis 26. 1600. *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 43.

[n] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f. 23.

VIII. FRANCISCUS DEE.

1634. Car. 1. 10. FRANCISCUS DEE, ſacrae Theologiae Doctor, mox ſufficitur, è Collegio D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae: ab Eccleſiae Ciceſtrenſis Decanatu ad Dioeceſin Petroburgenſem evocatus, ſacratus eſt decimo octavo Maii 1634. Deceſſit Octobris quarto 1638, donata prius in perpetuam Eleemoſynam Collegio praedicto aliqua patrimonii parte, in alimoniam duorum Sociorum et totidem Scholarium, è Schola Petroburgenſi eligendorum.

IX. JOANNES TOWERS.

1638. Car. 1. 14. EO defuncto ſufficitur Joannes Towers S. T. P. aliquando Collegii Reginenſis Cantabrigiae Socius; ab Eccleſiae hujuſce Decanatu ad Epiſcopatum evectus, conſecrationis ritibus inauguratus eſt decimo tertio Januarii anno 1638. Durante bello civili ob fidem erga Regem inviolatam à perduellibus miſere afflictus et vexatus, obiit decimo Januarii 1648, in Eccleſia ſua Cathedrali, ſine aliqua funebri pompa, ſepultus.

X. BENJAMINUS LANEY.

1660. Car. 2. 12. AD ſedem hanc Epiſcopalem, cum Regia pariter ad annum 1660 vacantem, aliquando promotus eſt Benjaminus Laney ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Roffenſis, ſecundo Decembris. Ab eadem ad Lincolnienſem tranſlatus 16 Aprilis 1663, et deinde ad Elienſem.

XI. JOSEPHUS HENSHAW.

1663. Car. 2. 15. JOSEPHUS HENSHAW Oxonienſis ſucceſſit, Eccleſiae Ciceſtrenſis Praebendarius, à Rege Carolo reſtaurato Decanus ejuſdem conſtitutus, Petroburgenſis Epiſcopus conſecratus eſt decimo Maii 1663 [o]. Martii quarto 1678, repentina morte abreptus, ſui deſiderium reliquit.

XII. GULIELMUS LLOYD.

1679. Car. 2. 31. SUCCESSIT Gulielmus Lloyd, à Dioeceſi Landavenſi tranſlatus, 17 Maii 1679 [p]; et exinde poſt ſexennium peractum ad Norwicenſem migravit.

---

[o] *Regiſtr. Juxon.* f. 326.

[p] *Regiſtr. Sancr.* f. 23.

XIII.

XIII. THOMAS WHITE.

THOMAS WHITE, ſacrae Theologiae Doctor, è Collegio D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae, Archidiaconus Nottinghamiae, ſufficitur viceſimo quinto Octobris 1685[q]. Metropolitani exemplum ſecutus, Jacobi Regis edicto adverſari maluit, quam Eccleſiae Anglicanae periclitantis tutelam deſerere, ea de cauſa pariter incarceratus. Idem poſtmodo cum fidelitatis juramentum Gulielmo Regi praeſtare recuſaſſet, exauctoratus in otium ſeceſſit. Obiit triceſimo Maii 1698, in Eccleſia Cathedrali D. Pauli Lond. ſepultus. 1685. JAC. 2. 1.

XIV. RICHARDUS CUMBERLAND.

EXAUCTORATO Thoma, ſufficitur Richardus Cumberland S.T.P. è Collegio Magdalenenſi Cantab. A Paroecia haud inſigni ad Dioeceſeos adminiſtrationem evocatus, conſecratus eſt Julii quinto 1691, una cum Gloceſtrenſi, Norwicenſi, et Eboracenſi Electis. Vir ſingularis induſtriae et eruditionis profundae, ad extremum uſque ſtudiis ſeverioribus incumbens; Linguam Copticam pluſquam octogenarius ſenex edidicit. Paraliticus deceſſit in Palatio ſuo Petroburgenſi Octobris nono 1718, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus, ubi extat marmor ſepulchrale hoc elogium inſculptum gerens. 1691. GUL. et MAR. 3.

“ Juxta jacet doctiſſimus ſanctiſſimuſque Praeſul RICHARDUS CUMBERLAND,
“ hujus Civitatis Epiſcopus; qui cum Eccleſiae et Reipublicae
“ diu et feliciter invigilaverat, migratus ad aliam quam ſolam quaerebat
“ Civitatem, Honorum et Dierum ſatur, obdormivit in Domino Anno
“ Chriſti 1718, Aetatis 86.

“ Macte, malae fraudis Domitor, Defenſor Honeſti,
“ Legum Naturae Juſtitiaeque Pugil.
“ O quantum debent, quas laeſerat Hobbius ambas,
“ Recta ſimul Ratio, Relligioque tibi.”

XV. WHITE KENNET.

HUIC ſucceſſit White Kennet, Aulae S. Edmundi Oxon. aliquando Vice-Principalis, Decanus Petroburgenſis, et è Decano Epiſcopus, conſecratus nono die Novembris 1718. Vir in antiquitatibus Britannicis verſatiſſimus; cujus deſiderium teſtabitur hoc quale quale opuſculum, iis 1718. GEO. 1. 5.

---

[q] *Regiſtr. Sander.* f. 135.

jam ſubſidiis et ornamentis deſtitutum, quae ex ipſius ſcriniis inſtructiſſimis depromi poterant. Mortem obiit decimo nono Decembris 1728, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet.

XVI. ROBERTUS CLAVERING.

1728. GEO. 2. 2. SUCCESSIT Robertus Clavering, ſacrae Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxon. Canonicus et Linguae Hebr. Profeſſor Regius, à Dioeceſi Landavenſi tranſlatus viceſimo ſeptimo Februarii 1728.



De EPISCOPIS

BRISTOLIENSIBUS.

ROBERTUS FITZ-HARDING cognominatus, quod patrem habuerit Hardingum Danorum Regis filium, cum civis eſſet Briſtolienſis et ejuſdem civitatis nonnunquam (ut ferunt) Praetor, Monaſterium condidit D. Auguſtino ſacrum prope dictam civitatem, et in eo Canonicos Regulares collocavit anno 1148. Hanc fundationem confirmavit et praediis auxit Henricus ſecundus Rex, apud quem tam gratioſus fuit conditor ejuſdem, ut matrimonio jungendum curaverit cum unica filia Baronis de Barkley, à quibus Barones Barkleii moderni perpetua ſerie ſtemma deducunt: Eamque ob cauſam illorum quamplurimi, non alibi quam in Eccleſia dicti Coenobii, ſepultura condi voluerunt. Hanc in Cathedralem convertit Henricus Octavus, Coenobii praediis partim Epiſcopo, partim Capitulo conceſſis, quod ex Decano et ſex Praebendariis conſtare volebat. Dioeceſin verò novae ſedi aſſignavit, praeter urbem ac Decanatum Briſtolienſem, ſub alio quaſi ſole jacentem, Comitatum Dorſetenſem.

◆ ◆ ◆

I. PAULUS BUSH[a].

PAULUS BUSH[b] è gymnaſio Oxonienſi S. Theologiae Baccalaureus, 1542.
Monachorum Provincialis qui *Boni homines* appellati ſunt (vir in HEN. 8. 34.

---

[a] Literae Patentes pro erectione hujus Epiſcopatus datae 4 Jun- 1542. *Rym.* T. 14. p. 753.

[b] Paulus Buſhe Rector Monaſterii omnium Sanctorum de Edyngton Com. Wilt. *Rym.* T. 14. p. 638.

ſtudio tam Medicinae quam Theologiae probe verſatus) cum ſcriptis editis non paucis eruditionis ſpecimen edidiſſet, in Epiſcopum Briſtolienſem conſecratus eſt ſecundo Junii[c] 1542. Sub Maria Regina Praeſulatu exactus quod uxorem duxiſſet, paucis ante ipſam diebus, ab hac luce infoeliciter ſubtractus eſt. Tumulatus eſt ab Aquilonari parte Chori è regione ſedis Epiſcopalis, ubi monumento non ineleganti haec verba leguntur inſcripta.

“ Hic jacet D. Paulus Buſh, primus hujus Eccleſiae Epiſcopus, qui “ obiit undecimo die Octobris Anno Domini 1558, aetatis ſuae 68: cu-“ jus animae propitietur Deus.

II. JOANNES HOLYMAN.

1554. MAR. 2. JOANNES HOLYMAN, Monachus olim Readingenſis, in Collegio vero Wiccamico[d] Oxoniae educatus, Epiſcopus Briſtolienſis à Maria Regina, ſuperſtite adhuc anteceſſore, deſignatus, circa id ipſum tempus quo ille, exceſſit è vivis.

III. RICHARDUS CHEYNEY.

1562. ELIZ. 4. RICHARDUS CHEINEIUS, ſacrae Theologiae Baccalaureus (de quo antea inter Gloceſtrenſes) in Gloceſtrenſem Epiſcopum conſecratus decimo nono Aprilis 1562. Briſtolienſis etiam Commendatarius[e] conſtitutus eſt. Obiit anno 1578[f].

IV. JOANNES BULLINGHAM.

1581. ELIZ. 23. JOANNES BULLINGHAM Gloceſtrenſis quoque Epiſcopus[g], Briſtolienſem Eccleſiam ſimiliter per diſpenſationem adminiſtravit ad annum 1589, quando Reginae viſum Briſtolienſibus proprium dare Antiſtitem.

V. RICHARDUS FLETCHER.

1589. ELIZ. 32. RICHARDUS FLETCHER, ſacrae Theologiae Doctor, Petroburgenſis Decanus, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae aliquando Socius, conſecratus eſt in Epiſcopum Briſtolienſem (ſuperſtite adhuc Bullinghamo) decimo quarto Decembris[h] 1589, cum ſedes (niſi quatenus à Commendatariis adminiſtrata eſt) vacaſſet annos 32. Exeunte anno 1593 Londinum tranſlatus eſt[i].

---

[c] Jun. 25. 1542. in Eccleſ. Paroch. de Hampton. *Regiſtr. Cranm.* f. 285.

[d] Natus apud Codington in agro Buckingh. *Fuller in Herowl.* p. 130. Amoto Paulo, Lic. eligendi conceſſa eſt 19 Mar. 1554. *Rym.* T. 15. p. 375. Joannes conſecratus eſt 18 Nov. 1554.

[e] Literae Commend. datae 29 Apr. anno Regni Eliz. 4°. *Regiſtr. Parker.* f. 22.

[f] Apr. 25. 1579. *Br. Willis.*

[g] Conſecratus tertio Septembris 1581.

[h] *Regiſtr Whitg.* f. 62.

[i] Wigorniam primo 1592; Londinum 1594. vid. ſupra.

◆◆◆

VI. JOANNES THORNBOROUGH.

1603. JAC. I. 1. JOANNES THORNBOROUGH, ſacrae Theologiae Baccalaureus, Epiſcopus Limericenſis in Hibernia[k], et Eboracenſis ſimul Decanus, Magdalenenſis Collegii quod eſt Oxoniae alumnus, huc tranſlatus eſt (Decanatu per diſpenſationem retento) anno 1603[l]. Wigorniam migravit decimo ſeptimo Februarii 1616.

◆◆◆

VII. NICOLAUS FELTON.

1617. JAC. I. 15. NICOLAUS FELTON, ſacrae Theologiae Doctor, et Aulae Pembrochianae Cantabrigiae Praeſes, conſecratus eſt decimo quarto Decembris 1617[m]; et poſt quindecim menſes, videlicet Martii decimo quarto[n] 1618, ſtylo Anglicano, ad ſedem tranſlatus Elienſem.

◆◆◆

VIII. ROLANDUS SEARCHFIELD.

1619. JAC. I. 17. ROLANDUS SEARCHFIELD, ſacrae Theologiae Doctor, Capellanus Regius, et Collegii S. Joannis Baptiſtae Oxon. nonnunquam Socius, in Epiſcopum Briſtolienſem conſecratus eſt, una cum Oxonienſi et Ceſtrenſi, Maii nono 1619[o]. Deceſſit undecimo Octobris 1622, et in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆ ◆

IX. ROBERTUS WRIGHT.

1622. JAC. I. 20. IN defuncti locum ſucceſſit Robertus Wright, Eccleſiae Wellenſis Canonicus, et Collegii Wadhamenſis Oxon. Guardianus, conſecratus Lamethae viceſimo tertio Martii 1622[p], et inde poſt decennium ad Dioeceſin Lichfeldenſem tranſlatus.

◆◆◆

X. GEORGIUS COKE.

1632. CAR. I. 8. SUCCESSIT Georgius Coke, ſacrae Theologiae Doctor, ex Aula Pembr. Cantab. conſecratus decimo Februarii 1632[q]. Ad Epiſcopatum Hefordenſem tranſlatus 1636.

---

[k] Conſecratus anno 1593 exeunte. *Waraeus de Praeſ. Hib.* [l] Huc tranſlatus Jul. 12. 1603. *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 72. [m] *Regiſtr. Abbot.* f. 96. [n] Martii undecimo 1618. *Regiſtr. Abbot* f. 138. [o] *Regiſtr. Abbot* par. 2. f. 22. [p] *Ib.* par. 2. f. 85. [q] *Ib.* par. 3. f. 90.

XI. ROBERTUS SKINNER.

1636. Car. 1. 12. IN tranſlati locum ſufficitur Robertus Skinner, S. T. P. aliquando Collegii Trinitatis Oxon. Socius, decimo quinto Januarii 1636[r]; ad Dioeceſin Oxonienſem anno 1640, inde Wigornienſem tranſlatus 1663.

XII. THOMAS WESTFIELD.

1641. Car. 1. 17. THOMAS WESTFIELD, ſacrae Theologiae Doctor, Elienſis, Collegii Jeſu Cantabrigiae aliquando Socius, Archidiaconus S. Albani, conſecratus eſt anno 1641. Epiſcopalem hanc Cathedram, quam ſibi 25 retro annis oblatam detrectaverat, jam ſero temporibus iniquiſſimis adeptus. Obiit anno 1644 viceſimo quinto Junii, in Eccleſia ſua Cathedrali, juxta reliquias Pauli Buſh Epiſcopi Briſtol. primi, ſepultus.

XIII. THOMAS HOWELL.

1644. Car. 1. 20. SUCCESSIT Thomas Howell, Wallus, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Jeſu Oxon. Socius, et Capellae Regiae Windeſorenſis Canonicus, mitiſſimi vir ingenii et concionator facundiſſimus; Oxonii conſecratus anno 1644, quo tempore urbs obſidione premebatur. Diem clauſit extremum anno 1646, in Eccleſia Cathedrali ſua ſepultus.

XIV. GILBERTUS IRONSIDE I.

1660. Car. 2. 12. CUM per temporum turbulentiſſimorum iniquitatem, praeſidio Regali deſtituta, dignitas Epiſcopalis prope extincta jaceret, ideo nulla erat ad hanc Dioeceſin ſucceſſio niſi poſt Monarchiam reſtitutam: et tum demum Gilbertus Ironſide ſucceſſit, in Epiſcopum conſecratus decimo tertio Januarii 1660, una cum Gloceſtriae, Herefordiae et Norwici electis[s]. Exceſſit è vivis decimo nono Septembris 1671, in Eccleſia ſua Cathedrali tumulatus.

XV. GUIDO CARLETON.

1671. Car. 2. 24. ILLI defuncto mox ſufficitur Guido Carleton, Eccleſiae Carleolenſis Decanus, conſecrationis ritibus inauguratus undecimo Februarii 1671[t], et anno 1678 Ciceſtriam migravit.

[r] *Regiſtr. Laud.* f. 72. [s] *Regiſtr. Juxon.* f. 245. [t] *Regiſtr. Sheld.* f. 96.

XVI. GULIELMUS GULSTON.

1678. CAR. 2. 31. GULIELMUS GULSTON, Leiceſtrenſis, ſacrae Theologiae Doctor, è Collegio D. Joannis Evangeliſtae Cantabr. Rector de Symondſbury in agro Dorſetenſi, proxime ſucceſſit; quam quidem Rectoriam, cujus erat ipſe Patronus, velle ſe Epiſcopali ſedi in perpetuum annectere non obſcure ſignificaverat; verum Epiſcopus jam conſtitutus nono Februarii 1678[u], prioris Conſilii plane oblitus obiit Aprilis quarto 1684, in Cancello Eccleſiae ſuae Paroecialis ſepultus.

XVII. JOANNES LAKE.

1684. CAR. 2. 37. SUCCESSIT Joannes Lake S. T. P. ab Epiſcopatu Sodorienſi tranſlatus duodecimo Auguſti 1684[x], anno inſequenti ad Ciceſtrenſem migravit.

XVIII. JONATHAN TRELAWNEY.

1685. JAC. 2. 1. IN ſucceſſorem electus eſt Jonathan Trelawney Baronettus, in Epiſcopum conſecratus octavo Novembris 1685[y], ad Epiſcopatum Exonienſem tranſlatus 1689, et inde ad Wintonienſem anno 1707. Ubi de eo plura.

XIX. GILBERTUS IRONSIDE 2.

1689. GUL. et MAR. 1. CUM Dioeceſin hanc inter turbas civiles Radulphus Bathurſt Collegii Trinitatis Oxon. Praeſes, ſibi à Jacobo Rege ablatum, detrectaſſet; Rep. jam tandem conſtituta, ſucceſſit Gilbertus Ironſide, Gilberti olim Epiſcopi filius, et Collegii Wadhamenſis Oxon. Guardianus, à Gulielmo Rege nominatus, in Epiſcopum conſecratus eſt, una cum electis Wigorniae et Ciceſtriae, decimo tertio Octobris 1689[z], et anno 1691 ad Dioeceſin Herefordenſem eſt tranſlatus.

XX. JOSEPHUS HALL.

1691. GUL. et MAR. 3. JOSEPHUS HALL, Collegii Pembrochianae Oxon. Magiſter, et Theologiae, ex inſtituto Margaretae Comitiſſae de Richmond, Profeſſor, conſecratus eſt in Eccleſia S. Mariae de Arcubus Londoniae triceſimo Auguſti 1691[a]. Puritanis, ſub quorum inſtitutis adoleverat, aliquanto addictior; ſed eruditione multiplici celebratus, magni erat inter Theologos nominis. Moriens Collegio ſuo Bibliothecam legavit. Deceſſit quarto Februarii anno 1709. Aetatis 77.

[u] *Regiſtr. Sander.* f. 51. [x] *Ib.* f. 81. [y] *Ib.* f. 142. [z] *Regiſtr. Suſp. Sander.* f. 18. [a] *Regiſtr. Tillotſ.* f. 83.

XXI. JOANNES ROBINSON.

1710. Annae 9. EO defuncto ſufficitur Joannes Robinſon S. T. P. Decanus Windeſorenſis, conſecratus decimo nono Novembris 1710, anno 1713 ad Dioeceſin Londinenſem tranſlatus.

XXII. GEORGIUS SMALRIDGE.

1714. Annae 13. SUCCESSIT Georgius Smalridge, ſacrae Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxoniae Decanus, Epiſcopus conſecratus quarto Aprilis 1714. Vir morum ſeveritate reverendus, quam interim mira comitas temperavit: eruditione profunda in ſacris profaniſque literis verſatiſſimus; ea interim animi moderatione, ut ſine invidia et offenſione partium omnibus fere placeret. Viceſimo ſeptimo Septembris 1719 moriens, magnum ſui deſiderium reliquit.

XXIII. HUGO BOULTER.

1719. Geo. 1. 6. HUGO BOULTER, S. T. P. Archidiaconus Surriae, et Collegii Magdalenenſis Oxon. aliquando Socius, conſecratus eſt decimo quinto Novembris 1719, et anno 1723 ad Sedem Metropoliticam Armacenſem in Hibernia tranſlatus migravit.

XXIV. GULIELMUS BRADSHAW.

1724. Geo. 1. 11. IN tranſlati locum mox ſufficitur Gulielmus Bradſhaw, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Novi Oxoniae aliquando Socius, et aedis ſimul Chriſti Decanus, conſecratus decimo octavo Octobris 1724, deceſſit Bathoniae decimo ſexto Decembris 1732, aetatis 60, ibique jacet ſepultus.

XXV. CAROLUS CECILL.

1732. Geo. 2. 6. CAROLUS CECILL conſecratus eſt viceſimo quinto Februarii 1732, et anno 1734 ad Epiſcopatum Bangorenſem tranſlatus migravit.

XXVI. THOMAS SECKER.

1734. Geo. 2. 8. SUCCESSIT Thomas Secker, legum Doctor è Collegio Exonienſi Oxoniae, conſecratus decimo nono Januarii 1734, anno 1737 ad Dioeceſin Oxonienſem tranſlatus eſt.

XXVII. THOMAS GOOCH.

THOMAS GOOCH, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Gonvil. et Caii Cantabrigiae Magiſter, conſecratus eſt 12 Jun. 1737, et anno inſequenti Norwicum migravit. 1737. Geo. 2. 11.

XXVIII. JOSEPHUS BUTLER.

JOSEPHUS BUTLER, è Collegio Orielenſi Oxon. legum Doctor, conſecratus tertio Decembris 1738, Aedis Paulinae Lond. Decanatum poſtea commendatitio jure annexum habens. 1738. Geo. 2. 12.





De EPISCOPIS WESTMONASTERIENSIBUS.

THOMAS THIRLBY.

1540. Hen. 8. 32. SILENTIO hic non duxi praetereundum, Henricum octavum quando in animum induxiſſet ex Coenobiorum everſorum ſpoliis partem aliquam Deo conſecrare, novos Epiſcopatus aliquot, in locis oportunis conſtituendo; cathedram Epiſcopalem Weſtmonaſterii collocaſſe (quod civitatis Londinenſis quaſi ſuburbium, propter propinquitatem cenſeri poſſe videtur) et Thomam Thirlby[a] Epiſcopum primum (qui et poſtremus fuit) ibidem inſtituiſſe. Eccleſiae patrimonio hic dilapidato, Norwicum tranſlatus eſt anno 1550, cùm ad hanc novam ſedem fuiſſet conſecratus decimo nono Decembris 1540[b]. Poſtea ſub Maria Regina Epiſcopus evaſit Elienſis anno 1554. Poſt illius diſceſſum, Monachis Benedictinis Eccleſiam iterum replevit Maria, Abbate illis praepoſito Joanne Fecknamo, Eccleſiae Paulinae Decano. Elizabetha vero Regina, ejectis denuo Monachis authoritate parliamentaria, in collegiatam convertit Eccleſiam, à Decano regendam.

---

[a] Natus Cantabrigiae, ibique educatus. *Fuller in Herowl.* p. 153.

[b] Conſecratus in Capella Henr. 7^{i} Weſtmon. 19 Dec. 1450. *Regiſtr. Cranm.* f. 261.———Reſignat Epiſcopatum Weſtmon. cum omnibus libertatibus &c. Edwardo ſexto, ad Regiae voluntatis libitum transferend. convertend. &c. triceſimo Martii 1550. Tranſlatus eſt idem Thomas ad Epiſcop. Norwicenſem Aprilis primo ſequent. *Rym. Foed.* T. 14. p. 221, et diſſolutus eſt Epiſcopatus Weſtmonaſterienſis eodem die.

De EPISCOPIS

MENEVENSIBUS.

HISTORICI omnes Britannici (ceu rectius fortaſſe dixerim Wallici) in hoc conveniunt (ſed utrum etiam cum veritate, non pronuncio) quo primum tempore Chriſtiana religio in hac inſulae parte recepta eſt quae nunc Anglia appellatur, Epiſcopis 28 ſedes conſtitutas, interque eas Archiepiſcopis tres, Londinenſi, Eboracenſi, Carlegionenſi. De Londinenſibus antea ſuo loco diximus. Carlegione vero, tempore famigeratiſſimi illius Arthuri (de quo tam incredibilia narrantur à noſtris, ut falſa intermixta, veris fidem derogantia, meritiſſima laude defraudarint virum haud dubie inſignem et aeterna memoria digniſſimum) ſediſſe perhibetur Dubritius [a], eumque matrem habuiſſe Eurdilam, foeminam nobiliſſimam, quae verò patris nomen nunquam voluerit edere. « Pubeſcentibus annis (inquit Balaeus [b], ex Lelando opinor) « maximum apud Britannos hic obtinuit nomen. Nam juvenis adhuc, « ſcientiis et moribus ſe tantum honeſtabat, ut non ex adjacentibus urbibus ſolum, ſed etiam ex remotis regionibus, diſcipulos habuerit non « paucos. Huic coetui ſcholas erexit ad Vagae fluminis ripam, quibus « aſſidua lectione multis annis praefuit, ac Theliaum, Sampſonem, et

---

[a] Non Dubritius, ſed Faganus Eleutherii Legatus primus fuit Meneviae Archiepiſcopus, ſi——Harris in Hiſt. Eccleſ. MS. fidendum eſt.——Et Hiſtoria Wallica antiqua Tremonum ſeu Tremorinum Archiepiſcopum hic loci ante Dubritii tempora extitiſſe perhibet. A°. ſc. 463. *Galfr*. L. 8. c. 10. ——— Tempore Auguſtini primi Archiepiſcopi Cantuarienſis ſub Metropolitano Menevenſi ſeptem aliae ſedes Epiſcopales erant, quarum nomina tunc erant, Herefortenſis, Tavenſis, Paternenſis, Banchorenſis, Eluienſis, Wiccenſis ac Morganenſis. *Balaeus* in vita Dionoti Avonii. Cent. 1. p. 64. [b] Cent. 1. p. 51.

“ Aidanum obaudientes habebat. Interim non omiſit feriatis diebus ſalutaris verbi pabula populis miniſtrare, Pelagiana dogmata vehementer improbans.” His atque aliis pietatis officiis emeruit, ut à Germano et Lupo Epiſcopis Gallicis (quos accerſierat Aurelius Ambroſius Rex, uti haereſim Pelagianam inter nos tum pullulantem, extirpandam curarent) Epiſcopus Landavenſis conſtitueretur; unde ſedem tranſtulit ad urbem quae hodie Carleona dicta, tum civitas Legionum appellata eſt, à ſecunda Legione Auguſta, quae ſeculo Romano ibi loci conſuevit hibernare, et Cambriae tunc erat Metropolis. Ibi Utherum primò, ac mox Arthurum Britannici regni diademate (ut dicitur) inſignivit. Aetate jam grandis et paſtoralis officii laboribus ſe imparem ſentiens, praeſulatum abdicavit; ſubſtituto pro ſe diſcipulo quodam ſuo qui David nuncupatus eſt. Migravit tandem ab hac luce quarto Novembris anno ſalutis 522, et in inſula ſepultus eſt quae tunc Enlli, nunc Bardſey nuncupata eſt, ubi monaſticam vitam amplexus, multos annos tranſegerat. Oſſa ejus poſt annos ſexcentos tranſlata inde ad Landavenſem Eccleſiam, per Urbanum Epiſcopum ibidem ante altare B. Mariae condita perhibentur verſus Aquilonem Maii viceſimo 1120.

◆ ◆ ◆

I. S. DAVID.

577. DE Davide antedicto (magni Arthuri avunculo) ex Lelandianis monumentis ſic habet Balaeus[c]. “ Xanti Cereticae provinciae Comitis adulteri, filius fuit David Menevenſis ex Melaria virgine Veſtali, qui ſub Paulino et Iltuto praeceptoribus doctiſſimis, in re literaria ſuper coaetaneos omnes ingenii perſpicuitate proficiebat. Vir erat (ut in ejus hiſtoria habetur) amabilis valde, vultu venuſtus, forma praeclarus, facundus, eloquens, et quatuor cubitorum ſtatura erectus. Et poſtquam decem annis ſacrae Scripturae aſſiduam dediſſet operam, Evangelium et legem populo Chriſtiano quaſi ex buccina expoſuit. Evangelii nempe textum (inquit Hiſtoria) perpetuo ſecum deferebat, ut ex eo ad vulgum homilias faceret et aegrotos curaret. Magnificae doctrinae admiratores habuit plurimos; praecipue Thelianum, Aidanum, [Madocum] Iſmaelem, Paternum et Kinotum. Duodecim Monaſteria conſtruxit, ac Monachos ſuarum manuum laboribus vivere docuit. Et vigente adhuc poſt *Germani ac Lupi Epiſcoporum* labores Pelagiana labe, ac deſperato pene remedio, ex univerſae gentis Synodo praeſul conſtitutus anno Chriſti 519; diutina praedicatione ac diſceptationibus publicis eandem profligavit atque aream Eccleſiae purgavit. Cambriae Metropolites et Primas propterea factus, tantam cum Rege Arthuro gratiam iniit, ut ab urbe Legionum ad ſuam Meneviam Archiepiſcopalem transferret ſedem. Quod ita permanſit ad Normannorum uſque tempora, et omnes ab ipſo Cambrorum ſive Wallorum Epiſcopi, ut à ſuo Primate, conſecrationem acceperunt, adhibito deinceps nominis ſui titulo, ut Davidis fanum (incolis Twi-Dewi[d], quod idem ſonat) ea urbs diceretur. Caeterum ſi Giraldo Cambrenſi ejus ſedis poſtmodum Epiſcopo credimus, Prior ille locus, Metropolitanae ſedi longe plus congruebat. Hic etenim

---

[c] Cent 1. p 53.

[d] Alias Ty Dewy

“ angulus eſt ſupra Hibernicum mare remotiſſimus, terra ſaxoſa, ſterilis et infoecunda; nec ſilvis veſtita, nec fluminibus diſtincta, nec pratis ornata; ventis ſolum et procellis ſemper expoſita, inter hoſtiles hodie populos hinc Flandrenſem, inde Cambrenſem frequenter attrita. Ex induſtria namque viri ſancti talia ſibi delegerunt habitacula, ut populares ſtrepitus ſubterfugiendo, vitamque ereemiticam paſtorali longe praeferendo, parti liberius quae non aufertur indulgerent. Fuerat autem David ſanctitate conſpicuus et religione. Inter omnia vero quae de ipſo leguntur miracula, tria mihi videntur admiratione digniſſima (inquit ille) De origine videlicet ipſius et conceptione; et 30 annis ante ortum praeelectione; et (quod omnibus praeſtat) de terra quae apud Brevy vidente populo et admirante, ſub pedibus praedicantis in collem excrevit.” Sic Giraldus. Epiſcopus huic ſedi praefuiſſe dicitur annos 65, vixiſſe 146. In Eccleſia ſua ſepultus eſt[e], et poſt annos quingentos Sanctorum Catalogo aſcriptus per Calixtum ſecundum Papam. Succeſſerunt illi, quo ordine adſcripſimus, hii qui ſequuntur.

II. Cenauc à Paternenſi ſede tranſlatus, nonnullis Kinotus. [Kenea.]

III. Eliud qui et Teliaus. [Teilaus.]

IV. Ceneu.

V. Morwal. [Morvael.][f]

VI. Haernunen· [Haernurier.]

VII. Elwaed. [Elvaeth.]

VIII. Gurnven. [Gurnel.][g]

IX. Lendivord. [Leudinord, al. Leudwyth.] Anno 810 Eccleſia Menevenſis per Occidentales Saxones combuſta eſt.

X. Gorwysc. [Gorwyſt.]

XI. Gogan. [Gorgan.]

XII. Cledauc.

XIII. Anian. [Einaen.] Obiit 874, et ſi Wallorum Chronicis habeamus fidem, ſucceſſorem ſortitus eſt Hubertum quendam, de quo in Giraldo, aut vetuſtis illius Eccleſiae monumentis nullam reperi mentionem.

XIV. Elvoed. [Eludgeth.]

XV. Ethelmen. [Eldunen.]

XVI. Elanc. [Elnaeth.]

XVII. Mascoed. [Maelsdkwythe.]

XVIII. Sadermen [Madenew.][h]

XIX. Catellus. [Catulus.]

XX. Sulhaithnay. [Sulnay.]

XXI. Novis. [Namis, al. Nonis.][i]

XXII. Etwal. [Doythwall.]

XXIII. Asser[k].

XXIV. Arthuael. [Alhuael.]

Catalogum iſtum ex Giraldo deſumpſimus; à quo diverſum haberi in archivis Eccleſiae Menevenſis lectorem celandum non duximus; ideoque ſubjunximus.

I. S. David.

II. Eliud.

---

[e] Obiit anno 546, et in Roſina Valle ſepultus eſt. Ita author *Antiquit. Coenobii Glaſton.* p. 52. anno542. *Annal. Menev.*

[f] Ebbodus Venedotarum Archiepiſcopus factus eſt anno 610. Teſte *Pitſeo* in illius vita p. 105.

[g] Elbodius Archiepiſcopus obiit anno 807. *Wynne* in Hiſt. Wall. p. 21.

[h] Sadurnven obiit anno 832. *Annal. Menev.*

[i] Novis fuit Epiſcopus A. 841, et obiit 873. *Annal. Menev.*

[k] Asser fit Epiſc. A. 909. *Ib.* Sed obiiſſe dicitur A. 906 à *Wynne* in Hiſt. Wall. p. 44.

III. Theliaus.
IV. Kenea[l].
V. Morvael.
VI. Haernurier[m].
VII. Eluaeth.
VIII. Gurnel.
IX. Lendywyth.
X. Gorwist.
XI. Gorgan.
XII. Cledauc.
XIII. Eynaen.
XIV. Eludgeth.
XV. Eldunen.
XVI. Elvaoth.
XVII. Maelschwyth.
XVIII. Madeneu.
XIX. Catulus.
XX. Sylvay.
XXI. Namis.
XXII. Sathveney.
XXIII. Doythwal.
XXIV. Asser (qui in Wallorum Chronicis totius Walliae Archiepiſcopus appellatur) patruus fuit Aſſerii Shireburnenſis Epiſcopi, et obiit anno 906.
XXV. Athuael.
XXVI. Sampson.

De horum plurimis ad Sampſonem uſque praeter nuda nomina vix quicquam memoratur. Illo vero ſedente, hujus dioeceſis Antiſtiti, ſeptem (ut perhibent Archiva praedicta) ſuberant Suffraganei; Epiſcopi nimirum Landavenſis, Bangorenſis, et Aſſaphenſis, Exonienſis, Bathonenſis, Herefordenſis et Fernenſis in Hibernia. Hovedenus probabilius hos numerat, Landavenſem, Bangorenſem et Aſſavenſem (à quibus, una cum Menevenſi, Walliae juriſdictio hodie adminiſtratur) Wigornienſem, Herefordenſem et Ceſtrenſem, (quorum dioeceſes Walliae conterminae, Angliae tamen partes hodie cenſentur) ac denique Paternenſem in comitatu Cardiganenſi, cujus cathedram, poſtquam incolae praeſulem ac paſtorem ſuum occidiſſent, neglectam nemo ſuſtinuit occupare.

Dum hic Epiſcopus praeſideret, morbo quodam epidemico per illam regionem ſaeviſſimè graſſante, (icterum fuiſſe perhibent) Cleri pars maxima ſibi metuentes (quoniam plebis numerum permagnum ea peſtis abſumpſerat) Epiſcopo ſuo authores fuerunt, ut ad Britannos Armoricos (qui tam origine et lingua quam nomenclatura Britanni cenſebantur) una cum ipſis migraret. Quod cum ille feciſſet, patria derelicta, Eccleſiae Dolenſis paulo poſt factus eſt Antiſtes. Attulerat ſecum illuc pallium Archiepiſcopale, jam inde à Davide ab omnibus ejus ſucceſſoribus uſurpatum; et ſucceſſoribus Dolae Pontificibus reliquit, qui aegre et poſt longam contentionem ab ejus uſura Papali authoritate depulſi, ſubjectionem tandem coacti ſunt profiteri (ſicut priſcis temporibus, ante allatum illuc pallium Menevenſe) Turonenſi Archiepiſcopo. Hinc vero factum eſt, ut Sampſonis Meneviae ſucceſſores, ſive quod pallio orbati eſſent, ſive propter paupertatem, aut per incuriam et negligentiam ſuam, Archiepiſcopali titulo exciderint. Archiepiſcopalem tamen authoritatem ſemper exercuerunt, Epiſcopos ſuffraganeos ſuos conſecrando et alia munia obeundo, profeſſione nulla ſedi Cantuarienſi facta, ad tempus uſque Henrici primi Regis: qua de re ſuo loco Deo volente pluribus agemus. Sampſoni vero ſucceſſerunt qui ſequuntur.

---

[l] Kincus potius Epiſcopus Paternenſis, huc tranſlatus A°. 542. *Galfr.* L. 11. c. 3.

[m] Tramerin forte, conſecratus à Siricio Cantuar. Archiep. *Dicet. Abbrev.* Col. 461.——Einion Epiſc. obiit et Hubertus ſucceſſit anno 873. *Wynne* ut ſupr. p. 34. Lambertus Archiep. fuit hujus Provinciae anno 940, quo Howel Dha Leges Wallicas reformavit. *Wynne* p. 51.

XXVII. Ruclinus.

XXVIII. Rodherich. Wallorum Chronici perhibent Rodhericum Epiſcopum Menevenſem obiiſſe anno 961 [n]. Quod ſi verum ſit, hoc ordine non eſt recenſendus.

XXIX. Elguni.

XXX. Lunverd, al. Lywarch [o].

XXXI. Nergu, al. Vergu.

XXXII. Sulhidir, al. Sulhidw et Hubertus [p]. Obiit 942.

XXXIII. Eneuris, al. Everus [q]. Obiit 944.

XXXIV. Morgeneu. Hunc unum inter omnes hujus ſedis Epiſcopos qui hactenus extitiſſent, carnes guſtare auſum Giraldus author eſt; ob quod (facinus ſcilicet inauditum) pyratas à Deo vult credere immiſſos, qui carnivorum jugularent; ac deinde poſt mortem, Epiſcopo cuidam Hiberno apparentem, hac uſum voce, *Quia carnes comedi, caro factus ſum.*

XXXV. Nathan.

XXXVI. Jevan. Hic unico duntaxat die Epiſcopus fuiſſe dicitur.

XXXVII. Argustel.

XXXVIII. Morgenveth, Morgeney etiam dictus et Urgeney, à Danis occiſus eſt anno 998 [r].

XXXIX. Ervin vel Hernun [s], homo doctus et pius obiit 1038.

XL. Tramerin vel Carmerin obiit anno 1055. Cum dioeceſim Herefordenſem multos annos gubernaſſet ſub Ethelſtano [t], qui ante mortem per annos tredecim occulis captus caecus vixit.

XLI. Joseph [u].

XLII. Bleithud [x]. Obiit anno 1070.

XLIII. Sulgheim. [Sulien.] Abdicavit ſponte anno 1076 [y].

XLIV. Abraham. Anno 1078 urbs Menevenſis ab hoſte neſcio quo devaſtata eſt ac direpta, et Abraham Epiſcopus ſeu animi aegritudine, ſeu corporis morbo extinctus [z]. Sulgheim tunc à popularibus exoratus, praeſulatum reſumpſit, quem tamen iterum anno 1085 deſeruit, annoque deinde 1088 [a] extinctus eſt; vir (ut habent Wallorum Chronica) ob pietatem, prudentiam et eruditionem, totius Walliae iis temporibus celeberrimus.

XLV. Rithmarch [b] ſucceſſit filius ejus, qui ſub patre una cum multis aliis educatus, illius cura doctiſſimus evaſit, et tam pietate quam prudentia inſignis adeo, ut per multos annos neminem Wallia produxerit, illi (niſi forte patrem excipias) anteponendum.

---

[n] Rytherch ob. anno 961. *Id.* p. 56. [o] Epiſcopus fuit A°. 872. *Dicet. Abbrev.* Conſecratus Cantuariae ab Athelredo. *Rot. Cant.* [p] Hubertus ob. anno 942. *Id.* p. 52. [q] Everus (Luvert, *Annal. Menev.*) ob A°. 944. *Id.* ibid. [r] Morgeney vel Urgeney à Danis occiſus A° 993 vel eo circiter, *Id.* p. 69. Anno 1000. *Annal. Menev.* [s] Herbin obiit 1039. *Ib.* [t] *Hoved.* f. 254. b. *Dunelm.* et *Floren.* [u] Obiit anno 1061. *Annal. Menev.* [x] Bledud (Bleythyd, *Wynne*) obiit A°. 1071. *Ib.* [y] Ita *Annal. Menev.* [z] Occiditur à Danis. *Annal. Menev.* [a] Anno 1089. Aetat. 80. *Wynne* p. 111. Aetat. 75. *Annal. Menev.* [b] Rikemarth ob. 1096. *Ib.* Rythmarch ob. 1097. Aet. 43. *Wynne.* p. 122.

XLVI. **Wilfridus**[c] (in Wallorum Annalibus Griffri[d] ni fallor appellatus) obiit anno 1115[e].

XLVII. BERNARDUS.

1115. Hen. I. 16. **B**ERNARDUS Patria Normannus, Henrici primi Regis Capellanus, Reginae Cancellarius[f], haud electus à Clero ſuo (ſicut hactenus conſuetum) ſed mandato Regis Epiſcopus conſtitutus, conſecratur duodecimo Julii 1115. De quo ſic ſcribit Giraldus: "Bernardus, primus Francorum apud Meneviam Epiſcopus, Eccleſiae ſuae jura publice proteſtans, poſt multas ſumptuoſas et graves ad curiam Romanam vexationes; demum niſi factae profeſſionis et ſubjectionis exhibitae Cantuarienſi Eccleſiae, falſi teſtes, in Remenſi Concilio coram Eugenio Papa palam prodiiſſent, non inefficaciter reclamaſſet. Tribus enim fultus auxiliis, tam formidabiles tantae cauſae conflictus confidenter eſt aggreſſus: Regis videlicet Henrici primi familiaritate ſubnixus plurima et favore; tempore pacifico gaudens; et pacis ſequela ſufficienti. Adeoque quidem ex nimiae ſecuritatis audacia, debito de jure quandoque praeſumpſit, ut et crucem interdum ſibi praeferri per Cambriae fines attemptaverit. Bernardus iſte quanquam in aliquo commendabilis, pompoſitatis tamen et ambitionis vitio, trans modeſtiam notabilis fuerat. Quoniam enimvero de curia exierat, et plantatio Regis extiterat, ad Anglicanas opulentias per tranſlationem ſemper anhelans (quo morbo laborant fere ſinguli ab Angliae finibus hic intruſi) terras Eccleſiae ſuae plurimas infructuoſe penitus et inutiliter alienavit: Alias vero tam improvide dimiſit, ut ubi militaribus officiis decem terrae carrucatas, 20, vel 30, manu ampliſſima largiretur; ibi divinis S. Davidis obſequiis et Canonicis ab ipſo miſere nimis et infoeliciter inſtitutis, vix unam, vix duas vel tres impertiret. De duabus autem ſedibus iſtis de quibus facta eſt mentio (Cantuarienſi videlicet et Menevenſi) quod mihi videtur, juxta moderna tempora paucis ediſſeram. Illinc hodie Regum favor, opum affluentia, ſuffraganeorum antiſtitum opulenta numeroſitas, literatorum et juriſperitorum copia multa. Hinc autem omnium iſtorum defectus et jus remotum. Quapropter niſi per regnorum forte mutationes, rerumque viciſſitudines magnas (quae variis et inopinatis eventibus accidere ſolent) difficilis erit antiqui juris recuperatio." Cum[g] ſediſſet hic Bernardus annos 33, anno demum deceſſit 1148[h].

---

[c] *Apud* ROCHINGHEHAM *Anſelmus Archiep. Cantuar. Wilfrido Epiſcopo S. David de Gualis, qui vulgò* DE WI *vocatur, reddidit Epiſcopale officium, à quo, exigente culpa ejus, jam antea ipſemet illum ſuſpenderat.* Eadm. p. 34. Qua de cauſa, non conſtat.

[d] Obiit anno 1112. *Id.* p. 142.

[e] Uſque ad illum Epiſcopi Menevenſes extitere Britonici. *Continuat. Mar. Scot. Hoved.* Hic Epiſcopus plurimas Eccleſiae ſuae terras alienavit, viz. *Gelwei* vel *Celwey*, *Cavachmaur* apud Emlin, *Lanrian*, *Lenreni*, *Uccetunam* et alias pleraſque partim timore, partim illicito favore, ita *Sylv. Gyraldus.*

[f] Capellanus. *Eadm.* p. 116. Succeſſit anno 1115; nominatus à Rege Sept. 18, fit Preſbyter eodem die, et poſtridie conſecratus Epiſcopus. Ita *Floren. Eadm. Hoved.* et *Mar. Scot. Continuat.* *Weſtmonaſterienſis* verò conſecratum eſſe aſſerit 27 Jun. ita et *Pariſienſis.* p. 55. et *Chron. MS. Lameth.* ab A°. 1066. ad 1321. Et *Godwinus* ipſe diem 12 Jul. apponit, ſed non fuit Dominica.

[g] Interfuit Concilio Remenſi ſub Calixto Papa A°. 1119. *Floren. Continua.*

[h] Obiit anno 1149, Epiſcopatus ſui 33. *Annal. Menev.*——1148. *Annal. Teokeſb.*——1147. *Wynne* p. 168 et verè.

XLVIII. DAVID FITZ-GERALD.

[1147.] STEPH. 13.

DAVID FITZ-GERALD ſucceſſit[i] illi, Cardiganenſis Archidiaconus, patruus (ut accepi) Silveſtri Fitz-Giraldi Hiſtorici, quem Giraldum Cambrenſem vulgo appellamus, quique illius in hac ſede poſtmodum fuit ſucceſſor. Hoc vero me anxium habet, quod Epiſcoporum ſui temporis faciens mentionem, illum tam leviter pertranſit, Davidem ſolummodo ſecundum appellans, nec cognomentum adjiciens, aut de cognationis[k] viciſſitudine memorans quicquam, id quod nunquam ſine dubio neglexiſſet, ſi patruus ejus revera extitiſſet. Iſte vero, quicunque tandem extiterit, deceſſit anno 1176[l].

XLIX. PETRUS[m].

1176. HEN. 2. 23.

PETRUS Benedictinorum Coenobii Wenlokiae, Prior[n], eodem anno 1176 nondum exacto, conſecratus[o] eſt. Eccleſia Cathedralis, SS. Andreae et Davidis honori dicata, à Danis aut aliis hoſtibus ſaepe fuerat everſa; et primis hujus temporibus in ruderibus ſuis jacebat fere ſepulta; donec ille conatu laudatiſſimo, ingenti ſumptu eam refecit, ita ut Eccleſiae quam nunc cernimus conditor haud injuria poſſit cenſeri. Quamdiu ſederit non comperi[p]. Coronationi certe Richardi primi Regis interfuit ſecundo Septembris 1189.

L. GALFRIDUS.

[1203.] JOAN. 5.

GALFRIDUS[q] Canonicorum Regularium Lanthonenſis Coenobii Prior, opera Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi in hac ſede collocatus eſt. Obiit[r] anno 1198.

SILVESTER GIRALDUS.

SILVESTER GIRALDUS, vel potius Giraldides, à patria Giraldus, Cambrenſis vulgo appellatus, Academiae noſtrae Oxon. (ut accepi) alumnus, Tinbeiae in Comitatu Pembrochienſi genere ortus eſt nobiliſſimo, Mauricio nempe prognatus, Giraldo de Winſor qui arcem condidit Pembrochianam, et Neſtae (ſororis Griffini Auſtralis Walliae Principis) filio. “ Qui dum adhuc adoleſcens eſſet (Balaeum[s] audis) ſtatura procerus, facie et forma nitidus, ac doctrina praeclarus, Baldwino, Gualoni, “ Serloni et aliis viris doctiſſimis familiaris fuit. Per totam Europam “ literas quaeſivit; et poſt ingentes ea in re labores, Lutetiam perveniens, “ artium ſcholas publicas illic in Anglorum collegio rexit. Per triennium “ quoque auditor Theologorum effectus totam fere ſcripturam poſtea “ expoſuit. Omnium bonarum literarum gloria celebris factus, coepit “ apud Henricum Regem magnus eſſe, atque filio ſuo Joanni in Hibernia à ſecretis et à ſcriptis, cui et gratiſſimus ſemper erat. Dum inclitus “ ille Princeps rebellantes Hibernos patriae imperio ſubigeret, aderat ejus “ lateri Giraldus, ut omnem peragraret ac deſcriberet regionem. Similes “ poſtea labores in Cambria, atque univerſa Anglia ſuſcepit, Baldwino “ praefato Cantuariorum Archipraeſuli comes adjunctus, *non ſolum in* “ *Cambria luſtranda, ſed in expeditione Hieroſolymitana.* Sunt qui illum “ putent Archidiaconum Landavenſem fuiſſe; ſed conſtat Breconiae ac “ Meneviae illum Archidiaconum extitiſſe; Tandemque à Canonicis “ ejus Eccleſiae rite in Epiſcopum Menevenſem electus, Romam ejus rei “ gratia petiit anno 1200. Sed dum illic ſollicite tractaret de Metropolitano ſuae Eccleſiae jure contra Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, et ad ejus invectiones in pleno conſiſtorio reſponderet, competitore quodam ſtrenue per pecuniam agente (ſunt enim omnia venalia “ Romae) cauſa et dignitate cecidit[t]. Eſt tamen ejus nomen ob id in decretis Romanorum Pontificum celebre.” Libros edidit pluſquam octoginta ab eodem Balaeo recenſitos. Inter caeteros tres perſcripſit de inſtitutione Principis, in quorum praefatione, queritur de ingratitudine Regis, qui ſpe diu lactatum, provehendum eum hucuſque non curaverat; necnon de infoelicitate ſua, quod ab Anglis contemneretur tanquam Wallus, et Wallis ſuis non tantum ſuſpectus eſſet, ſed et inviſus, quod Anglico patre natus, diutina inter Anglos mora, jam in Anglum tranſiſſe videretur. Sed quid ni integrum locum tranſcribam, qui ſic habet? “ Ad Curiam “ à ſtudio (inquit ille) peccatis exigentibus, à Rege vocatus (cui nihil “ minus menti quam mentiri, nihil deſiderio magis quam decipere, quam “ differre, quam ſequentium animos et obſequentium, dilationibus cruciare) circa eundem ejuſque defuncti filium atque haeredem, et utinam “ non vitioſum, irreparabili damno duo fere luſtra conſumens, nihil ab “ illis praeter inanes vexationes et vacua veris promiſſa ſuſcepi. Si quid “ enim gratiae morum gravitas, ſi quid literae, ſi quid induſtria conferre “ potuit; id totum ſuſpectum, totum infeſtum, totum exoſum Walliae “ nomen ademit. Tres enim naturae partes, quanquam ab Anglis et “ Normannis linea contraxerim originali, totamque praeterea convictus “ (à quo et mores formantur) vim, partem et proprietatem, longam quoque commorandi conſuetudinem, quae et alteram ſibi naturam comparare ſolet; Ex quarta tamen parentalis propagationis columna, et “ poſt tertiam prima tanquam genialis quadrigae rota à Trojana nobilitate contracta, totum infici, et modico quaſi fermento maſſam corrumpi, “ ſemperque in elationem extolli gens inimica conjectat. Unde quoniam “ et inter Anglos (ut diximus) noſtra tam morum inſtitutio fuerat, quam

---

[i] Conſecratus apud Cantuariam à Theobaldo Archiepiſcopo 19 Dec. 1147, una cum Roberto Epiſcopo Lincolnienſi.

[k] Davidem diſertis verbis avunculum ſuum appellat, in Lib. 1° de *Rebus à ſe geſtis* c. 2.

[l] Obiit quindecim dies ante Pentecoſtem. *Girald. de geſtis.* L. 1. c. 9. Anno 1176. *Annal. Menev.* ——— Eo defuncto in quatuor Archidiaconos Capitulum ſuffragia ſua direxerunt; ita ut quemcunque illorum Rex vellet aſſumeret: intendentes verò ut Giraldum Cambrenſem nominaret: Rex verò è contra hominem excluſit, *quia Reſo Principi Suthwalliae et aliis fere cunctis Walliae majoribus ſanguine propinquus erat.* Ita *Girald.* ipſe L. 1. c. 10.

[m] De LEIA, *Annal. Winch.*

[n] Cluniacenſis Monachus. *Itiner. Cambr.* p. 163.

[o] Septimo Novembris 1176, Cantuariae à Gilberto Londin. Epiſcopo, aſtantibus Waltero Roff. et Rogero Wigorn. *Dicet.* et *Gerv.*

[p] Vixit Epiſcopus annis 22, menſibus 7, et diebus 15. *Annal. Menev.* et ſi ita, obiit 22 Jun. 1199. Anno 1198 *Annal. Waverl.* diem 16 Jul. *Annal. Teokeſb.*

[q] Mortuo Petro Canonici Menevenſes unanimiter in Epiſcopum elegerunt Giraldum Archidiaconum in die Apoſtolorum Petri et Pauli 1199. *De jure Eccleſ. Menev.* Diſtinct. 4. p. 584. Renuente verò Rege, non conſecratus eſt; tandem verò poſt diuturnas altercationes fatigatus Epiſcopatum renunciavit A°. 1203 in vigilia S. Martini. *Ib. Diſtinct.* 6. et ſufficitur Galfridus Prior Lanthoniae. Medicus inſignis, qui conſecratus eſt in Octav. S. Andreae, cum ſedes vacaſſet per quatuor annos.

[r] Obiit Paraliticus anno 1214.

---

[s] Cent. 3. p. 251.

[t] *Hoved.* f. 453. b.

“ conver-

“ converſatio; in Cambria vero natio reperta eſt et cognatio; compactum
“ eſt ex his et confectum, ut uterque populus, me ſibi tanquam alienum
“ reputans et non ſuum, ſemper oculo reſpexerit novercali. Alter ob hoc
“ ſuſpectum habens et alter exoſum. Acceſſit et aliud inter incommoda,
“ quod ſi quid à nobis egregie dictum vel geſtum fuerit; ſtatim quoad
“ licuit, aut illud invidia ſuppreſſit, aut malitia pervertendo corrupit, in
“ hujuſmodi plerunque verba prorumpens, *A Cambria poteſtne aliquid*
“ *boni eſſe?* Sin autem (humanis ut mos eſt exceſſibus) aut pes à linea
“ quandoque titubare, aut à litera vel ſyllaba cadere lingua videbatur, in
“ mediis quoque et indifferentibus, nec laude dignis nec vituperio; ſtatim
“ hoſtilis irriſio, cum exclamatione, *Cambriae vitium exprobravit, tan-*
“ *quam patriae cognata fuerit enormitas, et innata.* Mihi vero viſum eſt,
“ et indubitata veritate compertum, quod ſicut nonnullos regio compoſita
“ malos educat, et incompoſitos; ſic aliquem interdum regio barbara
“ bonum producere poſſit et eruditum: Quia non tam locus perſonam
“ quam perſona laudabilis locum illuſtrat.” Haec ille. “ Proditionis ſemel,
“ licet ſycophantice et falſe, à perfido quodam Ciſtercienſi Monacho (cui
“ nomen Wiberti[u]) accuſabatur. Sed ejus rei periculum, Deo donante
“ vir eruditus ac pius evaſit.” Sic Balaeus. Vixit ultra ſeptuageſimum
vitae annum et mortuus in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

LI. JORWERTH[x].

JORWERTH, nonnullis Edwardus, neſcio cujus Coenobii Abbas*, conſecratus eſt anno 1215. In pace conficienda inter Flandros ſuae dioeceſis et Leolinum Walliae Principem, multum deſudavit anno 1219[y]. 1215. JOAN. 17.

LII. ANSELMUS.

JANUARII viceſimo octavo 1228 haec ſedes vacavit. Poſtea vero Anſelmo[z] cuidam commiſſam, habeo compertum. Dolore contabeſcens ob devaſtatam bellicis populationibus patriam, anno 1247 deceſſit[a], ut habet Pariſienſis, qui pergens, de ſucceſſore ejus ſcribit quae ſequuntur. *1230. HEN. 3. 13.

LIII. THOMAS.

“ VACANTE igitur ſede Menevenſi, poſt innumeras Walliae tribu- *1248.
“ lationes, per bellum et Principum eorum mortem; electus eſt HEN. 3. 32.
“ in eundem Epiſcopatum Magiſter Thomas, cognomento Wallenſis, eo

---

[u] Abbati de Beddleſdene juxta Buckingham. *Girald. Diſtinct.* 3. [x] Alias GERVASIUS. * Abbas Tal y Llecheu. *Wynne in Hiſt. Walliae.* p. 239.——Cui Rex praebet aſſenſum 18 Jun. *Pat.* 17 Joh. m. 23.——Hugo verò Foliot Archidiaconus Salopiae electus eſt. *Rot. Clauſ.* 16 Joh. m. 10. *dorſo.* conſecratus eſt Gervaſius Londini in Craſtino S. Nicholai A°. 1215. [y] Extat Epiſcopus anno 1224, quo Statuta dedit Eccleſiae Menev.——Obiit A°. 1229. *Annal. Menev.* et *MS. in Bibl. Cott.* Vitell. D. 18. Anno 1230 (ineunte) *Annal. Dunſtap.* [z] CRASSUS vel LE GROS, Theſaurarius Exonienſis conſecratus eſt anno 1230. *Annal. Menev.* menſe Martio. *Chron. Dov.* —— Rex conſentit electioni 7 Apr. *Pat.* 13 H. 3. [a] Obiit A° 1247 *Wynne* ut ſupr. p. 270.——1248. *Annal. Menev.*——Sepultus jacet cum hac inſcriptione,
Petra precor dic ſic Anſelmus Epiſcopus eſt hic.

“ quod in Wallia fuerat oriundus, Lincolnienſis Eccleſiae Archidiaconus. “ Cui electioni, licet Epiſcopatus pauperrimus extitiſſet, conſenſit: tum “ propter Epiſcopum Lincolnienſem qui Canonicos ſuos ſuperaverat; “ tum propter hoc, quod in natali patria ad curam vocabatur (et ad dul- “ cedinem originis ſuae quilibet naturaliter attrahitur) tum ut miſeros “ compatriotas ſuos ſua praeſentia, conſilio et auxilio conſolaretur. Cui “ etiam electioni Dominus Rex gratanter conſenſit, et electum accepta- “ vit: non multum conſtituens ſuper hoc difficultatis, cum exilis fuerat “ epiſcopatus.” Hactenus Pariſienſis [b]. Thomas vero antedictus anno deceſſit 1255 [c], conſecratus [d] 1247. 7 Cal. Auguſti Cantuariae [e].

LIV. THOMAS CARREN.

[1256.] HEN. 3. 40. DE Thoma [f] Carren (qui ſucceſſiſſe perhibetur) nihil omnino memoratur.

LV. THOMAS BECK [g].

1280. EDW. 1. 8. THOMAS BECK [h] ad hanc ſedem conſecratus eſt decimo tertio Octobris 1280 Lincolniae [i]. Duo ille Collegia fundavit, unum apud Aberguilly, alterum in loco quem incolae vocant Landewy-brevy. Eo nomine quidam appellatus anno 1320 factus eſt Lincolnienſis Epiſcopus. Non arbitror hunc fuiſſe. Annos dicitur ſediſſe non plus quam tredecim [k].

DAVID DE S. EDMUNDO.

THOMA DE BECK anno 1293 defuncto, electus eſt ipſi in ſucceſſorem (ſicut teſtatur Chronicon Oſneienſe) quidam David de S. Edmundo, illius provinciae ſacerdos, qui Archiepiſcopatu vacante, per Capitulum Cantuarienſe confirmatus eſt.

---

[b] P. 642.

[c] Obiit die tranſlationis S. Benedicti (11 Jul.) 1255. *Annal. Menev.*

[d] Conſecratus 7 Kal. Aug. 1248. *Wikes.* et recte, dies enim fuit Dominica; A° 1247 non ita.

[e] Laudatur à *Rogero Bacon* in libro *de utilitate ſcientiarum*, eo quod cum Rob. Groſthed Epiſc. Lincolnienſi et Adamo de Mariſco Linguarum et Scientiarum ſtudioſiſſimus extiterat. ——— Anno 1252 conteſtatio fuit inter hunc Epiſcopum et Regem de jure patronatus; et Papa Epiſcopi cauſam defendit Lit. dat. Peruſii 7 Id. Jul. *Rym. Foed.* T. 1. p. 476.

[f] De Richardo tamen pauca dicamus. Richardus de Carrew conſecratus eſt Romae à Dom. Papa A°. 1256. obiit 1 Apr. 1280, et ſepultus in Eccleſia Menevenſi prope Altare S. Crucis à parte Auſtrali. *Annal. Menev.*

[g] Menevenſis Epiſcopatus vac. 10 Apr. per mortem Ric. Epiſc. *Pat.* 8 E. 1. m. 23.

[h] Mag. Tho. de Bek Canonicus ejuſdem electus Regis habet aſſenſum 17 Jun. *Pat.* 8 E. 1. m. 12.

[i] Electus Jun. 3. Confirmatus Jul. 6. Conſecratus Lincolniae Oct. 6. 1280. *Annal. Menev.* Diem conſecrationis confirmat MS. in Bibl. Bodl. NE. A. 3. 20. et *Archiv. Eccl. Cant.* —— Obiit anno 1293.

[k] Obiit 12 Kal. Maii. 1293. *Regiſtr. Cant.*

LVI. DAVID MARTINUS[l].

CONSECRATUM quendam comperi in Menevenſem Epiſcopum *1296.
anno 1320, cujus nomen non editur. Credo fuiſſe Davidem Martinum, Edw.1.25.
qui obiit Edwardi tertii anno ſecundo[m].

LVII. HENRICUS GOWER.

HENRICUS GOWER[n] Collegii Mertonenſis Oxoniae alumnus, Epiſcopus 1328.
Menevenſis conſtitutus eſt anno 1328 Maii 26. Palatium Edw.3.2.
Epiſcopale Meneviae conſtruxit, et deceſſit anno 1347[o].

LVIII. JOANNES THORISBY[p].

JOANNES THORISBY vel Therisby, Angliae Cancellarius, conſecratus 1347.
viceſimo tertio Septembris 1347. Wigorniam tranſlatus eſt 1349[q], Edw.3.21.
et inde Eboracum 1352.

LIX. REGINALDUS BRIAN.

REGINALDUS BRIAN[r] confirmatus eſt in Epiſcopum Menevenſem *1350.
ſexto Februarii 1349, et Wigorniam tranſlatus anno 1352. Edw.3.24.

LX. THOMAS FASTOLF.

THOMAE FASTOLFO[s] temporalia hujus ſedis reſtituta ſunt Junii *1352.
quarto 1353. Obiit anno 1361[t]. Edw.3.26.

LXI. ADAM HOUGHTON.

ADAM HOUGHTON, legum Doctor Oxonienſis, mandato Papali[u] 1361.
in hanc ſedem intruſus viceſimo Septembris 1361, Collegium con- Edw.3.35.

---

[l] Thoma Menevenſi Epiſc. defuncto, Canonici habent licentiam eligendi 18 Maii, et David Martyn, electus in Epiſcopum ibidem, habet reſtitutionem Temporalium, et fecit Regi fidelitatem 11 Oct. *Pat.* 21 E. 1. ——— De electione verò lis diu agitata eſt coram Papa, ut conſtat è Regiis Literis ad Pontificem datis 16 Aug. 28 E. 3. *Prynn.* V. 3. et anno 1295 primo Januarii tantum electus dicitur *Rym. Foed.* T. 2. p. 702. etſi licentia conceſſa fuerat à Priore et Cap. Cantuar. eidem electo et confirmato, à quocunque Epiſc. Cant. Provinciae ad Diaconatus et Preſbiteratus ordines promoveri, 7 Id. Oct. 1293. *Regiſtr. Hen. de Eſtria Prio. Cant.* Tandem verò conſecratus eſt in Curia Romana ab Hoſtienſi Epiſc. Cardinali ex praecepto Bonifacii octavi, menſe Decembri 1296. *Regiſtr. Cant.* et Temporalia iterum reſtituta ſunt 24 Jan. 1 *Pat.* 25 E. 1. m. 20. Davidi itaque de S. Edmundo in Catalogo Epiſc. Menevenſium non datur locus.

[m] Obiit 9 Mart. 1327, et in Eccleſ. ſua Cathedrali ſepultus jacet. ——— Paulo ante feſtum S. Martini. *Regiſtr. R. Prioris Cant.*

[n] Henricus de Gowera in Artibus Liberalibus Magiſter, Juris utriuſque Profeſſor, ex nobili Progenie procreatus, Oxoniae quondam Cancellarius et Archidiac. Menevenſis. Ita Rex ipſe ad Papam ſuper electione dicti Henrici. *Rym. Foed.* T. 4. p. 360.——Conſecratus Cantuariae 12 Jun. 1328. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[o] In Eccleſ. ſua ſepultus.

[p] THORESBY.

[q] Papali proviſione 4 Sept. ——— Anno 1346 conſtitutus eſt M. Sigilli Cuſtos, *Clauſ.* 20 E. 3. par. 2. m. 26. *dorſo*; et anno 1349 Jun. 16 Cancellarius Angliae. *Clauſ.* 23 E. 3. par. 1. m. 8. *dorſo.*

[r] Legum Baccalaureus et Canonicus Menev. proviſus à Clemente 3 Id. Sept. Pont. 8°, Spiritualia accepit Jan. 18. 1349. *Regiſtr. Iſlip.* f. 9. et 23 Sept. 1350 (non conſecratus eſt eo die ut *Le Neve* p. 512 aſſerit, ſed) licentia data eſt Joanni Epiſc. Wigorn. ad conſecrationem Reynoldi in Capella de Lambeth. *Ib.* f. 31.

[s] Electus, proviſus à Clemente Papa 22 Oct. Pontif. 11°. ſc. 1352, et conſecratus eſt in Curia Rom. authoritate Papae per Epiſc. Tuſculanum Cardinalem, (quo verò die non conſtat) Spiritualia accepit Mar. 29. 1353, *Regiſtr. Iſlip.* et Temporalia 4 Jun. ejuſdem anni. 2 *Pat.* 27 E. 3. m. 28.

[t] Spiritualia accepta in manus Archiep. poſt mortem Thomae Jun. 19. 1361. *Regiſtr. Iſlip.* f. 233.

[u] Per Papam proviſus 20 Sept. 1361, Spiritualia accepit 15 Nov. et Temporalia 8 Dec. 3 *Pat.* 35 E. 3. m. 15.

didit prope Eccleſiam Cathedralem Menevenſem: Circa annum 1376 Angliae fuit ad tempus Cancellarius[x], et obiit menſe Aprili 1389[y].

LXII. JOANNES GILBERT.

1389. Ric. 2.13. JOANNES GILBERTUS à Bangorenſi ſede Herefordiam primum anno 1376, mox huc (quod miror) tranſlatus Maii decimo tertio 1389[z]. Obiit viceſimo nono[a] Julii 1397.

LXIII. GUIDO DE MONA.

*1397. Ric. 2.21. GUIDO DE MONA, nonnullis Guido de Mohun, privati ſigilli cuſtos, Epiſcopus Menevenſis creatus anno 1401[b], deceſſit 31 Auguſti 1407[c]. Fuit bis ad tempus Angliae Theſaurarius[d], Richardi nimirum ſecundi viceſimo primo, et Henrici quarti quarto; quem dicit Walſinghamus, *dum viveret, multorum malorum cauſam extitiſſe.*

LXIV. HENRICUS CHICHLEY.

*1408. Hen. 4.9. HENRICUS CHICHLEY[e] ab ipſo Papa conſecratus eſt in civitate Senenſi duodecimo Junii 1409[f]. Sedit annos quinque, et Cantuariam tranſlatus eſt.

LXV. JOANNES KETERICH.

1414. Hen. 5.2. JOANNES KETERICH, vel Cataricus, Archidiaconus Surreienſis, conſecratus ſub exitum Junii[g] 1414, ad Eccleſiam Coventrenſem et Lichfeldenſem tranſlatus eſt 1415, ac deinde poſtea Exoniam.

LXVI. STEPHANUS PATRINGTON.

1415. Hen. 5.3. STEPHANUS PATRINGTON[h], ex Academia Oxonienſi Doctor Theologus, Confeſſor Regius, et Carmelitarum per annos quindecim Provincialis, Maidſtonae conſecratus eſt decimo nono Junii 1415. Concilio interfuit Conſtantienſi anno 1417, ibique Decembri menſe *homo* (ut Walſinghamus) *doctiſſimus*[i] authoritate Pontificia Riceſtriam tranſlatus eſt.

---

[x] Cancellarius conſtitutus, et magnum Angliae Sigillum liberatum fuit 11 Jan. *Clauſ.* 50 E. 3. par. 2. m. 7. *dorſo.* quod reſignat 29 Oct. 1378. *Clauſ.* 2 R. 2. m. 25. *dorſo.*

[y] Teſtamentum condit 8 Feb. 1388, probatum 23 Maii 1389. *Regiſtr. Courtn.* è quo patet Sedem vacaſſe à decimo ſexto Febr. 1388 uſque ad 25 Jul. prox. ſequent.—— Licentia eligendi conceſſa eſt 27 Feb. 2 *Pat.* 12 R. 2. m. 23.

[z] Huc tranſlatus 5 Maii 1389 ab Urbano Pont. *Regiſtr. Courtn.* f. 324. Temporalia accepit 12 Jul. 1 *Pat.* 13 R. 2. m. 26. ——— Theſaurarius eſt conſtitutus 20 Aug. 1 *Pat.* 13 R. 2. m. 29.

[a] Deceſſit apud Lond. 28 Jul. 1397. et Teſtam. probatum eſt 11 Aug. ſequ. *Regiſtr. Arund.* f. 160.

[b] Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 9 Oct. 1401. *Regiſtr. Arund.* par. 2. f. 13, et Spiritualia accepit in feſto S. Andr. *Ib.* Sed è Guidonis Regiſtro patet conſecratum eſſe 11 Nov. 1397, Bullâ proviſionis datâ 30 Aug. 1397.

[c] Obiit apud Charlton in Com. Cant. et in Eccleſ. Conventuali de Leedes ſepultus fuit. *MS. Anſtis.* Teſtam. factum 17 Aug. 1407. *Regiſtr. Arund.* par. 2. f. 247; et licentia eligendi conceſſa eſt 2 Oct. 1 *Pat.* 9 H. 4. m. 33.

[d] Theſaurarius eſt conſtitutus 25 Oct. 1402. 1 *Pat.* 4 H. 4. m. 24. *MS. Gale.*

[e] LL. D. proviſus à Gregorio Papa 4 Oct. 1407; ſpiritualia accepit ab Archiep. 26 Aug. 1408. *Regiſtr. Arund.* f. 42, et Temporalia 3 Apr. 1408. 2 *Pat.* 9 H. 4. m. 23.

[f] Conſecrationis tempus hoc modo deſignare aggredior. Tranſlatus eſt ad Archiepiſcopatum Cantuariae Bulla Joannis Papae 5 Kal. Maii 1414. *Regiſtr. Chichl.* f. 2. *Pluſquam ſex annos in adminiſtratione hujus Eccleſiae conſummavit*, ut ipſe dicit in Epiſtola quadam dat. 10 Apr. 1442, circ. aetatis annum 80, inter Epiſtolas Bekintoni; et ſi ita, ſatis liquet conſecratum eſſe ante 27 Apr. 1408.

[g] Proviſus à Papa 27 Apr. 1414. *Regiſtr. Chichl.* f. 6. Temporalia reſtituta ſunt 2 Jun. 1 *Pat.* 2 H. 5. m. 19.

[h] Proviſus 1 Febr. 1414. Conſecratus 19 Jun. 1415. *Regiſtr. Chichl.* f. 9. Cuſtodiam habet Temporalium 6 Apr. 1 *Pat.* 3 H. 5. Reſtituta ſunt 16 Jun. 1 *Pat.* 3 H. 5. m. 5.

[i] P. 432.

LXVII.

LXVII. BENEDICTUS NICOLS.

1417. Hen. 5. 6. BENEDICTUS NICOLS Bangorenſis Epiſcopus, huc tranſlatus eſt à Pontifice decimo quinto Decembris 1417[k]. Hic unus fuit ex illis quatuor, qui Joannem Oldcaſtle Baronem de Cobham haereſeos accuſatum, quod Pontificiam tyrannidem non ferendam exiſtimaret, ad mortem eum una cum Cantuarienſi Archiepiſcopo et aliis, judex conſtitutus, condemnaverunt[l].

LXVIII. THOMAS RODBURN.

[1433.] Hen. 6. 12. THOMAS RODBURN vir multiplici eruditione inſtructiſſimus, Theologus magnus, Mathematicus inſignis, Procuratorum Academiae Oxonienſis anno 1402 fuit unus, tum anno 1420 Cancellarius ejuſdem, Collegii etiam Mertonenſis Praeſes ſive Gardianus conſtitutus eſt, deinde Archidiaconus Sudburienſis, ac tandem (quo tempore incertum) Menevenſis Epiſcopus[m]. Scripta reliquit nonnulla, inter quae praecipue memoratur Chronicon neſcio quod. Anno 1434 anniſus eſt Rex ad Elienſem Epiſcopatum eum transferre; ſed operam luſit. Turrim ſupra portam Collegii Mertonenſis hic Praeſul ſuis ſumptibus conſtruxit[n].

LXIX. GULIELMUS LINWOOD.

[1442.] Hen. 6. 20. GULIELMUS LINWOOD[o], legum Doctor Oxonienſis (qui tamen in Aula Gonvilenſi Cantabrigiae ad tempus victitavit) Archiepiſcopi Cantuarienſis primum fuit Cancellarius, tum privati ſigilli Regii cuſtos, poſtquam legationibus fuiſſet perfunctus ad Hiſpanum, Luſitanum, alioſque Principes non paucos. Inter multa quae ſcripſit, opus praecipue celebratur, cui titulum fecit *Provinciale, ſeu Conſtitutiones Angliae*; in quo redegit in ordinem omnium ſynodorum Canones à Stephano Langton ad Henricum Chichleium Cantuarienſem Archiepiſcopum. Obiit 1446[p], et in Eccleſia Collegiata ſancti Stephani Weſtmonaſterii jacet tumulatus.

LXX. JOANNES LANGTON.

1447. Hen. 6. 25. JOANNES LANGTON[q], Aulae Pembrochianae Cantabrigiae Praeſes, et ejuſdem Academiae Cancellarius, conſecratus anno 1446, decimo quinto die à conſecratione ſua animam exhalavit[r].

---

[k] Ita *Regiſtr. ipſius* Epiſc.——Temporalia habet reſtituta 1 Jun. *Pat.* 6. H. 5. m. 29.

[l] Teſtamentum condit 14 Jun. 1433. Probat. 14 Aug. 1433. *Regiſtr. Chichl.*——Ob. 25 Jun. 1433. è *Regiſtr.*

[m] Proviſus Bulla Papali 3 Non. Oct. 1433. *Regiſtr. Chichl.* f. 51. Licent. conſecra. extra Eccleſ. Cant. dat. 19 Oct. 1433. *Regiſtr. Eccl. Cant.*——Reſtituta ſunt Temporalia Thomae Rodebourne Canonico Sarum in Theologia Licentiato 16 Dec. 1 *Pat.* 12 H. 6. m. 20. Conſecratus verò 31 Jan 1433. *Regiſtr. ipſius.*

[n] Thoma defuncto, Licentia eligendi conceſſa eſt 3 Jul. 3 *Pat.* 20 H. 6. m. 11.

[o] Socius fuit Aulae Pembr. Cantabrigiae; Rector de Walton Com. Leiceſtr. quam reſignat 1410. *Regiſtr. Repindon. Linc.* Prolocutor Cleri in Synodo Londini habita A° 1419. *Regiſtr. Chichl.* par. 2. et Canonicus Eccleſ. Sarum; Decanus Curiae de Arcubus, et Cuſtos Privati Sigilli.——Quo die conſecratus ad Epiſcopatum Menev. neſcio; Temporalia verò reſtituta ſunt 14 Aug. 3 *Pat.* 20 H. 6 m. 21.

[p] Obiit 21 Oct. 1446. *Obituar. S. Steph. Weſtm.* in Biblioth. Cott. Fauſt. B. 8. *MS. Hutt.*

[q] Proviſus ab Eugenio Papa 10 Kal. Feb. 1446. Conſecratus in Capella novi Collegii Regalis Cantabrigiae 7 Maii 1447. *Regiſtr. Alnwick Ep. Linc.*——Temporalia prius reſtituta 2 Mar. 2 *Pat.* 25 H. 6 m. 31.

[r] Adhuc Collegii Cuſtos. *Archiv. Coll.*

LXXI. JOANNES DELABERE.

1447. Hen. 6. 26. JOANNES DELABERUS Decanus Wellenſis [s], conſecratus eſt decimo tertio Novembris [t] 1447. Hic ponte Tameſim conjunxit Dorceſtriae. Id quod aeneae laminae, cruci prope adſtanti infixae, inciſum memini me adoleſcentem legiſſe [u].

LXXII. ROBERTUS TULLY.

[1460.] ROBERTUS TULLY [x], Monachus olim Gloceſtrenſis, deceſſit Edwardi quarti Regis anno viceſimo primo [y].

LXXIII. RICHARDUS MARTIN.

1482. Edw. 4. 22. RICHARDUS MARTIN [z] conſecratus menſe Julio 1482. Regi Edwardo quarto fuit ab arcanis conſiliis, et oppidi Praeſtainenſis in Comitatu Radnorenſi egregius benefactor [a].

LXXIV. THOMAS LANGTON.

1483. Ric. 3. 1. THOMAS LANGTON [b] conſecratus 1483. Sariſburiam primum tranſlatus eſt anno 1485 [c], ac Wintoniam poſtea.

LXXV. HUGO PAVY [d].

[1485.] Hen. 7. 1. HUGO PAVY, Academiae Oxonienſis alumnus, vicariis choralibus Eccleſiae ſuae Menevenſis appropriavit rectoriam de Lanſanfrede ſive S. Brigidae.

LXXVI. JOANNES MORGAN al. YOUNG.

*1496. Hen. 7. 12. JOANNES MORGAN alias Young [e], legum Doctor Oxonienſis, conſecratus anno 1503, in Coenobio Carmerthenenſi deceſſit menſe Junio 1504 [f], et in Eccleſia ſua ſepultus eſt.

---

[s] Proviſus ad Decanatum, adhuc magnus Regis Eleemoſynarius, ab Eugenio Papa, ſed nunquam inſtallatus. [t] Novembris 12 potius, dies enim fuit Dominica; Profeſſionem fecit Archiep. 13 Nov. *Regiſtr. Staff.* et poſtridie Temporalia habet reſtituta. 1 *Pat.* 26 H. 6. m. 18. —— Proviſus à Nich. Papa Sept. 15. 1447. *Regiſtr. Staff.* [u] Excuſatus eſt à veniendo ad Parliamentum propter Senectutem et infirmitates 15 Feb. 1457. *Rym.* T. 11. p. 386. —— Et poſtea, *Pardonavimus* (ait Rex Hen. 6.) &c. *Johanni nuper Menevenſi Epiſcopo, alias dicto Johanni de la Beare nuper Menevenſi Epiſcopo, omnimodas tranſgreſſiones* &c. Dat. 5 Febr. 1460. *Ib.* p. 469. et hoc poſt temporalia reſtituta fuere Roberto Menev. electo 20 Oct. praeter. Reſignavit igitur Epiſcopatum ante mortem. [x] Robertus Tully S. T. P. licentiam habet conſecrat. 28 Aug. 1460. *Regiſtr. Eccl. Cant.* [y] In Eccleſ. de Tynbygh Com. Pembr. ſepultus. *MS. Wood.* [z] Socius Etonenſis; Archidiac. Londinenſis; Regius Legatus ad Gallum, de Hen. Comite Richmond recuperando.——Proviſus eſt à Papa 26 Apr. 1482, et Profeſſionem fecit Archiep. 8 Jul. ſequ. *Regiſtr. Morton.* Conſecratus 28 Jul. *Regiſtr. ipſius.* ——Cuſtodiam habet Tempora. 26 Feb. 1 *Pat.* 21 E. 4. m. 5. Reſtituta ſunt. 1 Jul. 1 *Pat.* 22 E. 4. m. 14.——Conſtitutus fuit Hiberniae Cancellarius A° 1477. *Pat.* 17 E. 4. [a] Sepultus in Eccl. S. Pauli Lond. *Dugd. Hiſt. Paul.* p. 20. [b] Proviſus à Papa Jul. 4. 1483. *Regiſtr. Bourch.*——Theologiae et Jur. Can. Doctor licentiam habet conſecrat. 23 Aug. 1483. *Regiſtr. Eccl. Cant.* [c] 1484. [d] PARRY. PANY. Licentiam habet conſecrationis &c. 12 Nov. 1485. *Ib.* Temporalia prius reſtituta 19 Sept *Rym. Foed.* T. 12. p. 275. [e] Decretorum Doctor et Decanus Windeſor. Licentiam habet conſecr. &c. 12 Nov. 1496. *Regiſtr. Eccleſ. Cant.*——Temporalia reſtituta 23 Nov. *Rym.* ib. p. 646. [f] Teſtament. condit 25 Apr. 1504, probatum eſt 24 Maii 1504. in Cur. Prerog. Cant. *MS. Anſtis.*

LXXVII. ROBERTUS SHERBORN.

ROBERTUS SHERBORN[g], Ciceſtriam tranſlatus eſt octavo Novembris 1508[h]. [1505.] Hen. 7.20.

LXXVIII. EDWARDUS VAUGHAN.

EDWARDUS VAUGHAN Cantabrigienſis[i], conſecratus viceſimo ſecundo Julii 1509. Capellam condidit in Eccleſia ſua Menevenſi, et in eadem jacet tumulatus[k]. 1509. Hen. 8.1.

LXXIX. RICHARDUS RAULINS.

RICHARDUS RAULINS, Mertonenſis Collegii Oxoniae alumnus, conſecratus eſt viceſimo ſexto Aprilis[l] 1523[m]. 1523. Hen. 8.15.

LXXX. GULIELMUS BARLOW.

ASAPHENSIS Epiſcopus Gulielmus Barlow[n], huc tranſlatus eſt menſe Aprili[o] 1536: et cum hic loci ſediſſet annos tredecim ad Eccleſiam Bathonenſem ac Wellenſem tranſlatus eſt, poſteaque Ciceſtriam. 1536. Hen. 8.28.

LXXXI. ROBERTUS FERRAR.

ROBERTUS FERRARUS, vir doctus et pius, conſecratus anno 1549[p], praeſulatu exactus quod doctrinam Pontificiam nollet probare, praeterea etiam quod conjugatus eſſet; in dioeceſin ſuam deductus, à Morgano (qui illi ſucceſſor datus eſt) haereſeos reus factus damnatur, et propter conſtantem fidei profeſſionem ignibus adjudicatus, triceſimo Martii 1555 in foro oppidi Carmarthenae vivus combuſtus eſt. Vir haud dubie bonus et ſanctus, ſed rigidus et moribus aliquanto incomptior, quod multum illi peperit moleſtiae Edwardo ſexto regnante, et nunc (ut auguror) exitio fuit. Nam cum à Duce Somerſetenſi, Rege adhuc puero, Protectore regni, ad illud dignitatis evectus eſſet; homo licet pius, aſperitate morum tamen arrogantiae propior (ut videtur) cujus ea gens maxi- *1548. Edw. 6.2.

---

[g] Decanus Paulinus, Licentiam habet Prioris et Capituli Eccl. Cant. dat. 24 Apr. 1505. *Regiſtr. Warham.* f. 11. Conſecratus eſt in die Pentecoſt. 1505. *Regiſtr. Smith Linc.*

[h] Tranſlatus Bulla data 18 Sept. 1508. *Regiſtr. Warb.* f. 12.

[i] Proviſus à Julio Papa 13 Jun. 1509. *Ib.* f. 13.

[k] Teſtam. fact. 20 Maii 1521; prob. 27 Jan. 1522. in *Lib. Bodfild.* Q. 2.

[l] *Regiſtr. Warb.* p. 25.

[m] Obiit 18 Feb. 1535. *Regiſtr. Cranmer.*

[n] S. T. P. Archidiaconus Hunting. Proviſus 5 Id. Mar. 1522. *Regiſtr. Warb.* f. 24.

[o] Confirmatus 21 Apr. 1536. *Regiſtr. Cranm.* f. 205.——Adhuc Epiſcopus Mannerium de Lamffey in quo Epiſcopus reſidebat, cum ſaltubus et nemoribus adjacentibus, donavit ſeu vendidit M^{ro} Devereux. Not. ad *Girald. Cambr. de jure Menev. Eccl.* p. 619.

[p] Natus infra Vicariam de Halifax Com. Ebor.——S. T. B. conſecratus apud Chertſey 9 Sept. 1548. *Regiſtr. Cranm.* f. 327. Conſtitutus Epiſc. vi et vigore Literarum Pat. Edw. 6^{i}. *Rym. Foed.* T. 15. p. 173.

me inſolens, accuſatores in ſe concitavit (horum duo[q] poſtea Epiſcopi ſub Elizabetha Regina evaſerunt) qui à factione (Somerſetenſi extincto) adverſa, ac jam rerum habenas nacta, facile obtinuerunt, ut in carcerem Ferrarus conjiceretur. In cuſtodia igitur repertus quando regnum iniit Maria, et coram Wintonienſi productus, commode reſpondendo, et tempori ſapienter cedendo, cruentas ſaevientium manus poterat fortaſſis honeſte effugere, ſicut multi fecerunt ex iis qui Janae Graiae rebus ſe non immiſcuerant, neque alias Pontificios inſigniter laeſerant; et, vel nemine manus injiciente in exilium abierant, vel capti, amicorum interceſſione haud difficulter dimiſſi ſunt. Verum ille blandiri neſcius, multo minus diſſimulare, pro innata aſperitate libere ſatis ad interrogata reſpondens, ne dicam proterve, Wintonienſem ſuapte natura ſatis crudelem adeo irritavit, ut non mirer ſi durius cum illo actum fuerit.

LXXXII. HENRICUS MORGAN.

[1554.] Mar. 2. SUPERSTITE adhuc Ferraro, necdum exauthorato, Henricus Morgan[r], legum Doctor Oxonienſis, Praeſulatum ejus occupavit, ipſumque adeo ad rogum crudeliſſimè damnavit. Elizabethae Reginae anno primo[s] exauthoratus, viceſimo tertio Decembris 1559 interiit.

LXXXIII. THOMAS YOUNG.

1559. Eliz. 2. THOMAS YOUNG, legum Doctor, et Eccleſiae Menevenſis Praecentor, conſecratus viceſimo primo Januarii 1559. Eboracum tranſlatus eſt 25 Februarii 1560.

LXXXIV. RICHARDUS DAVIES.

1561. Eliz. 3. RICHARDUS DAVIES Epiſcopus Aſſaphenſis, Oxonienſis Academiae alumnus, viceſimo primo Maii 1561 huc tranſlatus eſt[t].

LXXXV. MARMADUCUS MIDDLETON.

[1582.] Eliz. 25. SUCCESSIT illi Marmaducus Middleton, Waterfordenſis in Hibernia Epiſcopus[u], qui deceſſit triceſimo Novembris 1592.

LXXXVI. ANTONIUS RUDD.

1594. Eliz. 37. ANTONIUS RUDD[x], ſacrae Theologiae Doctor, in Comitatu Eboracenſi natus, Collegii Trinitatis Cantabrigiae aliquando ſocius,

[q] *Tho. Young* Ebor. Archiep. et *Rowl. Merick* Bang. Epiſc.

[r] Electus 26 Mar. 1554, et conſecratus primo Aprilis. *Regiſtr. ipſius.*

[s] Medio anno 1559.

[t] Electus 18 Mar. 1560. *Regiſtr. Eccl. Menev.* confirmatus 21 Maii.—— Obiit 7 Nov. 1581, et in Eccleſ. de Abergwilly juxta Carmarthen jacet ſepultus. *MS. Anſtis.*

[u] Epiſcopus Waterf. anno 1579. *Ware de Praeſ. Hib.* huc tranſlatus A°. 1582; electus 28 Sept. *Regiſtr. Eccl. Menev.* Obiit menſe Novembri 1593, et ſepultus apud Windeſore. *MS. Anſtis.*

[x] Vicarius de Sudy Champs Apr. 4. 1579, reſignat 12 Mar. ejuſd. anni, et accepit Rectoriam de Strathorn Com. Leiceſtr.

cum per annos novem Glocestrenſis Eccleſiae Decanus extitiſſet, in Eccleſiae Menevenſis Epiſcopum conſecratus eſt nono die Junii 1594[y]. Obiit menſe Martio 1614[z].

LXXXVII. RICHARDUS MILBORN.

RICHARDUS MILBORN, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, et Roffenſis Decanus, conſecratus eſt die nono Julii 1615[a]. Ab hac ſede ad Carleolenſem tranſlatus ſub exitum Septembris 1621. 1615. JAC. 1. 13.

LXXXVIII. GULIELMUS LAUD.

CONSECRATUR illi in ſucceſſorem Gulielmus Laud, ſacrae Theologiae Doctor, et Glocestrenſis Decanus, Collegii D. Joannis Oxoniae primum Socius, ac deinde Praeſes, decimo octavo Novembris 1621[b], una cum Sarisburienſi et Exonienſi electis. 1621. JAC. 1. 19.

* * *

Vir tanti nominis celebritatem cum laude ſuſtinens; aſſiduam felicemque in Dioeceſi adminiſtranda operam navavit, Aedes Epiſcopales ſumptu ſatis magno refecit. Anno 1626 ad Dioeceſin Batho-Wellenſem, inde Londinum, et ad Archiepiſcopatum demum Cantuariae tranſlatus: ubi de eo plura.

LXXXIX. THEOPHILUS FIELD.

SUCCESSIT Theophilus Field, à Sede Landavenſi tranſlatus, decimo octavo Septembris 1627[c], et anno 1635 Herefordiam migravit. 1627. CAR. 1. 3.

XC. ROGERUS MAINWARING.

AD hujus Eccleſiae Praeſulatum conſecratus eſt Rogerus Mainwaring, ſacrae Theologiae Doctor, viceſimo octavo Februarii 1635. Hic ille eſt qui, cùm Regi Carolo à ſacris, anno 1627 conciones duas haberet, ita de Chriſtiani hominis Religione, et obedientia ſubditorum diſſeruit, ut eorum, qui nec illius nec hujus fraeno libertatem ſuam coerceri volebant, offenſionem provocaret. Itaque adeo ab inferiori Parliamenti domo in judicium vocatus, incarceratus, multatus, et anathemate cenſorio percuſſus, ita ut infamiae macula notatus omni honore eccleſiaſtico indignus judicaretur: verum re ad examen revocata aliter de homine ſenſerit Carolus, adeo non poena dignum arbitratus, ut etiam invidia populari immerito oppreſſum erigeret et tueretur. Inde adeo Decanus 1635. CAR. 1. 11.

---

[y] *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 19.

[z] Sepultus jacet apud Llangathan Com. Carmarth. *MS. Anſtis.*

[a] *Regiſtr. Abbot.* f. 51.

[b] *Ib.* par. 2. f. 79.

[c] *Ib.* par. 2. f. 103.

Eccleſiae Wigornienſis conſtitutus; deinde ad Epiſcopatum Menevenſem evocatus. Flagrante bello civili (quod quidem facile ab eo fuiſſet expectandum) à Perduellibus miſere vexatus, ſpoliatus, hinc inde profugus, aliquando tandem obiit Julii primo 1653, aetatis 63[*], in Eccleſia Collegiata de Brecknock ſepultus.

XCI. GULIELMUS LUCY.

1660. CAR. 2. 12. POST Carolum reſtitutum, decimo octavo Novembris 1660, ſufficitur Gulielmus Lucy, ſacrae Theologiae Doctor, è Collegio Caii et Gonvilli Cantabrigiae. Deceſſit quarto Octobris 1677, juxta deceſſoris exuvias ſepultus; ubi ipſius memoriae ſacrum extat marmor ſepulchrale.

XCII. GULIELMUS THOMAS.

1677. CAR. 2. 29. IN ſucceſſorem electus eſt Gulielmus Thomas, Eccleſiae Wigornienſis Decanus, conſecratus viceſimo ſeptimo Januarii 1677; ad Dioeceſin Wigornienſem tranſlatus 1683.

XCIII. LAURENTIUS WOMACK.

1683. CAR. 2. 35. LAURENTIUS WOMACK, Archidiaconus Suffolcienſis, conſecratus eſt undecimo Novembris 1683. Mortem obiit duodecimo Martii 1685, in Eccleſia D. Margaretae Weſtmonaſt. ſepultus.

XCIV. JOANNES LLOYD.

1686. JAC. 2. 2. ILLI defuncto mox ſufficitur Joannes Lloyd, Collegii Jeſu Oxoniae Principalis, Epiſcopus conſecratus Julii quarto 1686[d]. Poſt quatuor menſes hydrope conſumptus obiit Oxonii, in Collegii ſui Sacello ſepultus.

XCV. THOMAS WATSON.

1687. JAC. 2. 3. PROXIME ſucceſſit Thomas Watſon S. T. P. aliquando è Collegio D. Joannis Evangeliſtae Cant. conſecratus viceſimo ſexto Junii 1687[e]. Vir eo ſane nomine laudandus, quod Eccleſiae Cathedrali reficiendae et exornandae operam impenderat utiliſſimam. Verum idem anno 1699 criminis Simoniaci reus coram Metropolitano et ſex Epiſcopis, una aſſiſtentibus, vocabatur; et cauſa utrinque dicta, cum facti probationes ſatis validae eſſent ab accuſantibus allatae; Auguſti tertio à Metropolitano judice, aſſentientibus una aſſeſſoribus (uno tantum excepto) Epiſcopatu, quem turpiter adminiſtraverat, privatus diſceſſit. Verum ad forum civile appellatione facta leguleiorum artibus uſus, litem in longum protraxit; ſed cum ubique victus abiiſſet, poſtremo ad ſupremum tribunal regni Procerum provocavit anno 1705, et cum ibi nihil proficeret, cum infamia profligatus ad patrimonium ſuum in Wilbraham magna, non procul à Cantabrigia ſeceſſit, ibi aetatem ſenilem miſere trahens, octogenarius obiit anno 1717.

---

[*] Ex *Epitaphio*.

[d] *Regiſtr. Sandcr.* f. 116.

[e] *Ib.* f. 170.

XCVI. GEORGIUS BULL.

1705. Annae 4. APRILIS viceſimo nono 1705, ſeptuageſimum ſecundum jam aetatis annum agens, ſucceſſit Georgius Bull, aliquando è Collegio Exonienſi Oxoniae, Archidiaconus Landavenſis; vir in omni literatura verſatiſſimus, ſed Theologiae praeſertim ſcientiam ita complexus, ut inter ſui temporis Theologos, qui quidem tum erant praeſtantiſſimi, Θεολογώτατος pro merito ſuo exiſtimaretur. Quod ſupererat vitae ut plurimum inter Menevenſes ſuos tranſegit, curis Epiſcopalibus, prout infirma valetudo patiebatur, devotus. Februarii decimo ſeptimo 1709 ab hac aerumnoſa ad meliorem vitam tranſivit, in Eccleſia Collegiata de Brecknock ſepultus. Hominis de Eccleſia, non Anglicana modo ſed Catholica optime meriti hiſtoriam juſto volumine deſcripſit Robertus ille Nelſon, ejuſdem pietatis laudator optimus et exemplar praeclariſſimum.

XCVII. PHILIPPUS BISSE.

1710. Annae 9. QUO defuncto Philippus Biſſe, aliquando Collegii Novi Oxon. Socius, conſecrationis ritibus inauguratus eſt decimo nono Novembris 1710, et inde biennio nondum completo ad Dioeceſin Herefordenſem tranſlatus.

XCVIII. ADAMUS OTTLEY.

1712. Annae 12. HUIC ſucceſſit Adamus Ottley, ſacrae Theologiae Doctor, aliquando è Collegio et Aula Trinitatis Cantabrigiae et Salopiae Archidiaconus, conſecratus decimo quinto Martii 1712. Poſt decennium obiit, ineunte Octobri 1723.

XCIX. RICHARDUS SMALBROOK.

1723. Geo. 1. 9. RICHARDUS SMALBROOK, Collegii Magdalenenſis Oxon. aliquando Socius, Eccleſiae Herefordenſis Canonicus Reſidentiarius et Landavenſis Theſaurarius, per conſecrationem Epiſcopalibus ſacris initiatus eſt Februarii ſecundo 1723, et anno 1730 ad Dioeceſin Lichfeldenſem tranſlatus evaſit.

C. ELIAS SYDALL.

1731. Geo. 2. 4. ELIAS SYDALL, Eccleſiae Cantuarienſis Decanus, ſucceſſit, conſecratus undecimo Aprilis 1731, et ſecundo Novembris proxime ſequentis Gloceſtriam migravit.

CI. NICOLAUS CLAGGET.

1731. Geo. 2. 5. AD hujus Eccleſiae Praeſulatum conſecratus eſt Nicolaus Clagget, ſacrae Theologiae Doctor, et Eccleſiae Roſſenſis Decanus, viceſimo tertio Januarii 1731.


H Gravelot inv. et delin
Vivares Sculp.

p. 593.



De EPISCOPIS LANDAVENSIBUS[a].

I. DUBRITIUS.

ECCLESIA Cathedralis Landavenſis (ut perhibent nonnulli) à Lucio Rege primum eſt conſtructa, circa annum ſalutis 180. Haud comperi tamen Epiſcopum ibi loci aliquem conſediſſe ante Dubritium, qui per Germanum et Lupum praeſules Gallicanos, in Archiepiſcopum hujus provinciae conſecratus eſt (ut antea demonſtravimus) et ſedem habuit Landaviae nonnunquam, plerunque vero Carleonae. Primus igitur hujus ſedis Antiſtes habendus eſt Dubritius. Non quod pronunciare auſim, neminem ante illum Landavenſem fuiſſe Epiſcopum; ſed quod primus ille ſit à ſcriptoribus commemoratus. Et veriſimile eſt anteceſſores non habuiſſe, cum omnium ſucceſſorum memoriam tam diligenter et accurate poſteritati commendatam videamus. Ad Dubritium vero quod attinet, apud Menevenſes pluribus de eo diſſertatum eſt.

---

[a] Nonnunquam vocatur Epiſcopus *Glamorgatenſis*.

II. TELIAU.

TEILAUS, nonnullis Eliud, Landavenſis Epiſcopus ſecundus fuiſſe perhibetur. "Contigit (inquit Balaeus[b], ex Lelando uti videtur) "ut Dubritius, Landavenſis Protopraeſul ſedis, authoritate ſynodi Archie-"piſcopus Urbi Legionum ad Iſce fluenta anno Domini 512 deſignetur. "Non diu caruit ſuo gubernatore Landavia. Nam Teilaus, ut eo munere "dignus à patribus continuo ſurrogatus eſt. Ille quippe huic functioni "ſollicite invigilans, egregium ſe paſtorem exhibuit, ac bonis artibus "eccleſiae ſuae miniſtros erudiendos anxie curavit. Hinc talem ſibi pe-"perit famam, qualem nulla certe unquam auferre poterit dies." Nobiliſſima proſapia ortus dicitur in loco, *Eccluis Gunniau* antiquitus nuncupato, educatus vero ſub Dubritio anteceſſore et Paulino una cum S. David. Librum habet eccleſia noſtra Landavenſis, antiquitatis venerandae, ante annos quingentos conſcriptum, unde maximam partem mutuati ſumus eorum, quae de Epiſcopis ejuſdem dicenda ſunt, anno Chriſti 1110 non recentioribus. Longam ibi reperi narrationem de itinere à Teilao, comite Paterno, Hieroſolymam facto, ubi conſecratum volunt in Epiſcopum. Tum, modico poſt reditum tempore, propter morbum neſcio quem peſtiferum in illa regione graſſantem, in Gallia ſalutem petere coactum, unde tres naves reduxerit, popularibus ſuis onuſtas (qui una profugerant) ſeptimo exilii anno. Obiiſſe videtur apud *Lan-Teilau vawr.* Ut de miraculis ejus fabulas bene multas praetermittam in libro praedicto recenſitas; hanc unam ſilentio non duxi praetereundam, cujus mentio in precatione habetur, liturgiae feſti ejus inſerta, poſtquam catalogo Sanctorum placuit eum aſcribi. De corpore defuncti (ſicut de patria Homeri) à trium locorum incolis, magna contentione certatum eſt, illis nimirum de *Pennalun*, ubi majores ejus fuerant ſepulti; aliis de *Lan-Teilau vawr*, ubi deceſſit; ac *Landavenſibus* denique apud quos Pontificem egerat. Cum inter eos hac de re nullo poſſet modo convenire; in loco (ecce) ubi cadaver fuerat repoſitum, tria derepente corpora apparuerunt, ſibi mutuo tam ſimilia quam ovum ovo. Singuli unum rapuerunt, ac lis ita finita conquievit. At bene habet, quod miraculis crebris ad tumulum editis, liquido (ſi diis placet) conſtitit, verum corpus Landavenſes noſtros fuiſſe adeptos, caeteros phantaſticis deluſos. In omnibus eccleſiae noſtrae monumentis, Archiepiſcopus Landavenſis hic appellatur.

III. OUDOCEUS[c].

SUCCESSIT illi Oudoceus, filius Budici, Britanniae Armoricae Regis, et Anaumedae, quae fuit ſoror S. Teilai anteceſſoris ſui. Principis, procerum et univerſi populi conſenſu electus, conſecratus eſt Doroberniae (quae nunc Cantuaria) ab Archiepiſcopo ibidem. Reverſus inde, à Rege Maurico una cum Regina, proceribus, clero et plebis numero ingenti excipitur, in occurſum ejus prodeuntibus, et ſolenni proceſſione in eccleſiam eum deducentibus. Multa ſtatim privilegia ſedi ſuae à dicto Rege impetravit; et mortuus, Divis annumeratur. Julii ſecundo deceſſit; de anno verò nihil mihi conſtat. Horum trium Epiſcoporum temporibus, multos habuit Eccleſia Landavenſis benefactores, quorum donationes (ſaltem paucis) non commemorare ingrati eſſet; quanquam temporis longinquitas ita novam rebus faciem induxerit et ubique nomina mutaverit, ut locorum memoratorum vix aliquem hodie dignoſcamus. Satis tamen patet hanc Eccleſiam, ſi vel decimam partem hodie poſſideret eorum praediorum, quae hominum piorum munificentia illi ſunt olim conceſſa, inter opulentiſſimas Chriſtiani orbis fortaſſe numerandam; cum jam vix habeat unde ſe ſartam tectamque poſſit tueri. Et Epiſcopatus, (cujus poſſeſſiones, una cum Capitularibus, uſque ad annum circiter 1200 Epiſcopus diſpenſabat) tot largitionibus ditatus, totius tamen Angliae Walliaeque eſt longe tenuiſſimus, adeo ut ſacerdotia non pauca dioeceſis habeat, quae fructus longe uberiores incumbentibus reddant, quam ſuo Epiſcopo haec ſedes.

---

[b] Cent. 1. p. 55. [b] ODOCEUS, ODOTHEUS.

Mannerium de Mathern, ubi aedes hodie Epiſcopales, atque unicae illae quidem (neque enim alias habet relictas) ſitae ſunt, Epiſcopo dedit Mauricus Glamorganiae Rex circa annum Domini 560[d], idque ea quam mox narrabo occaſione. S. Theodoricum (ita enim vulgo appellatur) patrem ejus, poſtquam filio antedicto regnum conceſſiſſet, monaſticam vitam in eremo amplexum; bellum inferentibus Saxonibus opponendum, invitum ſui ab eremo reduxerunt; qui Tinternae, juxta Vagam fluvium, occurrentem hoſtem magno praelio fudit. Sed accepto in capite vulnere (quod eum non latuit) mortifero, reditum maturavit, ut inter ſuos expiraret, rogato prius filio, ſi in via deficeret, templum ibi loci ut extrueret ubi animam exhalaſſet, et ibidem corpus conderet exanime. Vix quinque millia paſſuum proceſſerat, cum ad confluentes Vagae et Sabrinae ſpiritum emiſit. Quare eo ipſo in loco prout optaverat eccleſiola excitata, cadaver loculo inditum eſt ſaxeo, quem nuper ſeu caſu confractum, ſeu vetuſtate fatiſcentem dum refici curarem, oſſa reperi, poſt mille annos ne minimum quidem conſumpta, vulneris immanis tanquam recenter facti in cranio remanente veſtigio. Caeterum Mauricus, officio ſe nondum ſatis functum arbitratus, praedia adjacentia eccleſiae (ſicut antea dixi) contulit; et loco, à poſteris nomen antiquitus impoſitum, *Merthir-Tewdrick*, quaſi dicas Martyrium Theodorici, quem, quod in bello ceciderit, contra Chriſtiani nominis hoſtes geſto, pro martyre ducendum arbitrati ſunt. Poſtea vero contractius *Merthirn* appellari coepit, et deinde (ſicut hodie) *Mathern*.

Mauricus praedictus eidem eccleſiae, dedit primum ſponte, *Mochros* in ripe Vagae fluminis, *Porthcaſſeg*, et eccleſiam de *Gurvid*; ac poſtea *Ringranauc*, *Nantanan* et *Lanſuluin*, necnon et alia praedia, ut caedem expiaret cujuſdam Cynuetu, poſt foedus inter eos factum, contra fidem datam perfide necati.

Arthruis Rex Guentiae filius ejus dedit territorium *S. Kinmarci*.

Morcant filius dicti Arthruis, cum Frioc patruum ſuum perfide, eodemque plane modo quo avus ejus Cynuetum, interfeciſſet; excommunicatus ab Epiſcopo, poſtquam abſolutus eſt, praeter multa privilegia eccleſiae Landavenſi conceſſa, dedit eidem *Cyncirill*, ac praedium quoddam nuncupatum *Cynfall*, necnon et eccleſiam de *Yſtrathaffren*.

---

[d] Tria celebravit Concilia eaque Landaviae, circa annum 597, poſt adventum Auguſtini. vid. *Conc. Angl.* T. 1. p. 17, 18. et notas, ex Cl. Uſſerio.

Juddail vel Juthail Rex Glewiſſig (quae regio Iſca et Rumneia fluminibus includitur) iter faciens per Gwocob (nunc S. Lithani) quod equo corruente magnum periculum evaſiſſe videretur, ut Deo ſervatori ſe gratum exhiberet, dedit continuo *Gwocob* praedictum Oudoceo Epiſcopo et ſucceſſoribus, nec non etiam eccleſiam de *Elindon* vicinam. Dedit quoque *Bertus*, et veteres eccleſiae poſſeſſiones, per temporum iniquitatem ab aliis uſurpatas, reſtitui curavit, nempe *Cumbarrwc*, *Lancernu* in ripa Dowr fluminis, *Maſurn*, *Languoruoe*, *Lanlunabri*, *Landeny*, *Mochros*, *Lanebrdil*, *Bolgros*, *Lanllondeu*, et *Langarran*.

Fernvail Rex Guentiae, filius ejus, dedit *Trylec*.

Caincair, Fernvaili conjux, dedit *Bryn*, *Liguni* et *Mathenni*.

Arthruis Rex Guentiae, filius eorum, dedit *Cair-riow*.

Rotri et Grifud, fratres ejus, dederunt *Pencelliguentuc* juxta Liſquerin, et Rotri ſolus dedit *Kemeri* in oſtio fluminis Humri.

Ris frater quoque illorum, dedit *Guerituc* et alias terras.

Merchgum filius Glivis, cum filiam curaſſet in ſanctimonialem velandam, dedit *Biſhopſton* in Goerſland, his verbis, *Do &c. quatuor modos terrae cum omni dignitate ſua et libertate, et communione tota regionis Guhiri in campis et in ſylvis &c.*

Noe filius Arthuri dedit *Penalun* et *Lanteilau-mawr* in ripa fluminis Tyvi.

Auguſtus, Rex Brechinienſis, dedit *Lancoran*.

Tirtuc, quod caſu neſcio quo fortuito puerulum occidiſſet, Teilai Epiſcopi nepotem, in teſtimonium doloris, dedit manneria duo, *Clitutu* et *Penclecic*.

Donationum memoratarum tempora fere non traduntur: Factae tamen videntur ſub Epiſcopis antedictis. Reliqua digeſſimus in claſſes ſecundum aetates Epiſcoporum, quibus ſedentibus conceſſa ſunt.

IV. UBILWYNUS[e].

OUDOCEO ſucceſſit Ubilwynus. Illi et ſucceſſoribus, Brochmail filius Gwidgwentuaii dedit *Menechi* una cum aliis praediis.

Gurvodius Rex Ercyngae (nunc Urchenfild) Saxonibus praelio devictis, gratitudinis ergo dedit *Bolgros* juxta Vagum fluvium.

V. AIDANUS.

CINVYN filius Pepiau Rex, hoc ſedente, dedit *Maſurn*.

---

[e] WELUUS.

VI. ELGISTIL.

CINVYN praedictus, una cum Guideo fratre ſuo, dedit Elgiſtello Epiſcopo et eccleſiae ſuae, praedia quaedam in *Cumbarruc*.

VII. LUNAPEIUS

PEPIAU filius Erb, dedit Mai naur garth benni *uſque ad paludem nigram inter ſilvam et campum et aquam et jaculum Conſtantini Regis ſoceri ſui, trans* Cwy *amnem, Deo et Dubritio Archiepiſcopo, ſedi Landaviae, et Lunapeio conſobrino ſuo.* Haec ſunt verba donationis. Dedit etiam *Lancervin*, *Junabin* et alia.

Gurcant Rex Erdyngae filius Gynuni dedit *Lanlowden* et *Budgwalan* aliaque.

VIII. COMEGERN al. COMERGWINUS.

IDDON filius Yuyr Rex Gwentiae, in bello adverſus Saxones victoria potitus, in gratitudinis teſtimonium dedit *Lanarth*, *Lanteilau Porthhalawg*, et quaedam in *Lanteilau Chriſſenny*.

IX. ARGWISTIL.

IDDON praedictus dedit, Argwiſtillo ſedente, *Lancoyt*.

X. GURVAN.

TEUDUR Rex Brechiniae filius Rein, poſt foederis pacta juramento firmata, contra fidem datam interfecit Engiſtillum illarum regionum regulum. A Gurvano Epiſcopo eam ob cauſam excommunicatus, ut abſolveretur, dedit *Lannihangel tref ceriauc*.

XI. GUODLOIU.

CUNHEIR filius Glovi dedit illi *Hirpan*, ſive oppidum de *Valle*. Et Mareddud filius Rein Occidentalis Walliae Rex, dedit ſex eccleſias.

XII. EDILBINUS.

GURCANT, neſcio quis, dedit illi praedia quaedam, ſicut et alius nomine Bonus.

XIII. GRECIELUS.

HUIC Faunus, filius Benjamin, dedit eccleſiam de *Kilpedec* in Ercyng cum fundis adjacentibus. Gulfer, Cinvin et Nir filii Gurcan, et Bonus cum filiis, quaedam etiam contulerunt.

Briteonhail filius Devon, dedit ſex eccleſias uno eodemque tempore, videlicet *Lanbudgwalan* in oſtio Circan, *Merthircynſal*, *Lanbocha*, *Lantipalli*, *Landinvil*, *Maſurn* et *Mable*.

Cinvelin dedit *Lancumb*.

XIV. BERTHGWIN.

PROPRIUM fratrem Guidnerth interfecerat, nomine Merchion; atque ob id flagitium à Grecielo fuerat excommunicatus; qui etiam indixerat, ut in peregrinatione ad eccleſiam Dolenſem in Britannia Armorica annum abſumeret. At Berthgwinus novus Epiſcopus, Grecielo ante annum exactum defuncto, non ſine multis precibus Morcanti Regis, Guidnerthum, tam peregrinatione quam excommunicatione, tandem abſolvit. Ille vero ut ſe gratum exhiberet, dedit ſponte Epiſcopo antedicto et ſucceſſoribus *Lancadwalader* nunc *Biſhton* vel *Biſhopſton*; quod unicum mannerium ſedi hodie relictum eſt.

Convilus, filius Gurcenin, Regis Morcant et Ithail filii ejus conſenſu, dedit *Conuc* et *Maerun*.

Mauſu dedit *Judbin:* Conhac, *Lantiſſoy:* Elfin, *Penhellei* et *Tull coit*, *hodie* (ſic liber) *Bella-aqua*.

Gurcan, filius Guinan, conſuetudine utebatur novercae ſuae, atque ob id flagitium excommunicatus, paſſus eſt *Marchinis* extorqueri ſibi ab Epiſcopo.

Judon, filius Cerian, emit à Iudhail *Gwennovoe* juxta paludem Maurici pro 22 equis ſilveſtribus, et eccleſiae protinus contulit.

XV. TRYCHAN.

CONVIN, filius Jacoi, emit à Fernvail Rege, et Trychano ſucceſſoribuſque contulit, eccleſiam de *Gurthhiriuc* et praedia nonnulla adjacentia. Sed attende pretium; Fernvailo dederat pro illis equum generoſiſſimum, emptum vaccis decem; canem, vaccis 3; et alium deinde equum vaccas item 3 valentem.

Erbic, filius Elfin, dedit *Elcon* et *Cathevon*; Bru, filius Judbin, *Merthirtecmed:* Catnuth, filius Coffro, *Hovolennic* ſuper fluvium Amyr: denique Eliud, Guoidocen et Erdtibin, Eugenii filii, cum terris adjacentibus arcem quandam appellatam tunc temporis (ut habet liber) *Lanhelicon*.

Bricon, filius Guincon, à Rege Fernvail et filiis ejus emit praedia quaedam, pro quibus dedit equos ſeptem valentes vaccas 28; veſtimentum, quod vaccas 14; gladium 12; accipitrem vero 6; ac denique quatuor canes, 14 vaccas valentes; et praedia ſic empta eccleſiae contulit.

Matoc, filius Guinan, ab eodem Rege emit *Turion* pro accipitre, qui vaccas 12 valebat; pro equis duobus, 6 unciis aeſtimatis, et cornu venatorio ſex itidem unciarum valoris (argenti opinor intelligit) et linea coccinea, (ſic liber Landavenſis praedictus) ac deinde dedit eccleſiae.

Convil, filius Gurgon, emit à Iudhail Rege praedia quaedam pro equis duobus, qui vaccas 8; tuba qui 28; chlamide pro Regina, quae ſex uncias, (argenti puto) et equo adhuc alio qui quatuor uncias valebant, emptaque contulit eccleſiae, hoc Epiſcopo ſedente.

XVI. ELVOGUS[f].

ELVOGUS Trychano ſucceſſit, ſeditque temporibus Maurici, Ris et Fernvail, filiorum Rotri, Regum Glewiſſig. Fernvail autem defunctus, anno ſalutis 763.

XVII. CATGWARET.

SEDENTE Catgwaret, Cors, filius Erbic, dedit *Merthirmaches*; et Gabran, filius Cors, *Mamouric*, necnon et *Lanuvien*.

Convelin, filius Conuc, à Rege Rotri filio Juthaelis, emit *Louhai* pro equis duobus generoſiſſimis, et totidem magni pretii veſtibus, et Eccleſiae dedit una cum *Dinhirrion*.

XVIII. CERENHIR.

HOWEL Rex Glewiſſig, filius Ris, Gallunum filium Cidrich, perjurio deluſum, neſcio qua in re perfide circumſcripſit. Ob hoc ſcelus à Cerenhir Epiſcopo excommunicatus, ſic manſit per annum unum integrum; et abſolutus, dedit illi *Merthir-buceil*, atque *Tricollon*.

Ili, filius Conblus, ex occaſione plane ſimillima, dedit *Guliple*.

Kinvin, filius Gurgant, dedit *Langulan*.

Aquod, filius Jovaf, inter ipſum et Epiſcopum orto jurgio, quod à verbis ad verbera proceſſit, Epiſcopum una cum ſuis vi compulit in fugam, et fugientem perſecutus, ſaxis petivit in ipſam Eccleſiam conjectis. Ob eam rem excommunicatus, quando abſolutus eſt, dedit Epiſcopo *Pennoun*, una cum Eccleſia de *Lanteivil*, et alia praedia nonnulla.

[f] ELVO.

XIX. NOBIS.

De Nobis Epiſcopo, nobis certe nihil praeter nomen innotuit.

XX. GULFRIDUS.

LOUMARCH, filius Caſgwocaun, à Gulfrido Epiſcopo excommunicatus eſt, quod Eccleſiae ſuae privilegia violaſſet; neque placari potuit, donec poenitentia peracta, dediſſet illi *Loumarch* praedictus, *Trificarn pont*, ut ſic tandem abſolveretur.

Aſſer, filius Marchlud, cum perfidia circumventum, quendam Gulagguni interemiſſit, *ad expiandam caedem* (ſic habet liber) *et pro anima defuncti* dedit Eccleſiae *Segan.*

Catguocaun, filius Owein, dedit *Rett.*

XXI. NUDD.

GUILFERTH, Hegoi et Arguiſtil filii Beli, orta inter ipſos et Nudd Epiſcopum contentione, multa in illum inſolenter perpetrarunt. Sed tandem excommunicationem metuentes, correctioni ejus ſe ſubmiſerunt, et poenitentia peracta, dederunt Eccleſiae territorium Julii et Aaronis, hoc eſt (ut conjicio) oppidum *Carleonenſe.* Julio ſiquidem et Aaroni, ibi loci, patrum adhuc noſtrorum memoria capellae viſebantur conſtructae, quarum una ab Orientali, altera ab Occidentali parte oppidi, duobus plus minus milliaribus disjunctae erant.

Elgiſtil, dedit *Caer dincil*; et Tutmap, filius Pauli, dedit *Dincat*, hodie *Dingſtow.*

Hivel Rex, filius Ris, dedit *Pencreic*, et Eccleſiam de *Strathaffren.* Guorai, filius Judic, Eccleſiam de *Rin*, et Abrahamus quidam, *Brannuc.*

XXII. CIMELIAUC[g].

BROCHMAIL, filius Mourici, dedit Eccleſiam de *Lanmeiri-Penros*, et *Lannihangel-mawr*, una cum *Yſcuit-ciſt.* Privilegium etiam conceſſit utendi portubus in oſtio Pulmeric, et Tarroci fluviorum, nullo reddito portorio aut vectigali, et omnia commoda ex naufragiis in mari vicino provenientia, in ſuos uſus convertendi. Dedit etiam arcem de *Conſcuit* (reponendum credo *Porſcuit*) et Eccleſiam S. *Brigidae.*

---

[g] CIMELGEACUS, *Flor.* CAMELEGEAC, *Huntin.* CAMELEC, *Weſtm.* CHEVELLIAUC, *Dicet.* Conſecratus ab Athelredo Archiepiſcopo Cantuarienſi; et Ethelredus ipſe Thronum Archiep. aſcendit A. 871. et obiit 889. *Dicet.* p. 451. Et obiit anno 927. ita *Rot. Cant.* et *Regiſtr. Eccl. Landav.*

Nudd, filius Gurcinnif, dedit *Cyrnir*; Eyſet, filius Yrſmym, *Treſylly*; March, filius Pepiau, fundi neſcio quid, quod nunc ad mannerium dicitur pertinere de *Merthir-tewdrick*; et *Arthmael Caer-birran.*

Hic Epiſcopus ille videtur, quem Weſtmonaſterienſis[h] appellat Camelec, et Auſtralium Saxonum (ſed perperam) dicit Epiſcopum extitiſſe, inter quos captus eſt à Danis, anno 915, et lytro redemptus 40 librarum, per Edwardum ſeniorem Regem[i].

XXIII. LIBIAU[k].

LIBIAU deceſſit anno 929[l]. Illi vero ſedenti, Grifud, filius Yrgein, quaedam contulit praedia non nominata. [927.]

XXIV. MARCHLVITH.

MARCHLVITH (quem Annales Cambrici Bangorenſem dicunt Epiſcopum, ſed perperam) deceſſit anno 943.

XXV. PATER.

NONGUI, filius Guriat, Rex Glewiſſig, quae Regio in Annalibus Cambricis Gwganwin (niſi fallor) appellatur, vi multa eripuit à quodam Aircot filio Diſſaith, idque Trillegae, quae pars erat poſſeſſionum Eccleſiae, et aſylum habebatur. Hujus, tanti (ſcilicet) facinoris poenitentia ductus, ſponte ſua dedit Eccleſiae *Guideon.* Ille etiam ipſe poſtea (anno nimirum Chriſti 955) dedit (aut ſaltem in cauſa erat ut daretur) *Lambedevi*, idque occaſione hujuſmodi. Ruſticus quidam Diacono obviam factus in via gladium gerenti, Quid ignavo (inquit) cum gladio? et cum dicto gladium eripere aggreſſus, retinentis Diaconi digitum vulneravit. Quare irritatus ille duplici injuria, ruſticum protinus obtruncavit, et ad Eccleſiam confugit SS. Germani et Fabricii; ubi à ſex famulis dicti Regis, licet non paucos habuerit propugnatores, ad ipſum altare confoſſus eſt. Hii ſex Gwentoniae (quae hodie Caerwent) Epiſcopo in manus traditi ſunt, qui vinculis per ſex menſes caſtigatos, antea non dimiſit, quam praedia ſua omnia Eccleſiae contuliſſent, et deinde Eccleſiae, quam ſanguinis effuſione polluerant, argenti libras ſeptem.

XXVI. GUCAN, al. GOGWAN[m].

GUCANUS, conſecratus eſt per Dunſtanum Cantuarienſem Archiepiſcopum anno 982. Illi, Merchiaun, filius Ritherch, dedit *Lancarvan*, 982.

---

[h] In anno 915.

[i] *Huntin.* L. 5. f. 203. b. et *Florent.* ad annum 915.

[k] LIBLIANTH.

[l] Obiit anno 929, ordinationis ſuae tertio. *Rot. Cant.* et *Regiſtr. Eccl. Landav.*

[m] "Anno 982 data eſt GUCAURO virga paſtoralis in "Regali Curia à ſummo Rege Anglorum Eadgaro. Praeſentibus in conſecratione ſuffraganeis Angliae Epiſcopis, *Birthelmo* Epiſcopo, *Alwoldo* Epiſcopo, *Adewoldo* Epiſcopo, *Oſwaldo* Wigorniae Epiſcopo. Et praeſentibus Abbatibus "*Alfrico* et *Eſuig.* Et aſtantibus *Alſere* Duce, *Elphea* Duce, *Edeſtan* Duce, cum multis aliis Clericis et Laicis. Poſt "datam ſibi Apoſtolicam dignitatem, migravit ad Dominum." *Rot. Cantuar. Eccl*

de quo dicit in charta donationis, "utriſque gemmis decoratum eum "fuiſſe; ſapientiae videlicet ſacrarum Scripturarum, divinae et humanae, et Regali nobilitate parentelae, ſimul cum dignitate Pontificalis "Cathedrae."

Arthmael, filius Nongui, Rex Gwentiae, poſtquam occidiſſet Eliſed fratrem ſuum, dedit *Lannihangel Lichrit*, et alia praedia.

Laur, homicidio perpetrato, dedit *Segan*.

XXVII. BLEDRI[n].

*983. REGIS, Cleri, totiuſque populi conſenſu electus in Epiſcopum Bledri, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi conſecratus eſt anno 993, et vixit uſque ad annum 1022[o]. Inter famulos hujus, ac Edwardi Wentiae Regis, exorto tumultu; dum ipſe inter eos diſcurrit pacem anniſus componere, leniter vulneratur. Satis hoc erat ad Regem excommunicandum, quem priuſquam abſolveretur, laeſo Epiſcopo dare oportuit mannerium de *Junuluc*.

Rotri et Grifud, Wentiae Reges, dederunt *Pencelli-gwen* huc juxta Liſgwern.

XXVIII. JOSEPH.

1022. OCTOBRIS primo 1022[p] Joſeph conſecratus eſt ab Agelnotho Archiepiſcopo Cantuarienſi. Obiit vero Auguſtae, Romam profectus, anno 1046. Quo ſedente Ritherch ap Jeſtin, totius Walliae Rex, multa privilegia indulſit Eccleſiae Landavenſi, et confirmavit eidem omnes poſſeſſiones ſuas, quarum Catalogum (etſi longum fortaſſe nimis) adſcribere tamen non pigebit.

"De omnibus ſubſcriptis (inquit ille) veſtita fuit Eccleſia Landavenſis, "ſimul et Epiſcopus Joſeph, pace tranquilla, me Ritherch regnante per "totam Walliam, et admonitione Aelvod Archiepiſcopi Cantuarienſis, "ſimul cum literis commendatitiis Cnut regnantis per Angliam.

IN CANTREF MAUR.

1. *Lanteilau maur* cum ſuis duobus territoriis,
2. *Lanteilau nant ſeru*.
3. *Lanteilau garth tevir*.
4. *Lanteilau maur brunur*.
5. *Lanteilau bechan* in *diffrin Teivi*.

---

[n] "Anno 983 electione facta, Regum Morgannuc, *Owein* viz. et *Idwathlaun*, *Cadel*, *Chereum*, filiorum Morgan, item "*Roderi* et *Grifud* filiorum Cliſſed, et totius Cleri, et Populi Morgannuc; infra oſtium Tarader in Gui, et oſtium Tewi "poſiti, et dato ſibi baculo in Regali Curia à ſummo Rege Anglorum Aedelredo et à Metropolitano Cant. Eccleſ. BLEDERI Epiſcopus Landaviae conſecratus eſt." *Rot. Cantuar. Eccl.*

[o] Conſecratus A°. 983, et obiit A°. 1022, conſecrationis ſuae 39. *Regiſtr. Land.*

[p] "Anno 1022 conſecratus eſt JOSEPH Epiſcopus Landaviae Cantuariae ab *Aelnod* Archiepiſcopo Kal. Oct. et in primo anno Cycli decennovalis verbo Regis Anglorum *Chnut*, et dato ſibi baculo in "Curia illius electione Cleri et Populo Landaviae et Regum Britanniae, Regis viz. *Rederch* regnantis per totam Walliam "eo tempore, et *Hoel* ſubreguli Regis Morgannuc, infra oſtium Tarader in Gui et oſtium Tewi regnantis. Et XXIV ordinationis ſuae anno in via S. Petri Apoſtoli apud Civitatem Auguſtam migravit ad Dominum." *Rot. Cantuar. Eccl.*

In CANTREF GUARTAN.

6. *Lanteilau landibbr guir mainaur.*
7. *Lanteilau treficerniu.*
8. *Lantiloudauc icair.*
9. *Lanteilau aper coguin.*
10. *Lanteilau penn tivinn.*
11. *Lanteilau luin guaidan*, villa tantum in Evelfre.
12. *Lanarth.*
13. *Lanconguern* cum tribus territoriis. Finis illarum Ofrut, Gurcant, Lutglanrath.
14. *Treſcarn.* Villa tantum ſine Eccleſia.
15. *Laythty teilau.* Villa tantum ſuper ripam Ritec juxta Pennalun.
16. *Menechi arglann Ritec* juxta Pennalun.
17. *Pull arda* juxta mainaur pir. Villa tantum.
18. *Lwyn Teilau.* Villa tantum.
19. *Eccluis Gunniau*, ubi natus eſt S. Teliaus.
20. *Porth medgen.* Villa tantum.
21. *Din guenhalf* in *loni an.* Villa tantum.
22. *Lanteilau litgarth* in Findoucledif hache mei mainaur.
24. *Lanteilau cil retin* in Emmlim.

In ROSS.

25. *Lan iſſan mainaur.*
26. *Bronn lann.*
27. *Langurfrit.*
28. *Telich clouvan.*

In PEMBRO.

29. *Clitutuc.*
30. *Penclecir.*

In PEPITIAVE.

31. *Mainaur Mathru.*
32. *Cenarth maur.*

In BRECUA.

33. *Langurvaet mainaur.*

In CANTREF SELIM.

34. *Lancoit.*

In CANTREF TALACARN.

35. *Laucors.*
36. *Lanmihangel meibion gratlann.*
37. *Lanidoudec ſeith.*

In CLIVAIL.

38. *Lanmeilic bah gueir.*
39. *Lanteilau i ciliou i diffrin machagui.*

Mauricus, Glamorganiae Rex, reſtituit *Elen*, ab anteceſſoribus ſuis per injuriam ereptam; et excommunicatus quod quendam nomine Etgum filium Guriati de Gueinſcoit oculis orbaſſet induciarum tempore; ut abſolveretur, dedit *Pan ipriſc.* Deinde cum poſtea aſylum Landavenſis Eccleſiae violaſſet, rapiendo inde uxorem hoſtis ſui; poenam ab Epiſcopo infligendam redemit donatione *Gulich* et *Fabrus*, et ſeptem argenti libras pendendo, cum Canonicos Eccleſiae aliis placaſſet muneribus. Caratuc vero ex conſortibus ejus unus, mulctatus eſt praeterea mannerio de *Henriu* in Wencia.

Ringallan, filius Run, excommunicatus, quod in Epiſcopum et famulos impetum feciſſet, dedit illi *Rin brein* et tertiam partem nemoris de *Ynis perthan.*

Merchiaun, filius Ritherch, dedit *Carnon* et *Crucon Leiguirn.*

Cutguallam, filius Guriat, percuſſit quendam in conſiſtorio Epiſcopali, idque Epiſcopo coram; qui illum eam ob cauſam in vinculis detinuit, donec ſibi Eccleſiam contuliſſet S. *Brigidae.*

Seiſill, filius Giſtlerth, dedit *Penros* prope ripam Mingui.

Caratocus, filius Tutbulch, regionem de Lanmochan depraedatus; in reditu, dum ſtagnum quoddam praetervéheretur, Oir appellatum, ad ſaltum piſciculi equo conſternato excuſſus, os brachii luxavit. Quem caſum interpretatus ille, ſignum eſſe offenſi numinis et irati pro bello minus juſte illato; ut crimen expiaret, praedam univerſam reſtituit, et Eccleſiae inſuper dedit *Pennigelli.*

◆ ◆ ◆

XXIX. HEREWALDUS[q].

1056. HEREWALDUS, patria Wallus (aut ſi mavis Camber) ſed inter Anglos educatus, à Joſepho anteceſſore ſacerdos creatus eſt, et in Landavenſem Epiſcopum conſecratus Londini[r], dum ſynodus celebraretur, in hebdomada Pentecoſtes anno 1056, per Stigandum Archiepiſcopum. Deceſſit ſexto Martii 1103, annos natus pluſquam centum, et Pontificatus ſui quadrageſimo octavo.

Catgwacaun, Morganiae Rex, excommunicatus ab eo, quod famulorum Regiorum unus, violentas manus per temulentiam injeciſſet Berthuti, medico Epiſcopi, necnon et nepoti ejus, idque in feſto Nativitatis Chriſti; crimen luit alienum jactura loci qui tum temporis vocatus eſt *Henriu Gunnua.*

Jeſtinus, filius Gurcant, excommunicatus, quod nepos quidam illius virginem quandam ex ipſa Landavenſi Eccleſia raptam vi compreſſiſſet, idque ſceleris tuliſſet impune; poſtquam tandem abſolutus eſt ab Epiſcopo, dedit Eccleſiae *Miluc.*

---

[q] HERUUALDUS, *Annal. Marg.*

[r] Concilium non fuit celebratum Lond. anno 1056, nec ante annum 1075. Vid. *Conc. Angl.* De conſecratione verò *Herewaldi* ſic ſe habent *Rot. Eccl. Cantuar.* "EREUUALDUS Landaviae Epiſcopus, " dato ſibi baculo in Regali Curia à ſummo Rege Anglorum Willelmo et electione Cleri et Populi Landaviae à Metro- " politano Cantuar. Eccleſ. Archiep. Lanfranco conſecratus. A. D. verò 1104, XLVIII verò conſecr. ſuae anno ſub " Henrico Rege et Anſelmo Cant. Archiep. pridie Nonas Martii migravit ad Dominum." Error certè; nam ſi demas 48 ab 1104, anno quo clariſſimè conſtat diem clauſiſſe extremum, manet 1056 annum à Godwino aſſignatum; ſed quid tum cum *Gulielmo* Anglorum Rege, qui ſolium non aſcendit ante annum 1066, et *Lanfranco* Archiepiſcopo qui conſecratus eſt A°. 1070? Rejectis igitur Willelmo et Lanfranco, conſecratum eſſe arbitror à Stigando Archiepiſcopo anno 1056, et 48 conſecrationis anno deceſſiſſe, Martii ſexto 1103, anno exeunte.——Centenarius obiit. *Annal. Marg.*

Caratoc, filius Ringuallaun, aeger decumbens et ſe jam morti vicinum exiſtimans, in teſtimonium poenitentiae pro peccatis, ac pro eo praecipue, quod frater ejus Cinon, quamvis non ab ipſo, ſed à ſuorum quodam, ſe preſente, ſuaque cauſa fuiſſet interemptus: primum peregrinationem ſe Romam uſque ſuſcepturum vovit; deinde per annos ſeptem (ſi tamdiu vivere contingeret) poenam neſcio quam quotidianam ſe ſubiturum; ac denique Eccleſiae Landavenſi dedit *Gunhuc* in Guarthacum. Teſtes fuerunt hujus donationis, Abraham Archidiaconus Guentiae, Lifricus Epiſcopi filius Archidiaconus Gladmorganenſis, et Magiſter S. Cataci de Lancarnan. Ubi duo notanda; etiam in coelibatu Papiſtico Epiſcopos (quod non raro contigit) filios habuiſſe; deinde, iis temporibus Archidiacanos duos habuiſſe hanc Dioeceſin, cum hodie uno ſit contenta.

XXX. URBANUS.

URBANUS Archidiaconus Landavenſis, conſecratus eſt una cum multis aliis Epiſcopis decimo Auguſti 1107[s], per D. Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, annos natus vix dum 32. Quo primum tempore praeſulatum ingreſſus eſt, tenuiſſimum offendit, et pudenda preſſum paupertate. Nam cum redditus per ſe ſatis eſſent exiles, per ſuperiorem Epiſcopum tam improvide ſunt diſpenſati, ut jam praeter ipſum Epiſcopum, vix duobus Canonicis alendis ſuffecerint, qui 24 ſuſtentandis olim ſatis fuiſſent. Eccleſia deinde fere tota collapſa fuerat, in recentibus ſub Gulielmo primo bellis ſaepius vaſtata. His de rebus apud Pontificem conqueſtus (Calixtum ſecundum) cùm Concilio Rhemenſi anno 1119 intereſſet[t]; literas ab eo impetravit ad Regem et Archiepiſcopum, necnon ad Dioeceſanos ſuos, in quibus impenſe eos hortatus eſt, ut Epiſcopum unuſquiſque pro virili adjuvaret, in rebus Eccleſiae ſuae tam turbatis componendis. Ferunt Archiepiſcopum, ut popularium munificentiam eliceret, quartam partem poenitentiae infligendae, unicuique ad ſtructuram Eccleſiae ſtipem exhibenti, indulſiſſe, indeque collectam magnam pecuniae ſummam. Hoc adjutus ſubſidio Urbanus, veteris Eccleſiae reliquias demolitus, novae ſtructuram aggreſſus eſt. In Archivis noſtris reperi annotatum, longitudinem habuiſſe priorem illam Eccleſiam pedum viginti octo, latitudinem vero quindecim, et altitudinem haud plus quam viginta; cum noſtra ab illo poſita hodieque viſenda (praeterquam quod ex quadrato lapide fere tota conſtructa eſt, et ab Occidente duabus turribus in magnam excelſitatem conſurgentibus ornata eſt, in Occidente vero capella B. Mariae ſplendiſſima) longa ſit pedes trecentas, lata octoginta, et in altitudine colligat à pavimento ad tectum uſque fere triginta. Opus hercle (in tanta praecipue ſedis paupertate) magnificum, et cum gratitudine à poſteris celebrandum. Hanc ſtructuram, decimo quarto Aprilis 1120 inchoatam, cum perfeciſſet, aedes etiam ſibi et Canonicis ſuis extruxit. Quibus rebus ex animi ſententia confectis, ad poſſeſſiones ſedis ſuae ab aliis occupatas recuperandas, animum adjecit. Et non pauca ſane

1107. HEN. 1. 8.

---

[s] Gulielmus Wintonienſis, Rogerus Sariſburienſis, Reignelmus Herefordenſis, Gulielmus Exonienſis, et Urbanus Glamorgatenſis Eccl. quae in Wallonia eſt, electi Epiſcopi ſimul Cantuariam venerint, et in die Dominica quae fuit 3 Id. (11mo) Auguſti pariter ab Anſelmo conſecrati ſunt. *Continuat. Mar. Scot.* Ita *Par. Hoved. Florent.* et *Rot. Cant.*

[t] *Monaſt. Angl.* T. 3. p. 191.

à Bernardo Epiſcopo Menevenſi et Richardo Herefordenſi, injuſte uſurpata, repetiit; quos etiam haud bono jure Landavenſi ſedi ereptas, ſuis dioeceſibus has regiones adjunxiſſe querebatur, *Gwhyr*, *Cedwelly*, *Cantref Bychan*, *Yſtrad-Yw*, et *Erging*. Re coram Papa ſex teſtium fide dignoum juramentis comprobata, ſententia pro Landavenſi lata eſt; ac literae ad Regem, Archiepiſcopum, atque illarum regionum populares à Papa perſcriptae ſunt, hoc ipſum teſtantes [u]. Sed Urbani obitus immaturus in cauſa erat, ut mandatis Pontificiis obtemperatum non fuerit. Romam ſiquidem, ut hanc litem perſequeretur itinere ſuſcepto, in via defunctus eſt anno 1133.

◆ ◆ ◆

XXXI. UHTRID [x].

1139. Steph. 4. QUI, poſt annorum ſex vacationem, Urbano ſucceſſit Utredus, à Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecratus eſt, una cum Mauritio Bangorenſi, anno 1139. Huic filia erat [y], viro nupta magnae nobilitatis ac potentiae, Jorwerth ap Owen ap Caradoc, Domino de Carleon [z]. Obiit Utredus anno 1148 [a].

* * *

XXXII. GALFRIDUS.

GALFRIDUS ſucceſſit, et deceſſit anno 1153 [b].

◆ ◆ ◆

XXXIII. NICOLAUS AP GURGANT.

[1149.] Steph. 14. NICOLAUS [c] AP GURGANT, deceſſit 1183 [d].

* * *

XXXIV. GULIELMUS DE SALSO-MARISCO.

[1185.] Hen. 2. 31. GULIELMUS DE SALSO-MARISCO [e] (quem Giraldus Cambrenſis *virum bonum, diſcretum et honeſtum appellat*) Epiſcopus fuit anno 1188: ſed quando aut conſecratus fuerit aut mortem obierit, nondum comperi.

---

[u] Romam profectus eſt A° 1128 poſt feſtum Purificationis, et à Papa literas obtinuit pro poſſeſſionibus Epiſcopatus ſui recuperandis. *Cont. Mar. Scot.* et proſpero reditu Angliam revertitur eodem anno. *Florent.* Iterum verò profectus in via defunctus eſt anno 1133. *Huntin.* f. 220. b. *Weſtmon.* Solus *Pariſienſis* anno 1134 obiiſſe dicit, idque in itinere Romano.

[x] UHTRID, *Rot. Cant.* UCHDRIT, *Annal. Menev.* ULTRED.

[y] Nomine Angharad. *Wynn in Hiſt. Wall.* p. 198.

[z] Interfuit Concilio Wintonienſi A°. 1143. *Conc. Angl.* T. 1. p. 422.

[a] Anno 1149. *Annal. Menev.*

[b] Hujus Epiſcopi ne nomen quidem occurrit.

[c] Succeſſit anno 1149.——Adfuit conſecrationi Thomae Becket Cantuar. Archiep. anno 1162. *Gervaſ. Chron.* Col. 1383.

[d] Sexto Julii. *Annal. Marg.*

[e] Prior S. Auguſtini Briſtoliae.——Conſecratus à Baldwino Archiep. Cantuar. *Gervaſ. vit.* Idque anno 1185. *Annal. Waverl.*——Sed vacavit Epiſcopatus A°. 1191. *Gyral. de geſtis.* L. 2. c. 24. qui et ipſe nominatus ad hanc Eccleſiam recuſavit. *Ib.*

XXXV. HENRICUS.

[1294.] Ric. 1. 6. HENRICUS, Prior Abergevennenſis[f], anno 1199 coronationi interfuit Joannis Regis. Ad illius uſque tempora praeſulatus, Epiſcopalia, et Capitularia praedia indiſcreta permanſere. Quatuordecim Canonicis hic primus praebendas aſſignavit; et Capitulo elargitus quae nunc poſſidet; caetera ſibi ſucceſſoribuſque retinuit. Deceſſit octavo Novembris 1218[g].

XXXVI. GULIELMUS.

1219. Hen. 3. 4. GULIELMO[h] Priori Goldeelivenſi, hujus ſedis temporalia reſtituta ſunt decimo ſexto Julii, Henrici tertii tertio: qui obiit Januarii viceſimo octavo 1229.

XXXVII. ELIAS DE RADNOR.

[1234.] Hen. 3. 19. ELIAS DE RADNOR[i], ſucceſſor ejus, deceſſit Maii 6. 1240[k].

XXXVIII. GULIELMUS DE BURGO[l].

1244. Hen. 3. 28. CUM Gulielmo de Burgo, Henrici tertii Regis Capellano, (qui in Epiſcopum Landavenſem conſecratus eſt anno 1244) ad Concilium Lugdunenſe citato anno 1245, diſpenſatum eſt à Papa, et ejus profectionis venia indulta, quod depraedatione hoſtili omnibus bonis paulo ante ſpoliatus diceretur. Deceſſit undecimo Junii 1253[m], cum ante mortem caecus ſex vel ſeptem annos tranſegiſſet. Sic enim habet Pariſienſis in anno 1247[n]. "Arctabatur Wallia eiſdem diebus, ceſſante eorum cultu-
" ra, commercio, et pecudum cuſtodia paſtorali, et coeperunt conſumi
" inedia, Anglorum et inviti legibus incurvati. Emarcuit antiqua eorum
" ſuperba nobilitas; et etiam virorum Eccleſiaſticorum cithara converſa
" eſt in luctum et lamenta. Obiit ergo quaſi prae dolore contabeſcens
" Epiſcopus Menevenſis: Epiſcopus vero de Landaff Gulielmus caecitate

---

[f] Conſecratus ab Huberto Archiep. Cantuar. *Gervaſ. Vit.* ſed non ante annum 1193, eo enim conſecratus eſt ipſe; ante annum verò 1196, quo Henricus ordinavit Philippum Dunelm. electum in Sacerdotem 15 Jun. ut teſtatur *Hovedenus* f. 436. a.

[g] Obiit 2 Id. (12) Nov. 1218. *Annal. Margan.* et in Eccleſia ſua jacet ſepultus.

[h] Electus eſt Gulielmus A°. 1219. *Annal. Marg.* et conſecratus menſe Octobri 1219. *Annal. Wigorn.* et *Teokeſb.* una cum Hugone Hereford. circa feſtum Omnium Sanctorum. *Weſtmon.* 27 Oct. fuit dies Domin. et 3 Nov.

[i] Theſaurarius Hereford. *Annal. Marg.* electus eſt A°. 1230. *Annal. Teokeſb.* conſecratus verò non ante annum 1234 per Richardum Archiepiſcopum. *Archiv. Eccl. Cant.*

[k] Obiit 3 Id. Maii 1240. *Annal. Teokeſb.*

[l] Eliae proxime ſucceſſit Gulielmus *de Chriſti Eccleſia* dictus; anno enim 1244 reſignavit Epiſcopatum, et licentia eligendi conceſſa eſt Archidiacono et Capitulo Landavenſi, *per reſignationem* Gul. de Chriſti Eccleſia. *Pat.* 28 H. 3. m. 3. Ita in *MSS. Hutton* et *Anſtis.* et electus eſt *Gulielmus de Burgo* 1244. *Weſtm.* et Rex aſſentit electioni 17 Jul. *Pat.* 28 H. 3. *MS. Anſtis.* Conſecratus eodem anno apud Carhowe extra Norwic. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[m] Obiit Aug. 28. 1253. *Obituar. Petrob.* ſeu potius ineunte Junio; decimo tertio enim ejuſdem menſis conceſſa eſt licentia eligendi; Rex conſentit electioni Joan. de la Warre quondam Abbatis de Margam 26 Julii; et Temporalia reſtituuntur 12 Auguſti. *Pat.* 37 H. 3. et *Clauſ.* 37 H. 3. m. 5.

[n] P. 642.

" percutitur: Epiſcopus S. Aſaf et Epiſcopus de Bangor, deſtructis Epiſ-
" copatibus, caede ac incendio, mendicare, ut de alieno viverent, cogebantur.

XXXIX. JOANNES DE LA WARE.

[1253.] Hen. 3. 38. JOANNES DE LA WARE[o], Abbas Margamenſis, deceſſit tricesimo Junii 1256.

XL. GULIELMUS DE RADNOR.

[1256.] Hen. 3. 40. GULIELMUS DE RADNOR[p], deceſſit nono Januarii 1265.

XLI. GULIELMUS DE BREWS.

1266. Hen. 3. 50. GULIELMO DE BREUSA, Praebendario Landavenſi, reſtituta ſunt temporalia hujus ſedis Martii decimo ſeptimo Henrici tertii 50[q]. Sub exitum menſis Martii 1287 deceſſit, et marmore contectus jacet affabre ſculpto, à Septentrionali parte altaris Capellae B. Mariae[r].

XLII. JOANNES MONUMETHENSIS.

*1295. Edw. 1. 24. JOANNES DE MONEMUTHA, ſacrae Theologiae Doctor, Cantuariae conſecratus eſt decimo Februarii 1296[s]. Rectoriam de Newland, in Saltu Deanenſi, hic ſedi ſuae appropriari curavit; et cum alias multimodis ejuſdem benefactor extitiſſet, diem clauſit extremum Aprilis octavo 1323, et in medio Capellae B. Mariae humatus jacet, marmore tectus, cui Epitaphium Gallicè inſculptum eſt, ſed mutilum nunc, et fatiſcentibus literis aegrè legendum.

XLIII. JOANNES DE EGLESCLIFF.

1323. Edw. 2. 17. JOANNES DE EGLESCLIFF Dominicanus, Eccleſiae Connerenſis in Hibernia Epiſcopus[t], à Pontifice huc tranſlatus eſt circa feſtum ſancti Michaëlis 1323; qui ad ſedem ſuam pervenit in vigilia Trinitatis ſequentis. Mortem obiit Biſhtonae (quae tunc temporis Lancadwallader dici conſuevit) Januarii ſecundo 1346, et Cardiffae ſepultus eſt, in Eccleſia Coenobii Dominicanorum.

---

[o] Conſecratus A°. 1253 Dominica ſequ. Epiphaniam Domini. *Annal. Teokeſb.*

[p] Theſaurarius Landavenſis *Prynn.* V. 3. p. 112.—Licent. eligendi conceſſa eſt 8 Jul. Rex conſentit 30 Jul. *Pat.* 40 H. 3. m. 6.——Conſecratus in Eccleſ. S. Pauli Lond. in craſtino Epiph. 1256, à Bonifacio Archiepiſcopo, aſtantibus Waltero Wigorn. et Waltero Norw. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[q] Electus circa medium Quadrageſimae 1265; conſecratus in Octavis Pentecoſt. 1266; et obiit 19 Martii 1286. *Annal. Wigorn.*

[r] Gulielmo defuncto, Philippus de Stanton Praecentor Wellenſis Eccleſiae electus eſt anno 1287. *Prynn.* V. 3. p. 1286; et nondum conſecratus Epiſcopatum reſignavit; ideoque ut habet *Regiſtr. Winchelſ.* per ſeptennium vacavit.

[s] E *Regiſtro Winchelſ.* haec de Joanne Monumethenſi colligimus. Proviſus eſt per Richardum Archiepiſcopum (cujus arbitrio Papa id commiſerat) 2 Id. Oct. 1294. Celeſtino verò Papatu abdicato, et rumore delato, quod Bonifacius ſucceſſor omnia ejus acta caſſaverat, Archiepiſcopus Joannem conſecrare auſus non eſt, ſed ad Papam ſcripſit 1295. 6 Id. Oct. petens, ut proviſionem de Joanne factam confirmaret. Quod et fecit Papa; et conſecratus eſt die Scholaſticae (10 Febr.) ſequen.——Temporalia reſtituta fuere 4 Apr. 1295. *Pat.* 23 E. 1.——Joanne defuncto Licentia eligendi conceſſa eſt 31 Maii 2 *Pat.* 16 E. 2. Spiritualia prius accepta ab Archiepiſcopo Apr. 25. 1323. *Regiſtr. Reginal.*

[t] A quo ejectus, graſſante bello civili. *Waraeus de Praeſ. Hib.*——Reſtitutionem habet Temporalium 13 Aug. 1 *Pat.* 18 E. 2.

XLIV. JOANNES PASCAL.

JOANNES PASCAL, ſacrae Theologiae Doctor, Carthuſianus Ipſwi- 1347.
cenſis, familia ortus nobili Paſcallorum, qui in Comitatu Suffolcienſi EDW. 3. 21.
etiamnum florent; in Academia Cantabrigienſi educatus, Batemanni Norwicenſis Antiſtitis opera, Suffraganeus ſub illo conſtitutus eſt, nomine Scutarienſis Epiſcopi. Ab umbra hujuſmodi ad corpus, quantumvis exile, tranſlatus, oraculo Pontificio Landavenſis Epiſcopus renunciatus eſt, (electione legitima caſſata, de Joanne[u] Coventry Archidiacono Landavenſi facta) Junii tertio 1347. Exceſſit è vivis undecimo Octobris 1261[x] Biſhtonae, et in Capella B. Mariae ſub lapide marmoreo jacet humatus. Vir fuit doctiſſimus et ob concionum tam aſſiduitatem quam elegantiam celeberrimus. "Edwardus, ejus nominis à conqueſtu tertius, uſque adeo "ejus applaudebat concionibus (inquit Lelandus apud Balaeum[y]) ut illum "Landavenſi Epiſcopatu donaverit. Senſerat et ante conciones ſuas (quas "frequentiſſimas habuerat) populo placuiſſe. Quare multas ex illis vehe-"mentis eloquentiae pleniſſimas ſelegit, ſelectaſque Latinitate donavit.

XLV. ROGERUS CRADOCK.

ROGERUS CRADOCK ex ordine Minorum, ab Epiſcopatu Water- *1361.
fordenſi[z] huc tranſlatus anno 1362, deceſſit in exitu anni 1382[a]. EDW. 3. 35.

XLVI. THOMAS RUSHOOK.

THOMAS RUSHOOK Dominicanus, ſacrae Theologiae Doctor et 1383.
Confeſſor Regius, conſecratus Maii tertio 1383[b], Ciceſtriam tran- RIC. 2. 7.
ſlatus eſt menſe Octobri 1385[c].

XLVII. GULIELMUS DE BOTTLESHAM.

GULIELMUS DE BOTTLESHAM, à Papa Epiſcopus Bethleëmi- [1386.]
tanus creatus, ad Eccleſiam primum Landavenſem tranſlatus eſt[d], RIC. 2. 10.
ac poſtea (anno videlicet 1389) ad Roffenſem.

---

[u] Magiſter Alexander de Monemuth Archidiaconus Landavenſis Regis habet aſſenſum pro Epiſcopatu Landavenſi 15 Junii. 1 *Pat*. 17 E. 2. i. e. ante tranſlationem Joannis de Egleſcliff.

[x] *Regiſtr. Iſlip*. f. 239.

[y] Cent. 5. p. 446.

[z] Epiſcopus Waterfordenſis Bulla Papali 6 Kal. Mar. 1350. *Waraeus de Praeſ. Hib.* Huc tranſlatus 19 Kal. Jan. 1361. *Regiſtr. Iſlip*. f. 239.

[a] Rogero defuncto Licentia eligendi conceſſa eſt 16 Aug. 1 *Pat*. 6 R. 2. m. 18.

[b] In Eccleſ. Fratrum Praedica. Lond. *Regiſtr. Courtn*. f. 317.

[c] Bulla data 17 Kal. Nov. *Ib*. f. 320.

[d] Temporalia reſtituta ſunt 21 Aug. 1 *Pat*. 10 R. 2. m. 32.

XLVIII. EDMUNDUS BROMFELD.

1389. Ric. 2. 13. “EDMUNDUS BROMFELD (ut habet Balaeus[e]) ad ſanum Edmundi in Suffolcia Monachus, tam inſigniter eruditus fuit, ut facile crediderim (inquit ille) nullum unquam in illo Collegio fuiſſe eruditiorem. Ex quodam Tinenſis Monaſterii Chronico patet, Romae illum ſtuduiſſe, et eo doctrinae perveniſſe, ut apud palatinos palatinus et ipſe in magno honore eſſet, quod publice illic praelegeret.” Ob has animi dotes, commonachis ſuis inviſus extitiſſe videtur. Nam factioſum appellantes et pacis communis turbatorem, de eo quoquo pacto amoliendo conſilium inierunt: Et poſt multam conſultationem, placet tandem Romam ablegare, honorifico in ſpeciem munere delato, procuratoris publici non illius tantum Coenobii, ſed *totius nigri ordinis.* (Sic loquitur Walſingamus, qui hujus rei hiſtoriam fuſius perſequitur) ut res illorum curaret ibidem. Accipit ille conditionem libentiſſime. Sed profecturum juramento onerant, quo ſpondere cogunt, *non acquiſiturum ſe aliquod beneficium ipſius domus, neque procuraturum quod in ipſius Eccleſiae caderet praejudicium quoviſmodo.* Romam ergo perveniens, officium ſibi demandatum magna cum diligentiae ſolertiaeque laude exequitur. Cumque longam ibi moram traxiſſet, nihil conſequutus emolumenti; dicti Coenobii Abbatem audiens defunctum; neglecta juramenti religione, Abbatem ſe curavit à Pontifice renunciandum. Monachi interea, Rege annuente, praepoſuerant ſibi Joannem Timworth, Subpriorem ſuum. Rex igitur aegrè ferens Bromfeldio hoc habitum honoris, ſe inconſulto; ad Coenobium reverſum ſeque pro Abbate gerentem, comprehendi jubet et in carcerem conjici, laeſae Majeſtatis etiam crimen intentans, ex lege anno 22[f] Edwardi tertii lata. Lupum jam Pontifex auribus tenebat: Authoritatem ſuam ſpretam animo ferebat iniquo; contumeliam tamen ſibi [ut putare volebat] illatam non eſt auſus vindicare, ne iritatus Rex, partibus ſe addiceret Antipapae. Quare mediam ingreſſus viam, in Hiberniam cogitabat hominem extrudere, ſi forte contingeret aliquem ibidem Epiſcopatum vacare. Roffenſi interea (Thoma Brintono) moriente, Landavenſem Roffam tranſtulit, et praeſulatum ejus Bromfeldio contulit, poſtquam in Turri Londinenſi per decennium fere captivus jacuiſſet. Videtur interea Abbatem eum alibi deſignaſſe. Nam temporalibus hujus ſedis reſtitutus decimo ſeptimo Decembris, Richardi [ſecundi] 13° appellatur in brevi Regio *Abbas Monaſterii Silvae majoris ordinis S. Benedicti Burdegalenſis dioeceſis*; *et ſcholarum Palatii Apoſtolici in ſacra Theologia Magiſter*[g]. Vix biennio cum praefuiſſet, anno deceſſit 1391[h], et in Eccleſia ſua ſepultus dicitur.

---

[e] Cent. 10. p. 47. [f] 25 potius. [g] 2 *Pat.* 13 R. 2. m. 22. [h] Obiit menſe Junio 1393, et ſepultus jacet in Aquilonari parte Navi, è regione tumuli Epiſcopi Joannis Marſhal. *MS. Anſtis.* ——— Extat teſtamentum fact. 10 Jun. 1392. in libro *Rous.* in Officio Praerog. f. 19. *Id.* —— Licentia eligendi conceſſa eſt 5 Jul. 1 *Pat.* 17 R. 2. m. 30.

XLIX. TIDEMANNUS.

TIDEMANNUS ſucceſſit[i], Abbas Beaulienſis, ſive de Bello-loco, qui (ni fallor) Tidemannus eſt ille dictus de Winchcomb, qui anno 1395 Wigornienſis evaſit Epiſcopus. [1393.] RIC.2.17.

L. ANDREAS BARRET.

ILLI itidem ſucceſſit Andreas Barret legum Doctor[k]. [1395.] RIC.2.19.

LI. JOANNES BURGHILL.

JOANNES BURGHILL Dominicanus, Epiſcopus Landavenſis et Confeſſor Regius[l], Lichfeldiam tranſlatus eſt menſe Septembri 1398. [1396.] RIC.2.19.

LII. THOMAS PEVERELL.

THOMAS PEVERELL, Carthuſianus Monachus, et ſacrae Theologiae Doctor, Epiſcopus erat Oſſerienſis in Hibernia, unde ad Landavenſem ſedem tranſlatus eſt 1399[m], et inde Wigorniam 1407. *1398. RIC.2.22.

LIII. JOANNES LA ZOUCH.

JOANNES LA ZOUCH Minorita, et ſacrae Theologiae Doctor, in Landavenſem Epiſcopum conſecratus eſt ſub initium Auguſti 1408[n]. Ex inſignibus ejus gentilitiis ſupra portam aedium Epiſcopalium Matherniae muro inſertis, portam illam conſtruxiſſe videatur, et turrim illi incumbentem, ſi non etiam partem multo maximam domus praedictae, ubi in feneſtris et alibi, Zouchaeorum parma honoraria funiculo circundata ſaepius viſenda, fidem facit haud dubiam, ex honoratiſſima familia Baronum Zouchiorum ortum eum habuiſſe[o]. 1408. HEN.4.9.

---

[i] Tidemannus de Winchcomb Abbas de Bello Loco, Ordinis Ciſter. Regium habet aſſenſum 18 Aug. 1 *Pat.* 17 R. 2 m. 20.——Cuſtodiam habet Temporalium 24 Oct. 1 *Pat.* 17 R. 2. m. 17, ſed non ſunt reſtituta ante 3 Julii 1394. 1 *Pat.* 18 R. 2. m. 38.

[k] Temporalia habet reſtituta 25 Aug. 1 *Pat.* 19 R. 2. m. 22.——Mortuus ante 31 Maii ſequentis, eo enim die Temporalia commiſſa ſunt Joanni Burghill cuſtodienda. 2 *Pat.* 19 R. 2. m. 8.

[l] Reſtitutionem habet Temporalium 15 Jun. 1396. *Rym. Foed.* T. 7. p. 833.

[m] Quo die conſecratus neſcio; ſed Temporalia habet reſtituta 16 Nov. 1398. *Ib.* T. 8. p. 62.

[n] Poſt tranſlationem Thomae Papa de Joanne electo Landav. ſacrae paginae Profeſſore providerit, Rex reſtituit Temporalia 7 Jun. 2 *Pat.* 9 H. 4. m. 21.

[o] Joanne defuncto Licentia eligendi conceſſa eſt 28 Apr. 1423. 3 *Pat.* 1 H. 6. m. 14. Rex aſſenſum adhibet electioni factae de JOANNE FULFORD S. T. P. 12 Maii 4 *Pat.* 1 H. 6. m. 32. Sed iterum vacavit 20 Jul. 1424. 3 *Pat.* 2 H. 6. m. 9.

LIV. JOANNES WELLES.

*1425. Hen. 6. 4. JOANNES WELLES[p] qui ſucceſſit illi, Minorita porro fuit et ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus circa feſtum Nativitatis Chriſti 1423, et defunctus ſub initium Novembris 1440[q].

LV. NICOLAUS ASHBY.

1441. Hen. 6. 19. NICOLAUS ASHBY[r], Coenobii Weſtmonaſterienſis Prior, conſecratus eſt anno 1441[s].

LVI. JOANNES HUNDEN.

1458. Hen. 6. 37. JOANNES HUNDEN Minorita, ſacrae Theologiae Doctor, et Coenobii de Langley-Regis Prior, conſecratus anno 1458, ſponte poſtmodum abdicavit[t].

LVII. JOANNES SMITH.

[1476.] Edw. 4. 16. JOANNES SMITH, ſacrae Theologiae Doctor, ſucceſſit[u]. Traditum reperi (quod mihi tamen veriſimile non videtur) obiiſſe eum decimo ſexto Octobris 1478[x], et in aede Chriſti ſepultum Londini, ab Aquilonari latere capellae omnium Sanctorum.

LVIII. JOANNES MARSHALL.

1478. Edw. 4. 18. JOANNES MARSHALL, ſacrae Theologiae Doctor, ſocius olim Mertonenſis Collegii Oxoniae[y], temporalia hujus Epiſcopatus accepit à Rege (ut in Archivis patet turris Londinenſis) decimo octavo Septembris Edwardi quarti 18°, hoc eſt, anno 1478. Aut igitur Smithus ante obitum reſignavit; aut in tempore, vel mortis unius vel ſubſtitutionis alterius deſignando, menda eſt. Monumentum ex polito lapide perpulchrum cernitur, è regione fere ſedis Epiſcopalis Landaviae. Eorum utrique, et ſedi nimirum et tumulo, inſignia ejus infixa vidi; ut alterum erexiſſe videatur, in altero conditus. Verum et Campanili Eccleſiae Mathernenſis, bis eadem ſunt inſculpta, unde ſatis probabiliter conjicio, ejus praecipue ſumptibus turrim eam conſtructam, quae ex quadrato lapide fabricata, in magnam altitudinem conſurgit. Sedit annos octodecim, et quantum deinde amplius me fugit[z].

---

[p] Papae Penitentiarius, proviſus eſt Bulla Martini 7 Id. Jul. 1425, et profeſſionem fecit Archiepiſcopo 15 Jan. ſequentis. *Regiſtr. Chichl.* f. 39; et eodem die Temporalia habet reſtituta. 1 *Pat.* 4 H. 6. m. 12.

[q] Eo defuncto conceſſa eſt Licentia eligendi 17 Nov. 1 *Pat.* 19 H. 6. m. 16.

[r] Proviſus Bulla Eugenii Papae 13 Kal. Mar. 1440; profeſſionem fecit Archiep. 24 Maii 1441. *Regiſtr. Chichl.* f. 56. Temporalia habuit reſtituta 15 Apr. 3 *Pat.* 19 H. 6. m. 35.

[s] Obiit *paulo ante* 20 Oct. 1458, ait *Regiſtr. Bourch.* Succeſſor verò Joannes Hunden Temporalia habet reſtituta 25 Aug. 2 *Pat.* 36 H. 6. m. 4. ideoque neceſſe eſt verba illa indefinita *paulo ante* in laxiori ſenſu accipere.

[t] Pardonatus, (ut loquimur) ſed qua de cauſa non conſtat, 12 Feb. 1471. *Rym. Foed.* T. 11. p. 734. Adhuc in vivis A°. 1476; eo enim anno Archidiaconatum Menevenſem reſignavit. *MS. Anſtis.*

[u] Per ceſſionem liberam Joannis Hunden Eccleſ. Landav. vacavit, et Papa de Joanne Smyth in Theologia Profeſſore providerit, cui Rex reſtituit Temporalia 11 Sept. 1 *Pat.* 16 E. 4. m. 10.

[x] Obiit 29 Jan. 1477 (anno exeunte) ſepultus in capella Omnium Sanctorum annexa Eccleſiae Fratrum Minorum Lond. Ita in quodam MS. de monument. in Eccl. Fra. Min. Lond. in *Bibl. Cott.* ſub effigie *Vitell.* T. 12.——Epiſcopus Wigorn. cuſtodiam habet Temporalium 6 Mart. *Fin.* 17 E. 4. m. 6. Vacavit adhuc 2 Maii. 1 *Pat.* 18 E. 4. m. 13.

[y] Collegii Etonenſis Socius, et Canonicus Windeſoriae.——Reſtitutionem habet Temporalium 18 Sept. 1478. 2 *Pat.* 18 E. 4. m. 25.

◆◆◆

LIX. JOANNES INGLEBY.

[1496.]
Hen. 7. 12.

JOANNES INGLEBY[a] Carthuſianus, Prior Shenenſis, Epiſcopus ſedit tricesimo Junii 1497, et decimo quinto Octobris 1499: quando autem praeſidere aut caeperit aut deſierit, haud comperi.

* * *

LX. MILO SALLEY.

[1500.]
Hen. 7. 15.

MILO SALLEIUS, Abbas primum Abendonenſis, mox Einſamenſis, Epiſcopus Landavenſis creatus eſt ante quintum Novembris 1504[b], et deceſſit ſub exitum Decembris 1516[c]. Ab aetate provectioribus nonnullis accepi, magnam partem aedium Mathernenſium ab illo conſtructam, Capellam, aulam, coenaculum, turrim adjunctam, necnon et coquinam cum aedificiis vicinis.

◆◆◆

LXI. GEORGIUS ATHEQUA.

1516.
Hen. 8. 8.

GEORGIUS DE ATHEQUA[d] Dominicanus, patria Hiſpanus, qui una cum Catharina Regina in Angliam veniens, illi factus eſt à ſacris, ejuſque opera ad hunc Epiſcopatum evectus, conſecrationem accepit Martii octavo, ſtilo Anglicano, 1516.

* * *

LXII. ROBERTUS HOLGATE.

1537.
Hen. 8. 28.

ROBERTUS HOLGATE[e], ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, et ordinis Sempringamenſium Provincialis, conſecratus eſt viceſimo quinto Martii 1537[f]; et poſt ſeptennium ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus eſt.

---

[z] Teſtam. fact. 3 Jan. 1495, probatum 23 Feb. 1495. in *Cur. Prerog.* libro *Vox. MS. Anſtis.* [a] ISGILBY, Licentiam habet conſecrationis extra Eccl. Cant. 6 Sept. 1496. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Temporalia prius reſtituta 2 Sept. *Rym. Foed.* T. 12. p. 635. [b] Licentiam obtinet conſecra. 13 Martii 1499. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Regiſtrum verò aliud diem decimum aſſignat ejuſdem anni, etſi vocat. ann. 1500. ——— Cuſtodiam habet Tempor. 14. Nov. 1499, et reſtituta ſunt 12 Maii 1500. *Rym.* T. 12. p. 734, 754. [c] Teſtamentum fact. 29 Nov. 1516. probat. 22 Jan. 1516. in libro *Holder*, in *Cur. Prerog. MS. Anſtis.* Sepultus jacet in Eccl. S. *Marci* al. de *Gawntes* apud Briſtol. *Ib.* —— Spiritualia, poſt mortem Milonis, ſeiſita ab Archiepiſcopo 7 Jan. 1516. *Regiſtr. Warham.* [d] Proviſus à Leone 3 Id. Febr. 1516; conſecratus à Carolo Herefor. Epiſcopo 8 Mar. 1516, in Eccleſ. S. Pauli Lond. *Regiſtr. Warham.* f. 20. [e] Praeſes fuit Senatus et Concilii Eborac. ut patet ex literis *Rog. Aſchami* ad eum datis. L. 2. Epiſt. 2. [f] Temporalia reſtituta ſunt 29 Mar. 1537. *Rym. Foed.* T. 14. p. 580. conſecratus 25 Mar. *Regiſtr. Cranm.* f. 200. ——— Tertio Martii 28 H. 8^{i} diſpenſatio conceſſa eſt Rob. Holgate Magiſtro Ordinis de Sempringham, ut dictum Magiſterium et Prioratum Domus de Watton cum Epiſcopatu Landavenſi, ad quem nominatus eſt, retineret ad vitam. *MS. Anſtis.* Domum verò de Watton reſignavit D^{no} Regi 23 Mar. 1540. *Burnetti Hiſt. Reform.* V. 1. p. 198.

LXIII. ANTONIUS KITCHIN, al. DUNSTAN.

1545. Hen. 8. 37. FUNDI noſtri calamitas, Antonius Kitchin alias Dunſtan, ſacrae Theologiae Doctor, et Cantabrigienſis Academiae alumnus, conſecratus eſt tertio Maii 1545[g]. Monachus olim Weſtmonaſterienſis et ſtudioſorum in Aula Gloceſtrenſi Oxoniae Prior, Abbas factus eſt Einſamenſis, ibique Coenobio diſſoluto, hic, omine parum fauſto, Epiſcopus collocatus eſt. Praedia ſiquidem Epiſcopalia omnia (pauciſſimis exceptis) divendidit, et reliqua ad longiſſimum tempus elocavit, penſiunculis perquam exiguis reſervatis. Hanc attamen ſedem, à ſe eouſque depauperatam relinquere gravatus, homo Pontificiae doctrinae addictiſſimus; Elizabetha regnante, omnium ſui temporis Epiſcoporum ſolus, juramentum de primatu Regio praeſtitit juxta legem nuper latam, et praeſulatum ad mortem uſque retinuit. Deceſſit vero Octobris triceſimo primo 1563, et in Eccleſia parochiali Matherniae ſepultus eſt.

LXIV. HUGO JONES.

1566. Eliz. 8. HUGO JONES, potius dixerim Joannis, legum Baccalaureus, Oxoniae educatus, conſecrationem accepit Maii quinto 1566, et Matherniae tumulatus eſt decimo quinto Novembris 1574. Wallorum primus, qui per annos plus minus trecentos hujuſce ſedis inſulis ornatus eſt.

LXV. GULIELMUS BLETHIN.

1575. Eliz. 17. GULIELMUS BLETHIN, legum itidem Baccalaureus, necnon et Oxonienſis, Wallus etiam, et Brechinienſis Archidiaconus, conſecratus eſt decimo ſeptimo Aprilis 1575[h], et diem clauſit extremum, circa medium Octobris 1590 Shernewtonae, Matherniae vero ſepultus eſt, juxta anteceſſorem.

LXVI. GERVASIUS BABINGTON.

1591. Eliz. 33. GERVASIUS BABINGTON, ſacrae Theologiae Doctor, Landavenſis Theſaurarius, et Collegii ſacroſanctae Trinitatis nomini Cantabrigiae dicati aliquando ſocius, conſecratus eſt viceſimo nono Auguſti 1591[i]. Hinc deinde Exoniam tranſlatus, menſe Februario 1594; Wigorniam denique poſtea migravit.

---

[g] Electus 26 Martii 1545; confirmatus 2 Maii; conſecratus poſtridie. *Regiſtr. Cranm.* f. 310.

[h] *Regiſtr. Park.* f. 9.

[i] *Regiſtr. Whitg.* f. 77.

LXVII. GULIELMUS MORGAN.

1595. Eliz. 37. GULIELMUS MORGAN, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis[k], cum ſacra Biblia in Cambricum ſive Wallicum idioma convertiſſet, laboris utiliſſimi hoc tulit praemium, ut ſedi Landavenſi praeficeretur, opulentiori poſt ſexennium remunerandus. Conſecratus viceſimo Julii[l] 1595. Cum de Eccleſia reficienda Cathedrali, jam aevo fatiſcente et ruinam minitante totus cogitaret, ad ſedem Aſſaphenſem tranſlatus decimo ſeptimo Septembris 1601, hunc laborem mihi reliquit, quem adeo nollem praeripuiſſet, ut eam ob rem majorem bono viro gratiam habeam, quam quod rerum Epiſcopalium fidus diſpenſator, optimo quantum potuit loco omnia mihi reliquerit, meliori etiam relicturus, ſi conatibus ejus ſors arriſiſſet. Sed irrita ejus induſtria, me ad annitendum excitavit. Et labores meos, per Dei bonitatem, tam Eccleſiae Cathedrali, quam ſedi Epiſcopali, nonnihil profuiſſe, ſucceſſoribus ut ſpero conſtabit, utcunque haeredes conquerantur rem propriam familiarem mihi inde non mediocriter afflictam.

LXVIII. FRANCISCUS GODWIN.

1601. Eliz. 43. FRANCISCUS GODWIN, ſacrae Theologiae Doctor, Subdecanus Exonienſis, Thomae Godwini filius (Bathonenſis olim ac Wellenſis Epiſcopi[m]) Haningtonae natus in Comitatu Northantonenſi, in aede vero Chriſti Oxoniae educatus; Epiſcoporum Anglicorum Catalogum contexui anno 1601, qui non parum auctus et locupletatus, iterum (ſed mendoſiſſime) anno 1614 editus, nunc demum anno 1616 in Latinum ſermonem, multis id flagitantibus, à me converſus eſt. Elizabethae Principis (quae annos jam quatuor regnaverat quando natus ſum) deſignatione, Eccleſiae Landavenſis miniſterio admotus ſum, et in Eccleſia Weſtmonaſterienſi conſecratus viceſimo ſecundo Novembris[n] 1601. Ad Eccleſiam Herefordenſem tranſlatus viceſimò octavo Novembris 1617.

LXIX. GEORGIUS CARLTON.

1618. Jac. 1. 16. IN Eccleſia Landavenſi ſucceſſorem habui Georgium Carlton, ſacrae Theologiae Doctorem, Mertonenſis olim Collegii Oxoniae ſocium; cujus lucubrationes eruditorum manibus quotidie teruntur. Conſecrationis ritibus inauguratus eſt duodecimo Julii 1618[o]. Hic loci nondum plane conſederat, cùm in Belgium amandatus eſt, una cum aliis aliquot Theologis ad Synodum Dordrectanam; in qua et judicium de quinque controverſis doctrinae capitibus natum, et confeſſio antiqua reformatae Eccleſiae

[k] Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantabr. Natus apud *Gwibernant* in Parochia de Penmachno Comitatu Carnarv.
[l] *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 60.
[m] Et Iſabellae, cui pater Nicolaus Puriferus de Shalton in Comitatu Buck. antiquiſſimae proſapiae Armiger. *MS. Gale.*
[n] *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 59.
[o] *Regiſtr. Abbot* f. 125.

Belgicae, quoad fidei quidem dogmata, à Britannis Theologis eſt approbata: Quod vero attinet ad articulos ejuſdem confeſſionis 30, 31 et 32 (in quibus de regimine agitur Eccleſiaſtico) non modo Synodo non ſunt propoſiti, ſed et contra eoſdem (utcunque ſilentio praetermiſſos) per Epiſcopum et Collegas Britannos, apertis verbis ſtrenuè interpellatum eſt, rationibuſque ſolidis reclamatum; ad quas à reliquis Synodicis omnino nihil regeſtum eſt.

LXX. THEOPHILUS FEILD.

1619. Jac. 1. 17. THEOPHILUS FEILD, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, conſecratus eſt decimo Octobris 1619[p]. Anno 1627 Meneviam migravit, et dein Herefordiam.

* * *

LXXI. GULIELMUS MURRAY.

1627. Car. 1. 3. SUCCESSIT Gulielmus Murray Scoto-Britannus, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, Collegii Beatae Mariae de Etona Praepoſitus, et Epiſcopus Fennaborenſis in Hibernia[q], inde ad Dioeceſin Landavenſem tranſlatus viceſimo quarto Decembris 1627[r]. Deceſſit exeunte Februario 1639; Mathernae ſepultus.

LXXII. MORGANUS OWEN.

1639. Car. 1. 15. ILLI defuncto mox ſufficitur Morganus Owen Wallus, ex Academia Oxonienſi, in Epiſcopum conſecratus viceſimo nono Martii 1639[s]. Qui cum eſſet unice gratia atque opera Reverendiſſimi Gulielmi Laud ad Epiſcopatum promotus; graſſante bello civili, cum amico deturbato atrociorem traxit ruinam; haud diu ſuperſtes obiit Martii quarto 1644.

LXXIII. HUGO LLOYD.

1660. Car. 2. 12. SUCCESSIT aliquando tandem Hugo Lloyd Archidiaconus Meneveſis, qui cum eſſet à perduellibus rerum potitis jam diu exagitatus et ſpoliatus, decimo octavo Novembris 1660[t] ad Dioeceſin Landavenſem à Carolo fuit evectus. Naturae debitum perſolvit ſeptimo Junii 1667, aetatis 78, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

[p] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 41.

[q] *Waraeus de Praeſul. Hib.* p. 55.

[r] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 115.

[s] *Regiſtr. Laud.* par. 2.

[t] *Regiſtr. Juxon.* f. 386.

LXXIV. FRANCISCUS DAVIES.

FRANCISCUS DAVIES, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Jeſu 1667. Car. 2. 19. Oxoniae aliquando Socius, et Archidiaconus Landavenſis, conſecratus eſt Auguſti viceſimo quarto 1667 [u]. Morti ſuccubuit decimo quarto Martii 1674, aetatis 70, et in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

LXXV. GULIELMUS LLOYD.

IN ſucceſſorem electus eſt Gulielmus Lloyd, et conſecratus Aprilis decimo octavo 1675 [x], ad Dioeceſin Petroburgenſem tranſlatus anno 1679, et inde ad Norwicenſem 1685. Ubi de eo plura. 1675. Car. 2. 27.

LXXVI. GULIELMUS BEAW.

SUCCESSIT Gulielmus Beaw, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Novi Oxoniae aliquando Socius; qui cum Collegio à viſitatoribus anno 1648 fuiſſet ejectus, in Sueciam exul commigravit, ibi in caſtris militaribus ſtipendia meruit. Anno verò 1660 cum Carolo reduce in Patriam reverſus, in ſocietatem poſtliminio admiſſus, jam tandem 22 Junii 1679 in Epiſcopum conſecratus [y] hanc Dioeceſin adminiſtrandam adeptus, vixit aduſque 1705, et nonagenarius obiit decimo Februarii. 1679. Car. 2. 31.

LXXVII. JOANNES TYLER.

IN defuncti locum ſufficitur Joannes Tyler, ſacrae Theologiae Doctor, Decanus Herefordenſis, Collegii Aenei Naſi Oxoniae aliquando Socius. Conſecratus triceſimo primo Junii 1706, mortem obiit ineunte Julio 1724. 1706. Annae 5.

LXXVIII. ROBERTUS CLAVERING.

ROBERTUS CLAVERING, ſacrae Theologiae Doctor, aliquando Collegii Univerſitatis Oxoniae Socius, Aedis Chriſti ibidem Canonicus, et Linguae Hebraicae Profeſſor Regius, in Epiſcopum conſecratus Januarii ſecundo 1724. Anno 1728 ad Dioeceſin Petroburgenſem tranſlatus. 1724. Geo. 1. 11.

---

[u] *Regiſtr. Sheldon.* f. 18. [x] *Ib.* f. 153. [y] *Regiſtr. Sancr.* f. 36.

LXXIX.

LXXIX. JOANNES HARRIS.

1729. Geo. 2. 3. SUCCESSIT Joannes Harris, ſacrae Theologiae Doctor Oxonienſis, Eccleſiae Cantuarienſis Praebendarius; in Epiſcopum conſecratus decimo nono Octobris 1729, Decanatum primo Herefordenſem, deinde Wellenſem commendatitio jure Epiſcopatui adjunctum poſſidens. Ceſſit è vita Auguſti viceſimo octavo 1738, et in Eccleſia Wellenſi ſepultus jacet.

LXXX. MATTHIAS MAWSON.

1738. Geo. 2. 12. MATTHIAS MAWSON, S. T. P. Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Magiſter, conſecratus decimo octavo Februarii 1738, et anno 1740 Ciceſtriam tranſlatus migravit.

LXXXI. JOANNES GILBERT.

1740. Geo. 2. 14. JOANNES GILBERT, Decanus Exonienſis et Aedis Chriſti Oxon. Canonicus, conſecratus ſucceſſit viceſimo octavo Decembris 1740.



p. 620.



De EPISCOPIS BANGORENSIBUS[a].

I. Hervaeus.

BANGORAE ſedes Cathedralis quando fuerit conſtituta, aut quis ejuſdem primus extiterit Epiſcopus, haud facile quis deſignarit. Ad me quod attinet, non reperi (fateor) Antiſtitis cujuſquam Bangorenſis mentionem ante tempora Normannorum, niſi fortè unius (dicti Marclois) qui (ut habent Cambriae Annales) anno deceſſit 943. Verum Marclois ille (appellandus rectius Marchluith) Landavenſis fuit, et non Bangorenſis Epiſcopus. Mihi ergo primus hoc in ordine collocandus Hervaeus[b], *qui* (ut loquitur Malmesburienſis) *hanc ſedem ſpe* [1092.]

---

[a] Decanus et Capitulum Bangor. medietatem reddituum et aliorum proficuorum ad Epiſcopatum pertinentium, temporibus vacacionum ejuſdem Epiſcopatus, à tempore cujus contrarii memoria non exiſtit, habuerunt et perceperunt: redditibus et omnibus aliis proficuis de Civitate Bangor. provenientibus duntaxat exceptis. *Clauſ.* 2 E. 3. m. 8. *MS. Anſtis.*

Ante tempora Hervaei hi extiterunt Epiſcopi.

I. Daniel. Qui rexit Epiſcopatum *Bangorenſe* vel *Pangorenſe* in Arvonia, anno 516, conſecratus à Dubricio; et deceſſit anno 542. Teſte *Uſſero in Antiqu. Brit. Eccl.* p. 47, 48, 274. Sed claruit, *Pitſeo* referente, A°. 563.

II. Ellodu. Epiſcopus Venedociae obiit anno 811. *Annal. Menev.*

III. Mordaf, vel Marclois. Qui anno 940, aut eo circiter, Romam ivit cum Principe *Howel Dha*, ad procurandam à Papa confirmationem Legum Wallicarum nuperrime reformat. *Wynne* in *Hiſtor. Wallica.* p. 51, et obiit anno 942. *Id.* p. 52.

Anno 975 Edgarus Rex novam Eccleſiam fundavit juxta Cathedralem Bang. *Id.* p. 59.

[b] Hervaeus conſecratus eſt, Lanfranco jam defuncto, à Thoma Ebor Archiep. *Stubbs.* Teſtis Chartae fundationis Abbatiae de Cheſter anno 1095. *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 202. Epiſcopatum tenuit Id. Jul. 1100, quo die Eccleſia Gloceſtrenſis ab eo dedicata eſt. *Floren.* et *Dunelm.* et adhuc Epiſcopus Bangorenſis interfuit Conſecrationi Thomae Archiepiſcopi Ebor. 5 Kal. Jul. 1109. *Par.* p. 53. *Dicet. Abbr.* p. 501.——Tandem verò ab Epiſcopatu ſuo Bangorenſi per violentiam ejectus, mittitur à Rege ut de Eccleſiae Elienſis rebus ad tempus ſuſtentaretur, donec Rex plenius deliberaret, quid de eo eſſet facturus. *Niger Libellus*, qui *Regiſtrum Conſiſtorium Elienſe* vocatur.

majorum divitiarum reliquit, cauſatus quod ſibi et Wallenſibus non conveniret, atque (utrum hic neſcio) Elienſis Eccleſiae primus haud dubie Pontifex factus eſt, idque anno 1109.

◆◆◆

II. DAVID[c].

1120. HERVAEO à nonnullis ſubſtituitur Urbanus, qui etiam Landavenſis fuit Epiſcopus et (quantum auguror) Bangoram nunquam vidit; interfuit vero conſecrationi Davidis, anno 1120, de quo haec ſcripta reliquit Balaeus[d]. "David Presbyter, natione Scotus, antiquorum Philoſophorum exemplo ductus, reliquit terram patriam et amore bonarum diſciplinarum longinquas regiones adiit. In ſuperiorem Germaniam poſt longa ac laborioſa ſtudia, expatiatus eſt, ad Wirceburgenſem ſcholam inſignem paedotribes admiſſus. Eo tempore Henricus quintus Imperator in Italiam rebus agendis proficiſcens, ſe non ſolum armatis militibus, ſed et peritis quoque viris, ac literatis hominibus munivit, ut per ipſos cuique poſcenti, in omni eruditione rationem redderet. Inter eos Davidem hunc Scotum, à ſacellis habuit, doctrina ac morum probitate praeſtantem virum. Qui juſſus ab illo (ut Urſpergenſis author eſt) itineris ejus curſum, rerum in eo geſtarum ordinem, facili ſtilo, quo ab omnibus intelligeretur congeſſit: Ita vero (teſte Malmesburienſi[e]) ut in gratiam Principis, magis quam hiſtoricum deceret, acclivus videretur."

◆◆◆

III. MAURITIUS, al. MEURIC.

1139. MAURITIUS, vel Meuricus, conſecratus eſt anno 1139, una cum Uhtredo Landavenſi, per Theobaldum Archiepiſcopum Cantuarienſem[f]. Juramentum fidelitatis Angliae Regi praeſtare recuſavit aliquandiu: Sed hoc ipſum ab omnibus Epiſcopis, etiam Wallicis, praeſtari conſuetum edoctus; licet aegrè conſenſit tandem. Cùm anno 1161 obiiſſet, diu ſedes vacaſſe videtur.

◆◆◆

IV. GULIELMUS.

PROXIMUS illi ſucceſſiſſe videtur (quamvis poſt longum temporis intervallum) Gulielmus, Coenobii ſancti Auguſtini Briſtoliae Prior[g], vir pietate doctrinaque (ut Cambrorum annales teſtantur) celeberrimus.

---

[c] Vacavit igitur Epiſcopatus uſque ad annum 1120, quo Radulphus Archiep. Cantuar. conſecravit in Epiſcopum clericum quendam nomine David 4 Apr. electum à Principe Griffino, Clero et Populo Walliae: cujus conſecrationi interfuere Ric. Londinenſis, Rob. Lincolnienſis, Rog. Sarisburienſis, et Urbanus Glamorganenſis Epiſcopi. *Continua. Mar. Scot.* p. 373.

[d] Cent. 14. p. 211.

[e] L. 5. f. 93. b.

[f] Conſecratus anno 1140. *Floren.* 1141. *Cont. Mar. Scot.*

[g] Epiſcopus factus ab Hen. Rege A^o^. 1184. *Hoved.* —— De Gulielmo Epiſcopo quid dicendum eſt penitus ignoro. Si re vera hujus Dioeceſeos unquam extitiſſet Epiſcopus, neceſſe eſt ut ſit inter annos 1161, quo Mauritius deceſſit, et 1177 quo Guido fuit conſecratus. Sed quid tum cum Hovedeno? Credendum eſt potiùs quod nunquam epiſcopavit; eo quod, excepto Hovedeno, altum eſt in Hiſtoricis de eo ſilentium; et profeſſio ejus non habetur in Regiſtro Cantuar.

V. GUIDO, al. GUIANUS.

1177. HOVEDENUS author eſt, Guidonem in Coenobio ſanctimonialium conſecratum Ambresburiae undecimo Cal. Junii 1177 [h], et Gulielmum, ab Henrico ſecundo huic Dioeceſi Epiſcopum datum anno 1184. Attamen quia Giraldus Cambrenſis [i] teſtis oculatus, Guianum, Baldwinum Archiepiſcopum Cantuarienſem hoſpitio perhibet excepiſſe anno 1188, et Catalogus in Archivis Eccleſiae Bangorenſis repertus, Gulielmum in priori loco collocat, non poſſum non hunc ordinem probare quem ſequutus ſum.

VI. ALBANUS.

1195. ALBANUS dictus Prior Hoſpitalis Hieroſolymitani, conſecratus eſt decimo ſexto Aprilis 1195 [k], et anno ſequenti mortuus eſt [l].

VII. ROBERTUS SALOPIENSIS.

1197. JOAN. 9. ROBERTUS SALOPIENSIS [m], conſecratus anno 1197 [n]. Anno deinde 1210, in Eccleſia ſua Cathedrali, à Joanne Rege captus, pro lytro dedit eidem accipitres ducentos [o]. Anno 1213 decedens, corpus ſuum humari mandavit (ſic Weſtmonaſterienſis [p]) in medio fori Salopienſis. Poſt obitum ejus, per biennium ſedes vacavit, propter continua bella inter Joannem Regem, et Leolinum Walliae Principem id temporis geſta.

VIII. CADUCANUS [q].

1215. JOAN. 17. CADUCANUS, vel Cadwgan, Abbas Landeſidenſis, homo egregiè doctus, conſecratus eſt (ut annales teſtantur Cambrorum) anno 1215. Anno deinde 1236 ab onere muneris Epiſcopalis liberatus per Gregorium nonum Papam, Coenobii Dorenſis Monachus factus eſt. Scriptas dicitur reliquiſſe Homelias quaſdam, appellatas ab ipſo *Speculum Chriſtianorum*, et in Monaſterio Dorenſi praedicto fuit ſepultus [r].

---

[h] *Hoved.* f. 320. —— Julii 1. 1177. *Bromt.* Col. 1119, aſtantibus quinque aliis Epiſcopis, ſed non fuit dies Dominica. Cum Hovedeno conſentiunt *Malmeſb.* et *Bened. Abb. Petr.* in vit. H. 2. p. 210.

[i] *Girald. Itin.* L. 2. c. 6.——Obiit circ. 1190. *Id. de Geſtis ſuis.* L. 2. c. 22.

[k] Ita *Weſtmon.* et *Hiſt. Roff.*

[l] Deceſſit 19 Maii 1196. *Nero* E. 6. f. ult. in in Bibl. Cott. ——— Anno 1190 Cuſtos fuit Domus S. Crucis juxta Winton.——Sepultus in novo Templo Lond. cujus monumentum viſitur in Auſtrali parte Eccleſiae. *MS. Hutton.*

[m] Canonicus Ciſtertienſis, et Prebendarius Eccleſiae de Wolverhamton. *Gyrald. Diſtin.* 3. *Bleſenſ.* Ep. 147.

[n] Mar. 17. *Le Neve*, ſed nulla data authoritate.

[o] *Wynne* in *Hiſt. Wallica.* p. 231.

[p] A. 1213.

[q] Poſt mortem Roberti Martinus Abbas de *Alba-landa* vel *Blanchelande* vel *Tuy-Gwyn* electus, à Rege confirmatus eſt 13 Apr. Joh. 16. A°. ſc. 1215. et conſecratus 16 Jun. 1215. *Annal. Wigorn.* cum Caducano igitur eundem eſſe conſtat, etſi ſub alio nomine.

[r] Obiit 3 Id. Apr. 1241. *Annal. Teokeſb.*

IX. HOWELLUS.

1236. Hen. 3. 20. HOWELLUS quidam conſecratus anno 1236[s], Eccleſiam conſecravit, et honori B. Virginis dedicavit in Coenobio Franciſcanorum apud Llanvais, in littore inſulae Angleſeiae. Hanc Eccleſiam (una cum Coenobio) extruxit Leolinus Walliae Princeps, ſuper ſepulchrum uxoris ſuae Joannae, quae Joannis Regis fuerat ſoror, et ibi loci ſepeliri expetierat.

X. RICHARDUS[t].

[1237.] Hen. 3. 21. RICHARDUS Epiſcopus Bangorenſis Leolinum[u] Principem excommunicavit, quod contra fidem jusjurandi Griffinum fratrem captivum detinuiſſet, qui, Epiſcopo inſuper de reditu ſpondente, ſe in illius dederat poteſtatem[x]. Cumque excommunicatione hujuſmodi nihil proficeret; ad Regem atque Pontificem conquerendi finem non fecit, donec ita inſtigaſſet, hunc ad excommunicationem emiſſam confirmandum, illum vero ad bellum protinus inferendum, ut Regi tandem, neceſſum habuerit Leolinus, fratrem tradere, qui in Turri Londinenſi hominem curavit aſſervari, donec effugere conatus, à muro delapſus, fractis cervicibus interiit[y]. Hic deinde Epiſcopus (ut habet Pariſienſis[z]) anno 1248 "Venit ad Coenobium S. Albani, ut eidem depauperato ſinus pateret "miſericordiae, et ibidem cum D. Abbate, donec Epiſcopatus ejus qui per "bellum deſtructus erat, aliquantulum reſtauraretur, habitaret; et ipſe "cum Clericis ſuis à preſſuris, quae circundederant eos, ſicut quondam "Hertfertenſis Epiſcopus (*quiſquam is fuerit non poſſum conjicere*[a]) qui et "ibidem per circiter viginti annos commorans honorifice ſuſtentabatur, "reſpiraret."

XI. ANIANUS.

1267. Hen. 3. 52. ANIANUS, appellatur etiam Eneon, Monae ſive Angleſeiae Archidiaconus, temporalia hujus Epiſcopatus accepit duodecimo Decembris Henrici tertii 52[b]. Una cum proceribus Walliae juramentum fidelitatis Edwardo de Caernarvon Walliae Principi praeſtandae ſuſcepit Aprilis viceſimo octavo anno 1300[c].

---

[s] Licentia eligendi conceſſa eſt 7 Jun. *Pat.* 20 H. 3. m. 6. Sed quo die conſecratus, non conſtat.

[t] Succeſſit anno 1237. Anno enim 1267 conſecratus eſt Anianus ejus Succeſſor; et ipſe Richardus in litera ſupplicatoria ad Papam aſſerit, ſe *Epiſcopatum Bangorenſe pluſquam triginta annos rexiſſe*. Vid. Lit. in append. ad Hiſt. hujus Eccl. à Cl. viro *Br. Willis* edit. p. 187.

[u] Davidem potius Leolini filium. Vid. *Wynne* in *Hiſt. Walliae*. p. 260.

[x] *Weſtmon.* ad A. 1240.

[y] *Id.* ad A. 1244.

[z] P. 645.

[a] Epiſcopus *Ardfertenſis* in Hibernia. Vid. *Warae. de Praeſ. Hib.* p. 234.

[b] Licentia eligendi conceſſa eſt 8 Nov. *Pat.* 52 H. 3. et profeſſionem fecit Anianus Bonifacio Archiepiſcopo Cant. anno 1267, aſtantibus Hug. Elienſi et Will. Landavenſi Epiſcopis. *Regiſtr. Cant.*

[c] Adhuc Epiſcopus 13 Apr. 1305. *Rym. Foed.* T. 2. p. 962.

XII.

XII. CADUCANUS[d].

CADUCANUS fuit Epiſcopus Bangorenſis anno 1306. 1306. EDW. 1. 34.

XIII. GRUFFINUS.

GRUFFINUS conſecratus eſt anno 1306[e]. *1307. EDW. 1. 35.

XIV. LUDOVICUS.

LUDOVICUS conſecratus eſt una cum Menevenſi, Archiepiſcopatu Cantuarienſi vacante, per Epiſcopum Londinenſem, facultate ad id impetrata à Priore et Conventu Cantuarienſi, anno 1320.

XV. MATTHAEUS.

MATTHAEUS, conſecratus anno 1334, deceſſit viceſimo quinto *1328. EDW. 3. 2.
Aprilis 1357.

XVI. THOMAS DE RINGSTEAD.

THOMAE DE RINGSTEAD, Academiae Oxonienſis[g] (ſicut accepi) alumno, juriſdictio hujus ſedis commiſſa eſt decimo ſexto 1357. EDW. 3. 31. Decembris 1357[h]. Auguſti vero viceſimo primo ſequentis conſecratus, in Dominicanorum Coenobio Salopiae[i] deceſſit octavo Januarii 1365. Teſtamenti ejus vidi formulam, in quo Canonicis Auguſtinenſibus Huntindoniae legavit decem libras, et corpus ſuum inter illos ſepeliri mandavit[k], ubi parentes ejus antea fuiſſent tumulati: Ad reparationem item Eccleſiae ſuae Cathedralis centum libras: Ad veſtimenta et capas emendas, in parochialibus Eccleſiis, ubi deeſſe viderentur, 40 libras: Atque ad ſtudioſorum pauperum ſuſtentationem centum libras. Has pecunias (Wallis ſuis neſcio quam ob cauſam infenſus) Walli cujuſquam fidei diſtribuendas committi vetuit. Deinde inter alia minoris momenti legata, Academiae Cantabrigienſi (miror quod non potius Oxonienſi, ſi ipſe fuerit Oxonienſis [l]) dedit viginti libras, in arca ibidem perpetuo aſſervandas, ut inde ſtudioſus quilibet decem ſolidos, relicto pignore, poſſet mutuari [m].

---

[d] De eo nil niſi nomen occurrit.

[e] AP YERWARD, *Reg. Cant.* Conſecratus à Petro de Spano Cardinali apud Carlile 7 Kal. Apr. (Mar. 26.) 1307, quia commode in provincia Cantuar. non potuit. *Regiſtr. Greenf. Ebor.* —— Obiit ante 17 Jul. 1309 *Pat.* 3 E. 2. —— Huic ſucceſſit ANIANUS *ſecundus*, SEYS appellatus. Confirmatus 28 Sept. 1309. *Regiſtr. Winchelſ.* Extitit electus et confirmatus 20 Oct. 1309, *Concil. Angl.* T. 2. p. 333. — Conſecratus 9 Nov. 1309 in Eccleſ. Cant. *Regiſtr. Cantuar.* — Temporalia habet reſtituta 7 Sept. *Pat.* 3 E. 2. —— Obiit *Anianus* in Craſtino converſationis S. Pauli anno 1327, et ſepultus eſt in Eccleſia Bang. in quodam muro inter chorum et magnum altare. *Regiſtr. Cant.*

[f] Poſt mortem Aniani ſecundi ſucceſſit *Matthaeus de Englefeld*, electus die Veneris proximè poſt Feſtum S. Matthiae 1327. Conſecratus in craſtino S. Barnabae 1328. *Regiſtr. Cant.* —— Fidelitatem fecit, et Temporalia habet reſtituta 30 Apr. *Clauſ.* 2 E. 3. —— Matthaeum Aniano ſucceſſiſſe conſtat ex eo, quod confirmata fuit ejus electio, vacante ſede Cantuarienſi, per Priorem 24 Apr. 1328, et Jul. 15 ejuſdem anni Prior poſtulavit Aniani annulum jam defuncti. *Regiſtr. R. Prioris Cant*

[g] Anno 1348 Thomas Epiſc. Elienſis revocat omnes Poenitentiarios ſuos in Cantabrigia praeter aliquot paucos, in quibus frater Tho. de Ringſtead ſacrae Theologiae Doctor ſic emicuit, ut, etiam in caſibus reſervatis, ei poteſtatem denuo conferat. Hiccine *Oxonienſis?* Huntingdoniae natus eſt. *MS. Wren.*

[h] Proviſus 12 Kal. Sept. Spiritualia accepit 7 Kal. Dec. 1357. *Regiſtr. Iſlip.* f. 218.

[i] Obiit Salopiae in domo Fratrum Praedicatorum 6 Id. Jan. 1365. *Ib.* f. 245.

[k] *Lego corpus ſepeliendum in domo Fratrum Praedicatorum London.* ex ult. Teſt. *Id.* ib.

◆ ◆ ◆

XVII. GERVASIUS DE CASTRO.

1367. EDW. 3. 41. GERVASIO DE CASTRO Dominicano, ſacrae Theologiae Doctori, juriſdictio hujus dioeceſis commiſſa eſt Januarii viceſimo ſexto 1366 [n]. Romae poſtea dicitur conſecratus. Teſtamentum condidit viceſimo quarto Septembris 1370 [o].

* * *

XVIII. HOWELLUS.

*1371. EDW. 3. 45. HOWELLUS [p] quidam hujus Eccleſiae Epiſcopus, conſtitutus eſt menſe Januarii 1370; et mortem obiit menſe Februario anni ſequentis, ſicut in Regiſtro Gul. Wittleſeii Archiepiſcopi Cantuarienſis memoratum reperi; Ubi etiam obſervavi, Gervaſium, proximum ejus anteceſſorem appellatum. Non deſunt tamen qui Auxanum [q] neſcio quem interponant. Hunc vero, publicarum tabularum nixus authoritate, rejiciendum duxi.

* * *

XIX. JOANNES GILBERT.

[1372.] EDW. 3. 46. JOANNES GILBERT Dominicanus ſucceſſit [r], qui anno 1374 [s] Herefordiam tranſlatus eſt, et inde poſtea ad ſedem Menevenſem.

◆ ◆ ◆

XX. JOANNES.

1376. EDW. 3. 50. JOANNES [t] Epiſcopus Clonenſis, Caſſilenſis Archiepiſcopi in Hibernia Suffraganeus, ad hanc ſedem tranſlatus eſt per bullam Papalem ſexto Non. Julii 1376 [u].

---

[l] Vid. ſupr. Not. [g].

[m] Scripſit in Parabolas Salomonis Poſtillae 259, quae extant MSS in *Bibl. Dom. S. Petri Cant.*

[n] Proviſus ab Urbano 3 Id. Dec. Spiritualia accepit 14 Kal. Mar. 1366. Conſecratus in Curia Romana, profeſſionem fecit 6 Nov. 1367. *Regiſtr. Langh.* f. 84.

[o] Teſtamentum condit 28 Apr. 1369, probat. 30 Oct. 1370. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 117. Spiritua. accepta in manus Archiep. 13 Oct. 1370. *Ib.*—— Sepultus jacet inter Fratres Minores Bangorienſis Eccl. ubi deceſſit. *MS. Anſtis.*

[p] Canonicus Bangorenſis, electus à Monachis, Papa verò ex plenitudine poteſtatis electionem caſſavit, et Bulla ſua praefecit dat. 11 Kal. Maii anno Pontif. 1°. Spiritualia accepit 2 Kal. Aug. 1371. Obiit in Curia Romana. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 136.

[q] AUXANUS malè legitur in Chartis Bangorenſibus pro *Aniano*, ſecundo ſc. vid. ſupr. p. poſtr. Not. [e].

[r] Proviſus eſt à Gregorio 16 Kal. Apr. 1371. Spiritualia accepit 17 Kal. Aug. 1372, et Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 16 Kal. Dec. 1372. *Regiſtr. Wittleſ.* f. 137.

[s] Adhuc Epiſcopus Bangor. 26 Jul. 1374 miſſus eſt in partes tranſmarinas ad tractandum cum nunciis Papae. *Rym. Foed.* T. 7. p. 41.

[t] SWAFHAM, conſecratus Epiſc. Clonenſis in Hibernia anno 1363. *Waraeus de Praeſul. Hib.*

[u] Huc tranſlatus à Gregorio Bulla data 2 Jul. Profeſſionem fecit 22 Oct. 1376. *Regiſtr. Sudbury.* ——— Adhuc in vivis, et praeſens in Synodo Lond. 26 Feb. 1387. *Regiſtr. Courtn.* f. 73.

XXI. JOANNES SWAFFAM.

JOANNES[x] SWAFFAM Linnenſis Coenobii Carmelita, et Academiae Cantabrigienſis Theologus magnus, propter crebra cum Wicleviſtis certamina, Epiſcopus Bangorenſis à Gregorio undecimo Papa declaratus eſt, ut Balaeus teſtatur. Gregorius verò cum anno 1378 mortem obierit, non poſſum non ſuſpicari, Joannem Clovenſem et iſtum, unum eundemque hominem fuiſſe.

XXII. RICHARDUS YONG.

1400. Hen. 4. 1. RICHARDUS YONG[y], Epiſcopus Bangorenſis conſtitutus anno 1400; in vinculis[z] agens (captivitatis vel cauſam[a] vel locum non intellexi) ad Eccleſiam Roffenſem per bullam Pontificiam tranſlatus eſt tertio Id. Novembris 1404[b].

XXIII. LUDOVICUS.

EXIGUO tempore cùm praefuiſſet huic Dioeceſi Ludovicus quidam[c], ad aliam neſcio quam ſedem dicitur tranſlatus. Anno 1408 *Pontifex Bangorienſis* (inquit Walſingamus[d]) *captus cum Comite Northumbriae et Barone Bardolfo* (qui res novas molientes contra Henricum quartum Regem, praelio ſuperati, temeritatis ſuae poenas morte luerunt) *donari vita meruit, eo quod inermis captus fuit.* Hunc ipſum fuiſſe non dubito, et (quemadmodum Tho. Merkes Carliolenſis ante triennium) ſub umbram tranſlationis, Epiſcopatu per malitiam privatum.

XXIV. BENEDICTUS NICOLLS.

1408. Hen. 4. 9. BENEDICTUS NICOLLS, legum Baccalaureus[e], et Eccleſiae de Staplebridge in Dioeceſi Sariſburienſi Rector, conſecratus eſt anno 1408, et Meneviam tranſlatus decimo quinto Decembris 1417[f].

---

[x] Idem cum praecedente. [y] Ric. Younge, utriuſque Juris Doctor, electus, confirmatus Eccleſiae Bangorenſi, cuſtodiam habet Temporalium 21 Oct. 1399. 1 *Pat.* 1 H. 4. m. 12. Poſtea verò proviſus à Papa reſtitutionem habet 20 Maii 1400. 7 *Pat.* 1 H. 4. [z] Spiritualia in manu Archiep. et Adminiſtrator conſtitutus 26 Feb. 1403, ob negligentiam Epiſcopi in remotis agentis. *Regiſtr. Arund.* f. 134. [a] A Wallenſibus in vinculis detentus, ob fidelitatem Henrico Anglorum Regi. [b] Ita *Regiſtr. Arund.* par. 2. f. 35. [c] Richardo tranſlato mox ſufficitur à Papa Ludovicus, ſeu Llewelyn, petente Oweno Glendour Walliae Principe anno 1404. Ille verò Oweni partibus adhaerens, non confirmatus eſt ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, nec Temporalia habet reſtituta. Anno 1406 vocatur *Lewelinus Bifort vocat. Epiſcopus Bangor. Br. Willis.* et anno 1408 nondum conſecratus Papali authoritate etiam ejectus eſt. [d] P. 419. [e] Proviſus eſt à Gregorio Papa 14 Kal. Maii Pontif. 2°. Spiritualia accepit 10 Aug. 1408. *Regiſtr. Arund* f. 42.—Temporalia habet reſtituta 22 Jul. 2 *Pat.* 9 H. 4. m. 6. [f] Ita *Regiſtr.* ipſius Epiſcopi.

XXV. GULIELMUS BARROW.

1418. Hen. 5. 6. GULIELMUS BARROW, legum Doctor, et Canonicus Lincolnienſis, Epiſcopus Bangorenſis creatur 1418 [g], unde Carleolum transfertur anno 1423.

XXVI. NICOLAUS [h].

NICOLAUS tum quidam, proximus ſucceſſor nominatur. Attamen in Archivis Regiis, quae in Turri Londinenſi aſſervantur, traditum reperi, cuidam Joanni Canonico Ciceſtrenſi temporalia reſtituta hujus ſedis, per tranſlationem Gulielmi Barrow vacantis, Januarii decimo quinto 1424.

XXVII. THOMAS CHERITON.

1436. Hen. 6. 15. THOMAS CHERITON [i] Epiſcopus hujus ſedis conſtitutus eſt anno 1436.

XXVIII. JOANNES STANBERY.

1448. Hen. 6. 26. JOANNES STANBERY Carmelita, conſecratus 1448 [k], Herefordiam tranſlatus eſt 1452.

XXIX. JACOBUS.

[1452.] Hen. 6. 31. JACOBUS, Achadenſis, Tuamenſis Provinciae in Hibernia, Epiſcopus, ſucceſſit [l], et menſe Septembri [m] obiit 1464.

---

[g] Proviſus 16 Kal. Mar. 1417 à Martino Papa, profeſſionem fecit 16 Apr. 1418. *Regiſtr. Chichl.* Temporalia habet reſtituta 5 Jun. *Pat.* 6 H. 5.

[h] Joannes Clederowe Epiſc. Bangorenſis profeſſionem fecit Archiepiſcopo 20 Mar. 1425. *Regiſtr. Chichl.* f. 39.——Poſt *tranſlationem* Willelmi, Papa de Joanne Bangor. electo, tunc Canonico Ciceſtriae, Camerae Apoſtolicae Clerico, Decretorum Doctore, providerit, Rex reſtituit Temporalia 15 Jan. 2 *Pat.* 4 H. 6.——Idem Bangor. Epiſc. 20 Feb. 1429. Vid. *Heylin de S. Georgio.* p. 295.——Maii quarto 1431 ſupplicat Joannes Bang. Epiſc. ut viſitet Sepulchrum Domini cum ſeptem perſonis, octo equis &c. annuit Rex. *Rym. Foed.* T. 10. p. 493.——Profecturus eſt ad Concil. Baſil. 18 Maii 1433. *Ib.* p. 542.——Adhuc Epiſc. Bangorenſis erat in partibus tranſmarinis. *Ib.* p. 607.——Teſtamentum condit 30 Mar. 1434, probat. 13 Dec. 1435. *Regiſtr. Chichl.* Obiit Crayfordiae 12 Dec. 1435, et ibi jacet ſepultus, ut in teſtamento mandaverat. *MS. Anſtis.* His ſtabilitis, nullus Nicolao datur locus.

[i] Ordinis Praedicatorum electus poſt mortem Joannis, proviſus eſt à Papa, et reſtitutionem habet Temporalium 27 Nov. *Pat.* 15 H. 6. m. 40.——Spiritualia accepit 16 Nov. 1436, et Profeſſionem fecit 6 Febr. ſequ. *Regiſtr. Chichl.* f. 53.——Vacavit Epiſcopatus 23 Dec. poſt obitum Tho. Cherynton, et adhuc vacat 25 Jan. 1 *Pat.* 26 H. 6. m. 14.

[k] Proviſus à Nic. Papa 4 Mar. 1447. Profeſſionem fecit 4 Maii 1448. *Regiſtr. Staff.* f. 29. Temporalia habet reſtituta 15 Maii 2 *Pat.* 26 H. 6. m. 26. Sed non conſecratus ante viceſimum Junii eodem anno. *Regiſtr. Cant.*—Vid. inter Herefordenſes plura.

[l] Proviſus eſt, Bulla tranſlat. data 7 Id. Feb. 1452. Profeſſionem fecit 12 Apr. 1453. *Regiſtr. Kemp* f. 216, et Tempor. habet reſtituta 26 Mar. 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 4.——Hoſpitale habuit S. Catherinae in Bedminſter in commend. uſque ad mortem. *Regiſtr. Beckingt.*

[m] Obiit 24 Oct. 1464. *MS. Wood.*

XXX. THOMAS[n] EDNAM[o].

THOMAS EDNAM conſecratur anno 1464[p]. 1464. EDW. 4. 5.

XXXI. HENRICUS DEAN.

HENRICUS DEAN, Abbas Lanthonienſis, conſecratus anno 1496[q], 1496.
Sariſburiam transfertur 1500, et poſtea Cantuariam. Hujus ſedis HEN. 7. 12.
benefactor ille fuit egregius.

XXXII. THOMAS PIGOT.

THOMAS PIGOTUS[r] conſecratus 1500, obiit decimo quinto Auguſti 1504[s]. 1500. HEN. 7. 16.

XXXIII. JOANNES PENNY[t].

JOANNES PENNY, legum Doctor, conſecratus 1504[u], anno 1509 *1505.
Carleolum tranſlatus eſt[x]. HEN. 7. 21.

XXXIV. THOMAS SKEVINGTON.

THOMAS SKEVINGTON[y] conſecratus decimo ſeptimo Junii 1509.
1509[z]. Eccleſiae ſuae Cathedralis quicquid à choro in Occiden- HEN. 8. 1.
tem protenditur, ſuo ſumptu conſtruxit, niſi quod parietum nonnihil antea fuerit à fundamentis excitatum. Id elogium[a] teſtatur in exteriori parte Campanilis inſculptum. Intempeſtiva morte ſublatus, opus illud non potuit perficere: Haeredibus vero reliquit unde id fieret; qui tamen (ut intuenti facile apparet) ad propoſitam altitudinem non perduxerunt.

---

[n] RICHARDUS certiſſimè.

[o] EDENHAM, vel EVYNDEN, vel EDYNDEN.

[p] Licentiam habet conſecrationis extra Eccleſ. Cantuar. 8 Mar. 1464. *Regiſtr. Eccl. Cant.* Decanatum de Stoke juxta Clare in Com. Suff. in commend tenuit ex Papali diſpenſatione *Regiſtr. Norwic.* et *Regiſtr. Bourch.* f. 7. quem et retinuit uſque ad annum 1493. —— Interfuit Synodo Londin. 21 Mar. 1480. *Regiſtr. Bourch.* f. 26. In his omnibus Regiſtr. *Richardus* nominatur non *Thomas*. —— Richardus Epiſc. Bang. obiit 1496. 1 *Pat.* 12 H. 7. m. 5.

[q] Temporalia habet reſtituta 6 Oct. 1496, poſt mortem Richardi. *Rym. Foed.* T. 12. p. 642.

[r] Abbas Coenobii de Chertſey, quod in Commendam tenuit uſque ad mortem.

[s] Poſt mortem hujus Epiſcopi A. 1504. in viſitatione Archiepiſcopali, 44 Preſbyteri in hac Diæceſi Concubinas publice tenere comperti ſunt. *Regiſtr. Warham.* f. 224. Sed Qu. an non Uxores fuere, maritis ſecundum leges divinas legitime conjunctae.

[t] PENVY.

[u] Abbas Leiceſtriae, Licentiam habet conſecrationis extra Eccleſ. Cant. penultimo die Auguſti 1505. *Regiſtr. Cant.*

[x] Carleolum tranſlatus eſt anno 1508; Bulla data 10 Kal. Oct. —— Reſignavit Prioratum de Bradelay in Com. Leiceſt. quam habuit in Commendam 1508. *Regiſtr. Smith. Linc.*

[y] Abbas de Bello loco, proviſus à Julio Papa, anno Pontif. 6°, 7 Kal. Mar. 1508.

[z] *Regiſtr. Warham.* f. 12.

[a] *Thomas Skevington, Epiſcopus Bangoriae, hoc Campanile et Eccleſiam hanc fieri fecit anno partus Virginei* 1532.

XXXV. JOANNES CAPON.

1534. Hen. 8. 25. JOANNES CAPON, alias Salcot, legum Doctor[b], et Hidenſis olim Abbas, Croydonae conſecratus eſt decimo nono Aprilis 1534[c], et Sariſburiam tranſlatus 14 Auguſti 1539.

XXXVI. JOANNES BIRD.

1539. Hen. 8. 31. JOANNES BIRD, Doctor Theologus Cantabrigienſis, et Carmelitarum Provincialis, Oſſerienſis in Hibernia[d] Epiſcopus, huc primum tranſlatus eſt tertio Septembris 1539[e], et Ceſtriam deinde poſt biennium.

XXXVII. ARTHURUS BULKLEY.

1541. Hen. 8. 33. ARTHURUS BULKLEY, legum Doctor, in Epiſcopum Bangorenſem confirmatus eſt viceſimo Decembris[f] 1541. Res mira eſt et memoratu digniſſima, quam de hoc homine narravit mihi non ita pridem vir graviſſimus fideque digniſſimus. Non contentus Eccleſiam ſuam depraedari, nolis quinque ſatis grandibus ereptis ac divenditis; ad mare deſcendit ut navi impoſitas avehi conſpiceret. Rediturus, vix ſe converterat et unum aut alterum paſſum progreſſus fuerat, cum oculis derepente orbatus eſt (quos voluit ſacrilegio paſcere) et caecitate percuſſus[g], ut lucem (qua fuit indignus) nunquam poſtea aſpexerit[h].

XXXVIII. GULIELMUS GLYN.

1555. Mar. 3. GULIELMUS GLYN[i], ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Reginae Cantabrigiae aliquando ſocius[k], conſecratus anno 1555[l], Mariae Reginae anno ultimo deceſſit[m].

---

[b] Sacrae Theologiae Doctor Cantabrigiae 1517. *Regiſtr. Acad.* [c] Confirmatus 15 Apr. et conſecr. 19 Apr. 1534 apud Croydon. *Regiſtr. Cranm.* f. 157, 162. [d] Epiſcopus potiùs Suffrag. Sedis Penreth, conſecr. 24 Jun. 1537. Vid. *Rym. Foed.* p. 582, 583, 644, 636. [e] Elect. ad Bang. 24 Jul. 1539. Confirm. 13 Sept. 1539. *Regiſtr. Cranm.* f. 235. [f] Conſecratus 19 Feb. 1541. *Ib.* f. 278. [g] In *MS. Anſtis* hoc ſcriptum legi, "Arthurus Bulkeley optime meruit de "Epiſcopatu, et fuit praecipuus Benefactor Sedi et Eccleſiae Bangorenſi; ubi deceſſit Martii 14. 1552; Sed nunquam fuit "caecitate percuſſus, ut falsè narrat Godwinus: In toto Dioeceſi Bangor. ſunt in nulla Eccl. quinque nolae, niſi in Cathedrali Bang. duntaxat, et nunquam ibi ante annum 1687." [h] Sepultus jacet in Choro Eccleſiae ſuae Cathedralis. ——Spiritualia ſeiſita 23 Mar. 1552. *Regiſtr. Cranm.* [i] Joannis filius de Heneglwys in Angleſey. [k] Et Praeſes. —Conſecratus in Eccleſ. S. Pauli Lond. 8 Sept. 1555. [l] Conſecr. 8 Sept. 1555. *Regiſtr. Cant.* [m] Obiit 21 Maii 1558. e *Regiſtr.* et in Eccleſ. ſua jacet ſepultus. *MS. Anſtis.*

XXXIX. ROLANDUS MERICK.

ROLANDUS MERICK[n], legum Doctor, Hoſpitii novi Oxoniae olim 1559. Principalis, conſecratus eſt viceſimo primo Decembris 1559[o]. Pater ELIZ. 2. hic fuit Gelleii Merick Equitis aurati, qui una cum Eſſexio Comite generoſiſſimo, anno 1600 morte mulctatus eſt.

XL. NICOLAUS ROBINSON.

NICOLAUS ROBINSON[p], Doctor Theologus Cantabrigienſis, con- 1566. ſecratus eſt viceſimo Octobris 1566[q]. ELIZ. 8.

XLI. HUGO BELLOT.

HUGO BELLOT[r], Cantabrigienſis itidem, et Theologiae Doctor, 1585. conſecratus viceſimo quinto Januarii[s] 1585. Ceſtriam anno 1590[t] ELIZ. 28. tranſlatus eſt.

XLII. RICHARDUS VAUGHAN.

RICHARDUS VAUGHAN, ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus 1595. Januarii[u] viceſimo quinto 1595. Ceſtriam itidem tranſlatus eſt, ELIZ. 38. (Belloto etiam ibi ſucceſſurus anno 1597) poſteaque Londinum.

XLIII. HENRICUS ROWLANDS.

HENRICUS ROWLANDS, Oxonienſis Academiae alumnus, conſe- 1598. cratus una cum Sarisburienſi, Exonienſi et Glóceſtrenſi Epiſcopis, ELIZ. 40. duodecimo Novembris[x] 1598. Eccleſiae ſuae campanile quod Skevingtonus condiderat, Bulkleius expilaverat, quatuor nolis inſtruxit, ejus amplitudinis, ut earum maxima centum libris illi conſtiterit. Collegio etiam Jeſu Oxoniae contulit praedia, ad duorum ſociorum ibidem ſuſtentationem. Ex hac luce migravit menſe Julio[y] 1616.

---

[n] Filius ſecundus Meyrici ap Lewelyn ap Heylyn Armigeri de Bodorgan, ſive Bodgorgan, in Parochia de Llangadwalader in Angleſey. *Humphr. Addit.* [o] Obiit hic Praeſul 27 Sept. 1565, in Eccleſ. ſua ſepultus. *MS. Anſtis.* [p] Wallicus etiam, natus apud Conway; Archidiac. Merionithenſis. Obiit 13 Feb. 1584, ſepultus in Eccleſia ſua. *Humphr. Addit.* [q] De hoc Epiſcopo ſic ſcribit Antiqu. Britan. Author in Matthaeo p. 547. " A°. 1566 Matthaeus Cantuar. conſecravit " Nic. Robinſon S. T. P. Epiſcopum Bang. *virum prudentem, et illis humanioribus literis atque Theologia non minus excul-* " *tum, quam Latina patriaque lingua facundum.* Hic à Cantabrigienſi Academia profectus, ubi in Mariae regno multas à " Pontificiis illatas calamitates paſſus eſt." [r] Rector de Tyd. 1571, et de Dodington 1572 per Mort.——Tye Muſcae Doctoris. *MS. Wren.* [s] Conſecr. 30 Jan. 1585. *Regiſtr. Whitg.* f. 52. [t] Jun. 25. 1595; et inter Ceſtrenſes Godwinus ipſe annum 1595 aſſignat. [u] *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 71. [x] *Ib.* par. 3. f. 32. [y] Julii ſexto, et in Eccleſ. ſua ſepultus jacet. *MS. Anſtis.*——Supremis Tabulis Scholam fundari juſſit apud Mellteyrn vel Bottunog; et praedia legavit ad Socios duos alendos in Collegio Jeſu Oxon.

XLIV. LUDOVICUS BAYLY.

1616. Jac. 1. 14. SUCCESSOREM is habuit Ludovicum Bayly, ſacrae Theologiae Doctorem, conſecratum, una cum Bathonenſi et Wellenſi electo, Decembris octavo 1616.

* * *

Wallus, Collegii Jeſu Oxoniae aliquando Socius, Henrico Walliae Principi à Sacris, et Eccleſiae Paulinae Lond. Theſaurarius. Mortem obiit viceſimo ſexto Octobris 1631, in Eccleſia Bangorenſi juxta ſummum Altare ſepultus jacet[z].

XLV. DAVID DOLBEN.

1631. Car. 1. 7. SUCCESSIT David Dolben, ſacrae Theologiae Doctor è Collegio D. Joannis Evangeliſtae Cantabrigiae, Epiſcopus conſecratus quarto Martii 1631[a]. Deceſſit Novembris viceſimo ſeptimo 1633, Aet. 52, in Eccleſia Parocciali de Hackney prope Londin. cui aliquando Vicarius praefuit, ſepultus, ubi marmor extat cum effigie et inſignibus ſuis, ac inſcriptione ſaepius impreſſa.

XLVI. EDMUNDUS GRIFFITH.

1633. Car. 1. 9. EDMUNDUS GRIFFITH, ſacrae Theologiae Baccalaureus, Eccleſiae Bangorenſis Decanus in Epiſcopum conſecratus decimo ſexto Februarii 1633[b]. Naturae debitum perſolvit viceſimo ſexto Maii 1637, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

XLVII. GULIELMUS ROBERTS.

1637. Car. 1. 13. IN ſucceſſorem electus eſt Gulielmus Roberts, ſacrae Theologiae Doctor è Collegio Reginenſi Cantabrigiae, Eccleſiae Wellenſis Sub-Decanus, conſecratus Septembris tertio 1637[c]. Bono animo Diſciplinam Eccleſiaſticam ſtrenuè exercuit, ne quid detrimenti caperet Eccleſia Anglicana omni in re proſpicere ſtudens. Hinc Perduellium odia provocavit, ab iiſdem vexatus et ejectus; cum Carolo verò reſtitutus ad uſque annum 1665 vixit, eoque octogenarius obiit duodecimo Auguſti, in Eccleſia Paroeciali de Llandyrnoc, Denbigam juxta, ſepultus.

[z] De eo hoc ſcriptum inveni, *Jul.* 15. 1621 *Epiſc. Bangorienſis examinatur, et in le Fleet datur, ſed paulo poſt liberatur.*—Qu. de crimine.

[a] *Regiſtr. Abbot.* par. 3. f. 33.

[b] *Regiſtr. Laud.* f. 26.

[c] *Ib.* par. 2.

XLVIII. ROBERTUS MORGAN.

HUIC ſucceſſit Robertus Morgan, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, Archidiaconus Merionethenſis, in Epiſcopum conſecratus primo Julii 1666[d]. Diem obiit Septembris primo 1673; in Eccleſia Cathedrali ſepultus. 1666. CAR. 2. 18.

XLIX. HUMFREDUS LLOYD.

ILLI defuncto mox ſufficitur Humfredus Lloyd, Eccleſiae Aſaphenſis Decanus, conſecratus decimo ſexto Novembris 1673[e]. Is auctor fuit ut Epiſcopatui Bangorenſi in perpetuum reditus uberiores accederent, Parliamenti decreto confirmati, adjectis eum in uſum Archidiaconatu Bangorenſi et Rectoria de Llanrhaider ſine Cura. Morti ſuccubuit decimo octavo Januarii 1688. 1673. CAR. 2. 25.

L. HUMFREDUS HUMPHREYS.

HUMFREDUS HUMPHREYS, è Decano per conſecrationem fit Epiſcopus Bangorenſis triceſimo Junii 1689, et anno 1701 Herefordiam migravit. 1689. GUL. et MAR. 1.

LI. JOANNES EVANS.

SUCCESSIT Joannes Evans, conſecrationis ritibus initiatus quarto Januarii 1701; anno 1715 ad Epiſcopatum Meidenſem in Hibernia tranſlatus. 1701. GUL. 3. 14.

LII. BENJAMIN HOADLY.

HUIC ſufficitur Benjamin Hoadly decimo octavo Martii 1715. Anno 1721 ab hac Dioeceſi ad Herefordenſem tranſlatus migravit. 1715. GEO. 1. 2.

LIII. RICHARDUS REYNOLDS.

RICHARDUS REYNOLDS, legum Doctor, Eccleſiae Petroburgenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus tertio Decembris 1721. Anno 1723 ad Lincolniam tranſlatus. 1721. GEO. 1. 8.

---

[d] *Regiſtr. Juxon.* f. 385.

[e] *Regiſtr. Sheld.* f. 116.

LIV GULIELMUS BAKER.

1723. Geo. 1. 10. SUCCESSIT Gulielmus Baker, S. T. P. Collegii Wadhamenſis Oxoniae Cuſtos, conſecratus undecimo Auguſti 1723, Norwicum migravit 1727.

LV. THOMAS SHERLOCK.

1727. Geo. 2. 1. THOMAS SHERLOCK, ſacrae Theologiae Doctor, Aulae Catharinae Cantab. aliquando Magiſter et Eccleſiae Ciceſtrenſis Decanus, conſecrationis ritibus inauguratus eſt Februarii quarto 1727, et anno 1734 ad Dioeceſin Sariſburienſem tranſlatus.

LVI. CAROLUS CECIL.

1734. Geo. 2. 8. CAROLUS CECIL, nobili ortus genere, aliquando ex Aede Chriſti Oxon. à Dioeceſi Briſtolienſi tranſlatus viceſimo quarto Septembris 1734; Aedes Epiſcopales cum coepiſſet reficere, morte praereptus opus imperfectum reliquit.

LVII. THOMAS HERRING.

1737. Geo. 2. 11. THOMAS HERRING S. T. P. Cantabrigienſis, Eccleſiae Roffenſis Decanus, Epiſcopus Bangorenſis conſecratus eſt decimo quinto Januarii 1737.



p. 642

De EPISCOPIS ASAPHENSIBUS.

I. KENTIGERNUS.

CIRCA annum ſalutis per Chriſtum 560, Kentigernus quidam, Glaſcuenſis in Scotia Epiſcopus, à popularibus ſuis expulſus, Coenobium ſibi ſuiſque, qui ſecum in exilium ſponte erant profecti, condidit, inter fluvios Clwyd[a] et Elwy; ubi cùm Eccleſiolam conſtruxiſſet et habitaculum in quo ſe reciperet; hominum ingens multitudo ad ipſum indies confluebat; ex quibus tam multi ſodalitio ejus ſe adjunxerunt, ut Monachos brevi numeraverit 660. Horum partem dimidiam (quae ex illiteratis conſtabat) agriculturam juſſit exercere in campis: Reliquos, intra Monaſterium continuit, ſed ita, ut vario laborum genere victum comparare coëgerit, niſi quod 60, ex omni numero ſelectos, ad ſacra per vices die nocteque in Eccleſia ſua perpetuo celebranda deſtinarit. Hanc autem Eccleſiam ex materia primùm fabrefactam, poſtea ex lapidibus novam conſtruxit, quamvis impeditus multum à Malgone vel Maglocuno (Rege quodam Britannico) ſexto[b] inde milliari apud Deganwy habitante; qui tamen placatus paulatim, cathedram Epiſcopalem in eadem tandem collocari permiſit, et non ſolum praediis multis locupletavit, ſed immunitates etiam et privilegia non pauca Epiſcopo Monachiſque indulſit. Sedes à nonnullis Elguenſis ab aliis Eluenſis et Lanelwenſis nuncupata, à fluvio Elwe [c], prope quem ſita eſt. Kentigernus vero ejuſdem primus Antiſtes, matre dicitur natus Thamete, quae filia fuerit Lothi Pictorum Regis. Ad patrem quod attinet, Britannum fuiſſe neſcio quem, Balaeus prodidit. Caeteri vero ſcriptores omnes, adeo cunctos latuiſſe affirmant quem genitorem habuerit, ut plurimis vulgo perſuaſum teſtentur, virginem, illum, matrem peperiſſe. Quoſcunque habuerit parentes; vir fuit haud dubie inſignis, et dignus cujus memoriam celebremus, ſaltem ſi vera ſint quae de eo tradiderunt Capgravus, Boëthius, Lelandus, caeterique. Inter alios, de ipſo haec habet Balaeus [*]. "Dum eſſet Elguae "in terra Cambrenſi, vir Apoſtolici ordinis in paſtorem conſtitutus, me"lota ex caprinis pellibus uſus, et cuculla ſtricta, candidaque contectus "ſtola, primitivae Eccleſiae formam ſervavit. Apoſtolico more pedes ad "praedicandum perrexit, multoſque ad fidem convertit. Apoſtatas revo"cavit, Pelagianos expulit, nondum renatos baptizavit, ſimulachra evertit, "Eccleſias condidit, aegrotis miniſtravit, languores curavit, in magna"que ſemper abſtinentia vixit, homo ad promovendam veram religionem "natus. Formatis enim in re Chriſtiana Venedotis et Roſſis; Evangelium "praedicabat ad flumen uſque Fordenſe, et ad mare Scoticum, Columba "Scoto viro ſanctiſſimo concomitatus; ubi Caledonios, Athalos, Horeſtos, "ac vicinarum Albaniae regionum incolas, monendo, hortando, docendo, "ad verae pietatis obſervationes fideliter inſtigavit. Ex ſuis etiam diſci"pulis, quoſdam ad Orcades inſulas, ad Norvegiam et Iſlandiam miſit, "ut eorum inſtructionibus ſacris fidei lumen reciperent." Quamdiù hanc ſedem rexerit, non conſtat. Hoc conſtat, revocatum tandem in patriam, diſcipulorum quendam nomine Aſaphum ſibi ſucceſſorem ante diſceſſum ordinâſſe, et reverſum ad ſuos, munus repetiiſſe à ſe pridem derelictum, in quo tam diù vixit, ut aetatis annos (ſi fas credere) 185 expleverit. Sic nempe hiſtorici noſtri [d]. Epiſcopatus iſte, quamvis inter tenuiſſimos Angliae Walliaeque ſemper numeratus (Giraldus anno 1188 *pauperculam ſedem Lanelwenſem* vocat, et qualis hodie cenſeatur novimus) tempore tamen Edwardi ſecundi, aedes habuit Epiſcopales quinas, videlicet apud Lanelwy, Altmeledin, Landegla, Nannerch et S. Martini, quas omnes praeter unicas illas Lanelwenſes ſacrilegium abſorpſit, niſi quod penſiunculae neſcio quae pro illis annuatim redduntur, ne centeſimam fortaſſis partem juſti pretii attingentes. Ad Eccleſiam quod attinet, ratione bellorum (quae inter Angliae Reges Walliaeque Principes in hac regione plurimum reſidentes, per multorum annorum curricula continenter geſta ſunt) ſaepe ea direpta et incenſa eſt, una cum Epiſcopi et Canonicorum aedibus. Clade verò omnium maxima affectam ferunt ab Oweno Glendowr, Henrico quarto regnante, à quo tempore Canonicorum domus nunquam reſtauratae ſunt [e].

---

[a] Clwyd. [b] Duodecimo.

---

[c] Elwy.

[*] Cent. 1. p. 56.

[d] *Capgrav.* et *Tinmuth.*

[e] CHEBUR quidem Epiſcopus Aſaphenſis anno 940. *Powel in Hiſt. Wall.* p. 51. Epiſcopum aliquem hanc rexiſſe Dioeceſin conſtat, ex legibus Hoëli Dda Walliae Regis, quae in generali Britonum concilio promulgatae erant anno 943. Et (ut aſſerit Cl. Spelmannus) ut firmiorem illis reverentiam Rex pararet, aſſumptis ſibi Archiepiſcopo Menevenſi, et Epiſcopis Bangorenſi et ASAPHENSI —— Romam peregrinatur. *Concil. Angl.* T. 1. p. 208.——Adi *Voſſium de Hiſt. Lat.* L. 2. c. 23.

II.

II. S. ASAPH.

“ERAT in praedicta literatorum multitudine (ſic loquitur Capgravus) “*Aſaph* quidam, genere et ſpecie clarus, ab ipſo pubertatis flore, “virtutibus et doctrina fulgens, qui vitam magiſtri in omni ſanctitate et “abſtinentia jugiter ſequi ſatagebat.” Iſtum Kentigernus, ob exhibita ſibi fidelitatis officia, charum habens, Monaſterii curam illi delegavit. Et cùm à pio Principe Roderico poſt tyrannorum moleſtationes quamplurimas, ad verbi miniſterium revocaretur, eum in Epiſcopatu ſucceſſorem (plebe conſentiente) inſtituit, hanc frequentiuſcule habens in ore ſententiam; *Quicunque verbo Dei adverſantur, hominum ſaluti invident.* Scripſit Aſaphus Ordinationes Eccleſiae ſuae; Magiſtri ſui Kentigerni vitam; atque alia nonnulla. Quo tempore ſederit aut quando obierit minime habeo compertum, imo nec quis illi per multas poſtea annorum centurias ſucceſſerit. Et crediderim certe aliquot ſeculis hanc ſedem Antiſtite caruiſſe. Huntindonenſis etenim (qui ſcripſit circa annum Domini 1150) ſedes Walliae Cathedrales recenſens, tres duntaxat enumerat, Menevenſem, Bangorenſem et Landavenſem, quam, à regione in qua ſita eſt, Glamorganenſem vocat.

III. GALFRIDUS[f].

QUI primus jam occurrit poſt Aſaphum Aſaphenſis Eccleſiae Epiſcopus eſt Galfridus, nonnullis Arthurus cognominatus (à patre fortaſſis 1151. STEPH. 17. Arthuro, ſecundum morem gentis, fortaſſis etiam ab Arthuro Rege, de quo multa ſcripſit) vulgo dictus Monumethenſis, ideo credo quia Monumethae natus. Ex Monacho Benedictino, hujus ſedis factus eſt Epiſcopus anno 1151[g]. Hic eſt qui Britannicam hiſtoriam à Bruto uſque Trojano (ſi Diis placet) ad annum Chriſti 689 perduxit, ſcriptis ante illum à nemine traditam, ut vulgo ſaltem innotuerit. Reperi annotatum, obiiſſe illum anno Domini 1165, quod verum non eſſe probatur teſtimonio Chronici, cujus mentionem facit Balaeus in Appendice vitae ejus, perhibentis, hiſtoriam quandam ſui temporis ab illo conſcriptam anno 1170, aut eo circiter[h]. Hovedenus[i] author eſt Concilium Londini celebratum anno 1175. “In quo (ſic ipſe loquitur) Clerici Eccleſiae S. Aſaph, peti“erunt à Cantuarienſi Archiepiſcopo, ut in vi obedientiae praeciperet “Godefrido (quod nomen uſurpatur ſaepe pro Galfrido) Epiſcopo

---

[f] De *Gilberto* qui ſucceſſit pauca dicamus. Sacratum invenio à Theobaldo Archiep. Cantuarienſi Lamethae anno 1143. cooperantibus Roberto Londinenſi et Aſcelino Roffenſi Epiſcopis. *Gerv. Chron.* Col. 1359——Idemque teſtatur autographa ſubſcriptio obedientiae adhuc aſſervata in Eccleſ. Cantuar. *Wharton de Epiſc. Aſa.* p. 304.

[g] Galfridus Arthurus factus eſt Epiſcopus S. Aſaphi A. 1151. *Weſtmon.*—— 1152. *Annal. Waverl.*—— Conſecr. 7 Kal. Mar. (Feb. 23) 1150. *Gerv. Chron.* col. 1367. dies verò non fuit Dominica; ſed fuit anno 1152.

[h] Inter Hiſtoricos modernos maxima eſt de hoc Epiſcopo diſcrepantia; *Godwinus* et clariſſimus vir *Brown Willis* hunc eundem faciunt cum Godefrido, de quo facta eſt narratio apud *Hovedenum* p. 311. et è contra *Whartonus* et ejus pediſſequus *Le Neve* alium eſſet dicunt, et ſententias ſtabilire nituntur non nominum ſimilitudine, ſed teſtimoniis *Gervaſii* et *Dicetenſis*, et autoritate *Regiſtrorum Eccleſiae Cantuarienſis*; quibus non poſſum non aſſentire.——Poſt Galfridi mortem ſucceſſiſſe *Richardum* quendam non eſt ut dubitemus; et poſt illum *Godefridum* circa annum 1160, à Theobaldo conſecratum, qui A. 1175 Epiſcopatu privatus eſt, aut reſignare coactus. De quo *Benedict. Abbas* in Vit. Hen. 2. p. 107. haec habet, *Epiſcopatum ſuum deſeruit paupèrtate et Valenſium infeſtatione compulſus, cui Rex dedit Abbatiam Abendoniae, donec in ſedem propriam liberum haberet regreſſum.*

[i] P. 311.

“Eccleſiae S. Aſaph, ad ſedem Eccleſiae ſuae redire, cui praefuit Pontificali dignitate; vel ut praedictus Archiepiſcopus alium Epiſcopum loco ipſius inſtitueret. Ipſe enim Godefridus, Epiſcopatum ſuum deſeruit, paupertate et infeſtatione Wallenſium compulſus; venienſque in Angliam, à Chriſtianiſſimo Rege Henrico, benigne et honorifice ſuſceptus eſt; cui tradidit Abbatiam Abendoniae vacantem in cuſtodia, donec ad propriam ſedem liberum haberet regreſſum. Itaque praefatus Archiepiſcopus in ipſo Concilio, ad inſtantiam praenominatorum Clericorum, et admonitione Alexandri ſummi Pontificis, necnon et conſilio venerabilium Archiepiſcoporum ſuorum, convenit jam dictum Godefridum ut in vi obedientiae ad ſedem propriam rediret, vel curam paſtoralem quae ſibi fuerat commiſſa in manu ipſius libere et abſolute reſignaret. Ipſe vero Godefridus, ſperans quod Abbatia de Abendonia quae tradita fuerat ei in cuſtodia, poſſet ſibi remanere; Epiſcopatum ſuum nullo cogente reſignavit, libere et abſolute tradens Cantuarienſi annulum et baculum paſtoralem. Et ſic deceptus, amiſit utrunque. Nam Rex dedit Epiſcopatum ejus magiſtro Adae Wallenſi, et Abbatiam de Abendonia cuidam Monacho.” Godefridus hic, fuerit necne Galfridus de quo agimus, non auſim pronunciare: Mihi vero (ut quid ſentiam liceat exponere) ſatis clarum videtur, eundem ipſum hunc fuiſſe, tempore congruente et nomine non abhorrente. Hoc tantum moratur judicium meum, quod mirer cum Cardinale tam duriter actum. Tradit ſiquidem Ponticus Virunnius (quâ fide multa alia) *fuiſſe hunc Galfridum Cardinalem,* et *Britanniae per plures annos gubernatorem generalem apud Robertum Regem ipſius.* Quam lepide hiſtoricaſter iſte in unum cumulum congeſſit mendacia fere plura quam verba? Aſſerat quantum voluerit Ciaconius (qui Cardinalium omnium vitas videri vult ſcripſiſſe) Cardinalem hunc extitiſſe, et producat teſtes Lelandum, Roſſum, Boſtonum: Mihi tamen nunquam perſuadebit, moris adhuc fuiſſe Pontificibus Romanenſibus Cardinales è tam longinquis regionibus petendi, aut aliquos creandi titulares hujuſmodi, qui in Curia Romana non reſiderent. Imo rariſſime adhuc reperies in hunc ordinem admiſſos, niſi qui in Italia ſi non nati, at per multum tamen temporis verſati ſint. Deinde qui fieri poteſt, ut rei tam memorabilis hiſtoricorum noſtrorum ex illis qui editi ſunt nemo quiſquam fecerit mentionem? Fatebor attamen, tam verum eſſe, Galfridum noſtrum Cardinalem fuiſſe, quam Robertum regno apud nos potitum, aut Galfridum antedictum (quod iſti placet) orbem Britanniae noſtrae digito olim temperaſſe.

* * *

IV. ADAM[k].

[1175.] HEN. 2. 21. POST Galfridi abdicationem, Epiſcopatum hunc ambivit quidam, Cambris dictus Gwillim Bach, hoc eſt, Gulielmus Parvus, vero nomine Gulielmus Petit appellandus, qui (vulgo Neubrigenſis) hiſtoriam ſui temporis conſcripſit (ut illa ferebant tempora) elegantem ſane; in cujus praefatione Galfridum inſectatur acerrimè, Arturum inde cognominatum perhibens, “ quod fabulas de Arturo ex priſcis Britonum figmentis ſump- “ tas, ex proprio auctas, per ſuperductum Latini ſermonis colorem, honeſto “ hiſtoriae nomine palliavit, in qua petulanter et impudenter fere per “ omnia mentiri eum dicit, et partim ab ipſo, partim ab aliis conficta “ tradidiſſe, ſive effrenata mentiendi libidine, ſive etiam ut Britonibus “ ſuis placeret, &c.” Hic, praeterea quod repulſam tulit, à Davide Walliae Principe adeo parum amice ſuſceptus eſt, ut ſuſpicentur nonnulli, hominem univerſae genti iratum, ejuſque gloriae invidentem, cum haec ſcriptitaſſe, tum alias à verbis non temperaſſe quae exiſtimationi illius maculas inurerent indelebiles. Alii ſunt è contra qui arbitrentur ob hiſtoriam prius ab illo conſcriptam, ideo ab iratis Cambris rejectum et inhumanius tractatum. Undecunque id evenerit, praeſulatu certe excidit expetito, ſubſtituto ſicuti antea retulimus Adamo quodam qui Oxoniae deceſſit anno 1180[l], et in Oſneienſi Coenobio ſepultus eſt.

---

[k] Canonicus Pariſienſis (Perſorenſis) conſecratus eſt à Richardo Archiep. Cantuar. apud Weſtmonaſt. Oct. 13. (12 potius) 1175. *Dicet. Imag. Hiſt.* p. 587. Interfuit Concilio Weſtmonaſterienſi A. 1177. *Hoved.* f. 320. et Lateranenſi A. 1179. *D'Acher. Spicil.* T. 12. p. 650.

◆◆

V. REINERUS[m].

SUCCESSISSE tum videtur Reinerus quidam[n]. Anno ſiquidem 1188, * 1186.
quando Baldwinus Archiepiſcopus Cantuarienſis univerſam Walliam Hen. 2. 32.
peragravit, ſedi huic is praefuit, ſicut teſtatur Giraldus, qui etiam perhibet, ante Archiepiſcopi adventum, multos ad ſuſcipiendam crucem ab illo allectos, ſacrae militiae nomina dediſſe. Aedes hic plurimum incoluit prope Oſweſtriam quae antiquitus Oſwaldceſter. Et cum Monaſterium Album (vulgo BLANCH-MONASTERY) ſacerdotes (plerunque conjugatos) aleret duodecim; decimas foeni et frumenti Eccleſiarum vicinarum, quibus ſuſtentabantur, eripuit et (re à Pontifice probata) in monachos contulit Salopienſes. Dimidium deinde omnium decimarum Wrexamae provenientium, appropriavit Coenobio Langueſtenſi (vulgo de Valle-crucis) quod anno Chriſti 1100 fundaverat Madoc ap Gryffith Dominus de Bromfeild. Vixit Reinerus iſte ad annum 1220; quantum vero deinde poſt vitam produxerit, me latet[o].

* *

VI. ABRAHAM.

ANNO 1232 Abrahamus quidam Epiſcopus deceſſit Aſaphenſis. [1225.]
Qui anno 1227 cùm ratam haberet anteceſſoris ordinationem de Hen. 3. 9.
Wrexamenſibus decimis factam, reliquam etiam medietatem earundem Monaſterio conceſſit antedicto[p].

---

[l] Anno 1181. *Annal. Waverl.* p. 161. vid. *Hiſt. Angl.*

[m] Adamo ſucceſſiſſe dicitur anno 1183 Joannes quidam ex fide *Annal. Theok.* et *Waverl.* p. 162. Profeſſionem fecit Bonifacio Archiep. *Regiſtr. Cantu.* De eo verò nihil praeter nomen habemus, excepto quod obiiſſe dicitur A. 1186. à *Waverl.* p. 162.

[n] Anno 1186. *Chron. Wikes.* p. 33.

[o] In vivis fuit menſe Octobri 1223. *Rym. Foed.* T. 1. p. 262. Obiit anno 1224. *Wharton de Epiſc. Aſap.* p. 316.

[p] Conſecratus eſt anno 1225. *Annal. Wigorn.* p. 487. et obiit A. 1234 aut eo circiter. Cui ſucceſſit *Hugo*, ſi Regiſtris Cantuar. fidendum eſt. Aſſerunt enim H. Epiſc. Aſap. apud *Radyng* eodem tempore quo Rob. Groſthead (Jun. 17. 1235) conſecratum eſſe: Ex autographis ſubſcriptionibus apparet hoc fieri ab H. ſed in Eccleſ. de *Boxgrave*. Unde conſtat duplicem eſſe conſecrationem extra Eccleſ. Cantuar. factam ab Edmundo Archiepiſcopo, alteram Hugonis apud Radingam, alteram Howelis apud Boxgrave. Subſcripſit *Hugo* Chartae Monaſterio de Baſingwork datae Jul. 25. 1240, à Lewelino Walliae Principe *Monaſt. Angl.* T. 1. p. 721. Succeſſit igitur *Howelus* inter Jul. 25. et Nov. 16. 1240, quo die (non anno 1242, ut inter Archiep. Cantuar. per incuriam Typographi aſſeritur) Edmundus obiit. Sed quid tum cum Chartula Regia apud *Rymer.* T. 1. p. 396, in qua *Hugo* (non *Howelus*, ut aſſerit Whartonus) fuit fidejuſſor pro Davide Walliae Principe 31 Aug. 1241. niſi aberrat tranſcriptor, initiale litera H ſolummodo poſita. ——— Vide plura apud *Hiſt. Epiſc. Aſap.* ut ſupra. p. 318, 319. ———Abrahamo defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 4 Feb. *Pat.* 17 H. 3, et Rex praebet aſſenſum electioni Hugonis Ordinis Praedicatorum 11 Apr. *Pat.* 18 H. 3.

VII. HOWEL AP EDNEVET.

*1240. Hen. 3. 24. ANNO 1235 Howel ap Ednevet, neſcio cujus ſocietatis Fraterculus, Epiſcopus creatus eſt hujus Eccleſiae[q]. Anno deinde 1239 Sanctimonialibus de Llanligan in Powiſia appropriavit rectoriam de Lanvayr in Caërenion; necnon et Langollen Coenobio de Valle-crucis, et Lanaſaph ad fabricam Eccleſiae Cathedralis[r]. Bellorum populationibus Epiſcopatu devaſtato, in Angliam profugit, et in ſummâ omnium rerum inopiâ Oxoniae deceſſit anno 1247[s], ibique jacet ſepultus.

VIII. ANIANUS I.

*1249. Hen. 3. 33. ANIANUS ejus nominis primus, conſecratus eſt anno 1248[t]. Hic litem diu agitatam, inter Leolinum Walliae Principem et Richardum Bangorenſem Epiſcopum, anno 1261 compoſuit. Poſt biennium deinde Sanctimonialibus de Llanligan appropriavit rectoriam de Lanllwghaiarn; et Monaſterio Polenſi rectoriam de Abertew anno 1265. Sedit annos plus minus 18[u].

IX. ANIANUS 2[x].

1268. Hen. 3. 53. POSTQUAM per biennium vacaſſet ſedes, Aniano in ſucceſſorem ordinatus eſt Anianus, cognominatus de Schonaw, Dominicanus, vulgo appellari conſuetus *Y brawd du o Nanneu*, quaſi dicas, Niger fraterculus de Nanneu. Conſecratus dicitur menſe Octobri[y] 1268 in Eccleſia ſanctae Mariae prope pontem Londinenſem. Hic Regi Edwardo primo à Confeſſionibus, ipſum à Paleſtina revertentem in patriam uſque ſequutus eſt. Illi et ſucceſſoribus, Joannes Fitz-Allen Arundeliae Comes dedit centum terrae jugera (acras appellamus) apud S. Martini anno 1271, ea lege ut acciperet quotannis ad feſtum D. Joannis Baptiſtae auratorum calcarium par. Joannes autem filius ejus alia itidem jugera 44 adjecit, una cum aedibus praecipuis, aut (ut loquimur) capitalibus mannerii. Inter ipſum et Abbatem Salopienſem lis diù agitata eſt Romae de patronatu Vicariae Blanch-monaſterienſis, cujus loci decimas, Salopienſibus Reynerus appropriaverat. Hujus contentionis is fuit exitus, ut Salopienſes, quo in decimis colligendis et diſponendis nemo eos interturbaret, quicquid praediorum haberent apud S. Martini, id totum darent Epiſcopo et ſucceſſoribus. Lis fere conſimilis tum poſtea exorta eſt inter ipſum et Abbatem de Valle-crucis, circa vicarias de Langollen, Wrexham, Ruabon, Chirk, Lanſanfrayd, et Landegla, quarum Eccleſiarum patronatus, ab Officiali Cantuarienſi et Abbate de Tallelechew (Pontificiis delegatis) Epiſcopo et ſucceſſoribus adjudicata eſt. Sed quoniam de jure patronatus Eccleſiae de Landegla nonnihil dubitatum eſt (ut videtur) tertiam partem decimarum de Brineglwis oportuit eum Monachis de Valle-crucis appropriare. In alia lite inter ipſum et Thomam de Cantelupo Herefordenſem Epiſcopum excitata, propter juriſdictionem territorii de Horddor, eadem foelicitate non eſt uſus. Thoma Herefordenſi defuncto, Richardo de Swinfeild ſucceſſore ejus annuente, res per compromiſſum ad arbitrium delata eſt Richardi Londinenſis Epiſcopi, qui pro Herefordenſi judicavit: unde regio illa jam inde ab eo tempore, Herefordenſis dioeceſis pars ſemper eſt aeſtimata. Antiſtiti huic, Gruffith Vaughan ap Gruffith ap Madoc, Dominus de Yale, mannerium contulit de Landegla anno 1278. Qui rebus ſuis jam ita conſtitutis, animum adjecit ad Cathedram ſuam Epiſcopalem à Lanelwy, vico ruſticano, et loco tam turbulentis temporibus parum tuto, ad Ruthland[z] tranſferendum[a]; oppidum, populi frequentia, aedificiorum ſplendore et incolarum opulentia tunc temporis ſatis celebre, quod duobus tantum milliaribus à veteri diſtabat ſede. Edwardus primus Rex, aream promiſit in qua Eccleſia conſtrueretur, et mille marcas, ad ſumptus ſtructurae. Literae etiam ad Martinum quartum Pontificem conſcriptae ſunt, ad facultatem ab illo pro ſedis tranſlatione hujuſmodi impetrandam; ut conjicere non poſſim, ejuſce rei unde impedimentum natum ſit, niſi forſitan ex morte Pontificis qui anno deceſſit 1286. Ad Epiſcopum vero quod attinet, anno 1292[b] vitam ille cum morte commutavit.

---

[q] Conſecratus apud Boxgrave anno 1240. ut ſupr.

[r] Haec ab Hugone facta ſuperius apparet.

[s] *Annal. Wigorn.* p. 493.

[t] Sede vacante, die exaltationis S. Crucis 1249, Monachi ſeſe aſtrinxerunt Epiſcopum non electuros ſine aſſenſu Regio prius impetrato, *Pat.* 33 H. 3. m. 3. apud *Prynn.* V. 2. p. 727; et anno Henrici Regis triceſimo tertio nondum completo, viz. ante 19 Octobris, E. Epiſcopus electus jus Regium pariter recognovit. *Clauſ.* 33 H. 3. m. 11. *in dorſo. ib.* conſecratus, anno 1249 nondum exacto, ab Epiſcopis Wigorn. Bang. et Mithe. *Annal. Wigorn.*

[u] Obiit menſe Septembri 1266.

[x] Inter hos Anianos ſucceſſiſſe dicitur Joannem alium, qui (ex fide Regiſtr. Eccl. Cantuar.) conſecratus eſt A. 1267. à Cantuar. Elien. et Landav. Epiſcopis. Ex eodem Regiſtr. conſtat ſedem hanc iterum vacaſſe Januarii quarto ejuſdem anni. *Wharton.* ut ſup.

[y] Octobris 21, aſſenſu Regio prius habito. 24 Sept. 52 H. 3.

◆ ◆ ◆

X. LEOLINUS DE BROMFEILD.

SUCCESSOR illi deſignatus Leolinus de Bromfeild, alias dictus Leolinus *ap Llewelin ap Yuyr* Aſaphenſis Canonicus, in aeſtate anni 1293 conſecratus eſt[c]. Qui anno 1310 decimas de Lanelwy, in quatuor partes diviſas, quatuor vicariis choralibus attribuit, ut infra quatuor cruces ſacra perpetuo obirent. Rectorias etiam de Lanſilin et Ruthlan Capitulo appropriavit, vel potius appropriationes ab Aniano anteceſſore factas confirmavit, quod diplomata ejuſce rei ab Aniano confecta, belli tempore incendio fuiſſent abſumpta; ſicuti et illa quae donationes Fabricae Eccleſiae factas teſtabantur; quae ſimiliter renovavit. Portionem vero de Corwen (Fabricae ante appropriatam) in priſtinum ſtatum reduxit, et praeſentativam eſſe ordinavit. In liturgia Eccleſiae ſuae et chori diſciplina cùm plurima mutaverit, conſtitutiones ejus ea de re in hodiernum uſque diem vim obtinent. Teſtamenti condendi facultatem cùm ab Edwardo primo Rege impetraſſet; argenti caelati, librorum et veſtium ſacrarum magnam copiam legavit, Eccleſiae partim Cathedrali, partim Canonicis ejuſdem et Capellanis ſuis, famulorum etiam quamplurimis pecunia mediocri relicta. Obiit anno 1313[d]. 1293. Edw.I.21.

---

[z] Rodelan. *Rym. Foed.* T. 2. p. 245.

[a] Hoc fit potius ratione incendii anno 1282

[b] Obiit Febr. 5. 1292, et ſpiritualia commiſſa ſunt Aniano Mungumery Canonico Aſav. *Regiſtr. Cantuar.*

[c] Licentia eligendi 23 Februarii; Rex aſſenſum prebuit 6 Maii; Temporalia reſtituta 13 Maii. *Pat.* 21 E. 1. Conſecr. 17 Maii in feſto Pentecoſtes 1293. *Regiſtr. Eccl. Cantuar.*

[d] Poſt viceſimum Septembris. *Wharton.*

XI. DAVID AP BLETHIN.

* 1314. Edw. 2. 8. ELECTIO facta de Davide ap Blethin, Regio aſſenſu confirmata eſt anno 1314[e]. Qui tamen conſecratus non videtur ad annum uſque 1319[f]. Exceſſit è vivis ſub exitum Septembris 1345[g]. Comperi ſiquidem Edwardum tertium Regem, Octobris nono anni praedicti, literas dediſſe ad Decanum et Capitulum, quibus petiit quendam Joannem Lincolnienſem, Dominicanum, et Comitis Warrenii Confeſſorem, Epiſcopum ab illis renunciari.

XII. EPHRAIM[h].

IN Cambrorum Annalibus traditum reperi, Ephraimum quendam Epiſcopum Aſaphenſem defunctum anno 1332. Si talis quiſpiam his temporibus dioeceſi huic praefuerit, ſeriùs aliquantiſper id extitiſſe neceſſum eſt. Mendoſe ſcriptum ſuſpicor 1332 pro 1352.

XIII. HENRICUS[i].

IN Archivis Regiis quae in Turri Londinenſi aſſervantur, ſit mentio cujuſdam Henrici Aſaphenſis Epiſcopi, qui ſederit Edwardo tertio regnante: Et videtur Joannis Trevauri proximus anteceſſor extitiſſe.

XIV. JOANNES TREVAUR[k].

[1352.] Edw. 3. 26. EPHRAIM et Henricus ſupradicti (ſi tales aliqui huic Eccleſiae praefuerint) tam exiguo tempore videntur ſediſſe, ut inter Epiſcopos vix meruerint numerari. In regiſtro ſiquidem Simonis Iſlip Archiepiſcopi Cantuarienſis, teſtem quendam comperi menſe Aprili 1357 examinatum, qui aſſeruerit, omnes per multos annos retroactos Eccleſiae Aſaphenſis Epiſcopos ſe noviſſe; interque eos, Anianum quidem ante annos ſexaginta defunctum, eique ſucceſſiſſe Leolinum, huic Davidem, ac Davidi Joannem Trevaur, cujus morte (inquit ille) Epiſcopatus jam vacat. Et verum certe id fuit, Joannem praedictum anno 1356 diem clauſiſſe extremum[l].

---

[e] Licentia eligendi 18 Julii. David ap Blethint Canonicus Aſaphenſis Regis habet aſſenſum 7 Sept. et Temporalia ſunt reſtituta 1 Nov. 1 *Pat.* 8 E. 2. [f] Conſecratus 12 Jan. 1314. *Regiſtr. Cantuar.* Extat litera à Gilberto Londinenſi Epiſc. ſcripta 17 Kal. Dec. 1314, in qua Epiſcopus Sarum citatur intereſſe conſecrationi Davidis ap Plechyn Canonici Aſſav. in Epiſc. Aſſav. conſecrandi in Eccleſ. Cantuar. Dominica proxima poſt inſtant. Epiphaniam. *MS. Aſap.* è *Regiſtr. Gandav. Epiſc. Sarum.* [g] Dies obitus non conſtat. [h] De Ephraimo haec habemus in *Gram. Britan. Daviſii* p. 5, 6. Ed. Lond. 1621. " F. Hujus literae ſonum interdum per V conſonam, interdum per F, omnes ſcripſerunt aetates. " ——Angli olim ſcripſerunt GIF US THIS DAY, FORGIF US OUR DEBTIS &c. ut interpretatus eſt Wiclefus, tempore " Richardi 2[i].——Et certum eſt F digamma Aeolicum olim ſonaſſe ut V conſonans &c.——— Quam ipſius F poteſtatem non ſatis advertens hiſtoriae Britannicae Anglicus interpres, Ephraimum quendam manifeſto errore ſedi Aſaphenſi " praefecit Epiſcopum, quem ſedes illa nunquam vidit.———Errori anſam praebuit quod in hiſtoriae Britannicae MSS. " Codicibus EFREAM more Britannico dictus ſit *Abraham* Epiſcopus. Quam vocem cum EVREAM legi debere non attenderit, EFFRAEM mendoſè legit.———Ceſſit autem fatis is ABRAHAM ſeu EFREAM, ut habent archiva Aſaphenſia et " Hiſt Brit. anno ſalutis 1232, ut vere refert Godwinus de *Abraham*. Expungendus ergo eſt omnino *Ephraim*." [i] Henricus hic ponitur pro Henrico Menevenſi. [k] In curia Romana conſecrationem accepit anno 1352; et profeſſionem fecit Cantuariae 24 Martii. *Regiſtr. Eccl. Cant.* [l] Obiit ante tertium Febr. 1356, (exeunte ſc.) à tertio enim Febr. 1356 ad nonum Nov. 1357 David de Englefeld cuſtodiam habuit temporalium. *Regiſtr. Iſlip.*

XV.

XV. LEOLINUS AP MADOC, AP ELIS.

LEOLINUS, filius Madoci, Eliſaei nepos[m], ab Innocentio ſexto Papa, 1357.
Aſaphenſis Epiſcopus Avenione renunciatur, menſe Julio[n] 1357, Edw. 3. 31.
et inteſtatus deceſſit 1376. Nam bonorum ejus adminiſtrationem, tanquam defuncti, conceſſam reperi octavo Cal. Junii 1376[o].

XVI. GULIELMUS DE SPRIDLINGTON[p].

GULIELMUS DE SPRIDLINGTON, Decanus Aſaphenſis, conſecratus 1376.
eſt 25 Maii 1376[q]. Ante tempora iſtius Epiſcopi, ii quibus Edw. 3. 50.
elocata erant praedia mannerii Lanelwienſis, operarios ſex alere tenebantur, qui ſaxa quotidie eruerent è latomiis, *y Garreg goch* appellatis, hoc eſt, rupis rubrae; et pro unoquoque defectu, quatuor denariorum mulcta Epiſcopo erat pendenda. Jam, querentibus agricolis, ad paupertatem ſe redactos ratione bellorum, et aſſerentibus, Eccleſiae Cathedralis ac aedium Epiſcopalium ſtructura perfecta, ſuperfluam fore iſtorum operam: Paciſcitur cum iis Epiſcopus, licitum illis poſthac fore, officium hujuſmodi redimere decem marcarum annua ſolutione. Et hic redditus ad hunc uſque diem, *ardreth y garreg goch* nuncupatur, quaſi dicas redditum rupis rubrae. Hodie vero (unde id eveniat non conjicio) pro decem illis marcis quinque duntaxat numerantur. Exceſſit è vivis hic praeſul nono Aprilis 1382[r] apud Altmeledin[s].

XVII. LAURENTIUS CHILD.

LAURENTIUS CHILD, Coenobii de Bello Monachus, et Juris Ca- 1382.
nonici Licentiatus, Auguſto menſe ſequenti conſecratus[t], deceſſit Ric. 2. 6.
Septembris viceſimo 1389[u].

XVIII. ALEXANDER BACH.

ALEXANDRO BACH Dominicano, ſacrae Theologiae Doctori[x], 1390.
dioeceſeos Aſaphenſis juriſdictio commiſſa eſt, tanquam Electo in Ric. 2. 13.
Epiſcopum, Aprilis ſexto 1390[y].

---

[m] Decanus Aſaphen.

[n] A Capitulo primò electus, dein ab Innocentio proviſus, Bullâ datâ 14 Kal. Aug. 1357. *Regiſtr. Iſlip.* f. 218. Conſecratus in Curia Romana.

[o] Teſtamentum ejus probatum 12 Id. Dec. 1375. *Regiſtr. Sudbury.* f. 89.

[p] STRIDLINGTON. SPRINGLINTON. *MS. Aſap.* è libro Aſap. ferè coaevo.

[q] *Regiſtr. Sudbury.*

[r] Teſtam. probat. 1 Maii 1382. *Regiſtr. Courtn.* f. 313; in quo ſepeliri mandavit in Eccleſ. ſua Cathedrali.

[s] Conceſſit Rex Ric. 2. anno Regni 3°, et licentiam dedit, pro ſe et Haeredibus ſuis, Willielmo tunc Epiſcopo Aſſavenſi, quod ipſe, de aſſenſu Capituli Eccleſiae ſuae Aſſavenſi, Capellas de la Pole et Regitva ſuae Dioec. Aſſaven. Eccleſiae Parochiali de Meyrot, praedictae Dioeceſeos, in perpetuum unire et annectare, et eandem Eccleſiam cum Capellis eidem pertinentibus et annexis, appropriare; Et eaſdem ſic appropriatas praedicto Epiſcopo et Succeſſoribus ſuis Aſſavenſibus, in proprios uſus tenere poſſit in perpetuum.——Idem conceſſit Henr. quartus Joanni Trevaur 14 Martii 1402, Regni 3°.

[t] Proviſus eſt 18 Jun. 1382. Spiritualia accepit 2 Oct. *Regiſtr. Courtn.* f. 316. Temporalia 20 Oct. 1 *Pat.* 6 R. 2. m. 18.

[u] Adhuc ſuperſtes 10 Oct. 1389. *Rym. Foed.* T. 7. p. 645. Obiit 27 Dec. *Wharton.*

[x] Licentia eligendi conceſſa eſt 13 Jan. 2 *Pat.* 13 R. 2. m. 19. ——Proviſus eſt Alexander à Papa 2 Kal. Mar. 1389. *Regiſtr. Courtn.* f. 326. —— Temporalia habet reſtituta 28 Apr. 3 *Pat.* 13 R. 2. m. 15.

[y] Obiit menſe Auguſto 1394. *Pat.* 18 R. 2. Teſtamentum [illegible]ct. 14 Aug. 1394. probat. 15 Sept. 1394.

XIX. JOANNES TREVAUR 2.

1395. Ric. 2. 18. OCTOBRIS decimo quinto 1395, Joanni Trevaur[z], ejus nominis ſecundo, juriſdictio Eccleſiaſtica dioeceſis Aſaphenſis commiſſa eſt. Sententiam ille tulit, quâ exauthoratus et in ordinem redactus Richardus ſecundus Rex[a]; atque in Hiſpaniam mox amandatus ut Regi ibidem, Henrici quarti ad regnum Anglicanum jus exponeret ac demonſtraret. Anno poſtquam rediit uno aut altero, deſcivit à Rege et nobiliſſimi rebellis partibus ſe addixit Oweni Glendowr, anno videlicet 1404, et biennio deinde tranſacto diem obiit[b].

XX. ROBERTUS.

*1410. Hen. 4. 11. JUNII viceſimo octavo 1411, Robertus quidam in Epiſcopum Aſaphenſem conſecratus eſt Lincolniae, per Thomam Arundellum Cantuarienſem Archiepiſcopum[c]. Maii vero viceſimo ſexto 1433 illius morte ſedem vacuam extitiſſe comperi.

XXI. JOANNES LOW.

[1433.] Hen. 6. 12. JOANNEM LOW, Monachum Auguſtinianum, ſacrae Theologiae Doctorem, ad Epiſcopatum Aſaphenſem Henrici Regis opera provectum conſtat ante annum 1439[d]. Unde 1443 ad Roffenſem ſedem tranſlatus eſt[e].

XXII. REGINALDUS PEACOCK.

1444. Hen. 6. 22. REGINALDUS PECOCUS, ſacrae Theologiae Doctor[f], Croydonae conſecratus Junii decimo quarto 1444[g]. Ciceſtriam tranſlatus eſt anno 1450[h].

XXIII. THOMAS.

1450. Hen. 6. 29. ANNO 1450[i] praedicto nondum tranſacto, praeſulatum hunc adeptus eſt quidam nomine Thomas, de quo nihil habeo compertum, niſi quod ultra duodecim annos non praefuerit. Nam viceſimo octavo Januarii 1462 ſedem conſtat vacaſſe[k].

---

[z] Licentia eligendi data 15 Sept. 1394. 1 *Pat.* 18 R. 2.——Temporalia reſtituta 6 Jul. 1395. 1 *Pat.* 19 R. 2. m. 35.

[a] *Harpſf. Hiſt. Angl.* p. 659. *Walſingh.* p. 370.

[b] Male quidem; anno enim 1409 et Owen Glendour et Joannes Trevaur adhuc ſuperſtites. *Rym. Foed.* T. 8. p. 588, et uſque ad annum 1410. *ib.* p. 611. Non vacavit igitur per mortem; ſed autoritate Archiepiſcopi Cantuar. Spiritualia hujuſce ſedis aſſignantur Thomae Abbati de Shrewſbury A. 1408. Tandem, ſede vacante per mortem praedicti Joannis, Robertus eligitur. Vacavit ſedes 8 Oct. 1410. *Pat.* 12 H. 4.

[c] In Charta originali apud virum optimum Rob. Davies de Lanerch. ſequentem ſubſcriptionem vidi, inquit Rev. Gul. Fleetwood Epiſc. Aſap.—*In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Dat. in Monaſterio de Valle-Crucis* 24° *die Decembris A. D.* 1429 *et noſtrae conſecrationis A.* 19°. Circa Sigillum, *S. Roberti de Lancaſter Dei Gratia Epiſc. Aſſuvenſis.* Unde et nomen gentilitium, hactenus ignotum, et annus conſecrationis ejus apparent. *MS. Aſap.*

[d] Licentia eligendi conceſſa 26 Apr. 1 *Pat.* 11 H. 6 m. 11, 7.—A Papa proviſus 17 Aug. 1433; cui Rex reſtituit temporalia 17 Oct. 1 *Pat.* 12 H. 6. m. 26. Licentiam conſecrationis extra Eccleſ. Cantuar. petit literis dat. 24 Oct. 1433, et diem Omnium Sanctorum pro munere conſecrationis aſſignat. *MS. Aſap.* et *Regiſtr. Cantuar.*——De eo ſic ſcribit Cl. *Whartonus* è *Baleo* et *Pitſeo*; "Vir "erat pro ſaeculi captu apprimè doctus; Doctoratum in Theologia aſſecutus, creſcente eruditionis ac virtutis famâ, celeberrimo Ordinis ſui Conventui apud Londinum praefectus eſt. Dein Ordinis ſui Provincialis factus, per plures annos "Epiſcopus Aſſavenſis evaſit." p. 347.

[e] Ab Eugenio Papa 22 Apr. 1444. Licentia eligendi petita eſt à Monachis 3 Mar. 1443, et poſtridie conceſſa. *Regiſtr. Stafford.*

[f] Baccalaureus tantum, cui Rex reſtituit temporalia 8 Jun. 2 *Pat.* 22 H. 6. m. 11.

[g] *Regiſtr. Stafford.* f. 15.

[h] *Ib.* f. 35. De eo plura inter Ciceſtrenſes.

[i] Januarii 27. *Br. Willis* p. 6[illegible].

XXIV. RICHARDUS REDMAN.

RICHARDUS REDMAN Epiſcopus fuit Aſaphenſis anno 1485, (ſed [1471.]
quando conſecratus neſcio[l]) et Exoniam tranſlatus primum anno EDW.4.11.
1495, atque mox ad ſedem Elienſem. In reparatione Eccleſiae Aſaphenſis, ab Oweno Glendowr incenſae ac devaſtatae, multum videtur inſumpſiſſe pecuniam; quod ex inſignibus ejus gentilitiis conjicio, in plurimis Eccleſiae locis depictis, videlicet, in cathedra Epiſcopali, ſupra oſtium chori, et in feneſtra Orientali[m].

XXV. DAVID AP OWEN[n].

DAVID, Oweni filius, Abbas primum de Strat-Marchell, poſtea de 1503.
Conway[o], homo ob munificentiam ac liberalitatem multum cele- HEN.7.19.
bratus, conſecratus anno 1503. Sub initium Februarii deceſſit 1512[p]. Aedes Epiſcopales ad S. Aſaphi, ab Oweno Glendowr incenſas et deſtructas, hic refecit, quas nimirum unicas moderni poſſident Epiſcopi.

XXVI. EDMUNDUS BIRKHEAD.

EDMUNDUS BIRKHEAD, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigi- 1513.
enſis[q], Maii 29 conſecratus 1513[r], ſub initium Aprilis vita functus HEN.8.5.
eſt anno 1518.

XXVII. HENRICUS STANDISH.

HENRICUS[s] STANDISH, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigien- *1518.
ſis, Oxoniae conſecratus eſt Julii undecimo 1519[t]; et huic ſedi HEN.8.10.
praefuit annos plus minus ſedecim[u].

---

[k] Nec per mortem, nec per reſignationem; anno enim 1465 Martii undecimo Temporalia hujus Epiſcopatus traduntur Ric. Cantoun ratione rebellionis Thomae nuper Epiſcopi ejuſdem, ſicut et antea commiſſa fuere Rob. Epiſcopo Roffenſi. *Rym. Foed.* T. 11. p. 539. Iterumque commiſſa ſunt Jac. Stanley 30 Oct. 1468. Et (ut verbo dicam) triceſimo Octobris 1471, *Pardonamus,* (inquit Rex) *dimiſimus et relaxavimus Thomae Epiſc. Aſſavenſi, omnimodas tranſgreſſiones, offenſas, miſpriſiones* &c. Ib. p. 729. Hoc factum eſſe arbitror, paulo poſt Epiſcopatum ſuum reſignaſſet; die enim 13 ejuſdem menſis Richardus licentiam conſecrationis extra Eccleſ. Cantuar. obtinebat. *Regiſtr. Eccl. Cant.*

[l] Vid. Not. poſtr.

[m] Anno 1487 cenſuras Papales ſubiit, eo quod impoſtoris Lamberti Simnel partibus adhaeſit contra Regem Henricum ſeptimum. *Rym. Foed.* T. 12. p. 333. Poſtea verò ab eodem Rege ad Sedem Exon. amotus eſt anno 1495, anno 1493 in album eorum aſcriptus qui Regi ſunt ab arcanis conſiliis.

[n] Richardo tranſlato ſucceſſit Michael Diaconus, Confeſſor Regius; licentia conſecrationis extra Eccl. Cant. conceſſa 11 Jan. 1495. *Regiſtr. Cantuar.* Obiit ſub exitum anni 1499. *Wharton.* p. 354, et in Eccleſia Weſtmonaſterienſi ſepultus jacet. ——— Huic etiam ſucceſſit David Abbas Valle-Crucis; Conſecratus à Joanne Archiep. 26 Apr. 1500, et obiit ante exitum anni 1503. *Id.* p. 355. Dein David ap Owen.

[o] Decretorum Doctor et Abbas Valle-Crucis, proviſus eſt 18 Dec. 1503, et conſecratus menſe Februario ſequenti.

[p] Et in Eccleſia ſua jacet ſepultus.

[q] Proviſus à Papa, Bullâ datâ 17 Kal. Maii. 1513. *Regiſtr. Warham.* f. 16.

[r] *Id. ib.*

[s] Minorita, natus apud Standiſh Comitatu Lancaſtr. à Papa proviſus eſt 5 Kal. Jun. 1518. *Regiſtr. Warham.* f. 21, propter eximiam ſidei Rom. defenſionem. *Burn. Hiſt. Ref.* V. 1. p. 13. et *Wake de Synodis* p. 298. Pro Regina Catharina advocatus in cauſa divortii. *Godw. Annal.* p. 58.

[t] Julii undecimo 1518 apud Otford. *Regiſtr. Warb.* f. 21. ——— Anno 1523 Feb. 27 conſtitutus eſt Legatus in Daniam. *Rym. Foed.* T. 14. p. 12.

[u] Obiit 9 Jul. 1535. *Regiſtr. Cranm.* et ſepultus in Eccleſ. Minoritarum London.

XXVIII. GULIELMUS BARLOW.

1535. Hen. 8. 26. GULIELMUS BARLOW[x], Canonicorum regularium apud Biſham Prior, conſecratus eſt viceſimo ſecundo Februarii[y] 1535. Aprili[z] deinde menſe ſequente Meneviam tranſlatus eſt; poſteaque ad ſedem Bathonenſem et Wellenſem[a], unde pulſus à Maria Regina, per Elizabetham Ciceſtriae[b] collocatus eſt, uti ſuo loco à me jam antea dictum eſt.

XXIX. ROBERTUS PARFEW.

1536. Hen. 8. 28. ROBERTUS PARFEW, al. Warbington, vel potius Warton, ſacrae Theologiae Baccalaureus, Abbas Bermondſeienſis, Cantabrigienſis Academiae alumnus, conſecratus Julii ſecundo 1536[c] Lamethae; Abbatiae una cum Epiſcopatu retinendae facultatem impetravit[d]. Denbighiae plerunque aut Wrexamae vitam degere conſuevit: ad ſancti Aſſaphi raro aut vix unquam. Hoſpitalis vero Epiſcopi gloriam affectans, tantam aluit familiam, ut cum quotidianis ſumptibus redditus non ſuffecerint, neceſſum habuerit fundos Epiſcopales in longiſſimum tempus (quod nimirum adhuc non eſt elapſum) elocare; id quod Epiſcopatum antea ſatis tenuem, nunc reddidit pauperrimum. Cùm annos ſediſſet octodecim Mariae Reginae mandato Herefordiam anno 1554 tranſlatus eſt.

XXX. THOMAS GOLDWELL.

1555. Mar. 3. THOMAS GOLDWELL[e], ſub initium Octobris 1555 conſecratus, circa ſolſtitium aeſtivale 1559 (Elizabethae Reginae primo) ſolum ſponte mutavit[f], et in exilio viginti poſtea per annos vixit. Magno conatu magnas nugas. Multis precibus à Papâ impetravit Goldwellus, indulgentias renovari neſcio quas ad tempus certum conceſſas, ſuperſtitionis gratiâ peregrinationes ſuſcipientibus ad fontem qui ſanctae Winefridae appellatur, et oblationes ſacrificulis exhibentibus qui ibi loci ex hoc lucelli genere victitabant[g].

XXXI. RICHARDUS DAVYES.

1559. Eliz. 2. RICHARDUS DAVYES[h], cum tempora Mariana in exilio tranſegiſſet; reverſus in patriam, viceſimo primo Januarii[i] 1559 in Epiſcopum Aſaphenſem, Goldwelli profugi loco, conſecratus eſt, et ad Menevenſem ſedem tranſlatus viceſimo primo Maii 1561.

---

[x] S. T. P. Licentia eligendi data eſt 7 Jan. 1535. 1 *Pat.* 27 H. 8. m. 11. Regium habet aſſenſum 22 Febr. 2 *Pat.* 27 H. 8. m. 11.

[y] Confirmatus ab Archiepiſcopo Feb. 23. 1535. *Regiſtr. Cranm.* dies verò quo conſecratus nondum apparet.

[z] Apr. 21. *Regiſtr. Cranm.* f. 205.

[a] Feb. 3. 1548.

[b] Dec. 20. 1559.

[c] Confirmatus Jun. 26. 1536. *Regiſtr. Cranm.* f. 193. conſecratus Lamethae Jul. 2. *ib.* f. 197.

[d] Diſpenſatio pro Rob. Wroton Abbate Monaſterii S. Salvatoris de Bermondſey in Theologia Baccalaurio, qui ad Epiſcopatum Aſſav. nunc de jure et facto vacant. ut una cum Epiſcop. praedict. Monaſterium gauderet in commendam &c. 30 Jun. 27 H. 8. *MS. Anſtis.* —— Diſſolutione iſtius Abbatiae penſionem annuam habuit aſſignatam 333^{l}. 6^{s}. 8^{d}. *MS. Aſap.*

[e] Monachus Ordinis S. Benedicti.

[f] Solus ex Anglia adfuit Concilio Tridentino, eique ſubſcripſit. *Concil. Reg.* T. 36. Maria adhuc ſuperſtite tranſlatus eſt ad Sedem Oxon. et Thomas Wood nominatus eſt Epiſc. Aſaphenſis 5 Nov. 1558. *Rym. Foed.* T. 15. p. 490.

[g] Moritur et ſepultus eſt Romae cir. 1581. *MS. Wood.*

[h] Filius *Davidis ap Gronw*, natus in Com. Denbeien.

[i] Regium habet aſſenſum 30 Dec. 1559. *Rym.* T. 15. p. 551. Spiritualia ſeiſita à Capitulo Cantuar. (ſede Cant. vacante) 15 Jul. 1559. *Regiſtr. Cant.* —— Temporalia reſtituta 29 Mar. 1560. *Rym.* T. 15. p. 577.

XXXII. THOMAS DAVYES.

THOMAS DAVYES, legum Doctor Cantabrigienſis[k], eodem anno 1561.
conſecratus[l], ſedit annos duodecim et paulo poſt feſtum S. Michaelis Eliz. 4.
1573 defunctus eſt[m].

XXXIII. GULIELMUS HUGHES.

GULIELMUS HUGHES[n], ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus 1573.
decimo tertio Decembris 1573[o]; diem clauſit extremum decimo Eliz. 16.
octavo Novembris 1600.

XXXIV. GULIELMUS MORGAN.

GULIELMUS MORGAN, ſacrae Theologiae Doctor, (de quo inter 1601.
Landavenſes plura) ad Landavenſem ſedem conſecratus viceſimo Eliz. 43.
Julii 1595, ad Aſaphenſem tranſlatus eſt decimo ſeptimo Septembris 1601[p]. Cumque triennium tantum ſediſſet, Septembris decimo 1604 ab hâc aerumnoſâ ad meliorem vitam tranſivit[q].

XXXV. RICHARDUS PARRY.

RICHARDUS PARRY, ſacrae Theologiae Doctor, (cui eruditione, 1604.
caeteriſque Epiſcopalibus virtutibus, utinam egomet tam illi eſſem Jac. 1. 2.
aequalis, quam ille mihi aetate ſtudiorumque Academicorum tempore locoque) aedis Chriſti Oxoniae alumnus, ex Decano Bangorenſi Epiſcopus Aſaphenſis per Jacobum Regem noſtrum Sereniſſimum deſignatus, conſecratus eſt triceſimo Decembris 1604[r]. Obiit 26 Septembris 1623: in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

* * *

XXXVI. JOANNES HANMER.

HUIC ſucceſſit Joannes Hanmer, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii 1623.
Omnium Animarum Oxoniae aliquando Socius, et Eccleſiae Wigornienſis Jac. 1. 21.
Praebendarius, in Epiſcopum conſecratus Februarii decimo quinto 1623[s], deceſſit viceſimo tertio Julii 1629.

---

[k] Anno 1537, è Coll. S. Joan. Evang. *Regiſtr. Acad.*

[l] Conſecratus 26 Maii 1561.——Temporalia reſtituta 26 Mar. 1562. *Rym.* T. 15. p. 623.

[m] Sepeliri voluit in Eccleſ. de Lanpeder ſive Abergwilli. *Athen. Oxon.*

[n] Filius Hugh ap Kendrick de Comitat. Caernarvon. *MS. Wood.*

[o] Lamethae. *Regiſtr. Parker.* f. 5.——Obiit 19 Nov. 1600, die Mercurii. *Regiſtr. Whitg.*

[p] *Ib.* par. 3. f. 44.

[q] Et in Eccleſ. ſua ſepultus jacet.

[r] *Regiſtr. Bancroft.* f. 21.

[s] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 90.

XXXVII.

XXXVII. JOANNES OWEN.

1629. Car. 1. 5. JOANNES OWEN, Socius aliquando Collegii Jeſu Cantabrigiae et Archidiaconus Aſaphenſis, conſecratus eſt viceſimo Septembris 1629. Nihil prius potiuſve habuit quam ut Eccleſiae ſuae bono communi omni, quae Epiſcopum decebat, opera curaque conſuleret; atque adeo conciones lingua Cambro-Britannica publice habendas inſtituit; juxta Aedes Epiſcopales aedificia aliquot erexit, et in Eccleſiae Cathedralis ornamentum et decorem pecunias non parca manu contulit; cum fratribus una reverendiſſimis ejectus et ſpoliatus, deceſſit decimo quinto vel ſexto Octobris 1651, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus infra Thronum Epiſcopalem.

XXXVIII. GEORGIUS GRIFFITH.

1660. Car. 2. 12. IN hanc ſedem jamdiu vacantem, à Carolo ſecundo evocatus, ſucceſſit Georgius Griffith S. T. P. ex Aede Chriſti Oxon. conſecratus viceſimo octavo Octobris 1660[t]. Diem clauſit extremum 28 Novembris 1666, et in Eccleſia Cathedrali itidem ſepultus.

XXXIX. HENRICUS GLEMHAM.

1667. Car. 2. 19. SUCCESSIT Henricus Glemham, ſacrae Theologiae Doctor, filius Henrici Militis, è Collegio Trinitatis Oxon. et Eccleſiae Briſtolienſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus Octobris decimo tertio[u] 1667. Mortem obiit Januarii decimo ſeptimo 1609.

XL. ISAAC BARROW.

1669. Car. 2. 22. ISAAC BARROW, è Collegio D. Petri Cantabrigiae graſſante bello civili ejectus, et Reip. tempeſtatibus jam diu jactatus, aliquando tandem poſt reſtitutum Carolum aliquem laborum fructum repperit, Coll. B. Mariae de Etona Socius conſtitutus, et inde anno 1663 Epiſcopus Sodorenſis conſecratus; ad Dioeceſin Aſaphenſem tranſlatus viceſimo primo Martii 1669[x]. In Eccleſia Aſaphenſi extant pietatis et munificentiae monumenta: Ptochotrophium porro erexit in uſum octo viduarum. Junii viceſimo quarto 1680 deceſſit, magno ſui deſiderio relicto.

XLI. GULIELMUS LLOYD.

1680. Car. 2. 32. IN ſucceſſorem electus eſt Gulielmus Lloyd, S. Martini in Campis juxta Civitatem Lond. Rector, et Eccleſiae Bangorenſis Decanus, qui conſecratus eſt Octobris tertio 1680[y]; ad Dioeceſin Lichfeldenſem anno 1692, inde ad Wigornenſem 1699 tranſlatus, ubi de eo plura.

[t] *Regiſtr. Juxon.* f. 208. [u] *Regiſtr. Sheld.* f. 40. [x] *Ib.* f. 54. [y] *Regiſtr. Sancr.* f. 43.

XLII. EDWARDUS JONES.

1699. Gul. 3. 11. EDWARDUS JONES, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Trinitatis Cantabrigiae aliquando Socius, ad Epiſcopatum Cloynenſem in Hibernia conſecratus anno 1682[z], huc tranſlatus eſt decimo tertio Decembris 1699. Obiit in Civitate Weſtmonaſterienſi decimo Maii 1703, ibidemque in Eccleſia S. Margaretae ſepultus jacet.

XLIII. GEORGIUS HOOPER.

1703. Annae 2. ILLI defuncto mox ſufficitur Georgius Hooper, Aedis Chriſti Oxoniae aliquando Alumnus, Eccleſiae Cantuarienſis Decanus, conſecratus Octobris primo 1703, et inde intra ſemeſtre ſpatium ad Dioeceſin Bathonio-Wellenſem tranſlatus; ubi de eo plura.

XLIV. GULIELMUS BEVERIDGE.

1704. Annae 3. AD hujus Eccleſiae Praeſulatum proximè conſecratus eſt Gulielmus Beveridge, ſacrae Theologiae Doctor, decimo ſexto Julii 1704. Anno 1691 Epiſcopatum Bathonio-Wellenſem oblatum detrectavit, in Epiſcopi amoti et viventis locum nolens ſe ingerere, ſed tredecim poſt annos Aſaphenſem hunc haud invitus ſuſcepit. Vir modeſtia, eruditione et pietate inter primos clarus obiit Martii quinto 1707; aetatis 71.

XLV. GULIELMUS FLEETWOOD.

1708. Annae 7. SUCCESSIT Gulielmus Fleetwood, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Regalis Cantabrigiae et Collegii Etonenſis aliquando Socius, Eccleſiae Windeſorenſis Canonicus, in Epiſcopum conſecratus ſexto Junii 1708, et anno 1714 ad Dioeceſin Elienſem tranſlatus migravit.

XLVI. JOANNES WYNNE.

1714. Geo. 1. 1. QUO tranſlato Joannes Wynne, Collegii Jeſu Oxoniae Principalis, et in Academia Theologiae ex inſtituto D. Margaretae Profeſſor, conſecratus eſt ſexto Februarii 1714, anno 1727 ad Dioeceſin Bathonio-Wellenſem tranſlatus.

XLVII. FRANCISCUS HARE.

1727. Geo. 2. 1. FRANCISCUS HARE, ſacrae Theologiae Doctor, Collegiorum Regalis Cantabrigiae et Etonenſis aliquando Socius, Eccleſiae D. Pauli Lond. Decanus et Reſidentiarius, conſecratus decimo ſeptimo Decembris 1727, Diceſtriam migravit anno 1731.

---

[z] *Waraeus de Praeſ. Hibern.* p. 40.

XLVIII. THOMAS TANNER.

1731. GEO. 2. 5. THOMAS TANNER, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Omnium Animarum Oxoniae Socius, Dioeceſeos Norwicenſis diu Cancellarius, ad Canonicatum in Aede Chriſti Oxon. tandem promotus, conſecratus eſt Epiſcopus Aſaphenſis viceſimo tertio Januarii 1731; Diem clauſit extremum Decembris quarto 1735, Vir in antiquitatibus Britannicis verſatiſſimus, morum ſimplicitate primaeva venerabilis, et propter virtutes tum domeſticas tum publicas ſuis merito chariſſimus: in Eccleſia Cathedrali Chriſti Oxoniae ſepultus, ubi marmor extat ſepulchrale, hoc elogio inſcripto[a].

XLIX. ISAAC MADDOX.

1736. GEO. 2. 10. SUCCESSIT Iſaac Maddox, Eccleſiae Wellenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus Julii quarto 1736.

---

[a] " M. S. Thomae Tanner S. T. P. qui natus Lavingtoniae in agro Wiltonienſi, in Collegium Reginenſe admiſſus,
" deinde Omnium Animarum Capellanus, mox Socius cooptatus eſt. Optimarum ibi artium cultor, Antiquitatis prae-
" ſertim ſtudio ita trahebatur, ut in Patriae faſtis monumentiſque eruendis, nemo Illo diligentior, nemo in explicandis
" peritior haberetur. Hinc maturè evocatus ad munus Cancellarii Dioeceſeos Nordovicenſis, auctus eſt inſuper Praebenda
" Elienſi. Academiae denuò reſtitutus, hanc Aedem Canonicus ornavit. A Clero interim Prolocutor renunciatus, ad
" Epiſcopatum evectus eſt Aſaphenſenſem. Vir erat ad omne officium ſumma fide et diligentia, rara pietate, humaniſſi-
" ma erga omnes voluntate, liberalitate in egenos effuſiſſima. Obiit 4° Decemb. A. D. 1735. Aet. 62.".



p.797.



De ARCHIEPISCOPIS EBORACENSIBUS.

I. Paulinus.

[625.] QUAM certum ſit Britannos noſtros ad fidem Chriſtianam converſos, ſi non ab ipſis Apoſtolis, at certè à diſcipulis eorum Joſepho Arimathenſi et ſociis ſuis, fuſius à me ſupra eſt expoſitum. Quod etſi Pontificiis non libeat nobis concedere; hoc tamen (opinor) nemo inficias ibit, Lucium Regem Britannum eandem fidem amplexum, concionatores ab Eleutherio Epiſcopo Romano impetraſſe, Damianum ac Faganum, qui una cum Meduino et Elvano *per latos Britanniae campos ſemen ſpargerent Evangelicum.* Et videatur certè (quod etiam hiſtorici noſtri teſtantur) laboribus ipſorum eouſque clementiſſimum numen aſpiraſſe, ut cum plurimos ad fidem converterint, tum alios reliquerint, qui praedicationis munus apud poſteros obierunt, et hoc ipſum ad alios perpetua ſerie tranſmiſerunt, donec fraude diabolica excitatis ſubinde tyrannis, hoc fidei lumen extinctum, paulatim evanuit. Nobis attamen fatendum eſt, primorum Eccleſiae noſtrae Britannicae rectorum memoriam ſanè perquam exilem ſupereſſe; ſive quod à natura comparatum ſit, ut omnium rerum initia obſcura ſint plerumque, ſive quod eccleſiaſticam illorum temporum hiſtoriam, tyrannorum et perſecutorum rabies deleverit ac abſumpſerit. Archiepiſcoporum ſiquidem Londinenſium quindecim duntaxat nominantur (de quibus antea) et Eboracenſium multò adhuc pauciores, nimirum quatuor, ex omnibus illis, qui his eccleſiis ad Saxonum uſque adventum, per annos plus minus trecentos, praefuerunt.

1. Horum, et omnium hujus ſedis Archiepiſcoporum primus fuiſſe perhibetur, Sampſon [a], à Lucio Rege ibidem collocatus; cujus rei apud me ſuſpecta eſt fides. Mos ſiquidem nondum erat receptus veterum, ſeu Hebraeorum, ſeu ſanctorum Chriſtianorum, nomina uſurpandi.

2. Memoratur tum proximus Taurinus [b] Epiſcopus Eboracenſis, quem volunt huc tranſlatum Conſtantii Chlori Imperatoris mandato.

3. Tertius eſt Pyrannus [c], ab inclito illo Arthuro (ut placet) conſtitutus.

4. Tadiacus denique omnium Archiepiſcorum Eboracenſium, ante fidem Chriſtianam in his regionibus per Paulini praedicationem reſtitutam, ultimus traditur extitiſſe.

Nam poſtquam rerum hic potiti Saxones, veteres incolas in eam inſulae partem quae Cambria et Wallia hodie nuncupata eſt, pepuliſſent: reliqua certè Anglia, erroris et ſuperſtitionis tenebris immerſa jacuit, ad Auguſtini uſque adventum. Et poſt illius etiam tempora, annis non paucis, plurimis ad Septentrionem populis Chriſtus ne minimum quidem innotuit, donec miſericordiae oculo aſpiciens eos clementia divina, converſioni eorum hunc aditum aperuit. Edwinus Northumbrorum Rex, Edilburgam deperibat, Eadbaldi Cantiorum Regis ſororem: Cumque eam ſibi expeteret in uxorem; illa, mulier Chriſtianae pietatis ſtudioſiſſima, cum homine ethnicae ſuperſtitioni addicto, matrimonio conjungi recuſavit; ſubindicans tamen, ſi Chriſto dare nomen non gravaretur, haud illibenter conditionem ſeſe accepturam. Qua renunciata, reſpondit, ſacra quae majores tot ſeculis coluiſſent, tam temerè ejurare, ſummae futurum levitatis, et regiam majeſtatem minime decentis: Hoc attamen polliceri ſeſe, uxori liberum futurum, imo et comitibus univerſis famuliſque, quam vellent religionem profiteri; deinde, ſi poſthac ratione poſſent demonſtrare, gratiorem numini eum cultum exiſtere quem Chriſtiani exhibeant, quam illum quem à majoribus ipſe accepiſſet; avitam ſuperſtitionem (ſed ſuo tempore, et poſt maturam deliberationem) ſe abjecturum. His legibus conjugium coiit, et Edilburga cum honorifico comitatu in Northumbriam, matrimonio illi mittitur copulanda. Inter caeteros verò, praecipua amicorum cura, Paulinus illi adjungitur, vir eruditione pietateque praeſtans, qui non ſolum monitis ſuis ab ethnicae ſuperſtitionis labe ac contagio immunem eam ſervaret, ſed ſacra etiam faceret, et illius regionis incolas (ſi uſquam daretur facultas) ad fidem Chriſtianam convertere ſatageret. Quibus rebus viſum conducere, in Archiepiſcopum illius gentis ipſum conſecrare; id quod ab Archiepiſcopo Cantuarienſi Juſto eſt praeſtitum Julii 21 anno ſalutis 652, aut ſecundum nonnullos 622. Huc igitur quamprimum acceſſit, muneris ſibi commiſſi memor, Chriſtum diligenter praedicavit Northumbris, ſed fructu aliquantiſper perquam exiguo.

" Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Rege priſtinae ſuperſtitioni pertinaciùs adhaerente, ſubditos ab eadem avellere, quis non auguretur difficile futurum? In hunc igitur unum omnem convertens induſtriae vim; hoc tandem obtinuit, ut bello jam cepto contra Guichelmum Viſiſaxonum Regem, qui exitium illi fuerat machinatus, Chriſtianum ſe futurum polliceretur, quando Chriſtianorum precibus exoratus Deus, victoriam ipſi contra hoſtem capitalem conceſſiſſet. Victoria tamen parta, eaque inſigni, de die in diem converſionem diſtulit, praetextu quidem proceres inducendi ad conſilia ſecum in hac re conſocianda; illis inconſultis ac invitis, periculoſum dictitans futurum aliquid in tanti momenti negotio attentare. Sic procraſtinandi finem non facturus videbatur, niſi oraculum quoddam coeleſte Paulino divinitus fuiſſet revelatum, cujus admonitus Edwinus, promiſſi tandem fidem exoluit. Ejuſce rei hiſtoriam (quamvis longiuſcula ſit) Beda tibi Venerabilis ſuis verbis exhibebit. "Cum videret Paulinus (inquit ille[d]) difficulter poſſe ſublimitatem animi Regalis, ad humilitatem viae ſalutaris et ſuſcipiendum myſterium vivificae crucis inclinari, ac pro ſalute illius ſimul ac gentis cui praeërat, et verbo exhortationis apud homines, et apud divinam pietatem verbo deprecationis ageret: Tandem (ut veriſimile videtur) didicit in ſpiritu, quod vel quale eſſet oraculum, Regi quondam coelitus oſtenſum. Nec exinde diſtulit, quin continuo Regem admoneret explere votum, quod in oraculo ſibi exhibito ſe facturum promiſerat, ſi temporis illius aerumnis exemptus, ad regni faſtigia perveniret.

---

[a] *M. Weſtmon.* A. 507. [b] De Taurino nil patet. Qu. igitur an non fuit Epiſcopus Ebroicenſis in Gallia? [c] Weſtmon. A. 522.

"Erat autem oraculum hujuſmodi. Cum perſequente illum Edelfrido qui ante eum regnavit, per diverſa loca vel regna multo annorum tempore profugus vagaretur; tandem venit ad Regem Redualdum, obſecrans, ut vitam ſuam à tanti perſecutoris inſidiis tutando ſervaret. Qui libenter eum excipiens, promiſit, ſe quae petebat eſſe facturum. At poſtquam Edelfridus in hac eum provincia apparuiſſe, et apud Regem illius familiariter cum ſociis habitare cognovit; miſit nuncios qui Redualdo pecuniam multam pro nece ejus offerrent, neque aliquid profecit. Miſit ſecundo, miſit tertio, et copioſiora auri et argenti dona afferens, et bellum inſuper illis ſi contemneretur indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus, ceſſit deprecanti, et ſive occidere ſe Edwinum, ſeu legatariis tradere promiſit. Quod ubi fideliſſimus quidam amicus illius animadvertit; intravit cubiculum ubi dormire diſponebat (erat enim prima hora noctis) et evocatum foras, quid erga eum agere Rex promiſiſſet, edocuit, et inſuper adjecit; Si ergo vis, hac ipſa hora educam te de hac provincia, et ea in loca te introducam, ubi nunquam te vel Redualdus, vel Edelfridus invenire valeant. Qui ait; *Gratias quidem ago benevolentiae tuae, non tamen hoc facere poſſum quod ſuggeris, ut pactum quod cum tanto Rege inii, ipſe primus irritum faciam, cum ille mihi nihil mali fecerit, nihil adhuc inimicitiarum intulerit: Quin potius ſi moriturus ſum, ille me magis quam ignobilior quiſquam morti tradat. Quo enim nunc fugiam, qui per omnes Britanniae provincias tot annorum temporumque curriculis vagabundus hoſtium vitabam inſidias?* Abeunte igitur amico, remanſit Edwinus ſolus foris, reſidenſque moeſtus ante palatium, multis coepit cogitationum aeſtibus affici, quid ageret, quove pedem verteret neſcius.

"Cumque diu tacitis mentis angoribus et caeco carperetur igne; vidit ſubito intempeſtae noctis ſilentio, appropinquantem ſibi hominem

---

[d] *Hiſt. Eccl.* L. 2. c. 12.

“ vultus habituſque incogniti; quem videns, ut ignotum et inopinatum,
“ non parum expavit. At ille accedens ſalutavit eum, et interrogavit, quare
“ illa hora caeteris quieſcentibus, et alto ſopore preſſis, ſolus ipſe moeſtus
“ in lapide pervigil ſederet? At ille viciſſim ſciſcitabatur, quid ad eum
“ pertineret, utrum ipſe intus an foris noctem tranſigeret? Qui reſpondens
“ ait: *Ne me aeſtimes tuae moeſtitiae et inſomniorum et forinſecae*
“ *ac ſolitariae ſeſſionis cauſam neſcire. Scio enim certiſſime qui es, et quare*
“ *moeres, et quae ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi*
“ *quid mercedis dare velis ei (ſi qui ſit) qui his te moeroribus abſolvat, et*
“ *Redualdo ſuadeat, ut nec ipſe tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hoſtibus*
“ *perimendum tradat?* Qui cum ſe omnia quae poſſet huic tali pro
“ mercede beneficii daturum eſſe reſponderet; adjecit ille; *Quid ſi etiam*
“ *te Regem futurum, extinctis hoſtibus, in veritate promittat, ita ut non*
“ *ſolum omnes progenitores tuos, ſed et omnes qui ante te Reges in gente*
“ *Anglorum fuerant, poteſtate tranſcendas?* At Edwinus conſtantior interrogando
“ factus, non dubitavit promittere, quin etiam ei qui tanta
“ ſibi beneficia donaret, dignis ipſe gratiarum actionibus reſponderet.
“ Tum ille tertio; *Si autem* (inquit) *is qui tanta taliaque dona veraciter*
“ *adventura praedixerit, etiam conſilium tibi tuae ſalutis ac vitae melius*
“ *atque utilius quam aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audivit,*
“ *oſtendere potuerit; num ei obtemperare et monita ejus ſalutaria*
“ *ſuſcipere conſentis?* Nec diſtulit Edwinus, quin continuo polliceretur,
“ ſe in omnibus ſequuturum doctrinam illius, qui ſe tot ac tantis calamitatibus
“ ereptum, ad regni apicem proveheret. Quo accepto reſponſo,
“ confeſtim is qui loquebatur cum eo, impoſuit dexteram ſuam capiti
“ ejus, dicens; *cum hoc ergo tibi advenerit, memento hujus temporis ac*
“ *loquelae noſtrae, et ea quae nunc promittis, adimplere ne differas.* Et
“ his dictis (ut ferunt) repente diſparuit, ut intelligeret, non hominem eſſe
“ qui ſibi apparuiſſet ſed ſpiritum.

“ Et cum Regius juvenis ſolus adhuc ibidem ſederet, gaviſus quidem
“ de collata ſibi pia ac benigna conſolatione; ſed multum ſolicitus, ac
“ mente ſedula cogitans, quis eſſet ille, vel unde veniſſet qui haec ſibi
“ loqueretur; venit ad eum praefatus amicus illius, laetoque vultu ſalutans
“ eum; *Surge* (inquit) *intra, et ſopitis ac relictis curarum anxietatibus,*
“ *quieti membra ſimul et animum compone; quia immutatum eſt*
“ *cor Regis, nec tibi aliquid mali facere, ſed fidem potius pollicitam ſervare*
“ *diſponit. Poſtquam enim cogitationem ſuam (de qua tibi ante dixi) Reginae*
“ *in ſecreto revelavit; revocavit eum illa ab intentione, admonens,*
“ *quia nulla ratione conveniat tanto Regi, amicum ſuum optimum in neceſſitate*
“ *poſitum, auro vendere; imo fidem ſuam (quae omnibus ornamentis*
“ *pretioſior eſt) amore pecuniae perdere.* Quid plura? Fecit Rex ut
“ dictum eſt, nec ſolum exulem nunciis hoſtilibus non tradidit; ſed
“ etiam eum, ut in regnum perveniret, adjuvit. Nam mox redeuntibus domum
“ nunciis, exercitum ad debellandum Edelfridum collegit copioſum,
“ eumque ſibi occurrentem cum exercitu multum impari (non enim
“ dederat illi ſpatium, quo totum ſuum congregaret atque adunaret exercitum)
“ occidit in finibus gentis Merciorum ad Orientalem plagam
“ amnis qui vocatur *Idlae.* In quo certamine et filius Redualdi, vocabulo
“ Raegenheri occiſus eſt. Ac ſic Edwinus juxta oraculum quod acceperat

“ non tantum Regis ſibi infeſti inſidias vitavit, verum etiam eidem perempto in regni gloriam ſucceſſit.

“ Cum ergo praedicante verbum Dei Paulino, Rex credere differret, et per aliquod tempus horis competentibus ſolitarius ſederet, et quid agendum ſibi eſſet, quae religio ſequenda, ſedulus ſecum ipſe ſcrutari conſueſſet: Ingrediens ad eum quadam die vir Dei, impoſuit dexteram capiti ejus, et an hoc ſignum agnoſceret, requiſivit. Qui cum tremens ad pedes ejus procidere vellet, levavit eum, et quaſi familiari voce affatus; *Ecce* (inquit) *hoſtium manus quos timuiſti, Domino donante evaſiſti: Ecce regnum quod deſideraſti, ipſo largiente percepiſti. Memento ut tertium quod promiſiſti facere non differas, ſuſcipiendo fidem ejus, et praecepta ſervando, qui te à temporalibus adverſis eripiens, temporalis regni honore ſublimavit. Et ſi deinceps voluntati ejus quam per me tibi praedicat, obſecundare volueris; etiam à perpetuis malorum tormentis te liberabit, et aeterni ſecum regni in coelis faciet participem.* Quibus auditis, Rex, ſuſcipere quidem ſe fidem quam docebat, et velle et debere reſpondebat.” Reliqua jam in pauca contrahamus, quae Beda prolixè perſecutus eſt. Poſtquam Edwinus Rex Chriſto per regenerationis lavacrum initiatus eſt, operae pretium jam erat videre ex omni hominum genere numerum ingentem ad Paulinum undique confluentem, ut idem ſalutis ſymbolum ſuſciperent. Sanè ferunt eum diebus triginta ſex continuis, (vix noctibus ad quietem conceſſis) laboraſſe perpetim in docendo, et catechumenis baptiſmi ſacramentum in campis ac fluminibus impertiendo, eccleſiis nimirum nondum conſtructis. Edwinus equidem ipſe baptizandus aediculam ex materia fabricavit et D. Petro conſecravit; et jactis circumcirca fundamentis, magnificentiſſimae baſilicae ſtructuram molitus eſt, quam poſteà (morte immatura ipſo ſublato) Oſwaldus ſucceſſor ejus abſolvit. Sedwallo Wallorum, et Penda Merciorum Regibus, conjunctis viribus bellum inferentibus (occulto Dei judicio id permittente) Princeps pietate tam clarus, magno praelio fuſus et occiſus eſt[e]. Paulinus tum, perturbatione ac periculo omnia videns plena in provincia ſua; in patriam abnavigavit ſexto poſtquam venerat anno, ubi ſedis Roffenſis tum forte vacantis curam, exoratus ſuſcepit[f]. Praefuit[g] illic annos tredecim, et Octobris decimo 644 hinc eſt avocatus, ut foeliciſſimorum laborum glorioſam mercedem à Chriſto ſummo judice acciperet; poſt primam conſecrationem annis novendecim expletis, duobus item menſibus, et diebus 21[h]. Vir fuit (ut teſtatur Beda) *ſtaturae longae, paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naſo adunco, et pertenui, venerabilis ſimul et terribilis aſpectu. Sepultus eſt* (ut idem Beda) *in ſecretario B. Apoſtoli Andreae, quod Rex Edilbertus à fundamentis in eadem Rhoffi civitate conſtruxit.*

---

[e] Oct. 12. 633. *Bromt. Florent.* [f] Conſecratus eſt Paulinus à Juſto Cantuar. Archiep. A. 625. *Gerv. Chron.* die verò 21 Jul. *Chron. Coenob. S. Crucis.* [g] *Bed. Hiſt. Eccl.* L. 3. c. 14. undecim potius; Eboraco non fugatus ante annum 633. [h] Obiit apud Roveceſtriam. *Malmeſb. de Pontif.* L. 3. f. 153. *Beda* L. 2. c. 20.

II.

II. CEDDA.

[664.] ANNOS poſt Paulini diſceſſum viginti, vel (ut nonnullis placet) triginta, Archiepiſcopo caruit Eboracenſis provincia, propter continua bella quibus à paganis exagitata eſt. Aidanus, Finanus, Colmannus et Tuda, ſibi mutuo ſuccedentes in Epiſcopatu Lindisfarnenſi, curam totius Tranſhumbranae regionis, durante vacatione hac tam turbulenta, ſuſceperunt. Egfridus tandem Northumbriae Rex, Wilfridum (de quo mox plura) ad hunc praeſulatum deſtinavit, et in Galliam ablegavit, ad conſecrationem ſuſcipiendam ab Agilberto tum Pariſienſi, dudum verò Dorceſtrenſi Epiſcopo. Ubi cum moras ille necteret non neceſſarias, neque brevi rediturus videretur; Ceddam[i] coëgit Rex praedictus, *virum ſanctum*, (inquit Beda[k]) *modeſtum moribus*, *Scripturarum lectione ſufficienter inſtructum*, *et ea quae agenda in Scripturis didicerat*, *operibus ſolerter exequentem*, ſolium Archiepiſcopale Wilfrido debitum uſurpare. Quo reverſo, poſtquam boni Paſtoris per triennium munere Cedda fuiſſet perfunctus; admonitus à Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo, haud bono jure alienam ſedem à ſe occupatam, ceſſit redeunti Wilfrido[l], et ejuſdem Theodori opera, Lichfeldenſis Epiſcopus conſtitutus eſt.

III. WILFRIDUS[m].

[667.] WILFRIDUS antedictus in Aquilonari Angliae parte ex tenuioris ſortis parentibus natus eſt[n]. Pueritiae tempus perdidit, ne primis quidem literarum elementis imbutus, ante annum aetatis decimum quartum. Quo tempore propter novercae proterviam lares paternos deſeruit, incertus quem locum peteret. Forte fortuna incidit primum in aulicos quoſdam, quibus pater ipſius nonnulla humanitatis officia exhibuerat. Ab illis, tanquam puer, propter formam indolemque non vulgarem, Regio famulitio non indignus, ad Reginam deductus eſt. Quae multa percunctata, de genere vitae quod ſequi cuperet; literarum praecipue ſtudia illi cordi eſſe percepit. Quare miſit eum ad Ceddam quendam, Monachum Lindisfarnenſem[o], qui Regis fuerat conſiliarius necnon Camerarius. Ab eo inſtitutus diligenter, ingenio puer acutiſſimo, memoria foeliciſſima, brevi temporis ſpatio mirificè profecit. Erant illis diebus quotidiana certamina Angloſaxonum, contra Britannos, Scotos, et Pictos, circa Paſchalem obſervationem, Clericorum tonſuram, coelibatum, et ſimilia. Romam igitur proficiſcendi animum ejus inceſſit mira libido, ut linguam rationibus armaret, quibus eos impugnaret, qui Orientalium Eccleſiarum morem tuebantur, à Joſepho Arimathenſi (ut videtur) acceptum.

Ab Eanfleda Regina antedicta, et Ercomberto Cantiae Rege omnibus rebus neceſſariis inſtructus, uno aut altero comitatus, iter ingreſſus eſt.

---

[i] Conſecratus à Wina Winton. Epiſcopo. *Beda. Gerv. Chron.* Vide inter Epiſc. Winton p. 204. Not. [x].

[k] *Hiſt. Eccl.* L. 3. c. 28.

[l] Per tres annos hanc rexit Eccleſiam, Theodori juſſu deſeruit et Monaſterii, quod Leaſtingaig dicitur, curam ſuſcepit. *Malmeſb. de Reg.*

[m] Omittitur à Florentio in Catalogo Epiſc.

[n] *Malmeſb. de Pont.* L. 3. f. 147. b.

[o] *Id.* ib.

Lugduni aliquandiu retentus, à Wulſino[p] Archiepiſcopo, multa didicit. Tum Romam ſicut inſtituerat perrexit. Et reverſus inde, Lugduni ſubſtitit, ab Archiepiſcopo praedicto in filium adoptatus; neque redeundi in patriam propoſitum reſumpſit, donec Brunechildis Reginae artibus, Archiepiſcopus è medio ſublatus eſt, quae jam antea novem alios Epiſcopos dicitur interfeciſſe[q]. Reverſus igitur tandem ad ſuos, *ab Egfrido Rege mox donatus eſt terra decem familiarum in loco qui dicitur Stanford,* (ſic loquitur Beda[r]) *et non multo poſt monaſterio triginta familiarum in loco qui vocatur Inrhypum.* Neque multum deinde temporis interceſſit, quin Archiepiſcopus Eboracenſis deſignatus, in Galliam fuerit amandatus, ut ibi conſecrationem acciperet; Scotorum antiſtitum ordinatione ſpreta, quos ſchiſmaticos appellabat, quod in dogmatibus ſupradictis cum Eccleſia Romana non conſentirent[s].

Aetatis annum triceſimum vix dum videtur expleviſſe, quando ab Agilberto Pariſienſi et undecim aliis Epiſcopis, magna cum ſolennitate Epiſcopalibus ſacris initiatus eſt[t]. Horum aliorumque doctorum hominum conſuetudine delectatus; illis in locis haeſit diutius quam opus erat: Et domum tandem cum properaret, adverſis tempeſtatibus in longinquas regiones ejectus eſt; unde, poſt multos errores, patriam repetens, cathedram ſuam reperit (ſicut antea retulimus) ab alio jam totos tres annos occupatam. In monaſterio proinde Riponenſi aliquandiu deliteſcens, à Wulfhero Merciorum Rege accerſitur, ut Lichfeldenſem eccleſiam gubernandam ſuſcipiat; et ſuſcipiſſet fortaſſis, niſi Cedda bonus vir Lichfeldenſem Epiſcopatum bono jure maluiſſet poſſidere, quam Archiepiſcopatum Eboracenſem cum alterius ſumma injuria. In ſede igitur propria ſtabilitus, et rebus ex animi ſententia compoſitis; nihil habuit prius aut antiquius, quam eccleſiam cathedralem, ſub Paulino conſtructam, ſed nunquam abſolutam, jam ferè collapſam, reſtaurare. Quare muros perfecit, et perfectos tecto operuit plumbeo, feneſtras vitro obduxit, et omni ornamentorum genere affatim inſtruxit. Propter quae, necnon ob comitatem, affabilitatem, induſtriam, liberalitatem et facundiam, apud omnes hominum ordines gratioſus adeò evaſit, ut multi (è clero praeſertim) pecunias ſuas apud eum deponerent viventes; et morituri, opes unà cum liberis (ſi quos haberent) ipſius arbitrio diſponendas relinquerent. Hinc brevi temporis ſpatio ſupra modum locupletatus; famulorum caterva ſtipatus, vaſis aureis et argenteis comparatis, et pretioſa ſupellectile domo exornata, in magno vixit ſplendore.

Theodoro Cantuarienſi[u] Archiepiſcopo haec cùm eſſent nunciata, in memoriam ei revocarunt dioeceſis Eboracenſis magnitudinem nimiam; et dioeceſanis, quàm non eſſet futurum oneroſum, plures imponere Epiſcopos. Wilfrido igitur caepit ſuadere, ut ſuffraganeos ſibi ſubſtituere non gravaretur, qui laborum parte ipſum levarent; et cum non perſuaderet, ad morem illi gerendum vi cogere anniſus eſt. Quod graviter ferens Wilfridus, poſtquam ad Pontificem[x] provocaſſet, Romam ipſe profectus eſt. Sunt qui tradant (quam verè non pronuncio) diſcordiarum ſemina jacta ab illo inter Regem et Reginam[y], et conatum illam ad monaſticam vitam amplectendam, marito deſerto, inducere; atque hac tanta injuria

---

[p] BALFINO et DALFINO. *Malmeſb.* f. 148. [q] *Malmeſb. de Pontif.* L. 3. f. 148. a. [r] *Hiſt. Eccl.* L. 5. c. 20. [s] *Beda* ib. *Florent.* [t] Quem Ailbertus tunc Praeſul Pariſius cum plurimis Epiſc. honorifice conſecravit in vico vocato Compendium. *Huntin.* L. 3. f. 191. a. [u] Interfuit Concilio Herudfordenſi per proprios Legatarios. A. 673. *Concil. Angl.* T. 1. p. 42. [x] *Agathonem.* [y] Aedheldredam. *Lib. Elien.*

Regem irritatum, ad potentiam ejus imminuendam novos Epiſcopos ipſi ſubrogare conatum; et criminum porro neſcio quorum, reum coram Pontifice peractum, exauthoratum in ordinem redigere voluiſſe [z]. Wilfridus in transfetatione cum adverſa tempeſtate iterum colluctatus, in Friſiam appulit [a]; ubi hiemem coactus tranſigere, gentem univerſam, ethnicis ſuperſtitionibus deditam, una cum illorum Rege ad fidem Chriſtianam convertit. Papam, ineunte vere Synodi celebrationi intentum offendit; à quo Epiſcopis 125 preſentibus (cauſa ejus cognita) ordinatum eſt, in Archiepiſcopatu Eboracenſi, Archiepiſcopo non conſentiente, nihil mutandum.

Egfridus attamen Rex, tam pertinax in propoſito permanſit; ut Wilfridus aut cedendum illi videns, aut ſolum vertendum; repulſam pati non ſuſtinens in re in qua tantum laboris inſumpſiſſet, rerum omnium inops in exilium ſponte abierit. Poſt aliquantum erroris, apud Auſtrales Saxones conſedit, quos ad fidem Chriſtianam cum convertiſſet ab idolorum cultu, pontifex eorum primus factus eſt [b], et eccleſiae cathedralis jecit fundamenta apud Seolſey, prout apud Ciceſtrenſes ſupra fuſius enarravimus: In exilio decem annis tranſactis (Egfrido Rege mortuo) ab Alfrido (qui ſucceſſit) revocatus eſt ad ſedem ſuam. Sed poſt annos quinque accuſatus denuo ab eodem ipſo Rege et plurimis Epiſcopis, praeſulatu iterum pulſus eſt [c]: Venienſque Romam, accuſatorum calumniis ſic reſpondit, ut abſolutus fuerit à Pontifice, qui literis ad Regem perſcriptis, (amicis etiam pro eo intercedentibus) reditum illi et rerum ſuarum reſtitutionem impetravit. Cauſam ejus multum juvit perlectum ſynodi antedictae decretum, *dicentibus omnibus,* (ſic Beda [d]) *virum tantae authoritatis, qui per quadraginta prope annos Epiſcopatu fungebatur, nequaquam damnari debere, ſed ad integrum culpis accuſationum abſolutum, ad patriam cum honore reverti.* Quadriennium tum poſtea in pace cum tranſegiſſet, exceſſit è vivis duodecimo Octobris anno 711 [e] in monaſterio ſuo apud Undalum juxta Stanford, poſt primam ejus conſecrationem annos 45 [f], cumque aetatis annum expleviſſet ſextum ſupra ſeptuageſimum. Ripponae in monaſterio à ſe conſtructo primum eſt ſepultus: Eccleſia vero collapſa ibidem, oſſa ejus per Odonem Cantuarienſem Archiepiſcopum Cantuariam anno 940 ſunt tranſlata. Qui plura vult de hoc homine cognoſcere, Bedam petat [g] et Malmeſburienſem [h], horum pleraque aliaque multa de illo prolixe tradentes. Inter caetera vero epitaphium, tumulo inſculptum adſcribere abs re futurum non putavi.

“ Wilfridus hic magnus requieſcit corpore praeſul,
“ Hanc domino qui aulam ductus pietatis amore
“ Fecit, et eximio ſacravit nomine Petri,
“ Cui claves coeli Chriſtus dedit arbiter orbis,
“ Atque auro ac Tirio devotus veſtiit oſtro.
“ Quin etiam ſublime crucis radiante metallo
“ Hic poſuit trophaeum, nec non quatuor auro
“ Scribi Evangelii praecepit in ordine libros,
“ Ac thecam è rutilo his condignam condidit auro.
“ Paſchalis qui etiam ſolennia tempora curſus

---

[z] A. 677. *Florent.* 678. *Ric. Haguſt.* [a] *Beda* ut ſupr. [b] A. 679. *Florent.* [c] A. 692. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 695. [d] *Hiſt. Eccl.* L. 5. c. 20. [e] Pontificatus 46, Aetatis 76. *Malmeſb. de Pontif.* L. 3. f. 153. Anno 709. *Ric. Haguſt.* Col. 296. [f] *Huntin.* L. 3. f. 193. b. [g] *Hiſt. Eccl.* L. 5. c. 20. [h] *De Pontif.* L. 3.

« Catholici ad juſtum correxit dogma Canonis,
« Quem ſtatuere patres, dubioque errore remoto,
« Certa ſuae genti oſtendit moderamina ritus;
« Inque locis iſtis monachorum examina crebra
« Colligit ac monitis, cavit quae regula patrum
« Sedulus inſtituit, multiſque domique foriſque,
« Jactatus nimium per tempora longa periclis,
« Quindecies ternos poſtquam egit epiſcopus annos,
« Tranſiit et gaudens caeleſtia regna petivit,
« Dona Jeſu, grex ut paſtoris calle ſequatur.

De Wilfrido iſto vide adhuc plura in Theodoro Cantuarienſi p. 42.

◆ ◆ ◆

IV. BOSA[i].

POST primam Wilfridi expulſionem[k], in inſtituto curſu pergens Theodorus, dioeceſin ejus in quatuor partes diviſit. [677.] In harum una, Eatam collocavit Haguſtaldae (quem poſtea Lindisfarnam tranſtulit, novam ſedem, ab eo etiam tunc temporis erectam) et Tumbertum illi dedit ſucceſſorem: In provincia Pictorum Trumwinum ordinavit; et Eboracenſi ſedi ingeſſit Boſam, qui redeunti Wilfrido locum cedere coactus eſt, quemadmodum et Joannes qui Eata Haguſtaldae ſucceſſerat. Sed Wilfrido iterum pulſo, tam Boſa quam Joannes ſedes antedictas repetierunt. Antequam vero reſtitueretur, Boſa mortem obiit, et ſucceſſorem habuit Joannem, quem Wilfridus (Haguſtaldenſi ditione contentus et annis jam gravis) extrudere noluit. Boſam ferunt ob manſuetudinem et pietatem laudatum, decem annis poſt conſecrationem peractis, mortem obiiſſe, et Archiepiſcoporum Eboracenſium primum in eccleſia ſua cathedrali ſepultum.

* * *

V. JOANNES[l].

JOANNES (vulgo dictus S. Joannes Beverlacenſis) ex ſplendida Anglo-ſaxonum familia in Harpham Deirorum pago natus fuit, 687. *et ſub Hilda Abbatiſſa (muliere ſanctiſſima) in bonis diſciplinis ac piis moribus educatus. Adoleſcens adhuc Theodoro Graeco Cantiorum Archipraeſuli à parentibus tradebatur literis Latinis et Graecis inſtituendus, ut ex Folchardi et Askevelli libris de ejus vita claret.* Haec Balaeus[m]. Adjicit Alfredus Beverlacenſis, *Oxoniae*[n] non ſolum literis operam dediſſe, verum etiam *Magiſtrum liberalium artium fuiſſe creatum:* Quod mihi (pace Alfredi dixerim) non videtur probabile. Neque enim tam cito hujuſmodi graduum diſtinctio in illa Academia innotuit; imò nec alibi uſquam (ut credo) in orbe toto Chriſtiano. Vir fuit haud dubie Joannes literarum ſcientia clarus. Id opera ab illo ſcripta abunde teſtantur: Vitaeque ſanctitate merito celeberrimum fuiſſe facile crediderit, qui Bedae fidem habuerit miracula ab illo edita enarranti Hiſtoriae ſuae eccleſiaſticae libro quinto cap. 2. 3. 4. 5. et 6. Bedae (inquam) qui illius fuit diſcipulus, et ab ipſo in presbyterum fuerat ordinatus. Senecta jam gravis, cum à prima conſecratione annos vixiſſet 33, menſes octo et dies inſuper tredecim [o], Clero conſentiente praeſulatu ſe ſponte abdicavit, et Wilfridum quendam, capellanum ſuum, ſibi curavit ſubſtitui. Aetatis [p] reliquum tranſegit in Collegio quod ipſe Beverlaici conſtruxerat Presbyteris ſecularibus, et Maii ſeptimo 721 [q] defunctus, in porticu eccleſiae ibidem humatus eſt. In ſynodo [r] Londini celebrata anno 1416 dies obitus antedictus, videlicet Maii ſeptimus, illius memoriae conſecratus et feſtis annumeratus eſt. Inter plurima privilegia collegio Beverlacenſi in illius gratiam à principibus Anglicanis conceſſa, Athelſtanus Rex aſyli jus illi contulit, cathedra quadam è ſaxo ſolido in eccleſia collocata, cui haec verba mandavit incidi. *Haec ſedes lapidea dicitur Freedſtool, id eſt Pacis cathedra, ad quam reus fugiendo perveniens, omnimodam habet ſecuritatem.*

---

[i] BOSSA, *Bromt.*

[k] Anno 677. *Florent.* 678. *Ric. Hagust.*

[l] Vita ejus in *vies des Saints* par Baillet, 7 Maii. Vide etiam *Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti* Saec. 3. p. 433 &c.

[m] Cent. 1. p. 89.

[n] Joannes Beverlacenſis qui Oxonienſis erat, non fuit his noſter Epiſc. (Cantabrigienſis enim hic erat) ſed alius quis tempore Henrici tertii. Vid. *Caium de Antiqu. Cantab.* L. 1. p. 106, 131.

VI. WILFRIDUS 2.

718. WILFRIDUS antedictus, conſecratus anno 718, cùm annos ſediſſet plus minus 13, deceſſit anno 731 [s].

VII. EGBERTUS[t].

*743. “HOC defuncto, emicuit in Pontificali ſpeculo [u] Egbertus, (ſic Malmesburienſis [x]) Eadberti frater, ejuſdem provinciae Regis. Is ſua prudentia et germani potentia, ſedem illam in genuinum ſtatum reformavit.—Paulinus namque ejuſdem primus Antiſtes, vi hoſtilitatis loco pulſus, apud Roveceſtriam diem obiens, ibidem illud inſigne pallii quod ab Honorio Papa ſuſceperat, reliquit [y]. Caeteri poſt eum tantae urbis praeſules, ſimplici Epiſcopi vocabulo contenti, nihil altius anhelarunt. At verò Egbertus inthronizatus, animoſioris ingenii homo cogitans, *quod ſicut ſuperbum eſt ſi appetas indebita, ita ignavum ſi debita negligas*; pallium multa throni Apoſtolici interpellatione reparavit. Hic omnium liberalium artium armarium (ut ita dicam) fuit, et nobiliſſimam bibliothecam Eboraci conſtituit [z]. Cujus rei teſtem idoneum advoco Alcwinum, qui dixit in epiſtola ad Carolum Auguſtum; *Date mihi exquiſitioris eruditionis ſcholaſticae libellos, quales in patria habui, per bonam et devotiſſimam magiſtri mei Egberti Archiepiſcopi induſtriam. Et, ſi placet excellentiae veſtrae, remittam aliquos ex pueris noſtris, qui excipiant inde quaevis neceſſaria, et revehant in Franciam flores*

---

[o] *Chron. Saxon.*

[p] Per tres annos. *Ric. Haguſt.* c. 13.

[q] *Florent.* A. 721. *Weſtm.* A. 722. *Chron. Petrob.*

[r] *Concil. Angl.* T. 3. p. 379.

[s] In vivis fuit A. 731, cùm Beda Hiſtoriam ſuam finivit. *Hiſt. Eccl.* L. 5. c. 23. Et obiiſſe dicitur A. 743. *Weſtmon.* Apr. 29. 744. *Florent.*

[t] EGBERHT, *Dunelm.*

[u] Anno 735 *Hovedenus* conſecratum eſſe dicit, *Annal.* f. 230. b. et *Mailroſenſis* f. 136. Anno 743. *Weſtmon.* et *Huntindonienſis* tempore Zachariae Papae hoc contigiſſe referunt. L. 4. f. 195. b. Qui quidem Zacharias non ante annum 741 Papale aſcendit Solium. *Ciac.* T. 1. Col. 517. Ideoque in annum 743 reponendum cenſeo.

[x] *De Pontif.* L. 3. f. 153.

[y] Haec eſt ratio cur Caius dicit Egbertum, Paulino mortuo, ſuffectum in Archiepiſcopatum. *Hiſt. Cantab.* L. 1. p. 35.

[z] Vide Camdenum in Britannia ſua.

"*Britanniae,* et non ſit tantum in Eboraco hortus concluſus, ſed etiam "in Turone emiſſiones Paradyſi &c. Sepultus eſt cum fratre ſuo in eadem "porticu apud Eboracum poſt 36 annos Epiſcopatus [a]." Non ſolum eruditionis et eruditorum ſummus patronus, ſed et ipſe eruditiſſimus, volumina ſcripſit non pauca à Balaeo commemorata.

VIII. COENA al. ALBERTUS.

ALBERTUS [b], nonnullis Adelbertus [c], Florentio Coena, ſedit poſt Egbertum annis quatuordecim. Nam conſecratus eſt una cum Alcmundo Haguſtaldenſi Epiſcopo viceſimo quarto Aprilis anno 767 [d], et anno 781 [e] Ceſtriae deceſſit [f]. 767.

IX. EANBALDUS I.

SUPERSTITE adhuc ſive Coena ſive Alberto (ſive abdicarit, ſive coadjutorem ſibi aſciverit non conſtat) Eanbaldum certè ordinatum [g] comperi, Alcwini (ut teſtatur Malmesburienſis [h]) diſcipulum (niſi forte ſucceſſorem ejus intelligat, ab eo omiſſum) qui aetate provectior annis tamen ſeptendecim hanc rexit provinciam. Obiit in Monaſterio Atletenſi ſive Edetenſi anno 796 [i], et in eccleſia ſua dicitur ſepultus [k]. *780.

X. EANBALDUS 2 [l].

ECCLESIAE Eboracenſis Presbyter quidam Eanbaldo ſucceſſit, Eanbaldus etiam appellatus: Qui [m] Socabergae conſecratus eſt decimo nono Novembris 797 [n]. Ante cujus anni exitum ſynodum celebravit apud Pincanhalth [o]. *796.

XI. WULSIUS [p].

ALIQUANTO tempore poſt eum ſedit Wulſius, Malmesburienſi Wilfridus, qui obiit anno 831 [q]. [812.]

---

[a] Mortem obiiſſe anno 766 Hiſtorici teſtantur omnes; dies verò in dubium vocatur: Nov. 18 *Florent.* Nov. 19 *Dunelm. Chron. Saxon.* Nov. 29 *Hovedeno* teſte.

[b] *Hoved. Mailr.*

[c] *Huntin. Paris.* EDELBERTUS, *Chron. Petrob.* ALBERHT, *Dunelm.* AETHELBERTUS, *Florent.* Non numeratur hic inter Ebor. Archiep. à *Weſtmonaſt.* vel à *Malmeſburienſi.*——Alcwinus in Poema Egberti cognatum eſſe dicit.

[d] Et Pallium accepit à Papa A. 773. *Dunelm. Hoved.* f. 231. b.—Aprilis verò 24 non fuit Dominica anno 767. Forſan electus anno 767, et conſecratus 24 Apr. 768. In anno 767 dies 26 Apr. fuit Dominica, et in ea conſecratum eſſe judico.

[e] Ita *Florentius* et *Pariſienſis. Dunelmenſis* verò et *Chronicon Saxon.* A. 780; et in eodem Decembris 22 diem *Mailroſenſis* aſſignat.

[f] Apud Eboracum. *Chron. Saxon.*

[g] Palliumque accepit A. 780. *Hoved.* f. 232.

[h] *De Pontif.* L. 3. f. 153.

[i] *Mailroſ* Aug. 10 *Hoved.* et *Chron. Saxon.* Aug. 11 *Dunelm.* Anno 797 *Weſtmon.*

[k] *Hoved.* et *Chron. Sax.*

[l] Eanbaldus ſecundus omittitur à *Malmeſb.*

[m] Hodie *Socburn* in agro Dunelm.

[n] Conſecratus ab Ethelberto, Higbaldo et Badulfo Epiſcopis. *Mailr.*—Accepto ab Apoſtolica ſede pallio, in Archiepiſcopatum ſolemniter confirmatus eſt Sept. 8. 797. *Hoved.* f. 233. Ideoque conſecratum eſſe ſuſpicor ſub exitum anni praecedentis.

[o] Anno 798. *Dunelm. Hoved. Mailr.* et *Stubbs.*——In vivis fuit uſque ad annum 833, ſi Ingulpho fides ſit adhibenda; Eo enim anno Eanbaldum exhibit teſtem Chartae Witlafii Regis; mala verò fide, ut mihi videtur.

[p] *Weſtmon.* WULFSIUS, *Florent.* WLSIUS, *Stubbs.*——De temporibus quinque ſequentium Epiſc. nihil certi dicendum eſt; Hiſtoricorum verba ſolummodo referens, lectoris judicio determinanda relinquo.

[q] Ita *M. Weſtmon.*

XII. WIMUNDUS[r].

*831. WULSIO ſucceſſit Wimundus, qui ſediſſe dicitur annos ſeptendecim, et mortem obiiſſe (ſic habet Weſtmonaſterienſis) anno 854.

XIII. WILFERUS[t].

854. POST Wimundum ſedit[u] Wilferus, idque 46 annorum ſpatio. Anno 873[x], à dioeceſanis in exilium pulſus eſt, unà cum Egberto Rege, qui ad Burrhedum Merciae Regem profecti, et humaniter excepti, apud eum manſerunt, donec annò ſequenti, Egberto mortuo, à Ricſino ſucceſſore ejus in patriam Wilferus revocatus eſt[y]. Obiiſſe videtur circa annum 900, niſi Weſtmonaſterienſi credimus, qui non admodum probabiliter anno 895 defunctum tradit[z]. Illo ſedente Dani provinciam ejus igne et ferro tam crudeliter devaſtarunt, ut emolumenti parum Archiepiſcopis inde creverit per annos plurimos ſequentes; qui non habentes unde ſe ſuoſque ſuſtentarent, adminiſtrationem plerunque impetrarunt Epiſcopatus Wigornienſis, quem in commendam (ut loquimur) unà cum Archiepiſcopatu tenere diù conſueverunt.

XIV. ETHELBALDUS[a].

WILFERUM ſequutus eſt Ethelbaldus, de quo nihil omnino traditum reperi.

XV. REDEWARDUS[b].

NEQUE verò Ethelbaldi obſcurior eſt apud Hiſtoricos noſtros fama, quam ejus qui ſucceſſit illi Redewardi, qui minus adhuc noſtris innoteſcit quàm ille, cum ne nomen ejus habeamus niſi varietate obſcuratum. A Stubbeſio ſiquidem (quo nemo plura de hujus ſedis Archiepiſcopis perſcripſit) Lodewardus appellatur.

[r] WIGMUNDUS, *Florent.*

[t] *Mailr.* A nonnullis WLFERE, WLFHERE, VULFRE, ULFERUS, WULFHERUS, dictus.

[u] Pallium accepit A. 854. *Dunelm.*

[x] A. 872. *Hoved.* f. 239. b. *Weſtmon.* et *Mailr.*

[y] A. 873. *Mailr. Weſtmon.*

[z] Obiit A. 892, Archiepiſcopatûs ſui 39. *Hoved.* f. 241. b. *Dunelm. Mailr.*

[a] AETHELBALDUS, *Florent.* ADELBALDUS, *Stubbs.* Succeſſit anno 895 *Weſtmon.* Conſecratus eſt A. 898 *Hoved.* f. 241. b. A. 900 *Dunelm.* et *Stubbs.*

[b] *Florent.* RODEWALD, *Malmeſb.* LODEWARD, *Stubbs.*

XVI. WULSTANUS I.

ATHELSTANI Regis opera Wulſtanus hujus ſedis gubernaculo admotus eſt, à quo impetravit Agmundenes à Danis pretio emptam[c]. Huic praeſuli peſſimi flagitii nota inuritur. Dicunt enim, quantum Edredo Regi debuerit, vel fratris Athelſtani gratia, (à quo provectus fuerat) imò nec ſacramenti huic de more praeſtiti[d], nec patriae memorem, vel religionis quam profiteretur; rebus ſtuduiſſe Danorum[e], Chriſtiani nominis hoſtium crudeliſſimorum, qui Angliam his temporibus diuturno atrociſſimoque bello affligebant. Ob hoc tantum ſcelus, mille mortibus plectendum, in vincula conjectus eſt anno 952[f], et anno ſequenti, clementia Principis inaudita, libertati reſtitutus. Haec Malmesburienſis et alii. Weſtmonaſterienſis[g] verò author eſt, non aliam ob cauſam carcerali cuſtodia coërcitum, quam quod cives quoſdam Thetfordenſes trucidaſſet, necem vindicaturus Adelmi, Abbatis neſcio cujus, injuſte ab illis et ſine cauſa perempti. Biennio poſtquam libertati reſtitutus eſt, videlicet viceſimo ſexto Decembris 955 mortem obiit[h], et apud Undalum prope Stanford ſepultus eſt. [941.]

XVII. OSKITELLUS[i].

OSKITELLUS illi ſucceſſit, homo tam ob innocentiam vitae quam literarum non mediocrem cognitionem multum celebratus. Annos ſedecim Archiepiſcopali munere cùm laude perfunctus, anno deceſſit 971[k]. * 956.

XVIII. ATHELWOLDUS[l].

SEQUUTUS illum Athelwoldus, cum praeſulatum paululum quaſi deguſtaſſet, quietem ſplendori praeferens, pontificatu nuper adepto ſe ſponte abdicavit.

XIX. OSWALDUS.

SUB unius anni curriculum, tres Archiepiſcopos habuit provincia Eboracenſis, Oskitellum recens defunctum, Athelwoldum qui ſe abdicarat, et Oſwaldum[m]. Oskitellum Oſwaldus proximo conſanguinitatis gradu * 972.

---

[c] *Stubbs.* [d] Apud Tadeneſcliff. *Hoved.* f. 243. [e] *Malmeſb. de Pontif.* L. 3. f. 153. b. [f] *Hoved.* f. 242. *Florent.* et *Mailr.* [g] Sub A. 951. [h] A. 954 *Weſtmon.* A. 956 *Mailr.* Dec. 26 *Dunelm. Florent.* et *Chron Saxon.* [i] *Malmeſb. Dunelm. Florent.* OSHITELLUS, *Mailr.* OSKETELLUS, *Weſtm.* OSKETULUS, *Ingulp.* [k] A. 972. *Hoved.* f. 244. b. *Mailr.* et *Florent. Chron.* verò *Saxon.* ita refert: Anno 970 deceſſit Oskytelus Archiepiſcopus, qui primum fuerat conſecratus in Epiſcopum dioeceſanum de Dorkeceaſter. Fuit is 22 annis Epiſcopus, et deceſſit nocte feſti Omnium Sanctorum apud Tame, et ſepultus eſt apud Bedanford: hodie Bedford. [l] Nominatus forſan, nondum conſecratus abiit, ideoque inter Archiep. non numerandus; omittitur enim ab omnibus Hiſtoricis. [m] Succeſſit anno 972. *Bromt. Florent.* In *Monaſtic. Anglic.* Vol. 1. p. 231. a. Abbathiam Rameſienſem fundatam eſſe dicitur anno 969, inſtigante Oſwaldo Archiepiſcopo Eboracenſi; mala verò fide. ——— In libro Ramſey in Bibl. Cott ubi caput eſt de origine et vita S. Oſwoldi, dicitur eſſe parentibus Danicis, tam nobilitate generis, quam opum cumulo ſplendidiſſimum. *MS. Wood.*

attingebat[n]; Odoni tamen Cantuarienſi Archiepiſcopo conjunctior, illius ex fratre nepos extitit[o]. Et Wintonienſis primum Canonicus, poſtea Decanus, horum opera creatus (nam Wintonienſem eccleſiam ea tempeſtate Clerici tenebant, iique ut plurimum conjugati) cum videret novis Monachorum technis clericorum fortunas peſſum ire, ac ultimam minari ruinam; conſulto patruo, Floriacum in Galliis petiit, atque inter ſtudia peregrina fit illic Monachus. Ibi loci cum haeſiſſet annos quinque vel ſex, crebris epiſtolis revocatus à patruo, non obtemperavit, donec aegritudine nunciata, noviſſima illa ex qua paulo poſt deceſſit, in Angliam tandem properavit, ſed ſero, Archiepiſcopo antequam appelleret defuncto. Parum abfuit quin exanime patrui corpus nondum humatum, ne juſtis quidem perſolutis relinqueret: Tanto ſtudio tenebatur Floriacenſis ſeceſſus. Retentus tamen ab Oskitello, illius atque Dunſtani opera, Wigornienſis Epiſcopus poſt biennium creatus eſt, anno nimirum 960, Wigorniam igitur quamprimum acceſſit; eccleſiam ſuam cernens à clericis occupatam, id aegrè ferens, animo ſtatim caepit agitare, [quo pacto] hos ejiceret, et ejectorum loco Monachos introduceret[p]; id quod hujuſmodi techna tandem effecit. "Quod ſedes Epiſcopalis S. Petri famulabatur
" honori (ſic Malmesburienſis[q]) alteram in eodem coemiterio, in gene-
" tricis Dei nomine fecit eccleſiam: ubi dum Monachos poſuiſſet, liben-
" tius cum eis converſari, familiarius divina officia exercere. Quod videns
" populus, qui benedictionibus tam religioſi Epiſcopi carere nefas immane
" duceret; omnis eo accurrere. Ita clerici in medio relicti, maluerunt
" Monachorum veſtem ſuſcipere, quam ſibi diſpendio, plebi ludibrio eſſe.
" —— Hujuſcemodi rumoris aura multam Oſwaldo amicitiam apud Re-
" gem conflavit et proceres. Rex igitur conſilio Dunſtani, vacuatum
" Epiſcopo Eboracum viro implevit, qui barbariem gentis moderari pro
" antiquo convictu probe noſſet. Nec tamen Wigornienſi ſedi renunciare
" permiſſus eſt, ne Monachorum recens habitatio, altoris ſui deſtitueretur
" fomento." Epiſcopatui ſic Archipraeſulatu adjuncto, conſueto Monachiſmi ſtudio incenſus, Coenobium Benedictinis ſuis ampliſſimum Rameſeiae fundavit (adjutus non mediocriter à Comite quodam cui nomen Aelwyni) tantumque locupletavit, ut ſuppreſſionis tempore, fere duo millia librarum* in cenſu annuo numeraret. Floriacenſibus quoque plurima contulit, inter quos (ut retulimus) aliquot annos juvenis tranſegerat. Wigorniae morte repentina extinctum tradunt, cum paulo ante, pauperum quorundam pedes (pro quotidiano more) lavaſſet, et in genua procumbentem exanimem repertum, cum nulla aegritudine praevia fuiſſet vel leviſſime tentatus. Haec fere Malmesburienſis, qui et adjicit, pridie quam excederet, corporis ſui diſſolutionem inſtare praedixiſſe. Vir fuit (ut illa ferebant tempora) eruditus[r], et ob morum ſanctitatem merito celebratus, niſi Monachiſmi admiratione et ſtudio quodam inſano à ſpiritu erroris abreptus, in doctrina illa daemoniorum propaganda, prohibentium nubere tantum deſudaſſet, et in homines pios nullam aliam ob cauſam tantopere fuiſſet debacchatus, quam quod ſecundum Dei ordinationem uxores duxiſſent. Deceſſit viceſimo ſeptimo[s] Februarii 992, poſt conſecrationem annis 32, cumque Eboracenſi provinciae annos praefuiſſet 22. Wigorniae in eccleſia à ſe constructa ſepultus eſt; ubi ad tumulum ejus

---

[n] *Malmeſb. de Pontif.* L. 3. f. 153. b. [o] *Id. ib.* [p] *Chron. Petrob.* [q] *De Pontif.* L. 3. f. 153. b. * L 1716. 12 4.

[r] Et literatorum fautor. *Bromt.* [s] Viceſimo octavo, *Dunelm. Mailr. Florileg. Florent.* Anno 992 exeunte.

multa patrata perhibentur miracula, propter quae à poſteritate credula Sanctorum numero aſcriptus eſt [t], et Aldulfus ſucceſſor ejus oſſa feretro indidit pretioſiſſimo [u].

XX. ALDULFUS[x].

993. “SUCCESSIT ei in utraque ſede (Malmesburienſem [y] audis) Aldulfus [z] ex Abbate Peterburgenſi, ſanctus (ut perhibent) vir et reverendus. Ipſi pro ſanctitate ignoſcitur (inquit ille) quod ſcilicet non hoc ambitione, ſed neceſſitate fecerit: Wulſtano non ita.” Quare quaeſo? *quia ſanctitate diſcrepabat, et habitu*; Monachus non fuit. O Monachum iniquum. Quod in Monacho probat, hoc alteri pro ſcelere imputat. *Jacet Adulphus Wigorniae, etiam Floriacenſi Monaſterio pro copia xeniorum, quibus Oſwaldi munificentiam aemulari ſategit, praedicandus* [a].

XXI. WULSTANUS 2.

1003. ALTER ille Wulſtanus, Canuti Regis gratia ad utrumque Praeſulatum provectus, cum ſediſſet annos viginti, Maii viceſimo octavo [b] deceſſit [Eboraci] anno 1023, et in Eccleſia Elienſi ſepultus eſt.

XXII. ALFRICUS[c], al. PUTTA.

1023. “POST Wulſtanum, Sedem Eboracenſem adeptus eſt Elfricus (nonnullis Puttoc nuncupatus) Praepoſitus Wintonienſis, Wigornienſem Leſſius. Elfricus tempore Cnuti et Hardacnuti fuit, habeturque in hoc deteſtabilis, quod Hardacnutus, ejus conſilio, fratris ſui Haroldi cadavere offoſſo, caput truncari, et infami mortalibus exemplo in Tamenſem projici juſſit. Quin et Wigornienſibus pro repulſa Epiſcopatus infenſus, author Hardacnuto fuit, ut quod illi pertinacius exactoribus Regiorum vectigalium obſtiterant, urbem incenderet, fortunas civium abraderet.” Sic Malmesburienſis [d]. Magnam hic pecuniam impendit in Beverlacenſi collegio ornando et locupletando. S. Joannis Beverlacenſis corpori capiendo thecam magno ſumptu fabricari curavit. Praedia non pauca pretio comparavit; alia nimirum apud *Fridays-thorp*, *Meltonae* atque *Holmae* alia, quae dicto donavit collegio. Campanile deinde conſtruxit, quod in magnam altitudinem conſurgens, nolis duabus praegrandibus inſtruxit; quibus duas alias magnitudine pares collegio contulit Stowenſi, et alias itidem duas Southwellenſi. Quid mirum jam ſi hunc Monachi noſtri inſectentur, qui collegiis tam beneficus ubi ſacerdotes degebant ſeculares, monachorum coenobiis nihil dedit? Southwellae obiit anno 1050 [e], et Petroburgi eſt tumulatus.

---

[t] Aprilis decimo quinto 1002. *Dunelm.* f. 164. et *Hoved.* f. 246.

[u] Hoc contigit A°. 1009; poſtea verò à Wlſtano tranſlatus eſt A. D. 1094. Nota ad finem *Mariani Scoti.*

[x] AELDULFUS, *Weſtmon.* EDULFUS et ALDULFUS, *Malmeſb.* ADULFUS, *Mailr.* EADWLF, *Hunt.* EADTILF, *Bromt.*

[y] *De Pontif.* L. 3. f. 154. a.

[z] Cancellarius fuit Edgari Regis. Catal. Cancella. in *Spelm. Gloſſ.* p. 132.

[a] Obiit Maii ſexto 1002, et in Eccleſia S. Mariae Wigorniae ſepultus jacet. *Dunelm.* et *Hoved.* f. 246. b.

[b] Viceſimo nono. *Hoved.* f. 250. b.

[c] *Dunelm. Bromt.* AELFRICUS, *Weſtm.* ELFRICUS, *Malmeſb.* ALFRICUS PUTTOC, *Florent.* PUTTA, *Hoved. Mailr.*

[d] *De Pontif.* L. 3. f. 154. a.

[e] Exeunte anno 1050. *Dunelm. Hoved.*

XXIII. KINSIUS.

*1051. EDWARDI Regis (quem Confeſſorem nuncupamus) capellanus quidam, nomine Kinſius[f], Alfrico ſucceſſit. Aedificia non pauca Beverleïae hic extruxit, aulam nimirum, Eccleſiam fere totam, aliaque. Eccleſiis ſuae Dioeceſis quamplurimis, et Shirſtonenſi in primis, libros dedit aliaque ornamenta. Deceſſit Eboraci viceſimo ſecundo Decembris 1060[g] et Petroburgi eſt ſepultus, ubi Monachus quandoque vixerat. Manuſcriptum quoddam Anonymum (quod tacendum non eſt) multa Alfrici benefacta huic Kinſio attribuit, quem dicit non natum, ſed ex utero matris exciſum.

XXIV. ALDREDUS[h].

1061. DE Aldredo qui Kinſio ſuffectus eſt[i]; haec Malmesburienſis[k]: "Ex Monacho Wintonienſi, Wigornienſis Epiſcopus anno 1047 creatus eſt. Hic ſimplicitati Edwardi illudens, moremque anteceſſorum magis pecunia quam ratione allegans, Archiepiſcopatum Eboracenſem non intermiſſa priori ſede ſuſcepit: Diſpoſitoque apud Regem conſilio, Romam pertendit[l], comitatus duobus electis Epiſcopis Giſone Wellenſi, et Waltero Herefordenſi; necnon et Toſtino Comite Northumbrorum. Comitem Nicolaus Papa gratioſe ſuſcepit, et eum in Synodo (quam contra Symoniacos coëgerat) ſibi à latere aſſidere fecit. Giſonem et Walterum voti compotes reddidit, qui eſſent non uſquequaque contemnendae ſcientiae, et nullius notati ignominia Simoniae. Aldredum, ſuapte reſponſione culpabilem utrobique repertum, omni honore ſeverus expoliavit. Ita differenti effectu cum regrederentur, una pariter aerumna omnes involvit: Nam à praedonibus irruentibus, rebus omnibus expoliati praeter ſimplices veſtes, corporibus tamen illaeſis, Romam refugere. Haec calamitas peperit Aldredo recuperandorum occaſionem honorum. Toſtinus quippe gravibus verborum contumeliis Apoſtolicum aggreſſus, in ſententiam ſibi placitam reduxit. Parum metuendam à longinquis gentibus ejus excommunicationem, quam propinqui latrunculi deriderent. In ſupplices furere, in rebelles parum valere: Aut ſua ſibi per ejus authoritatem reddenda, quae per ejus fraudulentiam conſtaret amiſſa; aut futurum, ut haec Rex Anglorum audiens, tributum S. Petri meritò Nicolao ſubtraheret: ſe non defuturum rerum veritati exaggerendae. Hoc minarum fulmine Romani territi, Papam flexerunt, ut Aldredo Archiepiſcopatum redderet et pallium. Eſſe impium dictitantes, ſi et inglorius et vaſtatus repatriaret. Fecit ille quod monebat ratio, hac moderationis libra adjecta, ut Wigornienſi ſedi proprius Antiſtes accederet. Abierunt ergo domum incolumes, magna et diffuſa

[f] Abbas Burgi. *Chron. Petrob.*

[g] *Hoved.* f. 255.——Obiit apud Burgum A°. 1060, et jacet tumulatus in ſcrinio juxta magnum altare in parte Boreali. *Chron. Petrob.*

[h] ALREDUS, *Malmeſb.* AELDREDUS, *Weſtmon.* EALREDUS, *Eadm.* Abbas fuit Taveſtokenſis. *Floren.* A°. 1046.

[i] Electus eſt Dec. 25. 1060. *Hoved.* f. 255. a.

[k] *De Pontif.* L. 3. f. 154.

[l] *Dunelm.* ad A. 1061.

“omnes Apoſtolici liberalitate de damno priori conſolati.” Poſt pauca deinde exponit, quomodo Gulielmus Rex à Stigando nolens inaugurari, ob cauſas à me ſuo loco commemoratas; ab Aldredo Regia ſuſcepit inſignia[m], “ſacramento coram omni populo praeſtito quod ſe modeſte erga ſubjectos ageret, et aequo jure Anglos quo Francos tractaret. Illum itaque quamdiu erga ſuos temperiem habuit, dilexit ut prolem, veneratus eſt ut Regem. Sed cum importabilis tributi penſum à provincialibus exigeret; convenit eum per legatos Antiſtes, quos aegre admiſſos, cum turbulento reſponſo abegiſſet; non moratus ille, maledictionis telum in illum et omnem ejus vibrabat progeniem; praefatus, poſſe ſe maledictionem dare merito qui benedictionem dediſſet immerito. Quod cum relatum eſſet Regi; amicorum admonitione delinitus, miſit illico qui Epiſcopum exorarent. Veruntamen praevenerat nuncios mors Antiſtitis, qui ex aegritudine animi (ut plerunque fit) contracto morbo deceſſerat et obierat. Libertas animi ejus in uno verbo enituit praeclare, quod Anglice apponam, quia Latina verba non ſicut Anglica, concinnitati reſpondent. Urſus erat Vicecomes Wigorniae à Rege conſtitutus, qui in ipſis pene faucibus Monachorum caſtellum conſtruxit, adeo ut foſſatum, coemiterii partem decideret. Querela ad Archiepiſcopum (qui tutor eſſet Epiſcopatus) delata eſt. Ille cum vidiſſet, Urſum his verbis adorſus eſt. HIGHTEST THOU URSE, HAVE THOU GOD'S CURSE. Eleganter in his verbis (ſed dure) nominum euphoniae alludens; Vocaris (inquit) Urſus; habeas Dei maledictionem et (quod Anglice non appoſui) meam, et omnium conſecratorum capitum, niſi caſtellum hinc amoveris; Et ſcias profecto, quod progenies tua non diu de terra S. Mariae haereditabitur. Dixit ille implenda, quae nos vidimus impleta. Siquidem non multis annis filius ejus Rogerius, paternarum poſſeſſionum compos, gravi Henrici Regis indignatione pulſus eſt, quod quendam ex miniſtris Regiis praecipiti furore juſſiſſet interimi.” Hactenus Malmeſburienſis. Florentius[n] vero Wigornienſis aliam cauſam interitus Aldredi adducens; *nunciato, Canutum et Haraldum Danos cum* 240 *navium claſſe in oſtio Humbri fluminis appuliſſe, valde triſtem effectum in magnam incidiſſe infirmitatem* dicit, *et decimo anno ſui Archiepiſcopatus,* 3 *Id. Sept.* (*ut Deum rogaverat*) *vitam finiiſſe anno* 1069[o], *et in Eccleſia S. Petri ſepultum.* Quomodo aſtutia inutili Wigornienſem ſedem praediorum ſuorum parte maxima emungere fuerit conatus (relictis Wulſtano, quibus ſe ſuoſque ſuſtentaret, duodecim tantummodo manneriis) à me ſupra eſt expoſitum. Quod factum ſic tuebatur ut diceret, Archiepiſcopatum ſub Wulfero populatione hoſtili ita devaſtatum, uti ab eo jam inde tempore parum emolumenti ſui Praeſules inde perciperent. Atqui verum id (pace tua dixerim Aldrede) non fuit. Nam Alfricus et Kinſius, nullius commendae adminiculo ſuffulti, plurima tamen coëmerunt praedia, et multa ſumptu magno conſtruxerunt. Sed et Aldredus etiam aedificavit quamplurima, aulam nempe Canonicis ſuis Eboraci, et aliam Southwelliae: Tertiam, à Kinſio Beverlaci non plane abſolutam, perfecit, et non ſolum presbyterium ibidem, ſed Eccleſiam totam Gloceſtrenſem (illam inquam quae nunc Cathedralis eſt) à fundamentis excitavit. Provinciae ſuae clerum, à veſtimentorum luxu nimio, ad habitum redegit decentem et uniformem. Edwardi Regis orator, annum integrum in Germania tranſegit: et anno 1058 aut eo circiter, *per mare tranſiens, per Hungariam profectus eſt Hieroſolymam*; *quod nullus Archiepiſcoporum Angliae* (inquit Hovedenus[p]) *eatenus dignoſcitur feciſſe.*

---

[m] *Malmeſb. de Pontif.* f. 154. b.

[n] Ad A. 1069.

[o] Ita etiam *Mailroſenſis*; Tabulae verò Paſchales annum 1068 aſſignant.

◆ ◆ ◆

XXV. THOMAS I.

1070. Gul. 1. 4. A REGE tunc Archiepiſcopus deſignatus eſt Thomas, Canonicus Baiocenſis[q], ortu quidem Normannus, ſed qui in Saxonum ſcholis in Normannia fuerat educatus, nonnihil etiam temporis in Hiſpania tranſegerat[r]. Patre ortus eſt ſacerdote, et fratrem habuit Samſonem Epiſcopum Wigornienſem, cujus filius Thomas, huic poſtea in Archiepiſcopatu (quamvis non immediate) ſucceſſit. In patriam quam primum reverſus eſt ab Hiſpania, ab Odone Baiocenſi Epiſcopo, fratre Regis uterino, in ſacellanum aſcitus eſt, qui mox eum Theſaurarium Baiocenſem conſtituit et poſtea Regi fratri commendavit, ut illi eſſet à ſacris. "Vir fuit (inquit "Malmesburienſis[s]) omni vita integer, et cui nihil vel in geſtis, vel in "dictis ſuccenſeri debeat, niſi quod primo Archiepiſcopatus tempore, in "cauſa primatus Cantuarienſis, magis errore quam pertinacia certavit. "Elegantia perſonatus ſpectabilis, deſiderio videntibus erat; juvenis vi- "gore et aequalitate membrorum commodus, ſenex vivido faciei rubore, "et capillis cygneus. Liberalitate ſua ſucceſſores ſuos contriſtavit, ut qui "multam terrarum Epiſcopalium partem in Clericorum uſum, nimie "(ut dicunt) prodigus diſtraxerit. Clerum ſufficientem opibus et literis "adunavit: Eccleſiam à fundamentis inchoatam conſummavit. Coeli- "batum ejus nunquam ſiniſter rumor aſperſit: Philoſophus antiquis ſci- "entia comparandus, nec elatus ſermone, et vultu comis, moribus dulcis. "Nec cantu nec voce minor, multa eccleſiaſtica compoſuit carmina. Si- "quis in auditu ejus arte joculatoria aliquid vocale ſonaret, ſtatim illud "in divinas laudes effigiabat: Illud apud Clericos quam maxime agere, "ut maſculam in eccleſia muſicam haberent, nec quicquam effoeminate "diffungentes, *tenero* (ut Perſius ait[t]) *ſupplerent verba palato*." Conſecrandus, Cantuariam cum acceſſiſſet; obedientiae profeſſionem Archiepiſcopo facere, praeſtito pro more juramento, recuſavit[u]. Ad Regem re dilata, poſt accuratam diſquiſitionem, pro Cantuarienſi lata eſt ſententia. Profeſſionem igitur fecit ſecundum conſuetudinem, niſi quod juramentum illi relaxatum eſt. Paulo poſtea Romam una cum Lanfranco Cantuarienſi Antiſtite (aſſociato etiam Remigio Dorceſtrenſi) profecti ſunt[x], pallium ab Alexandro Papa recepturi. Ibi, ſive commotus invidia propter honorem magnum Lanfranco habitum (de quo antea,) ſive quod injuriam ſibi factam re vera exiſtimaret; caepit coram Papa litem de ſubjectione et primatu, antea Regio decreto ſopitam, redintegrare; tum provinciae ſuae fines in Lincoln. Wigorn. et Lichfeld. dioeceſes dilatare, quas ex veteribus regni inſtitutis, ſuae ditionis ambitu continere aſſeverabat. Et ſane (ſi Stubbeſio credimus, qui hujus Eccleſiae hiſtoriam non inſulſe conſcripſit) ante Normannorum adventum, hii duo Metropolitae (Cantuarienſis inquam et Eboracenſis eccleſiarum Antiſtites) « Non ſolum poteſtate, « dignitate et officio, idque ex conſtitutione Gregorii primi Papae, ſed « etiam ſuffraganeorum numero pares cenſebantur. Nunc autem Cantu- « arienſes novo et credulo Regi Gulielmo perſuaſerunt, Eboracenſem « eccleſiam Cantuarienſi debere ſubjici; et utile eſſe ad regni firmita- « tem, ut Britannia uni quaſi Primati ſubderetur: Alioquin poſſe con- « tingere, ut de exteris gentibus quae Eboracum navigio venientes, reg- « num infeſtare ſolebant, unus aliquis ab Eboracenſi Archiepiſcopo et « ab illius provinciae indigenis Rex crearetur, et ſic regnum turbatum « ſcinderetur." Haec Stubbeſius[y]. Diſceptatio iſta, quia privilegiis et conſuetudinibus, ac privatis utriuſque Archiepiſcopatus inſtitutis, certius quam jure ſcripto definiri poſſe videbatur; decretum eſt à Papa, ut à Rege et regni proceribus dijudicaretur. Qui in Windeſorienſi caſtro, contra Thomae intentionem, provincias Humbro flumine ſeparabant, et Eboracenſem provinciam, excluſis illis quas Thomas vendicabat dioeceſibus, et Cantuarienſi provinciae aſcriptis, perexiguis (ſi cum Cantuarienſi conferatur) finibus concludebant: Et profeſſionem ab Eboracenſi juramento etiam praeſtito Cantuarienſi faciendam decernebant. Hujus decreti formulam ſi quis avet legere, habetur ea in libro cui titulus Antiquitates Britannicae[z].

---

[p] f. 255. a. [q] Die Pentecoſtes 1070. *Hoved.* f. 259. b. [r] *Dunelm.* et *Florent.* [s] *De Pontif.* f. 155. [t] Sat. 1.
[u] Tota haec narratio deſumitur è *Chron. Saxon.* in A. 1070. p. 175. [x] A. 1071. *Hoved.* f. 260.

Papa interim, ſive in Lanfranci gratiam popularis ſui (erant enim Inſubres uterque) ſive quod munera captaret; paſtorali baculo et annulo privavit, et Thomam et Remigium: Illum, quod ſacerdotis eſſet filius; Hunc, quia multis opibus Gulielmum Regem juvit in Anglia [ſubigenda] Epiſcopatum pollicitum ſi victoria potiri contingeret. Sed Lanfranci gratia et interceſſione praeſulatibus reſtituti ſunt. Eboracum tum profectus Thomas, dioeceſis ſuae totius (civitatis vero praecipue et Eccleſiae ſuae Eboracenſis) ſtatum offendit omni miſeriarum genere afflictiſſimum. Danis antedictis obſidione urbem cingentibus; Normannis arcis praeſidiariis conſultum viſum, aedificia quaedam vicina igne ſubjecto ſuccendere. Sed flamma vorax, praeſcriptis cancellis ſe non paſſa contineri, univerſam civitatem pervagata, totam abſumpſit, una cum eccleſia ipſa Cathedrali. Dani interea, civibus igni extinguendo intentis; vi irruperunt, et civitate capta, in omne genus hominum ſaevientes neque aut ſexui aut aetati parcentes, internecioni dederunt quoſcunque potuerunt reperire, Maletto excepto, arcis Praefecto, uxore item et liberis ejus, aliiſque pauciſſimis. Paulo poſt urbem everſam, ſupervenit Rex, magnum [trahens] exercitum; qui tanquam per hoſticum feciſſet iter, omnem regionem quà inceſſit ferro flammaque populatus, pene plus damni videbatur intuliſſe quam ipſi hoſtes. Hinc factum eſt, ut quicquid agri Humbrum et Tinam fluvios interjacet, deſolatum et habitatore vacuum per annos poſtea novem jaceret.

Ad eccleſiam quod attinet Eboracenſem, in ea tres tantum Canonicos reperit adveniens Archiepiſcopus; reliquis aut occiſis, aut fuga elapſis: Et his, neque tectum erat quo ſe reciperent, neque aliquid omnino quo ſe ſuſtentarent. His omnibus malis ab Antiſtite ſolerti remedia paulatim ſunt adhibita. Eccleſiam temporario tecto operuit: Sed paulo poſtea muros ab igne corruptos demolitus, integram à fundamentis excitavit

---

[y] Coll. 1706. [z] P. 169. Edit. 1729.

eam ipſam quam nunc cernimus baſilicam[a], Metropolitana Cathedra non indignam. Canonicos hinc inde diſperſos revocavit, et de rebus neceſſariis illis proſpexit: Refectorium et Dormitorium reſtauravit: Praepoſitum deſignavit qui res eorum procuraret: Praedia quaedam et eccleſias nonnullas partim de ſuo contulit illis, partim haud bono jure ab aliis uſurpata reſtitui curavit. Et duodecim manneria quae Aldredus ab Epiſcopo Wigornienſi Wulſtano extorſerat, eidem ultro reddidit. Haec poſtquam ita conſtituiſſet, unicuique Canonico praebendam aſſignavit, ut ſeorſim victitarent, cum antea communi menſa fuiſſent uſi, ſicut in Academiis hodie collegiorum ſocii. Decanum etiam creavit, Theſaurarium, et Praecentorem, cùm Cancellarium ſub prima Epiſcopatus tempora ordinaſſet[b]. Eccleſiam à ſe conſtructam libris et eccleſiaſticis ornamentis, tam ad ſplendorem quam ad uſum abunde inſtruxit; et magna ſollicitudine doctiſſimos viros undique conquiſitos in ea collocavit, cum quibus crebros ſermones de rebus literariis conſerere ſolebat, non tam animi cauſa, quam ut eos ad ſtudia literarum excitaret. Ipſe (ut tempora ferebant) doctus erat, et multa ſcripſit tam proſa oratione quam carmine. Inter caetera, cantica eccleſiaſtica plurima compoſuit, quae (muſicus ipſe) tonis idoneis aptavit, non tantum canendi, ſed et organa pulſandi muſica peritus. Cum Henricum primum Regem diademate Regio impoſito inauguraſſet quinto Auguſti 1100[c], (Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo tunc exulante) decimo octavo[d] Novembris ſequenti Ripponae deceſſit, et in eccleſia [Eboracenſi] quam ipſe conſtruxerat tumulatus eſt prope Aldredum anteceſſorem. Epitaphium adjunctum Stubbeſius[e] Thomae poſteriori, nepoti ejus aſcribit. Mihi tamen ex tempore mortis, et hominis deſcriptione, ſatis conſtat ad hunc unum pertinere.

" Orba pio, viduata bono, paſtore, patrono,
  " Urbs Eboraca dolet, non habitura parem.
" Qualia vix uni, perſona, ſcientia, vita,
  " Contigerat Thomae, nobilis, alta, bona.
" Canicies, hilaris facies, ſtatura venuſta,
  " Angelici vultus ſplendor et inſtar erat,
" Hic numero atque modo doctrinae ſeu probitatis,
  " Clericus omnis erat, vel magis omnis homo.
" Haec domus et Clerus ſub tanto Preſule foelix,
  " Pene quod eſt et habet, muneris omne ſui eſt;
" Octavis igitur Martini tranſiit ille,
  " Qui pietate Dei ſit comes in requie.

****

XXVI. GERARDUS.

1101. Hen. 1. 1. THOMAE defuncto ſucceſſit Gerardus, qui Herefordenſi eccleſiae tempore praefuit exiguo[f], et Walchelmi Wintonienſis Epiſcopi nepos, Angliae ſub Gulielmis primo et ſecundo Regibus, Cancellarius extiterat[g]. Homo (inquit Malmesburienſis[h]) *Literarum non neſcius, in*

---

[a] Nequaquam; fortuito enim igne ſub Thurſtano conſumpta fuit eccleſia Cathedralis. vid. infr. ſub Thurſtano.

[b] Archidiaconos etiam per Dioeceſin inſtituit. *Stubbs.*

[c] Henricus Rex conſecratus eſt à Mauritio Lond. Epiſcopo 5 Aug. 1100. *Florent.* et *Hoved.* f. 268. b.

[d] Ita *Hoved.* ib. et *Continuat. Mar. Scoti. Weſtmonaſterienſis* verò viceſimum octavum habet, et *Dunelmenſis* et *Florentius.*

[e] Stubbeſius hoc Epitap. non Thomae *Juniori* ſed *Seniori* aſcribit; quem vide Coll. 1709.

[f] Ab anno 1096.

[g] Stubbs. Coll. 1710.

[h] *De Pontif.* L. 3. f. 155.

eloquentia diffuſus, imo ſcientia et eloquentia (ſi Stubbeſio[i] credimus) *paucis ſui temporis ſecundus.* Neubrigenſis[k] (qui homini videtur paulo iniquior) *acutum fatetur nec non literatum fuiſſe, vita tamen lubricum extitiſſe* aſſerit; *in emungendis per indecoras etiam occaſiones ſubditorum marſupiis callidum, et* (*ut plurimi aſſeverarent*) *maleficiis etiam aſſuetum, Deoque adeo et hominibus inviſum.* Obedientiae profeſſionem Cantuarienſi facere dum cunctatur, mandato Papali ad eam praeſtandam mox adigendus, Regis hortatu juſſum Pontificium praevenerat[l]. Cum ſediſſet annos ſeptem menſeſque ſex *deceſſit inſperate*[m], *morbo quidem, ſed levi antea tactus. Nam cum aliquantulum aeger in quodam viridario aedibus ſuis* Suthwellenſibus *vicino cubitaret, ut ſalubriori aura, quam ſuave halantes herbarum flores animarent, foris frueretur; juſſit ut aſtantes domum ſecederent, corporis curae interim proviſuri.* (Neubrigenſis[n] vero *clericis prope ſpatiantibus, ſuper cervical quieſcentem, letali ſopore diriguiſſe* dicit. Sed pergat Malmesburienſis) *Abierunt* (inquit) *illi et poſt epulas reverſi, fleverunt dominum exanimem. Utinam haec rumor finxerit* (haec Malmeſburienſis[o]) *nec homo Pontificalis gratiae ſic obierit. Certe Canonici Eboracenſes, ne in eccleſia ſepeliretur pertinaciſſime reſtitere, vix ignobilem ceſpitem cadaveri pro foribus injici paſſi; quamvis poſt aliquot annos Thomas ſucceſſor ejus, indignitatem facti leniens, in eccleſia ipſum juxta praedeceſſores ſuos eminentiſſime tumulaverit.* Adjicit Neubrigenſis[p], *raro agmine corpus Eboracum delatum; neque clericis neque civibus cum pompa exequiali ex more occurrentibus, ſed pueris* (*ut dicebatur*) *ſandapilam lapidantibus, extra eccleſiam,* ſic ut praefertur *ſine honore ſepulturae traditum.* Regi hic author fuit, ut Capitulo Eboracenſi donaret eccleſiam de Laxton[q]; et cum quinque alias ab eodem ſibi impetraſſet Driffield, Kila[r], Pokington[s], Pickering et Burgh; illas quoque Canonicis ſuis contulit[t]. Balaeus infenſior illi quod ſacerdotes conjugatos inſectaretur, Magicarum artium inſimulat, inde ſumpto argumento, quod defuncti ſub cervicali volumen ſit repertum Firmici Aſtrologi; quem de rebus Magicis aliquid ſcripſiſſe nondum didici, [niſi inter artes Magicas Mathematicas numerandas exiſtimandum.]

◆◆◆

XXVII. THOMAS 2.

1109. Hen. 1. 9. GERARDO ſucceſſit[u] Thomas, praedicti Thomae ex fratre Samſone Epiſcopo Wigornienſi nepos, capellanus Regius et Richardi Baiocenſis Epiſcopi frater, multum juvenis et obeſo corpore praepinguis, adeo tamen non fuit obeſi naris ſed prudentia vere ſenili praeditus, ut virtutum fama clarus, eodem fere tempore à duobus eccleſiis in antiſtitem electus ſit et poſtulatus, Londinenſi primum, ac mox Eboracenſi. Sicuti anteceſſores, ad obedientiae profeſſionem Cantuarienſi faciendam, nimium haudquaquam properavit. Poſt aliquot tergiverſationes, cum putaret Anſelmus jamdudum aegritudine longa contabeſcens, mortem ſuam eum expectare, ut vacante ſede Archiepiſcopali, conſecrationem ab aliquo alio ſine profeſſione conſueta impetraret: Epiſtola ad omnes Angliae praeſules perſcripta, ſingulis ſub anathematis poena interminatus eſt, ne ſe vel vivo vel mortuo, aut illum, aut alium quemlibet ad ſedem Eboracenſem conſecrarent, niſi facta prius profeſſione antedicta. "Et tantus fuit Epiſcoporum omnium conſenſus, non refragante et patre Thomae, Wigornienſi "Antiſtite, ut mallent omni honore ſpoliari quam praecepta patris ſui "Anſelmi tranſgredi. Confirmavit religionem illorum principalis aſſenſus, cum ſubjecit; Quicquid aliorum ſententia ferat, ego patris Anſelmi "excommunicationi nec ad horam ſubjacere aliquatenus volo. Itaque "quia praeter epiſtolam Anſelmi, ſunt privilegia ſedis Apoſtolicae, ſunt "definitiones ante patrem meum et matrem, cum conſilio totius regni "ſtatutae, quibus authoritas eccleſiae nititur; Eligat Thomas, aut ſubjectionem eccleſiae Cantuarienſi facere, aut Epiſcopatui valefacere. Ceſſit ille, non rationi ſed potentiae, factaque profeſſione, ſuſcepit à miniſtro, Richardo ſcilicet Londinenſi Epiſcopo, quod detrectaverat ſuſcipere à magiſtro." Haec Malmesburienſis[x]. Conſecratus[y] Junii 27. 1109. Cum annos quinque et menſes ferme novem ſediſſet, in morbum incidit, quem lethalem medici pronunciarunt, niſi foeminae vellet uti conſuetudine[z]. Maluit ille caſtus interire, quam dignitatis pontificalis macula tam pudenda vitam redimere, atque ita deceſſit, Februarii nimirum decimo nono 1114[a], prope patruum ſepultus. In eccleſia ſua Eboracenſi duas de novo praebendas erexit: Canonicos Regulares Haguſtaldae collocavit: Praedia nonnulla pretio comparata, Suthwellenſibus dedit Canonicis[b], et eaſdem immunitates illis impetravit, quibus Eboracenſes, Beverlacenſes et Ripponenſes [gaudere] noſcebantur.

---

[i] Col. 1710.
[k] L. 1. p. 10.
[l] *Manu ſua impoſita manu Anſelmi, ut ipſe volebat, interpoſita fide ſua policitus eſt ſe eandem ſubjectionem et obedientiam ipſi et ſucceſſoribus ſuis in Archiepiſcopatu exhibiturum, quam Herefordenſis Eccleſiae ab eo ſacrandus Epiſcopus illi promiſerat.* Hoved. f. 270. a. à Stubbeſio vero penitus negatur.
[m] Obiit 21 Maii 1108. *Stubbs.* Coll. 1711.
[n] P. 11.
[o] *Ib.*
[p] *Ib.*
[q] LAUGHTON.
[r] KILHAM.
[s] POLLINGTON.
[t] Decanatui annexit.
[u] Unanimi conſenſu et deſiderio Cleri et Populi electus eſt A°. 1108. *Ric. Haguſt.* L. 2. c. 7.

* * *

XXVIII. THURSTANUS[c].

1119. Hen. 1. 20. THURSTANUS, Eccleſiae Paulinae Canonicus[d], et Sacellanus Regius, ſucceſſor illi deſignatus eſt[e]. Sed cum à Radulpho Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecrationem nullo pacto poſſet obtinere, niſi profeſſione praeſtita conſueta; electioni de ſe factae renunciavit[f]. Tandem nihiloſecius, admonitus ab amicis, ſi Romam proficiſceretur, fieri poſſe ut voti compos rediret; ſuſcepto illuc itinere, nihil impetravit à Pontifice praeter literas inefficaces, quae nec apud Regem nec Archiepiſcopum (ad quos datae ſunt) quicquam ponderis habuerunt. Paulo poſt Paſchali mortuo, et qui illi ſucceſſit Gelaſio, Calixtus Concilium Rhemis celebravit[g]. Illuc Thurſtanus voluit accedere, ſperans conſecrationem à novo Pontifice ſe impetraturum. Rex vero petenti commeatum denegavit, donec fidem dediſſet *nihil ſe contra decus Eccleſiae Cantuarienſis moliturum.* "Quod mox "(inquit Malmesburienſis[h], jam tandem relinquendus) ut opportunum "vidit, oblitus effregit, et ab Apoſtolico (contra omnes conſuetudines

---

[x] *De Pontif.* L. 3. f. 156. [y] A Richardo Londin. Epiſcopo, aſtantibus W. Winton. R. Roff. H. Norw. R. Ciceſtr. R. Dunelm. et H. Bangor. Epiſcopis. *Par.* p. 53. *Hoved.* f. 270. b. [z] *Hoved.* f. 271. a. [a] Feb. 24. 1113. (anno exeunte) *Dunelm. Hoved.* f. 271.—Feb. 16. *Ric. Haguſt.* L. 2. c. 11. [b] *Dedit Canonicis quatuor Villulas, et unum molendinum, et unum milliare anguillarum per annum; conceſſit quoque eis ad veſtitum ipſorum centum ſolidos praeter libros et veſtimenta.* Id. c. 10. [c] *Bromt. Weſtm. Florent.* TURSTANUS, *Huntin. Paris.* TURSTINUS, *Dunelm. Hoved. Mailr.* [d] Patrem habuit Augerum Praeb. de *Kentiſh Town* in Eccl. D. Pauli Lond. *Regiſtr.* C. penes Dec. et Capit. f. 110. *MS. Hutt.* [e] Wintoniae die aſſumptionis S. Mariae 1114. *Dunelm. Florent. Hoved.* [f] *Huntin.* L. 7. f. 217. b. *Hoved.* f. 271. b. [g] *Dunelm. Bromt.* [h] *De Pontif.* f. 156. b.

“ majorum) benedictionem Epiſcopalem ſuſcepit. Praeceſſerat ſane Thurſtanum ad Papam Legatus Regis, idemque frater Radulphi Archiepiſcopi Seffridus, (poſtea Ciceſtrenſis Epiſcopus) denunciaturus Papae, ne ullo modo Thurſtanum aut ipſe ſacraret, aut ab aliquo niſi Pontifice Cantuariorum ſecundum antiquum morem ſacrari permitteret. Et ſi contra hoc ipſe Apoſtolatus ſui jure niti vellet, certus exiſteret, quia nec pro amiſſione coronae ſuae, propoſitum ſuum in hac cauſa mutaret. His reſpondit Apoſtolicus, *Ne putet Rex me, de quo agit negotio, aliter acturum quam ipſe velit: Neque enim voluntas mea unquam me tulit, ut Cantuarienſis eccleſiae dignitatem* (*cui tot praeclari Patres, ut pene toti mundo notiſſimum eſt praeſederunt*) *quoquo modo humiliem.* His blanditiis perſuaſus Legatus, reditum maturavit. Poſt cujus diſceſſum, Apoſtolicus Romanorum juſſis obnoxius, qui in Thurſtani amicitiam tranſierant, eum ſacravit[i], palam illud interdicente Joanne Archidiacono Cantuarienſi. Reſponditque ei Apoſtolicus, *nullam injuſtitiam eccleſiae Cantuarienſi volumus facere, ſed ſalva juſtitia et dignitate illius, quod propoſuimus exequamur.* Frivolum id audientes judicaverunt, cum diſſideret factum à dicto. Hoc audito Rex, Thurſtano interdixit omnem dominationis ſuae terram[k]. Quam ſeveritatem nec tunc voluit diminuere, cum eum apud Giſortium praeſens interpellaſſet Apoſtolicus, aſſerens ſe de fide qua ſe Rex obligatum eſſe dicebat, cum authoritate B. Petri ſoluturum. Quod cum fruſtra fuiſſet, tunc quidem impacatus remanſit. Sed ſequenti anno[l], cum jam praefatus Papa in ſede Apoſtolatus corroboratus, liberius quae vellet diſponeret; miſit epiſtolam qua videbatur, ut aut Thurſtanus epiſcopatu ſuo potiretur, aut Rex anathemate, et Pontifex Cantuarienſis ſuſpenſione ſacerdotalis officii plecteretur[m]. Hic metus coëgit Regem coeptis deſiſtere, et receptus eſt Thurſtanus in ſede[n].” Qui magno vir animo et doctrina per eam aetatem ſingulari, ob prudentiam etiam, induſtriam, et in munere paſtorali obeundo ſummam diligentiam multum laudatur. Canonicis ſuis admodum benignum ſe exhibuit, quibus hoc indulſit privilegium, ut Praebendarum ſuarum fructus haeredes eorum perciperent per unum integrum annum poſtquam decederent, niſi quod pars eorundem tertia fabricae eccleſiae erat relinquenda. Neque haec de Eboracenſibus ſolis ita ſunt ordinata: Id ipſum de Beverlacenſibus, Ripponenſibus, Suthwellenſibus et Gloceſtrenſibus (quorum collegia ab Eboracenſibus Archiepiſcopis fuerant condita) conſtitutum eſt. Monaſteria vel fundavit de novo, vel collapſa reſtauravit, octo; inter quae memoratur praecipue illud quod à Fontibus[o] nomen habebat, cujus annui redditus numerabatur ſuppreſſionis tempore 1173^{l}. 7^{d}. ob. Triennio antequam obiret [Thurſtanus], inſigni clade perculſa eſt tam civitas quam eccleſia Eboracenſis. Fortuito igne, praeter Cathedralem, triginta aliae eccleſiae abſumptae ſunt, una cum coenobio ſanctae Mariae in ſuburbiis, Hoſpitale à Thurſtano conſtructum, et urbis denique ipſius aedificia pene univerſa. Anno [tamen] proxime ſequenti, nimirum 1138, Davidi Scotorum Regi cum numeroſo exercitu in fines noſtros irruenti, et ferro flammaque omnia devaſtanti, cum manu tumultuaria occurrens Alvertonae, magno eum praelio fuſum profligavit, hoſtium duodecim millibus interfectis. Sic Walſinghamus[p]; cum Hovedenus[q] aſſerat, ipſum morbo detentum, expeditioni non interfuiſſe, quamvis ipſius conſilio et auſpiciis pleraque gererentur. Cùm ab electionis tempore annos 26 in iſtius provinciae regimine tranſegiſſet, aetate jam gravis et valetudinarius, praeſulatum ſponte exuit et apud Pontem-fractum Monachus fieri voluit. Vix jam veſtem Pontificalem depoſuerat, Monachalem aſſumpſerat[r]; quando morte imperante, ſepulchralem ſtatim induere oportuit. Undecim duntaxat dies abdicationi ſuperſtes, animam exhalavit Februarii quinto 1140[s].

---

[i] Menſe Octobri 1119. *Mailroſ.*

[k] Ita etiam *Hoved.* f. 272. b.

[l] A° 1121. *Mailr.*

[m] *Hoved.* f. 273. a.

[n] Sine profeſſione. *Mailr.*

[o] Fundatum eſt hoc Coenobium hortante et inſtigante Thurſtano. *Monaſt. Angl.* V. 1. p. 733.

XXIX. HENRICUS MURDAC[t].

*1147. STEPH. 13. STEPHANO Regi, ex Emma ſorore Hereberto Comiti nupta, nepos erat nomine Gulielmus; vir animi virtutibus non minus quam Regia cognatione nobilitatus, qui Theſaurarius Eboracenſis, ad Archiepiſcopatum legitima electione poſtulatus, et avunculo Rege annuente, etiam conſecratus, Romam miſit, qui ſuo nomine pallium à Pontifice peterent; quod cum negatum eſt, tum ipſi quoque imperatum, ut Romam accederet de criminibus neſcio quibus reus peragendus; quorum hoc (ut videtur) praecipuum aeſtimatum eſt, quod minus legitime electus, praeſulatum ſibi non debitum auſus fuiſſet ſuſcipere ac uſurpare[u]. Illuc ut pervenit, adverſarios reperit praeter ſpem et numero quamplures et potentia validos. Inter caeteros memoratur in primis D. Bernardus, Abbas ille Clarevallenſis clariſſimus, qui cauſam propugnabat Henrici cognomine Murdac Abbatis Fontani, ſecretis multorum votis ad Archiepiſcopatum Eboracenſem (Gulielmus ſi pelleretur) deſignati, qui unà cum Eugenio tum Pontifice, Bernardi antedicti fuerat diſcipulus. Bellum civile atrociſſimum his temporibus in Anglia fervebat, certantibus de regno, Stephano Henrici primi ex ſorore nepote, et Matilda propria ejuſdem Henrici filia. A Matildianis igitur graviter ferentibus, Gulielmum Stephani propinquum tantae dignitatis acceſſione honeſtatum; crimina credo conficta, quorum praetextu, precibus accedentibus veteris amici, praeſulatu inſontem Eugenius mulctavit, et Henricum pallio ornatum miſit in Angliam[x]. Qua re nunciata, Rex nepotis tanta contumelia (quam haudquaquam meritum omnes judicabant) graviter commotus; à novo Archiepiſcopo juramentum neſcio quod inuſitatum coepit exigere. Quo recuſante id praeſtare; quamvis ultra minas et jurgia non proceſſit Princeps clementia praeditus tam mirabili, ut multorum annorum bello civili exagitatus, non legatur tamen procerum ſuorum quenquam capitali ſupplicio affeciſſe: Attamen civibus Eboracenſibus (quibus Gulielmus propter benignitatem vitaeque ſanctitatem admodum charus extiterat) animos addidit ad Henricum civitate ſua arcendum; quos ille eam ob cauſam ſacris interdixit. Euſtachius nihiloſecius Regis filius, authoritate ejus contempta, ſacra in omnibus eccleſiis more conſueto fieri mandavit. Hujuſce rei occaſione, et quia miniſtri Regii graves ubique incumbebant omnibus qui ad Gulielmum pellendum operam aliquam detuliſſent; ſeditiones ac tumultus per totam provinciam indies gliſcebant, ac in urbe praecipue, ubi Archidiaconus quidam, Archiepiſcopi amicus, obtruncatus eſt. Cum per annos duos vel tres hoc modo tumultuatum fuiſſet; Rege tandem pacato[y], Archiepiſcopus à ſuis pacifice ſuſceptus, magna cum auſteritate hanc ſedem rexit annos plus minus decem, et Octobris decimo quarto 1153 Sherborniae[z] ab hac luce migravit[a], atque in eccleſia ſua ſepultus eſt.

---

[p] *Ypodigm. Neuſtr.* [q] f. 277. [r] 21 Januar. [s] *Floren. Continuator*; qui et aſſerit ſepultum eſſe inter Commonachos ſuos apud Pontemfractum: et quod corpus poſt annum et quinque menſes integrum et odoriferum fuiſſe repertum. [t] Anno jam poſt Thurſtani mortem elapſo, HENRICUS de COILLI *Stephani* Regis nepos, electus eſt: Papa verò conſentire noluit, niſi Abbatia *Kadomenſi* prius reſignata. *Dunelm. Continuą.* Col. 268. Tum electus eſt GULIELMUS, et conſecratus à Legato, Wintonienſi Epiſcopo, 26 Sept. 1144. *Ib.* Eo à Papa deprivato, iterum ad electionem proficiſcuntur Canonici, quorum pars magna ſuffragia ſua in HILARIUM *Ciceſtr.* electum contulerunt. Papa verò ex plenitudine poteſtatis in Archiepiſcopum conſecravit HENRICUM MURDAC Abbatem de *Fontibus*. [u] *Gervaſius.* [x] Conſecratus per Papam in Octavis S. Andreae, Dominica ſecunda in Adv. Domini. 1148. *Haguſtald.* Perperam verò hoc dictum eſt, Octav. enim S. Andr. non A°. 1148 ſed A°. 1047 fuit Dominica: et *Chron. Mailr.* dicit conſecratum fuiſſe 1147.

* * *

XXX. S. GULIELMUS.

1153. STEPH. 18. GULIELMUS, illico ut in ordinem redactus eſt, in Angliam remeavit, ſeque in coenobio Wintonienſi abdidit; Henrici Wintonienſis Epiſcopi avunculi ſui (Stephani nempe Regis is frater fuit) conſuetudine ac familiaritate multum ſublevatus, à quo in Archiepiſcopum fuerat ſacratus. Dum hic ſubſtitit, magna animi aequitate caſum ferens tam adverſum; eodem fere tempore exceſſerunt è vivis et D. Bernardus et Eugenius Pontifex, qui (ut ſupra monuimus) illi, una cum Henrico Archiepiſcopo fuerat diſcipulus. Eorum obitu vulgato, Gulielmum monent amici, ut Romam proficiſcens, de injuria ſibi ante decennium illata, apud Anaſtaſium novum Pontificem querimoniam inſtituat. Paret ille monentibus, et Romam perveniens, dum ſe ad negotium propter quod venerat accingeret, certior fit, Henricum Archiepiſcopum adverſarium ſuum diem quoque obiiſſe. Conſilio tum uſus Gregorii cujuſdam Cardinalis (qui multo rerum uſu et magna praeditus erat prudentia) voti facile compos factus, et pallio[b] à Pontifice ornatus eſt. Paulo ante Paſcha Wintoniam rediit, ibique cum avunculo ſolennitate paſchali celebrata, ad ſedem ſuam properavit. Occurrerunt autem ei extra civitatem Robertus Eboracenſis Decanus et Osbertus Archidiaconus, qui in electione ejus vitium cauſati, interpoſita ad Pontificem appellatione, ab eccleſia ſua arcere illum voluerunt. Ille nihilominus appellatione contempta progrediens, ingenti plauſu à Clero et populo ſuſceptus eſt. Polydorus Vergilius author eſt, "tantum "illi honoris ubique habitum, ut quacunque pergeret, paſſim mortalium "concurſus ad eum fierent. Quare ita accidit, (inquit ille[c]) ut cum "Eboracum vir ſanctus peteret, et eundo parum ultra Pontifractum, "tranſiret pontem qui in flumine eſt, quod Hayream[d] appellant, tantus "hominum numerus ſecutus ſit, ut fracto repente ponte (ligneus enim "erat) bona pars in flumen ceciderit. Quod ubi Gulielmus (qui jam in "altera ripa erat) ex morientium clamore cognovit, eveſtigio converſus "ad flumen, et ubertim lachrymans, manus cum oculis in coelum ſuſtulit, atque Deum ſuppliciter precatus, divinum auxilium imploravit; "quod ita celeriter cum morte luctantibus in undis adfuit, ut ne unus "quidem perierit." Hactenus Polydorus. "Receptam Eccleſiam (ſic "Neubrigenſis[e]) decenti moderamine regens, et ingenita lenitate nulli

---

[y] A°. 1151.

[z] Apud Beverlacum. *Haguſtald.* Dum divina celebraret myſteria, hauſto in ipſo calice (ut aiunt) veneno. *M. Paris.* p. 77. ſed hoc *Gulielmo* potius tribuendum eſt.

[a] Anno 1153. *Hovedenus, Mailroſenſis* et *Dicet.*

[b] *Hoved.* f. 281. ad A. 1153.

[c] P. 210. Ed. 1570.

[d] AIERUM potius.

[e] P. 70. Ed. 1567.

“ oneroſus exiſtens; paucis poſt Pentecoſten evolutis diebus, febre corripitur, et rapitur ex hac vita, ingenti tam clericis quam laicis, ex mitiſſimi paſtoris occaſu, luctu relicto. Sane propter inopinatum ejus tranſitum, à multis creditur veneno extinctus, aſſerentibus eum ex ſacro calice per quendam ab adverſariis immiſſum, vel pro eis aemulantem infecto, potum mortiferum (quod dictu horrendum eſt) et cum potu vitam tranſiſſe. At hoc mera quorundam opinione (inquit ille) quam tamen petulanter velut perſpicuam veritatem ſparſerunt in vulgus. Denique ego proceſſu temporis cum fama iſta crebreſceret, quendam virum magnum et grandaevum, Rievallis monaſterii Monachum jam valetudinarium et morti vicinum, qui eo tempore eccleſiae Eboracenſis Canonicus, et memorato Archiepiſcopo familiaris extiterat, ſuper hoc cum adjurationibus percunctandum putavi: Qui conſtanter reſpondit, hoc eſſe mendaciſſimum conceptae à quibuſdam opinionis commentum. Se quippe cum ſcelus illud attentatum dicitur, praeſentem atque Archiepiſcopo aſſiſtentem fuiſſe, et nullo modo malignum quenquam inter circumſtantes fideliſſimos, ad aliquid tale audendum irrepere potuiſſe. Illud quoque falſum eſt, quod dicunt, eum amicis ſuadentibus antidotum guſtare noluiſſe, cum ab eis hoſtilis malitia in eum aliquid auſa putaretur. Et ad hoc ſuum vel opinabile vel commentum firmandum, fertur eum dixiſſe, quod coeleſti antidoto non adjiceret humanum. Quod utique quia vir ſapiens fuit, et Dominum non eſſe tentandum divina authoritate edoctus, nec dixiſſe neque egiſſe credendus eſt. Ad hoc Symphorianum familiarem clericum ejus, qui in ejus obſequio non parvo tempore fuerat, et aegrotanti devotus miniſter aſtiterat, audivi dicentem, quod amicis ſuadentibus, antidotum ſumpſerit: Quod utique ſapiens credendus eſt. Ab eodem quoque audivi, amicos qui aderant, ob hoc maxime ad putandum quod mortiferum quid biberit, fuiſſe proclives, quia dentes ejus qui candidi fuerant, in extremo illo incommodo nigreſcere caeperant. At hoc ridetur à medicis, cum homines morituri paſſim nigreſcere ſoleant.” Haec Neubrigenſis, cum hymnus in feſto ejus decantari ſolitus (nam in Sanctorum numerum mox videbimus relatum) contrariam tueatur ſententiam: Sic enim ille:

“ *Eboracum* praeſul redit,
“ Pontis caſus nullum laedit
    “ De tot turbae millibus.
“ In octavis *Pentecoſtes*
“ Quidam malignantes hoſtes
    “ In eum pacificum,
“ Et ut ipſum privent vita,
“ Celebrantis, aconita
    “ Propinant in calice.
“ Toxicatur à prophanis,
“ Ille potus, ille panis,
    “ Per quem perit toxicum, &c.

Hovedenus[f], illorum temporum ſcriptor, ſuorum proditione aquam dicit infectam, qua, ſacra facientem, in ablutionibus uti eum oportebat, atque inde cauſam mortis contraxiſſe[g]. Id undecunque evenerit, è vivorum certè numero exemptus eſt Junii 8. 1154; et in eccleſia ſua per propinquum ejus Hugonem Dunelmenſem Epiſcopum ſepulturae eſt mandatus, ubi (ipſo inter Divos relato) multa patrata ferunt miracula; quod credere cui cordi eſt, meminerit, hunc qualemcunque Divum, à Divo certe Bernardo, aut ejus ſaltem opera, exauthoratum et praeſulatu expulſum.

---

[f] f. 281.

[g] Ita *Mailroſ.* et *Gervaſius.*

◆◆

XXXI. ROGERUS[h].

GULIELMI morte comperta, rationes protinus inire coeperunt Robertus Decanus et Osbertus Archidiaconus, de Rogero Cantuarienſi Archidiacono ad Archipraeſulatum Eboracenſem provehendo; quem, annitente Archiepiſcopo Cantuarienſi Legato Pontificio, à Capitulo (non nimis in eam rem propenſo) eligendum curarunt[i]. Hunc monachi (rerum his temporibus geſtarum unici ſcriptores) acerrimè inſectantur, ſic tamen ut Lectori non iniquo facile pateat, ſummum eum virum fuiſſe et judicio praeditum admirabili. Quare, vitam ejus à Neubrigenſi deſcriptam, illius verbis Lectori exhibere decrevi, ac deinde illa adjungere, quae ab illo omiſſa, alibi tradita reperi. “Anno (inquit ille[k]) 1181 deceſſit Rogerus “Eboracenſis Archiepiſcopus, homo literatus et eloquens, atque in com-“modis temporalibus prudentiae penè ſingularis. In officio quidem Epiſ-“copali, hoc eſt, in cura animarum, minus ſollicitus; in his autem quae “officio non Deus, ſed propter Deum mundus annexuit conſecrandis et “promovendis, efficaciter ſtudioſus. In bonis quippe temporalibus, Ar-“chiepiſcopatum Eboracenſem ita provexit, ut de augmentis reddituum “vel amplitudine aedificiorum, fere nullam ſucceſſoribus curam reliquerit. “Occaſiones quoque avaritiae ita exercuit, atque in his exercendis “ita excelluit, ut raro aliquam praetermittere vel remiſſius agere videre-“tur. Pro perſonis ſpectabilibus quibus tanquam quibuſdam monilibus “Eboracenſis olim refulſit eccleſia, titulavit imberbes, et quoſdam etiam “agentes ſub ferula, aptos magis pro aetate

1154.
STEPH. 19.

“Aedificare caſas, ploſtella adjungere muris
“Ludere par impar, equitare in arundine longa,

“quam perſonas gerere in eccleſia magnatum; ut ſcilicet ad annos uſ-“que viriles curam agens titulatorum, univerſa perciperet commoda titu-“lorum. Chriſtianos philoſophantes, id eſt viros religioſos (hinc iſtae “lachrymae, nunc unguis in ulcere) in tantum exhorruit, ut dixiſſe fe-“ratur (ô hominem oculatum, qui in tenebris illius aevi plus quam Cim-“meriis haec potuerit perſpicere) Thurſtinum, anteceſſorem ſuum nun-“quam gravius deliquiſſe, quam aedificando inſigne illud Chriſtianae “philoſophiae ſpeculum, Monaſterium ſcilicet de Fontibus. Cumque “hoc verbo ſcandalizarentur circumſtantes; Laici (inquit) eſtis, niſi per-“cipere poteſtis vim verbi. Dicebat etiam, eccleſiaſticum beneficium, “luxurioſis potius quam religioſis conferendum. Quam planè regulam, “omni tempore ſuo ſollicite tenuit, et deteriorem fere in omnibus con-“ditionem fecit religioſorum clericorum. Porro in hac mira caecitate

---

[h] De PONTE. *Wikes.* et *Rob. Montenſis.*

[i] Conſecratus 10 Oct. 1154. *Gervaſ.* a Theobaldo, ſed profeſſionem non fecit. Interfuit coronationi Henrici ſecundi, ſed manum non impoſuit. Miſſus eſt Romam Legatum contra S. Thomam. Coronavit Henricum tertium filium Henr. 2[i] contra mandatum Papae Alexandri, quam ob rem ſuſpenſus fuit ab officio: purgatione poſtea facta reſtitutus fuit. *Dict. MS.* viz. Godwini ipſius. *MS. Gale.*

[k] P. 230.

“ (ſic placet appellare lynceam perſpicaciam) cum alias eſſet vir acutiſſimus,
“ arbitrabatur obſequium ſe praeſtare Deo; quod ſic probatur.
“ Acceſſit ad eum jam aegritudine decumbentem et maturè finiendum,
“ quidam mihi notiſſimus, cujuſdam loci religioſi praepoſitus, vir bonus
“ et ſimplex, humiliter poſtulans, ut pias bonorum virorum collationes,
“ quas ſancti ejus praedeceſſores eidem loco divini amoris intuitu, autentico
“ ſcripto confirmaverant, ipſe quoque ſigilli proprii atteſtatione confirmare
“ dignaretur. Ad quod ille, En (ait) morior, et quia Deum timeo, quod
“ poſtulas facere non praeſumo. Tam ſolide apud ſe tenebat, nullis minus
“ quam hujuſmodi philoſophantibus eſſe praeſtandum,” (inertibus
verius dixiſſet, deſidioſis, et qui ſub veſtibus ſanctiſſimorum illorum virorum,
quos Monachos vocatos, primitiva eccleſia jure eſt admirata, totidem
plerunque daemones occultarent) Iratum igitur jam audiamus. “Quod
“ in vita ſua tondendis magis quam paſcendis ovibus Dominicis intenderit,
“ in fine claruit. Quippe moriturus decumbens, non pauca millia
“ marcarum argenti Pontifex aevo gravis in theſauris habebat, cum tot
“ pauperes Chriſti inedia laborarent. Quibus cum jam ulterius incubare
“ non poſſet, partem aliquam diſperſit in pauperes, partem eccleſiis, partem
“ familiaribus et propinquis, ſerus diſtributor legatis dimiſit. Verum
“ cum jam obiiſſet, Rex per officiales ſuos et inventa diripuit, et non
“ inventa ab iis quibus jam data erant extorſit: Dicens theſauros à quocunque
“ uſque ad mortem repoſitos, ſolius Principis in bonis eſſe.” Sed
dic mihi Neubrigenſis hoccine verum eſt, quod tondendis tantum ovibus
intentus, opibus partis ita incubavit, ut nihil ad utilitatem gregis impenderit?
Stubbeſium* igitur audias (ſi placet) ſic loquentem. “ Iſte Rogerus
“ chorum cathedralis eccleſiae S. Petri Eboraci, cum cryptis ejuſdem,
“ et palatium Archiepiſcopale, quod juxta ipſam eccleſiam ſitum eſt, de
“ novo conſtruxit. Condidit etiam capellam S. Sepulchri ad januam ipſius
“ palatii ex parte Boreali ejuſdem eccleſiae; eamque undecim eccleſiis
“ (quarum quinque ex ſua propria largitione, ſex vero ex collatione quorundam
“ fidelium ſuae dioeceſis extiterant) dotavit; Et tredecim miniſtros
“ eccleſiaſticos diverſi ordinis ad celebrationem divinorum in ea
“ perpetuos inſtituit: Quorum quatuor eſſe ſacerdotes, quatuor diaconos,
“ quatuor vero ſubdiaconos, et unum ſacriſtam qui praeeſſet reliquis decrevit,
“ quem cuſtodem ipſius capellae et procuratorem omnium proventuum
“ dictarum undecim eccleſiarum ad eandem capellam pertinentium
“ conſtituit. Et ne eiſdem miniſtris competens deeſſet ſuſtentatio,
“ ſtatuit idem Archiepiſcopus, ut unuſquiſque dictorum presbyterorum
“ decem marcas; Diaconorum, centum ſolidos; Subdiaconorum
“ vero ſex marcas argenti quolibet anno per manum Sacriſtae perciperet.
“ Reſiduum vero praedictorum redituum, in uſum Sacriſtae converti diſpoſuit.
“ Et quia Canonici praefatae eccleſiae B. Petri ſuper ſitum dictae
“ capellae, eo quod nimis adhaeſit matrici eccleſiae, penes Archiepiſcopum
“ graviter murmurabant; ſtatuit idem Archiepiſcopus ad eorundem
“ Canonicorum exonerationem et perfectae pacis et charitatis inter Archiepiſcopum
“ et Capitulum perpetuam firmitatem, ut Sacriſta ejuſdem
“ capellae, ea quae ad eoſdem Canonicos ſpectant in die coenae Dominicae
“ tam in epulis quam in vino, cerviſia et vaſis et aqua calida ad
“ ablutionem pedum ipſorum Canonicorum et Clericorum et pauperum,

---

* Col. 1723.

“ decem etiam ſolidos argenti 60 pauperibus poſt ablutionem pedum “ ſuorum diſtribuendos, et victualia quae ſecundum conſuetudinem ma- “ tricis eccleſiae ſolebant die praedicto miniſtrari, haec inquam omnia “ Sacriſta dictae capellae ſumptibus ſuis propriis inveniret. Haec et alia “ multa (inquit ille) Rogerus Archiepiſcopus ad honorem Dei et eccleſiae “ cui praeerat decorem, in Archiepiſcopatu geſſit utilia.” Cum annos ſediſſet 27, grandaevus jam, Loudae in morbum incidit lethalem, et morti ſe vicinum ſentiens, multos ad ſe Abbates, Priores ac religioſos (ut vocant) accerſivit. Ex quorum conſilio, pecuniam ingentem tradidit eveſtigio, fideique commiſit Antiſtitum Angliae ac Normanniae, ad pauperum ſuſtentationem, aut alios pios uſus diſtribuendam: Archiepiſcopo, nimirum Cantuarienſi quingentas libras, Rothomagenſi quingentas et Rhemenſi totidem, et ſingulis fere dictarum provinciarum Epiſcopis nonnihil. Quod cum feciſſet, Eboracum ſe deportari curavit (ut Hovedenus) Sherborniam ut alii, ibique decedens viceſimo ſecundo Novembris 1181[l], per Hugonem Epiſcopum Dunelmenſem exequiis celebratis, in chori meditullio à ſe conſtructi honorifice tumulatus eſt. “ Hic adhuc vivens “ (inquit Pariſienſis[m]) à Papa Alexandro privilegium impetraverat, ut ſi “ clericus ſuae juriſdictioni ſuppoſitus, agens in extremis, teſtamentum “ conficeret, et propriis manibus bona ſua moriens non diſtribueret, Ar- “ chiepiſcopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti. Et “ quoniam quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, uti debet eodem: “ Poſt mortem Archiepiſcopi, quaecunque reperta ſunt in theſauris ejus, “ juſto ſunt Dei judicio confiſcata. Quorum ſumma fuit pecuniae nume- “ ratae undecim millia librarum argenti, et auri 300,” praeter auri ac argenti coelati copiam permagnam. Per totum decennium, poſt mortem ejus ſedes vacavit.

◆◆◆

XXXII. GALFRIDUS PLANTAGENET.

ECCLESIA Lincolnienſi per mortem Roberti de Querceto vacante 1191. anno 1167, Henricus ſecundus Rex filium ſuum nothum Galfri- Ric. 1. 3. dum, tenerum adoleſcentulum, ſed rectae indolis et modeſtum, Lincolnienſem jamdudum Archidiaconum, in Epiſcopum ejuſdem eccleſiae à Canonicis eligendum curavit. Ille vero fructibus opulentiſſimi praeſulatus contentus, conſecratione abſtinuit, utpote oves tondendi magis gnarus quam paſcendi. Ita cùm [per] ſeptem annorum ſpatium huic ſedi incubaſſet; electioni ſuae ſponte renunciavit, patre jubente (quod ſecum eum vellet permanere, ut quidam; vel quod eccleſiaſtico ordini parum idoneum exiſtimaret, ut alii[n]) qui mox eum Cancellarium Angliae conſtituit. Id muneris, quanquam multum adhuc juvenis, octo per annos, non ſine aequitatis et prudentiae laude adminiſtravit, ad annum videlicet 1189, quo tempore pater ejus defunctus eſt. Preſulatus per Angliam plurimi ea tempeſtate jam diu vacaverant, ac Eboracenſis inprimis, jam per totum decennium. Richardus igitur Rex novus, ut una fidelia duos parietes dealbaret, hoc eſt ut Eboracenſes placaret, tam diuturnam vacationem jamdudum graviter ferentes, et fratri ſimul proſpiceret, cui res adhuc ſatis erat tenuis; literis ad Canonicos Eboracenſes perſcriptis; aegrè quidem, ſed tandem impetrat ab eis, in Archiepiſcopum illum electum renunciari. Conſecratus[o] eſt Turonae, à Gulielmo illius ſedis Archiepiſcopo, menſe Auguſti 1191. Tum, quanquam fratri Regi in Palaeſtinam ad Mahometanos debellandos proficiſcenti, juramento confirmaverat, in Angliam ante exactum triennium ſe non rediturum; ſtatim tamen ad ſedem ſuam properavit, Doveriamque appellens[p], à miniſtris Gulielmi Elienſis Epiſcopi (quem quaſi Proregem diſcedens Richardus reliquerat) ab ipſo altari eccleſiae ſancti Martini abreptus, in carcerem conjectus eſt, impedimentis prius direptis, et rebus omnibus quas ſecum attulerat ſpoliatus[q]. Audiamus jam pauliſper Neubrigenſem. "Hujus enormitatis " fama (inquit ille[r]) diſcurrens, et quaſi gradiens ſuper pennas ventorum, " in brevi Angliam replevit. Majores in Elienſem Cancellarium fremunt; " minores eidem mala imprecantur; univerſi votis communibus tyran" num deteſtantur. Joannes maxime de fratris captivitate doluit, atque " ad ejus non tantum liberationem, ſed etiam ultionem juſtiſſimo motu " exarſit. Itaque feſtinanter congregatis ex omni terra ditionis ſuae, nec" non ex Wallia, ingentibus copiis, praeparabat exercitum. Cui mox ac" ceſſere Wintonienſis Epiſcopus et Barones plurimi, Comiteſque nonnulli " cum militia copioſa. Nec defuere Epiſcopus Bathenſis et Ceſtrenſis, " qui paulo ante principales Cancellarii complices et fautores extiterant. " Sed tyrannicis ejus moribus et immoderato faſtu offenſi; cum caeteris, " imo et prae caeteris in eum tunc linguis ſimul et animis ſaeviebant. " Poenitudine igitur ſtimulatus, quod tantam contra ſe flammam petu" lanti auſu accenderit; praecepit captivum relaxari Pontificem. Qui " dimiſſus venit Londonias, et illatae dolorem injuriae, abundantioribus " multorum affectibus atque officiis compenſavit." Provinciam ſibi demandatam, praeter ſpem plurimorum rexit praeclarè, ſi non, tanquam tantorum natalium ſplendore inflatus, animoſius paulo quam par erat. Gravitatis certe et temperantiae magnam laudem retulit. Richardo regnante, multae lites ac contentiones inter eum ac Canonicos ſuos jactatae ſunt[s], qui contra illum ad Pontificem et Regem querelas crebras deferre neutiquam ceſſarunt. Cum Joanne rege (fratre itidem ſuo) malè illi conveniebat, qui regni ſui anno ſecundo, non ſolum Archiepiſcopatus fructus omnes fiſco ſuo juſſit inferri, ſed et bona ejus mobilia cuncta[t]. Quod mandatum cum Vicecomes Eboracenſis fuiſſet exequutus; et ipſum Galfridus excommunicavit, et eos etiam in univerſum omnes qui illi fuiſſent in eo negotio adjutores, quique Regem ad iracundiam contra ſe extimulaſſent. Moleſtationis hujus cauſa ab aliis atque aliis aliter atque aliter traditur. Dicunt nonnulli miniſtros Regios ab illo impeditos ne vectigal neſcio quod inuſitatum colligerent. Alii, in Galliam trajicientem Regem ut nuptias nepti cuidam ſuae conciliaret et foedus cum Gallo percuteret; concomitari eum Archiepiſcopum vocatum recuſaſſe. Ut ut fuerit, hoc certe conſtat, per annum integrum redditus Archiepiſcopales detentos, mobilia bona nunquam reſtituta, et tamen neceſſum eum habuiſſe mille libras numerare, priuſquam ad temporalia ſua reditus illi concederetur. Gravius fuit hoc vulnus, quam ut brevi tempore cicatricem obduceret. Quare anno poſt ſeptimo recruduit. In concilio Wintoniae congregato, petiit Rex in bellicas neceſſitates ſubſidium, nempe ſolidum decimum tertium omnium bonorum mobilium per totam Angliam. Huic petitioni nemo eſt adverſatus, praeter unum Eboracenſem, Regis ipſius fratrem. Sive hinc ita fratrem offenſum exiſtimans, ut reconciliationi locum non putaret relictum; ſive gravioris alicujus delicti ſibi ipſi conſcius; in exilium mox ſponte profugit[u] (omnibus prius excommunicatis, qui per ſuam ditionem, ſubſidium antedictum perſolverent) ibique quinquennium tranſegit donec ad coeleſtem patriam anno[x] 1213 eſt avocatus. Archiepiſcopus huic praefuit eccleſiae annos ferme 22.

---

[l] *Hoved.* f. 350. b. Obiit 6 Kal. Dec. 1181. *Stubbs.* 12 Kal. Dec. *Par.*—A°. 1182. *Trivet.*

[m] P. 116.

[n] *Hoved.* f. 349.

---

[o] Natus eſt anno 1159, et electus Epiſcopus Lincolnienſis 1182; nondum verò conſecratus electus eſt in Archiep. Eborac. A°. 1190. *Paris.*——17 Kal. Oct. 1189. *Gerv. Chron. Hoved.* f. 375. b.——Juſſu Papae conſecratus eſt Turonae 15 Kal. Sept. 1191. à Bartholomaeo Archiepiſcopo, ſex ſuffraganeis aſſiſtentibus. *Dicetenſis. Neubrigen.* et *Hoved.* f. 399.

[p] Revertitur Sept. 14. In carcerem conjectus eſt Sept. 19. Liberatus Londoniam venit, Sept. 26. *Dicetenſ. Hoved.* et *Weſtmon.*

[r] P. 367.

[s] *Hoved.* f. 416, &c.

[t] *Id.* f. 461.

◆ ◆ ◆

XXXIII. WALTERUS GRAY.

VACAVIT tum ſedes poſt mortem Galfridi annos quatuor[y]. Interea vero Simon Langtonus, Stephani Cantuarienſis Antiſtitis frater, electione Capitulari Archiepiſcopus Eboracenſis renunciatus eſt, cum paulo ante Stephanus praefatus à Papa fuiſſet ab executione muneris Pontificalis ſuſpenſus, quod ſeditioſorum procerum partibus ſe addixiſſet, et una cum illis res novas fuiſſet molitus[z]. Quod fratris crimen in cauſa fuit ut praeſulatu ipſe excideret. *Caſſata igitur electione praedicta* (ſic Pariſienſis[a]) *D. Papa Canonicis praecepit, ut ſtatim in electione procederent; ſin minus, ipſe eis Paſtorem provideret idoneum. Tunc Canonici* (*ſicut prius promiſſum fuerat*) *poſtulaverunt Walterum de Gray Epiſcopum Wigornienſem* (quem antea rejecerant, literarum inſcitiam cauſati, quamvis certum ſit Oxoniae literarum ſtudio operam dediſſe aliquando) *propter carnis munditiam* (*ut aſſerebant*) *ut qui ab utero matris virgo permanſerat uſque in praeſentem diem.* Quod ut magnum ea tempeſtate prodigium habitum intelligas; *Ad hoc* dicitur *Papa reſpondiſſe, per S. Petrum virginitas magna virtus eſt, et nos eum damus vobis. Itaque accepto pallio*[b], *Epiſcopus memoratus rediit in Angliam, obligatus in curia Romana de decem millibus librarum eſterlingorum.* Quam pecuniam ut corraderet, et aes alienum inde contractum aliquando poſſet exoluere, parſimoniam per totum vitae curriculum ita coluit, ut tanquam ſordidus et avarus apud hiſtoricos noſtros peſſime audiat. In cujus rei probationem, placet hanc tibi ex dicto Pariſienſi exhiberi hiſtoriam (ſi non fabellam potius dixeris) mirandam certe potius quam credendam. Hoc anno (inquit ille) id eſt 1234, “qui tertius erat ſterilium, exitialis mortalitas crudeliter ubique “ ſaeviebat et fames; quae peſtilentiae, tam exigentibus peccatis, quam “ ex praecedente aëris intemperie et agrorum generali ſterilitate abſque “ dubio provenerunt. Pauperes vero in diverſis locis ob inediam tabeſcentes moriebantur, non invenientes Samaritanum qui eos ſtabulario com- “ mitteret reficiendos, vel vulnera leniret oleo conſolationis. Eleëmoſyna

* 1215. Joan. 17.

---

[u] A°. 1207. *Weſtmon.* [x] Obiit apud Groſmunt in Normannia 18 Dec. 1212. [y] A decimo octavo Decembris 1212 ad undecimum Novembris 1215. Eo enim die incipiunt anni pontificatus, ut patet ex rotulo ſuo majori in eccleſia Eborac. adhuc aſſervato. *Drake Hiſt. Eccl. Ebor.* ——— Decimo quarto Maii 1216 Papa Innocentius reſcribit Gualtero Ebor. Archiepiſcopo. Dat. Viterbii. Extat Litera in Regiſtr. Ebor. f. 17, 18. *MS. Jeſ.* [z] *Weſtmon.* A°. 1215. [a] P. 230. [b] Hoc fit anno 1215. vid. *M. Par.* p. 230.

“quidem (quae etiam divitias augere ſolet) ubique deſerta languebat, dum divites qui in omnibus bonis abundabant temporalibus, tanta caecitate percuſſi ſunt, quod homines Chriſtianos, ad imaginem Dei creatos, mori prae alimentorum inopia permittebant. Coeci quidem fuerunt, qui non ex dono Dei, ſed propria induſtria jactant ſe divitias acquiſiviſſe. Etſi hoc turpe fuit omnibus generaliter Chriſtianis, turpiſſimum tamen extitit Epiſcopis et eccleſiarum praelatis. Unde inter primos ex vitio avaritiae notabiles, Walterum Eboracenſem Archiepiſcopum pono caeteris in exemplum. Ad quem cum veniſſent plurimorum manneriorum praepoſiti pariter et miniſtri, oſtendentes quod in locis diverſis multum habuerit bladum, quinquennali jam tempore inveteratum, quod nimis habebant ſuſpectum, ut vel à muribus eſſet corroſum, vel corruptione aliqua putrefactum. Archiepiſcopus autem, non habens in tanta neceſſitate nec ad Dominum nec ad pauperes reſpectum; praecepit miniſtris ſuis ac praepoſitis, ut traderent frumentum vetus ruſticis de Manneriis ſuis, qui pro veteri novum ſibi redderent poſt autumnum. Contigit ergo cum praepoſitus ejuſdem Archiepiſcopi in villa de Ripun bladum circuiret, et extra horrea poſitum illud trituraret; apparuerunt ubique in garbis, capita vermium, ſerpentium ſcilicet, colubrorum et buſonum terribilium: Unde miniſtri qui cum praepoſito ad hoc ſpectaculum convenerant, fugientes, timuerunt, ne à vermibus laederentur. Cumque omnia Archiepiſcopo fuerant intimata, miſit ſeneſchallos ſuos, nimio rubore confuſus, ut viderent quid inde conſultius eſſet faciendum. At illi venientes ad locum, non obſtante vermium multitudine, ſcalas applicaverunt ad bladum, et ruſticos quoſdam compulerunt ut aſcenderent et frumentum detegerent. Qui cum ad ſummitatem perveniſſent, exivit de blado fumus nigerrimus et foetor quidam infernalis et intolerabilis. Unde cum feſtinatione deſcendentes, ut periculum mortis evaderent, teſtificati ſunt ſe nunquam antea talem ſenſiſſe foetorem. Vocem etiam audierunt ſibi dicentem, ne ad bladum manus apponerent, quia Archiepiſcopus et omnia quae habebat, Diaboli poſſeſſio erat. Videns autem Seneſchallus et alii qui cum illo erant, ex vermium multitudine grave periculum imminere; fecerunt murum altum in circuitu bladi, et ignem adhibentes in gyrum, omnia combuſſerunt ne vermes exeuntes totam adjacentem inficerent regionem.” Haec utcunque Pariſienſis ibi loci; alibi certe virum eum vocat *magni conſilii et profundi pectoris:* et Weſtmonaſterienſis[c] hominem fuiſſe teſtatur prudentiſſimum, rerum gerendarum apprime peritum et Principi ſuo fideliſſimum: Cujus rei non leve eſt indicium, quod anno 1253 Alienora Regina, cui Rex in Galliam trajiciens regnum commiſerat gubernandum, ad maritum transfretatura, huic vicem ſuam tradidit, jam grandaevo, et propter ſenium valetudinemque tanti muneris pondus non niſi gravate ſuſcipienti[d]. Sedit annos ferme quadraginta quo temporis ſpacio, multa fecit ad ornatum et amplificationem, tam ſedis ſuae quam eccleſiae Cathedralis. Mannerium de Thorp, pretio comparatum, eccleſiae ſuae ſpecie tenus donavit, re vero ipſa ſedi Archiepiſcopali; ea ſiquidem lege conceſſum, ut Archiepiſcopi ſemper tanquam ſuo uterentur, nec quicquam inde fructus Canonici perciperent niſi ſede vacante.

---

[c] Ad A. 1242.

[d] Literae Pat. pro adminiſtratione et gubernatione Regni datae apud Porteſmue 5 Maii A. D. 1242. *Rym. Foed.* T. 1. p. 400.

Quod eo conſilio factum referunt, ut ſi (quod ſaepe uſuvenit) temporalia ſedis Rex eriperet, tamen in hoc Mannerium nihil ei juris eſſet. Qui pro ſe defuncto miſſificarent, ſacerdotibus multis paſſim ſtipendia aſſignavit. Capas 32 pretioſiſſimas dedit eccleſiae ſuae; et ſucceſſoribus reliquit magnam vim pecorum jumentorumque (à Rege illius donationis confirmatione impetrata) ea lege utendam, ut eundem numerum unuſquiſque ſucceſſori itidem ſuo exhibere teneretur. Aedes deinde Weſtmonaſterii quas Hubertus de Burgo Cantiae Comes à ſe conſtructas Dominicanis contulit, à Dominicanis emptas ſucceſſoribus ſuis reliquit, vulgo idcirco nuncupatas YORK PLACE, id eſt, hoſpitium Eboracenſe, donec à Wolſaeo Cardinali jam ruente extorſit Henricus octavus et auxit adeo ornavitque, ut jam inter praecipuas Regiarum cenſeatur[e]. Dum Londini Parliamento intereſſet Walterus Archiepiſcopus antedictus, *cerebrum habens pro quotidianis jejuniis et ſollicitudinibus infirmatum* (ſic loquitur Weſtmonaſterienſis[f]) *ita ut amiſſo penitus comedendi appetitu, ſupra modum debilitaretur; ad Fulnham Mannerium Epiſcopi Londinenſis divertit, ubi tertia die poſt adventum ſuum foeliciter expiravit. Hic quadraginta annis eccleſiam ſuam ſtrenue rexit, exceptis tribus menſibus et tribus ſeptimanis, et ſic circa Calendas Maii 1255, viam univerſae carnis ingreſſus eſt*[g]. Cujus corpus (Waltero Dunelmenſi Epiſcopo exequias celebrante) in eccleſia ſua, magna cum funeris pompa, tumulatum eſt.

* * *

XXXIV. SEWALLUS.

1256. Hen. 3. 40.

CANONICI Eboracenſes defuncto Graio, legitima electione Archiepiſcopum renunciarunt Sewallum[h], eccleſiae ſuae Decanum, qui in Academia Oxonienſi educatus, animum ſuapte natura conſtantiſſimum ac tamen modeſtiſſimum, bonarum artium ſcientia non mediocri excoluerat, ac Theologiae inprimis atque juris peritiae, quod ſcripta quae reliquit monumenta teſtantur à Balaeo enumerata. *Rex* (inquit Pariſienſis[i]) *in quantum potuit electionem ejus fecit differri et impediri, ut diutius et liberius bona diriperet Archiepiſcopatus. Ait enim, nunquam illum Archiepiſcopatum antea in manu tenui; ideo cavendum eſt ne nimis cito elabatur.* [k] *Quare, eo quod dictus Decanus non fuit de legitimo matrimonio procreatus, poſtulationem de ipſo factam quibuſdam frivolis exceptionibus nitebatur impedire.* Obice hujuſmodi per diſpenſationem Romae petitam ſublato, à ſuffraganeis ſuis conſecratus eſt Julii viceſimo tertio 1256[l]. Decanatum ſic vacantem, Alexander quartus Papa, Sewallo inconſulto, Jordano cuidam contulit, homini Italo et Anglici ſermonis penitus ignaro: Cujus rei hiſtoriam narrabit ſuis verbis Pariſienſis[m]. "Venerunt iis temporibus quidam ignoti in eccleſiam Eboracenſem, in hora
" dum diſcumberent homines ſoli menſae intendentes, et clanculo intrantes, inquiſiverunt à quodam ibidem orante, quodnam eſſet ſtallum
" Decani. Et reſponſum eſt, hoc, demonſtrato ſtallo Decani. Duo igitur
" tertio (quem inſtallarunt) dixerunt, *Frater nos te authoritate Papali*

---

[e] Fortuito verò igne penitus conſumptum Aº. 1697. [f] Aº. 1255. [g] Ita *Pariſienſis*. p. 778. [h] Sewallus de Bowill electus fuit Archiepiſcopus Eboracenſis ante Kal. Oct. 1255. Vide *Regiſtr. Walt. Gifford.* Archiep. Ebor. f 108. [i] P. 784. [k] P. 786. [l] Conſecratus anno 1256. *Weſtmon.* in A. 1256. [m] P. 803.

“ *inſtallamus.* Quod cum cognoviſſet Archiepiſcopus Sewallus, noviter
“ creatus, et quandoque illius eccleſiae Decanus, doluit inconſolabiliter de
“ tali fraude perpetrata; et factum illud ſubdolum, quantum in ſe potuit,
“ irritavit. Fraudulenti tandem Romani curiam, de qua venerant, adeuntes;
“ illum bonum virum et modeſtum Archiepiſcopum interdici fecerunt,
“ et damnis et laboribus immenſis fatigarunt. Quae omnia ſanctus
“ praeſul ſuſtinuit in patientia, etſi immineret ei evidenter tribulatio,
“ quam magiſter, ejus amicus quondam et ſocius, S. Edmundus, praedixerat
“ futuram. Haec autem fraudulenta praeſumptio, omnes Canonicos
“ ita reddidit attonitos, ut quid agendum fuerit, penitus ignorarent: Abſurdum
“ namque, et ab omni ratione diſſonum, imo deteſtabile eis merito
“ videbatur, tam nobilem Praebendam, tam arduum officium, deſpicabili
“ ac ignoto ſic intruſo, conferri permittere, ut in tam nobili eccleſia
“ fieret talis et taliter ſuo Archiepiſcopo ſecundarius. Authoritatem tyrannicam
“ D. Papae (cui ſe Rex totum inclinavit, et ut aptius dicam
“ incurvavit) vehementer formidabant.”

Periculo hinc facto patientiae Anglicanae, et rebus non peſſime ſuccedentibus, ad majora Pontifex exurgens; emiſſo mandato, auſus eſt, beneficia eccleſiaſtica trecentena per Angliae regnum proximè vacatura, Italis quibuſdam ſuis à ſe nominatis conferri imperare; quos, (ut eventu patuit) juvenes plerunque laſcivos ac petulantes, Anglicique ſermonis prorſus ignaros, Sewallus admittere per dioeceſin ſuam pertinaciſſime recuſavit. Quare Jordanus poſt multas diſceptationes, centum marcarum penſione ſibi aſſignata, Decanatum ejuravit. Papa vero hinc adeo non placatus eſt, ut Sewallo jamdudum ſuſpenſo, crucem contumelioſe juſſerit *auferri, quam conſuevit clericus primus ante ipſum bajulare. Renuit tamen adhuc* (Pariſienſis ſunt verba) *genua flectere Baali, et indignis barbaris opima beneficia eccleſiae ſuae, quaſi margaritas porcis, imo ſpurcis diſtribuere.*
“ Poſtea igitur (audi iterum Pariſienſem [n]) aggravavit manum ſuam D.
“ Papa in Archiepiſcopum, juſſitque eum ignominioſe nimis in tota Anglia
“ excommunicari, accenſis candelis et pulſatis campanis, ut tali
“ terrore ac tanto, conſtantiam ſuam enervaret. Ipſe tamen Archiepiſcopus
“ exemplo B. Thomae, et exemplo ac doctrina B. Edmundi quondam
“ magiſtri ſui informatus, necnon et B. Roberti Epiſcopi Lincolnienſis
“ fidelitate eruditus, de ſolatio coelitus mittendo minime deſperavit;
“ omnem Papalem tyrannidem patienter ſuſtinendo. Nec opimos eccleſiae
“ ſuae redditus Tranſalpinis indignis et incognitis conferre volebat;
“ nec curavit voluntati Papali, relicto juris rigore, muliebriter obedire vel
“ inclinari. Quapropter, quanto magis praecipiente Papa maledicebatur,
“ tanto plus à populo benedicebatur, tacite tamen propter metum Romanorum.”
“ Poſt pauca deinde folia, ſubjicit quae ſequuntur [o]. “ Circa
“ feſtum Aſcenſionis anni 1258 [p], Archiepiſcopus praedictus ut cum Domino
“ aſcenderet, et de carcere mundi ad coelum aſcendens avolaret;
“ dum conſtanter contra Romanae curiae tyrannidem, quoad poterat,
“ pro eccleſia ſua viriliter dimicavit, multis tribulationibus laceſſitus, pro
“ iſta vita mundana regnum coelorum (ut veraciter creditur) ſuis laureatus
“ meritis commutavit. Iſte vero *Sewallus*, Beati *Edmundi* ſequens
“ veſtigia pedetentim, utpote ipſius in ſcholis auditor, diſcipulus et conſcholaris,
“ ipſi nitebatur prorſus foeliciter aſſimilari, et in moribus

---

[n] P. 820.
[o] P. 831.
[p] A. 1257. *Wikes.* 1258. *Chron. Petrob. M. Par.* Ob. 10 Maii 1258. *Stubbs.*

“ conformari. Nec cenſeo praetereundum, quod huic ſuo chariſſimo B. *Edmundus* Lector in Theologia *Oxoniali*, dicere conſuevit diſcipulo ſpeciali; O SEWALE, SEWALE, *Martyr ab hoc ſeculo tranſmigrabis, ferro, vel ſaltem gravibus et inſuperabilibus in mundo tribulationibus impetitus et trucidatus. Veruntamen ſit tibi conſolator, qui ſuo Pſalmographo inſpiravit, dicens*; Multae tribulationes juſtorum, de quibus quandoque omnibus liberabit eos Dominus. Conſtat autem profecto, multos à ſeculo martyres, ſine ſanguinis effuſione (ut beatum Joannem Evangeliſtam et multos alios) tranſmigraſſe.

“ Hic quoque ſanctus Archiepiſcopus, cum mortem ſuam indubitanter, ut tranſiret ab hoc mundo praeſenſiſſet; erigens ſe junctis manibus, et in coelum vultum intendens lachrymans, ait: *Domine Jeſu Chriſte, judicum juſtiſſime, novit infallibile examen tuum, quàm Papa, quem ſupra eccleſiam tuam conſtitui permiſiſti gubernandam, meam multipliciter fatigavit innocentiam, pro eo, ut Deus ſcit, et mundus non ignorat, quod indignos prorſus et ignotos nolui admittere ad regimen eccleſiarum, mihi, licet indigno, à te commiſſarum. Veruntamen ne ex contemptu, Papalis ſententia, quamvis injuſta, fiat juſta; humiliter poſtulo abſolvi, talibus vinculis irretitus. Sed ante ſummum et incorruptibilem judicem, Papam ipſum appello: Et erunt mihi teſtes coelum et terra, quam injuſte impetivit me, et laceſſitum multipliciter ſcandalizavit.* In amaritudine igitur animae ſcripſit Papae exemplo *Roberti Lincolnienſis* Epiſcopi provocatus, dolens inconſolabiter quod tam multiformiter ipſum fatigarat, eo quod inexpertos et linguae *Anglicanae* ignaros renuit acceptare, nunc ſuſpendendo, nunc ab eccleſia eliminando, nunc crucem auferendo, nunc palam per regnum horribiliter, invitis excommunicatoribus excommunicando diverſimode famam ſuam, non ſine magnis damnis temporalibus, denigrando. Conqueſtus eſt inſuper graviter, quod impetus quorundam clericorum authoritate Papali protervientium, praecipue magiſtri *Jordani* ad Decanatum hiantis, aegre ſuſtinuerat; ſed patienter, ut probra patris, non ut *Cham* revelando derideret, ſed ut *Sem* abſconderet et velaret. Humiliter igitur in ſcripto ſuo, et inſtanter, ſicut memoratus Epiſcopus *Lincolnienſis Robertus* fecerat, petiit, ut conſuetas tyrannides temperaret, humilitatem ſanctorum praedeceſſorum ſequendo. Dixit enim Dominus Petro, *paſce oves meas*, non tonde, non excoria, non eviſcera, vel devorando conſume. Sed D. Papa ſubſannans et contemnens, indignationem concepit non minimam, eo quod in tantam temeritatem et praeſumptionem proruperunt, ut D. Papam auderent quomodolibet ſollicitare, et tam Archiepiſcopi *Sewali*, quam dicti *Roberti Lincolnienſis* ſalubribus monitis renuit inclinari.” Subjungit deinde miraculum, de aqua ab eo in vinum commutata quo tempore lethali morbo decumberet, cujus rei fides penes authorem eſto, qui ea tempeſtate vivens, vix integro biennio Sewallo fuit ſuperſtes. Sedit ille tantundem temporis; eoque ſpatio multa in eccleſia utiliter ordinavit. Miniſtrorum S. Sepulchri ſtipendia auxit, et Canonicos eos appellari ordinavit: Eccleſiis appropriatis non paucis vicarios aſſignavit; multaque alia praeſtitit memoria non indigna, plura etiamnum praeſtiturus, ſi per Papae tyrannidem ipſi licuiſſet. In eccleſia ſua ſepultus eſt, ad tumulum ejus populo magno numero quotidie confluente, à quo inter Divos numeratus eſt, utcunque Pontifex infenſus hunc ipſi honorem inviderit.

XXXV. Godfridus de Kinton.

1258. Hen. 3. 43. A pontifice Romano his temporibus ordinatum eſt, ut novus quilibet Archiepiſcopus Romam ipſe proficiſceretur pallium impetraturus. Quare Godfridus de Kinton Eboracenſis Decanus (à nonnullis Godfridus de Ludham appellatus) in Archiepiſcopum legitime electus, Romam itinere ſuſcepto, ibi conſecratus eſt viceſimo tertio Septembris 1258[q]. Hic, neſcio quam ob cauſam, civitatem ſuam Eboracenſem ſacris interdixit ſub initium Quadrageſimae, neque interdictam relaxavit ad tertium uſque menſis Maii ſequentis[r]. Sedit annos ſex, menſes tres, dies octodecim, et circa feſtum Epiphaniae defunctus 1264[s], in eccleſia ſua ſepultus eſt.

XXXVI. Walterus Giffard.

1265. Hen. 3. 49. Godfrido in ſucceſſorem electus eſt Gulielmus de Langton Eboracenſis Decanus. Qui Romam profectus (credo, quod nummis ſatis inſtructus non venerit) rejectus eſt à Papa[t], et Walterus Giffard Bathonenſis ac Wellenſis Epiſcopus huc tranſlatus. Papae fuerat Capellanus, et Canonicus Wellenſis, Angliae primum Theſaurarius, ac poſt Cancellarius[u], ad ſedem Bathonenſem electus Maii viceſimo ſecundo 1264, unde ad hunc praeſulatum migravit, confirmatus decimo quinto Octobris 1265; quem cum tenuiſſet annos tredecim et menſes ſex diem clauſit extremum Aprilis viceſimo quinto 1279[x], et in eccleſia ſua eſt tumulatus.

XXXVII. Gulielmus Wickwane.

1279. Edw. 1. 7. Abs re hic non fuerit commemoraſſe, Onuphrium Panvinum, necnon et Ciaconium authores eſſe, Sanctum Bonaventuram[y] (quem Bonaventuram Fidanzam appellant) ex Archiepiſcopo Eboracenſi Cardinalem creatum anno 1274. Paulus vero Aemylius, in hiſtoria quam de geſtis Francorum conſcripſit, dicit, Thomam Aquinatem, Theologiam Neapoli profitentem, à Pontifice accerſitum, ut cum Graecis quibuſdam diſceptaret, de iis rebus in quibus ab eccleſia Romana diſſidebant; vita vero defunctum in itinere, tunc autem Bonaventuram ipſi ſubſtitutum; et ne fraterculi tenuitatem Graeculi contemnerent, oblatum illi à Papa

---

[q] Ita *Stubbeſius* in vita; dies verò non fuit Dominica, ſed dies Lunae, anno 1258. Error forſan IX pro X Kalend. Octobris. *Pariſienſis* verò p. 839 conſecratum eſſe dicit circa Nativitatem.

[r] *Chron. Petrob.*

[s] Jan. 12. 1264. *Stubbs.*

[t] Caſſata electione Gulielmi, Papa contulit Archiepiſcopatum Eboracenſem cuidam Fratri de ordine Minorum dicto Bonaventure, qui timens pelli ſuae &c, Papae ſano ductus conſilio reſignavit. *Wikes.* p. 74.

[u] Cancellarius 49 H. 3. *Dugd. Catal.* Conſtabularius Turris Londini 1 E. 1. ſeptimo Novembris. Cui ſucceſſit J. Nevill 5 Mar. *Pat.* 1 E. 1. m. 9. Unus è Regentibus Regni abſente Rege. *Clauſ.* 1 E. 1. m. 5. Iterum 8 Mar. 1270. *Clauſ.* 1 E. 1. m. 8.

[x] De die et anno obitus adhuc ambigitur; *Godwinus* diem viceſimum quintum Aprilis anni 1279 aſſignat; viceſimum nonum Aprilis 1277, anno ſc. Pontificatus 12, *Stubbs.* Obiit in vigilia S. Gregorii (11 Mar.) 1278 ait *Wikes* in Chronico. Et à *Walſinghamo* obiiſſe dicitur A°. 1280. p. 9. Si verò Chartis et aliis publicis inſtrumentis in Turre Lond. aſſervatis fides ſit adhibenda; defunctum eſſe 27 Apr. 1278 conſtat, ex *Eſcb.* 6 E. 1. n. 103. *MS. Anſtis.*

[y] Vide Not. poſtr.

Archiepiſcopatum Eboracenſem. Cumque tantum oneris in ſe ſuſcipere gravaretur, Cardinalem creatum. Fieri non poteſt ut horum utrumvis verum ſit. Haec namque ſedes per annos novem illud tempus praecedentes, ac poſtea per quinquennium à Giffardo pacifice poſſeſſa eſt. Hunc igitur ut relinquamus; demortuo Giffardo, electione legitima [z] Archiepiſcopus deſignatur ab Eboracenſibus Canonicis Gulielmus Wickwane [a], qui è ſuo gremio deſumptus, illius eccleſiae fuit Cancellarius, et more jam recepto Romam proficiſcens, ibi conſecrationem [b] accepit. *Cumque reverſus applicaſſet in Angliam* (audis jam Chronici Oſneïenſis authorem) *et per provinciam Cantuarienſem erecta cruce* (*quam ante ſe more praedeceſſorum fecerat deportari pompatice*) *pertranſiret: Quidam de familia D. Cantuarienſis crucem ipſam de manibus bajuli violentis auſibus abſtulerunt, ipſamque minutatim in fruſta confregerunt. Hic* (ut habet ex Brigamo Balaeus [c]) *natalium ſplendore illuſtris, ita omni virtutum et literarum genere ſe exercuit, ut ingentem ſui nominis in Anglia late famam ſparſerit. Opus quoddam reliquit* (*Memoriale appellatum*) *variis doctrinarum generibus refertum.* Praefuit annos ſex et nulla re memorabili perpetrata (niſi hoc memoria dignum arbitreris, quod Divi Gulielmi anteceſſoris ſui oſſa ad locum honoratiorem tranſtulit, et feretro indidit pretioſiſſimo [d], Rege praeſente, Regina, atque Epiſcopis aliis duodecim) praeſulatu ſponte abdicato, in Galliam diſceſſit, et Pontiniaci morbo correptus, ibi loci defunctus ac ſepultus eſt, Auguſti viceſimo ſeptimo [e] 1285. Ab illius regionis popularibus vir ſanctiſſimus habitus eſt, credentibus miracula non pauca ad tumulum ejus patrata.

XXXVIII. JOANNES ROMANUS.

OCTOBRIS 28 ſequenti, Joannes, qui, quod patrem habuerit Romae 1285.
oriundum (Joannem nempe Eboracenſis eccleſiae Theſaurarium) EDW. I. 14.
Romanus nuncupatus eſt; cum eccleſiae praefatae exiſteret Praecentor [f], et Lincolnienſis Cancellarius, in Archiepiſcopum electus, et paulo poſtea Romae conſecratus eſt [g]. Vir ſapiens et animoſus, *doctrina etiam et integritate vitae* (ſi Polydoro credimus) *clariſſimus.* Hic in eccleſia ſua ſepti tranſverſi partem Septentrionalem, quae nimirum palatium ſpectat Archiepiſcopale, ſuis ſumptibus conſtruxit; necnon campanile quod in medio ejuſdem ſepti conſurgit. In Hoſpitali quoque D. Petri [h] non pauca aedificavit: Et fundamenta jecit navis eccleſiae, quam novam extruere decreverat niſi morte fuiſſet ſublatus intempeſtiva, poſtquam Aprilis ſexto 1290 primum lapidem in Auſtrali parte ejuſdem poſuiſſet. Deceſſit nimirum Burtonae prope Beverleïam Martii decimo quinto [i] 1295, cum paulo plus quam decennium ſediſſet. Anno mortem [ejus] praecedente, Epiſcopum Dunelmenſem Antonium Beck, Conſiliarium Regium excommunicavit [k], negotia Regia apud Imperatorem procurantem. Qua re vehementer

---

[z] Waltero Archiepiſcopo defuncto, Decanus et Capitulum licentiam habent eligendi 7 Maii. *Pat.* 7 E. 1. m. 16.

[a] Rex adhibuit aſſenſum electioni de Willelmo Cancellario Ebor. in Archiepiſcopum 4 Julii. *Pat.* 7 E. 1. m. 14. Et reſtituit Temporalia 28 Oct. *Pat.* 7 E. 1. m. 5.

[b] Sept. 19. 1279. *Stubbs.*

[c] Cent. 10. p. 43.

[d] *Stubbs.*

[e] Viceſimo ſexto. *Stubbs.*

[f] Praecentor Eccl. Lincolnienſis, non Eborac. *Regiſtr. Wickham.*

[g] Febr. 10. 1285. *Stubbs.*—Regium habet aſſenſum 15 Nov. *Pat.* 13 E. 1. m. 3, et Temporalia reſtituta 12 Apr. *Pat.* 14 E. 1.

[h] Poſtea S. Leonardi. *MS. Gale.*

[i] Martii undecimo. *Stubbs.*

[k] Antonius Beck non fuit extra Regnum, cum ab Archiepiſcopo excommunicatus erat, ſed in partibus Borealibus in obſequio Regis ab ipſo latere, ut patet in quodam placito coram Rege in Parliamento apud Nottingham in Termino S. Hilarii anno E. 1. 21°. *Rot.* 23.

Regem commotum audiens; ut eum placaret, clementiae ejus ſe commiſit et quatuor millibus marcarum eam ob cauſam mulctatus eſt. In eccleſia ſua tumulatus eſt quam ſtructuris magnificentiſſimis multum auxerat et amplificaret.

XXXIX. HENRICUS NEWERK.

1298. Edw. 2. 26. MAII ſeptimo ſequenti, Henricus Newerk Decanus Eboracenſis in Archiepiſcopum electus [l], biennio poſtea (Pontifice annuente) in eccleſia ſua conſecratus eſt Junii viceſimo quarto [m] 1298 per Antonium Epiſcopum Dunelmenſem. Annum unicum inaugurationi ſuperſtes, Auguſti decimo quinto 1299 deceſſit [n].

XL. THOMAS CORBRIDGE.

1299. Edw. 1. 28. SUCCESSIT [o] illi Theologus magnus Thomas Corbrigius, Canonicus Eboracenſis, et Cuſtos ſive Praepoſitus capellae S. Sepulchri. Quod munus (cuſtodiam dico capellae antedictae) Papa mox contulit affini cuidam ſuo, qui paulo poſt morbo correptus, et exitum perſpiciens imminere, judicium coepit expaveſcere divinum, eo quod munus ſuſcepiſſet à ſe nullo modo adminiſtrandum, utpote procul degente, et Anglicanae linguae penitus ignaro. Quapropter, Pontificem propinquum ſuum obteſtatus eſt, ut inſigni alicui viro id muneris demandandum curaret, qui ſua diligentia, quod à ſe peccatum fuiſſet reſarciret. Eo igitur defuncto, Archiepiſcopum literis perſcriptis Papa rogavit, ut officium antedictum in praeſtantem aliquem virum conferret, qui Eboraci reſidens, illud ipſe per ſe adminiſtraret. Fecit ille quod imperatum eſt, et Praepoſituram contulit Gilberto Segravio, qui poſtea Epiſcopus Londinenſis evaſit. Acciderat vero interea, ut Rex hunc locum expetierit atque ambierit cuidam Joanni Buſh Secretario ſuo; et cum repulſam ferret aegerrime, neque ullam admitteret excuſationem; iratus Archiepiſcopo eripuit tria manneria, ſedi ſuae pertinentia, neque unquam illo vivente reſtituit. Neque enim diu ſuperfuit. Sive quod mortalium pauci animo tam excelſo et forti praediti ſint, ut oneri non ſuccumbant Regiae majeſtatis offenſae; ſive quod Deo (qui majores colentibus, vitam promittit longaevam et diuturnam) juſtitiae ſuae normae videtur conſentaneum, ut immorigeri et ſuperiorum contemptores morte intereant immatura: Ita certe plerumque uſuvenit, ut praeſules qui principibus ſuis maxime immorigeri extiterunt, raro diurnarint, aut contumaciae ſuae diu ſuperfuerint. Cujus rei plurima producere exempla in promptu eſt. Deceſſit certe Corbrigius Lanhamiae viceſimo ſecundo Septembris 1303 [p]. Paulo ante obitum ejus tribunalia Banci Regii et fiſci (quem Scaccarium appellamus) poſtquam jam per ſeptennium Eboraci fuiſſent Londinum ſunt revocata.

---

[l] Electus 7 Maii 1296. *Stubbs.* Regium habet aſſenſum 5 Jun. *Pat.* 24 E. 1.

[m] *Stubbeſius* ita refert; dies verò non fuit Dominica. Conſecratus verò 17 Kal. Jul. (Jun. 15.) 1298 in Eccleſ. Eboracenſi. *Lib. vacat. Archiep.* f. 16. *MS. Jeſ.* Unde etiam patet in vivis fuiſſe 17 Aug. obiiſſe verò ante 9 Sept. 1299. Temporalia reſtituta fuere 22 Jun. 1 *Pat.* 25 E. 1. m. 2.

[n] Teſtamento legavit pro tribus Capellanis, ſingulis centum ſolidos, ad celebrand. in tribus capellis manneriorum Archiepiſcopatus Eboracenſis, ſc. Cawode, Burton et Wylton; Rex confirmavit 28 Mar. *Pat.* 28 E. 1. m. 7.

[o] Electus Nov. 12. 1299, et Romae conſecratus à Papa 27 Feb. 1299. *Stubbs.* Rex aſſentit electioni 16 Nov. *Pat.* 27 E. 1. m. 2. Temporalia reſtituta ſunt 30 Apr *Pat.* 28 E. 1.

[p] *Stubbs. Weſtmonaſterienſis* verò annum 1305 aſſignat.

XLI.

XLI. GULIELMUS DE GREENFEILD.

1305. Edw. 1. 34. GULIELMUS DE GREENFEILD[q] ſive de viridi campo, Canonicus Eboracenſis, et Angliae ſub Edwardo primo Rege Cancellarius[r], eloquentia et conſilio clarus, ac non indoctus, à capitulo Eboracenſi electus[s] ſtatim poſt Corbrigii deceſſum, confirmationem tamen Archiepiſcopatus non potuit à Pontifice[t] impetrare niſi poſt biennium, idque numeratis ipſi 9500 marcis. Lugduni tandem Clementis quinti manibus conſecratus eſt anno 1305[u]. Pecunia tam grandi emunctus, ad eam tenuitatem redactus eſt, ut Clerum dioeceſis ſuae inopiam ejus oportuerit ſublevare, idque bis, primo ad Eboracum adventus ſui anno. Quod primum ab eis corraſit, benevolam appellavit contributionem; quòd ſecundo, ſubſidium. Templarios ea tempeſtate ubique oppreſſos, ac praecipue à Philippo Gallo et Papa, quantum potuit fovit ac [ſublevavit]. Anno 1311 Concilio Viennenſi interfuit, ubi ſedes ei aſſignata eſt loco Treverenſi Archiepiſcopo proxima. Cum annos ſediſſet decem uno menſe minus, exceſſit è vivis Cawodiae decimo tertio[x] Decembris 1315, et in capella S. Nicolai conditus, in ſua eccleſia jacet ſepultus.

XLII. GULIELMUS DE MELTON.

1317. Hen. 2. 11. SATAGENTE Rege, à Capitulo Eboracenſi tum ſtatim (Januarii nempe viceſimo primo ſequenti) Greenfeldio ſubſtitutus eſt[y] Gulielmus de Melton, Praepoſitus Beverlacenſis et Eboracenſis Canonicus, qui ſucceſſu haud meliori uſus quam anteceſſores, Avenione totum haeſit biennium priuſquam conſecrationem poſſet impetrare; quam tandem obtinuit 25 Septembris 1317. Annos ferme 23 hanc ſedem, idque laudatiſſimè, rexit; magna ſollicitudine, non ſolum publicae adminiſtrationi intentus, ſed etiam morum ſuorum cenſor ſeveriſſimus, omnem curam adhibens, ne à ſe uſpiam ſcandali occaſio oriretur; caſtitate, jejuniis, orationibus, eleëmoſynis, hoſpitalitate et morum gravitate populum ſibi commiſſum inſtruens, et tam exemplo vitae actionumque ſuarum docens, quam verbo et praedicatione erga clientes ſuos (quos tenentes appellamus) admodum fuit benignus, ita [vero] ut eccleſiae ſuae jura non negligeret. Neque tamen propinquos neglexit, quos libenter (ut occaſio tulit) provexit. Inter caeteros, cuidam ex fratre nepoti comparavit manneria de Kingskiln, Kingsclere, et Wentworth, ab Archiepiſcopo Rothomagenſi empta, Joanne viceſimo ſecundo Papa eam emptionem ratam habente. In feretro D. Gulielmi ornando multam impendit pecuniam; et navem eccleſiae (cujus ſtructuram coepiſſe Joannem Romanum memoravimus) ſumptu 700 marcarum abſolvit. Locum etiam appellatum THE OLD BAYLY in civitate Eboracenſi muro circumdedit. Denique poſt diuturnam contentionem inter Decanum eccleſiae ſuae et Capitulum, pacem conciliavit, et ſuam ea de re ordinationem, authoritate Pontificia confirmari curavit, anno nimirum 1328. Deceſſit[z] tandem, ut plurimi, Aprilis 22; ut Stubbeſius, quinto, 1340 Cawodiae, cum ſediſſet ultra ſemeſtre annos 22, et munera ſucceſſive adminiſtraſſet Theſaurarii[a] ac Cancellarii[b] Angliae. Sepultus jacet in navi eccleſiae quam nova ſtructura ornaverat, prope baptiſterium.

---

[q] Natus in Comitatu Cornwall. *Carew Luſtrat.* p. 59.

[r] Adhuc Decanus Ciceſtrenſis Cancellarius fuit nominatus 30 Sept. *Clauſ.* 30 E. 1. m. 5. et magnum habuit Sigillum ſibi traditum die Martis ante feſtum S. Luciae Virginis. *Clauſ.* 30 E. 1. m. 18. *in dorſo.* quo fungitur officio uſque ad 16 Jan. 1305. 1 *Pat.* 33 E. 1. m. 21. *MS. Gale.*

[s] Licentia eligendi conceſſa eſt 19 Oct. *Pat.* 32 E. 1. m. 10. Electus eſt 4 Dec. 1304. *Stubbs.* Regium habet aſſenſum 24 Dec. 1 *Pat.* 33 E. 1, et Temporalia reſtituta 31 Mar. *Pat.* 34 E. 1.

[t] Statim poſt electionem Curiam Romanam petiit, literis Regiis ad Papam datis 31 Dec. 1304. *Rym. Foed.* T. 2. p. 955.

[u] Januarii triceſimo. *Stubbs.*

[x] Sexto Decembris 1315. *Id.* quod ex teſtamento patet; Cantariam in Eccleſia ſua fundavit, et libros omnes Monaſterio S. Albani moriens legavit.

[y] Licentia eligendi conceditur 13 Dec. 1315, et eligitur Gul. de Melton ante 8 Feb. 1 *Pat.* 9 E. 2. viz. 21 Januarii. *Stubbs.*

XLIII. GULIELMUS LE ZOUCH.

1342. Edw. 2. 16. GULIELMUS ZOUCHIUS[c], Decanus Eboracenſis, praenobili Zouchiorum Baronum familiâ (quae etiamnum viget) ut videtur oriundus; quando biennali certamine cum quodam Gulielmo Kilsby [Canonico] pro Archiepiſcopatu contendiſſet, conſecrationem tandem Avenione impetravit à Clemente ſexto Pontifice anno 1342[d]. Anno verò Chriſti 1346 (ſic Walſinghamius[e]) *David Rex Scotiae animatus per inſtigationem Regis Franciae, cum Scotorum exercitu glomeroſo, auſus eſt intrare Angliam; aeſtimans non remanſiſſe in terra, niſi clericos et paſtores. Autumabat enim omnem regni militiam cum caeteris viris defenſoribus exiiſſe regno cum Rege ſuo* (Edwardo tertio qui Galliam tum debellabat.) *Nec utique illi conſtabat de glorioſo triumpho quem Rex Angliae de Rege Franciae reportaverat: Sed progrediens uſque ad Dunelmum, putabat ſe montes poſſe aequare vallibus, et cuncta ad libitum ſibi licere. Sed eum opinio ſua cito fefellit. Nam per Clerum Eboracenſem et paucos laicos, non ſine confuſione maxima, in vigilia S. Lucae devictus et captus eſt cum Gulielmo Duglas et multis aliis nobilibus de regno ſuo, et carcerali cuſtodiae mancipatus. Qui verò dictam (volente Deo) fecêre victoriam, fuerunt D. Guliel. la Zouch Archiepiſcopus Eboracenſis* (adjiciunt etiam alii Epiſcopum Carliolenſem) *cum clero ſuae dioeceſis, D. Guliel. de Umfrevill Comes de Angus, Henricus Percy, Radulphus Neville, Gulielmus Daincourt, et Henricus Scroop, cum exercitu quem collegerant Anglicorum, prout poterant in tanta temporis diſtrictione. Et quamvis pene tota militia Scotiae ibi capta fuerat vel perempta; pauci tamen ibi (Deo laudes) ex Anglicis ceciderunt.* Cujus tam nobilis victoriae laus uni Archiepiſcopo attributa eſt, quod huic Rex diſcedens eam provinciam tradiderat regendam. Structuram hic inchoaverat capellae cujuſdam ab Auſtrali parte eccleſiae ſuae, tumulari cupiens in eadem. Sed aegritudine neſcio qua diuturna contabeſcens, antequam opus ad umbilicum poſſet perducere, ſublatus (Auguſti nimirum octavo[f] 1352) ante altare S. Edmundi humatus eſt.

---

[z] Obitus ſingulis annis in perpetuum quarto die menſis Aprilis, necnon fratrum, ſororum, parentum, benefactorum et omnium fidelium defunctorum ſolemniter celebretur. *Domeſday.* f. 84. *MS. Jeſus.*

[a] Edw. 2. Regis anno 18.

[b] Anno 1334 Regis Edw. 3^{i}. 7°.

[c] Natus apud Harringworth in agro Northant. *Fulleri Herwol.* p. 283.

[d] Julii ſexto. *Stubbs.*

[e] P. 157.

[f] Jul. 19. 1352. *Stubbs.* Ante primum Aug. 2 *Pat.* 26 E. 3. m. 13.

XLIV. JOANNES THORISBY.

ANNO 1349 Joannes Thorisby Menevenſis Epiſcopus Wigorniam 1352. Edw. 3. 26. tranſlatus eſt; et circa medium Octobris 1352 [g], (cum tunc temporis Angliae foret Cancellarius [h]) ad ſedem Eboracenſem eſt provectus [i]. Oxoniae juvenis ſtuduit, ubi Theologus magnus et utriuſque juris periſſimus evaſit. Inter alia quae ſcripſit opuſcula, tam Latina quam Anglicana lingua exarata, Commentarium habeo lingua vernacula conſcriptum de vulgi inſtitutione, ubi Dominicam orationem, Decalogum et articulos fidei exponit, ad uſum plebis provinciae ſuae. Balaeus, neſcio quo nixus fundamento, Cardinalem [k] eum creatum perhibet tt. S. Sabinae, per Urbanum quintum quem Walſinghamius autumat Anglum extitiſſe. Sed his de rebus poſtea ſuo loco pluribus, Deo volente, diſſeremus. Tranſlationis ſuae anno decimo, chorum eccleſiae ſuae Thursbaeus coepit novum extruere, et primum lapidem ſuis manibus poſuit viceſimo nono Julii 1362; quo tempore ad ſtructurae ſumptus centum libras illico numeravit, (vel ut nonnulli 500) et annuatim ducentas marcas pendere promiſit (vel totidem libras ut alii volunt) donec perficeretur; quod quoad vixit, fideliter ab eo praeſtitum eſt. Multum deinde pecuniae impendit ut Capellam B. Mariae ſtatuis et picturis operis eximii exornaret; et anteceſſorum aliquot ſuorum corpora quorum tumuli eccleſiam temere occupabant, in eam tranſtulit, ſervato ſibi ſepulturae loco in medio ejuſdem, ubi (cum Thorpae deceſſiſſet Novembris [l] ſexto 1373) honorifico funere elatus, tumulatus eſt.

XLV. ALEXANDER NEVILL.

HUIC ſedi tum praeficitur à Papa [m] Alexander Nevil, Canonicus *1374. Edw. 3. 48. Eboracenſis, familia ortus nobiliſſima, et in gratia Richardi ſecundi Regis flagrantiſſimus, quod ipſi vertit in perniciem. Procerum quamplurimi quibus praeſentia non placebant, anno 1386 arma ſumpſerunt adverſus Principem, et parliamento coacto, alios pro libitu capite plectendos, alios vero exilio mulctandos aut carceribus coercendos decreverunt, quos ſuae factioni adverſos exiſtimabant. Omnium vero nullus erat quem impenſius oderant, quam hunc Archiepiſcopum; quem ſuſurris et clandeſtinis accuſationibus Regem contra ſe maxime inſtigare volebant credere. Quare proſcribitur inter primos: Et quia moris nondum fuerat Antiſtitem quemcunque capitali ſupplicio afficere; in arce Roffenſi quamdiu viveret vinctum aſſervandum ſtatuunt. Ille vero tempeſtatem hujuſmodi ingruere praevidens, fuga ſibi conſuluit. Papa hunc Urbanus, ſive miſertus hominis ut ſublevaret eum, (quod non videtur) ſive Praeſulatum ejus alteri conferendi avidus; ad Archiepiſcopatum S. Andreae[n] in Scotia eum tranſtulit[o]. Quocunque id animo fecerit; Nevillio certe pluſquam Diomedea fuit illa permutatio. Scoti ſiquidem Urbanum Pontificem non agnoſcebant; ut donatio Pontificia ipſi nihil contulerit; et tamen priſtina ſede ipſum ejecerit. Hinc factum eſt, ut inopia coactus, eccleſiae parochialis curae Lovanii deſerviendo victum quaerere vitamque tolerare habuerit neceſſe. In eo vitae genere triennium cum tranſegiſſet, in exilio vero peregiſſet quinquennium, anno deceſſit 1391[p], et in eccleſia Carmelitarum ibidem ſepultus eſt. Caſtrum Cawodienſe (quod tacendum non duxi) turrium aliquot et aliorum aedificiorum ſtructura, hic plurimum auxit et ornavit.

---

[g] Reſtitutionem habet Temporalium 8 Feb. 1 *Pat.* 27 E. 3. m. 25. Bulla proviſionis data Avinion. 16 Kal. Nov. Pontif. (Clementis Papae) undecimo. A. D. 1352. *Rym. Foed.* T. 5. p. 744. [h] Cuſtos fuit magni Sigilli A. D. 1347, Edw. 3^{i} 20. *Dugd. Catal.* [i] Academiae Cantabrigienſis Benefactor egregius. [k] Cardinalem fuiſſe conſtat ex ſigillo cum hac inſcriptione S. JOHIS TT STI P. AD VINCULA PRESBYTERI CARDINALIS. Ad calcem ſigilli JOHANNES. In margine ſigilli S. PETRUS, URBANUS. Unde proclive erit colligere, creatum fuiſſe ab Urbano. *MS. M*^{ri} *Torr.* Inter Cardinales verò non numeratur à Ciaconio. [l] Sexto. [m] Bullâ datâ 16 Kal. Maii (Apr. 16.) 1374. Antea electus à Capitulo, et confirmatus à Rege 1 Jan. 2 *Pat.* 47 E. 3 m. 4. Conſecratus 4 Jun. 1374 in Monaſt. B. Petri Weſtmonaſter. *Regiſtr. Nevill.* Temporalia reſtituta 6 Jun. 1374. *Rym. Foed.* T. 7. p. 37.

◆ ◆ ◆

XLVI. THOMAS ARUNDELL.

1388. Ric. 2. 11. SUB praetextu tranſlationis Nevillio ſic exauthorato, Papae conſultum viſum ſucceſſorem illi dare[q] Thomam Arundellum, Arundellii Comitis fratrem, Elienſem jamdudum Epiſcopum, et illi Dunelmenſem, Dunelmenſi Bathonienſem, Bathonienſi Sariſburienſem, Sariſburienſi vero denique ſubſtituere Joannem Walthamum Regium Capellanum: Forſitan ut tot tranſlationibus omnem Nevilio receptus ſpem praecluderet; forſitan etiam ut plurimi eſſent qui primitias fiſco ſuo inferrent[r]. Arundellus iſte, anno 1396 omnium Eboracenſium primus, ad Cantuarienſem Archipraeſulatum ſe paſſus eſt transferri. Dum adhuc eſſet Eboraci, pecuniae multum effudit in aedium Archiepiſcopalium ſtructura. Eccleſiae ſuae inter alia ornamenta dedit pelves duas argenteas deauratas praegrandes, thuribula duo, pelves itidem duas minores, et calices duos argenteos: Vicariis etiam choralibus craterem dedit, et Canonicis ſuis ſciphum, magni utroſque ponderis. Angliae factus Cancellarius priuſquam huc migraret, id muneris geſſit ad annum 1396, quando Cantuariam tranſlatus ejuravit. Interea verò anno 1393[s], ſumma Angliae tribunalia Londino Eboracum traduxit; eo pacto optimè dicens caſtigari Londinenſium proterviam atque ſuperbiam, quibus Rex ea tempeſtate fuit admodum infenſus. Et hoc ipſum ante annos 80 Corbrigio ſedente factitatum memorabat. Quicquid verò ille obtenderet, Eboracenſes ſuos juvandi et locupletandi gratia haec ipſum molitum Londinenſes affirmabant. Quocunque id fecerit conſilio, non diurnavit hoc ejus inſtitutum, judiciis poſt terminum unum aut alterum ad priſtinum locum revocatis.

* * *

XLVII. ROBERTUS WALDBY.

1396. Ric. 2. 20. ROBERTUS WALDBY haud infimo loco in urbe natus Eboracenſi (Joannis Waldby, Auguſtiniani illius doctiſſimi, frater, de quo plurima Balaeus) vir ſcientiae titulo clarus, idemque profeſſione Auguſtinianus ex Anglia cum Edwardo Principe (quem vulgo Nigrum cognominamus) fortunatiſſimo in partes tranſmarinas profectus; Tholoſae philoſophiae primum tam naturalis quam moralis, ac poſtea Theologiae ſtudio naviter incubuit, et in eis ſupra communem ſortem profecit. Eo ſiquidem excellentiae devenit demum, ut literatorum primus haberetur, linguarum peritia atque [cognitione] praeſtans. Hinc Theologiae profeſſor Tholoſanis fuit, et tam inſignis concionator, ut ampliſſimae (Regum beneficio) fortunae illi obvenerint; videlicet Epiſcopatus Adurenſis[t] in Vaſconia primùm, poſtea Dublinenſis Archiepiſcopatus in Hibernia anno 1387[u], tunc Ciceſtrenſis Epiſcopatus 1395, ac tandem Archiepiſcopatus iſtius eccleſiae[x] cui non diu praefuit, morte ſublatus viceſimo nono Maii 1397[y]. Sepultus eſt Weſtmonaſterii, et marmore contectus aereis laminis ornato, in medio ferme capellae B. Edmundi, ubi mutilum epitaphium non ita pridem legi inciſum. Volumina aliquot compoſuit enumerata à Balaeo, è cujus hiſtoria pleraque hauſimus quae de illo hic loci à me perſcripta ſunt.

---

[n] *Walſingh*. p. 368. [o] Bulla proviſionis data Peruſii 3 Non. Apr. 1388. *Id*. p. 573. [p] Exeunte Maio 1392.
[q] Bulla data Apr. 3. 1388. *Rym. Foed*. T. 7. p. 573. Temporalia reſtituta 14 Sept. 1 *Pat*. 12 R. 2. m. 22. [r] Haec refert *Walſingh*. p. 368. [s] Martii triceſimo 1392. *Rym. Foed*. T. 7. p. 713.

◆ ◆ ◆

XLVIII. RICHARDUS SCROOPE.

QUI ſucceſſit Richardus Scroope[z] (vir generis nobilitate clarus, utpote Gulielmi Wiltoniae Comitis atque Angliae Theſaurarii frater) à teneris annis aſſiduam ita literis navabat operam, ut artium magiſter et utriuſque juris in Academia Cantabrigienſi Doctor evaderet[a]. Nec tantum contentus inter patriae ſepta ſe continere, Galliam et Italiam peragravit, ut majores doctrinae theſauros inde reportaret. Profectus igitur Avenionem et Romam, fiebat in ipſa Pontificis curia advocatus non infimus, ac reverſus in patriam, Angliae Cancellarius primum, poſtea Coventrenſis et Lichfeldenſis Epiſcopus, ac tandem Walbeio defuncto Eboracenſis Archiepiſcopus[b]. *1398. Ric.2.22.

Laudatur multum tam propter vitae ſanctimoniam, quam publicam adminiſtrationem, et tamen exitum habuit infoeliciſſimum. Henricus Dux Lancaſtriae regni ſolium, unde Richardum Regem legitimum ejecerat, vi nuper occuparat, Richardum (inquam) cujus gratia per tot dignitatum gradus, Scropus ad Archiepiſcopatum fuerat provectus; ac deinde fratrem ejus Wiltoniae Comitem atque Theſaurarium Angliae ſecuri Briſtoliae percutiendum mandaverat. Sive ut has amicorum injurias ulciſceretur, ſive aliam aliquam ob cauſam, certe in caput Henrici conjuravit una cum Comitibus Northumbriae et Mareſcallo, Barone deinde Bardolfo et aliis. Quamprimum innotuit arma hos ſumpſiſſe; Joannes Dux [Bedfordiae] novi Regis filius, et Weſtmorlandiae Comes (qui ea forte tempeſtate non procul degebant) copias raptim coactas in illos ducebant. Sed conjuratos videntes melius inſtructos quam ut in illos impreſſionem facere deberent (nam univerſa fere Aquilonarium Angliae regionum juventus illis nomina dederat) colloquium poſtulant; et congreſſi, cur rebus pacatis arma ſumpſerint percontantur. Reſpondet Archiepiſcopus, iis ductum rationibus hoc ſeſe facere, quae ipſi debeant perſuadere

---

[t] *Ayre* in Aquitania. [u] 1391. *Ware de Preſul. Hib.* [x] Cuſtodiam habet Temporalium 14 Jan. 1 *Pat.* 20 R. 2. m. 1. Reſtituta ſunt 6 Mar. 2 *Pat.* 20 R. 2. m. 3. [y] Obiit 6 Jan. 1397, anno ſcil. exeunte; et quarto Martii ſequentis Capitulum Eborac. Regium petit aſſenſum electioni Walteri Dunelmenſis Epiſcopi. [z] Filius Richardi le Scrope D^ni^ et Baronis le Scrope de Bolton. *MSS. Wood* et *Gale*. [a] *Balaeus*. [b] Julii ſecundo 1398. Vid. inter Epiſc. Coventr. p. 321. Temporalia reſtituta 23 Jun. *Rym. Foed.* T. 8. p. 40.

(Weſtmorlandio, inquam, nam [Bedfordienſis] non aderat) ſi vir bonus ſit patriaeque amans, arma cum illis conſociare. Tum ſcriptum profert ſatis prolixum, in quo inſtituti ſui rationem reddit: Regem dicit contra jus faſque Richardo principi legitimo regno deturbato, vitam etiam per ſummam crudelitatem eripuiſſe: Tam clerum quam populum, quorum jura et immunitates ſe defenſurum juramento pro more confirmarat, crebris tributis exhauſtos ab illo et ad inopiam ſummam redactos: Procerum pleroſque ex levibus cauſis, aut potius ſine cauſa, cauſa certe indicta, plerunque necatos, et Pontifici Romano vectigal pendi conſuetum, ereptum. Quibus proditionis, injuriae, crudelitatis et ſacrilegii criminibus, alia denique adjunxit, pravae adminiſtrationis, perfidiae, perjurii, ob quae excommunicatum à ſe pronunciavit. Et hortatus omnes ut in tyranno oppugnando operam ſecum navarent; Sic (inquit) vero regni haeredi, ac caeteris omnibus ſua jura reſtituentur; Sic tam in Hibernia ac Wallia quam Anglia pacem firmam ac duraturam videbimus ſtabilitam; Sic nos ab expilationibus continuis reſpirabimus tandem, et ſervitutis jugo excuſſo, rebus noſtris pacifice libereque frui utique poterimus.

His rationibus ſe permotum ſimulans Comes, copias ſe dimiſſurum promittit, ac ut id ipſum faciat Archiepiſcopus hortatur. Tum junctis dextris, in utriuſque exercitus conſpectu ſibi mutuo praebibunt. Et Archiepiſcopi quidem copiae bellicorum laborum taedio affecti, cum haec vidiſſent, illo non invito dilapſae paulatim; Comitis vero auctae ſunt, Rege, ut poterat, novas quotidie ſummittente. Quare ſe ſatis inſtructum cernens, in Archiepiſcopum nil tale metuentem, impetum tandem facit et fraude hujuſmodi circumventum comprehendit. Rex jam Pontefractum uſque pervenerat, quo Archiepiſcopus et alii ſecum capti deducti ſunt, atque inde Eboracum, vel ut quidam, Thorpam, ubi à Gulielmo Fulfordo equite aurato legum regni perito et alio cui nomen Gaſcoyn[c], judicibus à Rege conſtitutis, in excelſo pegmate ad id extructo conſidentibus, capitali ſupplicio afficiendos, decernitur.

Utrum per Pares (ut loquimur) in crimen de quo accuſatus eſt Archiepiſcopus, inquiſitum fuerit (quod in Paribus regni, majeſtatis laeſae reis, conſuetum) non comperi: Multoque minus meum eſt pronunciare quid ea in re fieri debuerit, cum doctiſſimus ille Camdenus, non debere à Paribus Epiſcopos judicari explorati eſſe juris [negare videatur.] Quibus non placet per Pares regni Epiſcopos judicandos; ſuam confirmant ſententiam, Fiſheri Roffenſis exemplo; cum tamen Stanfordus[d] (cujus authoritate plurimum nituntur) in dubio relinquat quid fuerit ſtatuendum, ſi Epiſcopus ipſe per Pares ſe judicandum poſtulaſſet. Brocus vero in Caſibus novellis[e] diſertis verbis aſſerit, Epiſcopum regni Parem eſſe, et Parium examen ſubire debere. Deinde 26 Henr. 8. pro tribunali pronunciatum accepi, reſcriptum quod *Capias* appellatur, contra Abbatem non emittendum, magis quam contra Comitem, multoque igitur minus contra Epiſcopum. Si vero Baroniae eccleſiis annexae, ab ordinario proceſſu nos eximant, cur non etiam ab ordinario examine? Eſſe autem nos et habendos Pares, confirmat lex Edwardi 3. 25. lata, ubi Pares regni appellamur.

---

[c] Willelmus Gaſcoign ſummus Angliae Juſticiarius Archiepiſcopum condemnare penitus recuſavit. Sed ex mandato Regis Willelmus Fulthorp, Miles non Judex, ſententiam tulit, et capite plexus eſt Praeſul magnanimus octavo Junii 1405. Ita *Clem. Maideſtone* in Hiſtoria. *Angl. Sacr.* V. 2. p. 369 &c.——Caſtella etiam et mobilia ſeiſita ſunt eodem die. *Fin.* 6 H. 4. m. 9.

[d] In *Placitis Coronae* L. 3. f. 153.

[e] 3. M. 1. p. 465.

Et quomodo Jo. Stratford Archiepiſcopus Cantuarienſis ex Parliamentari conſeſſu excluſus (teſte Stephano Birchintono) conqueſtus ſit, ſe *Regni parem majorem poſt Regem*[f], injuſtè arceri ab eo loco, quo per reſcriptum Regium fuerat accerſitus; ac deinde à Rege quomodo fuerit ordinatum, ut de delictis ab eo admiſſis duodecim regni Pares (quatuor videlicet Comites, quatuor Barones, ac Epiſcopi totidem) inquirerent (quod idem Birchintonus teſtatur) ſupra à me in vita dicti Staffordi eſt demonſtratum. Courtneii deinde Cantuarienſis proteſtatio et caeterorum Epiſcoporum, de jure Paritatis non praejudicando, quando conſeſſu praedicto ſponte exceſſerunt, habetur in Archivis dicti Archiepiſcopi, ſicuti à me ſuo loco eſt expoſitum. Ut nihil dicam de lege quadam recentiori[g], ubi ſancitum eſt, *omnes Dominos Parliamentares* (inter quos Epiſcopos numerari nemo ambigit) *qui contra illam legem peccaverint, à Paribus judicandos.* Haec enimvero omnia juriſperitorum noſtrorum relinquenda judicio; quibus (opinor) nulla aetas aut doctiores protulit, aut integritate, judiciorumque aequitate laudatiores. [Hoc interim liceat monere, ſatis infirmum videri, ne dicam puerile, quod à nonnullis objicitur, ideo per Pares Epiſcopos non judicandos, quod illis juxta Canones Eccleſiae cauſis ſanguinis intereſſe non liceat; cùm non quaeratur à nobis, utrum de Paribus ipſi debent cognoſcere, ſed per Pares ipſi utrum ſint judicandi: Cumque Proceres in pupillari aetate conſtituti, et nobiles itidem mulieres, per hujuſmodi Pares ſemper judicari conſueverint, quos tamen inter judices vel cognitores legendos, nemo opinor contenderit.]

Ad Scropum vero Archiepiſcopum ut redeamus; quamprimum de illo judicium latum eſt, jumento illico impoſitus turpi et ſtrigoſo, idque averſus, *Pontifex quem cunctis commendavit aetatis gravitas, vitae praecedentis ſanctitas, et incomparabilis literaturae ſcientia, cunctiſque amabilis ipſa perſona* (ſic Weſtmonaſterienſis) nullo non probri ac contumeliae genere affectus, ad locum ſupplicii raptus eſt, ubi ab imperito carnifice, vix quinque ictibus caput eſt amputatum, Junii 8. 1405. Sepultus eſt in Orientali parte novorum operum, ubi miracula neſcio quae patrata creditum, ſancti hujuſce Martyris meritis aſcripta. Regem porro, fingunt harum rerum authores, lepra incurabili illicò percuſſum[h]. Pontificum certe hic primus, ad mortem judicio legitimo damnatus eſt. Haud miror, ſi res tam inuſitata, et in qua odio ac iracundiae tantopere indultum, occaſionem dedit multa confingendi. Inter caetera, notam quandam inurunt nonnulli poſteris judicum antedictorum, quam, ne injuriam illis feciſſe videar, ſilentio duxi praetereundam. Necis Pontificiae authores Papa excommunicavit, ſed ut brevi abſolveret, facile exoratus eſt.

◆ ◆ ◆

XLIX. HENRICUS BOWETT.

*1407. HEN. 4. 9.

MENSIBUS jam poſtea triginta ſedes vacavit[i]. Eam interea ſemel Papa contulerat Roberto Halam, Academiae Oxonienſis Cancellario[k]. Factus vero certior, multum hoc Regi diſplicere, cupere vero inprimis Henricum Bowet eidem praefici Bathonenſem ac Wellenſem

---

[f] Supra p. 109. [g] 18 Eliz. cap. 1. [h] *Maideſtone* ut ſup. [i] Licentia eligendi conceſſa eſt 17 Jun. 2 *Pat.* 6 H. 4. m. 20, et elegerunt Canonici Tho. Longley Decanum Ebor. cui Rex aſſenſum adhibuit Aug. 8. 1405. *Rym. Foed.* T. 8. p. 407. [k] *Walſingh.* p. 419.

Epiſcopum; Bowettum Eboraci jam tandem, et Halamum Sarisburiae collocavit. Bowettus iſte legum Doctor et eccleſiae Wellenſis Canonicus, cum Italiae Galliaeque partem magnam peragraſſet, et Angliae per unius anni ſpatium fuiſſet Theſaurarius[l]; Henrici quarti Regis gratia (qui [impenſe] hominem dilexit) ad praeſulatum Bathonenſem fuit provectus, conſecratus decimo ſexto[m] Novembris 1401. Eboracum vero tranſlatus eſt Decembris[n] primo 1406, et ibi annis praefuit plus minus ſeptendecim. Contigit interea ut Henrico quinto Gallos debellante, Scoti magno exercitu coacto, in fines noſtros irruerent, et Barwicenſem urbem, necnon et arcem de Rokesbrough obſidione cingerent; quam ut ſolverent noſtris ſatagentibus, ad caſtra ſuorum natu grandis, et tam infirmus, ut equi ſuccuſſionem non ferret, famulis bajulantibus Archiepiſcopus voluit deportari; ubi ſedens in hemicyclo qui ne vel ſtare quidem (multo minus pugnare) poterat, voce et verbis ſuos cohortatus, non mediocre momentum ad victoriam attuliſſe viſus eſt; anno haec 1417. Hoſpitalis menſae munificentia, praedeceſſores cunctos hunc antegreſſum traditur à nonnullis, qui ejus rei hoc argumentum afferunt, quod vini Gallici (vulgo Claretum appellamus) abſumpſerit quotannis in familia ſua tonnas octoginta, hoc eſt dolia 320; unde reliquum menſae apparatum facile eſt conjicere. E vivis exceſſit viceſimo Octobris 1423 Cawodiae, et ſepultus eſt in Orientali parte eccleſiae ſuae prope altare Omnium Sanctorum, quod multa pretioſa ſupellectile ab illo fuerat ornatum. Conſtruxit etiam aulam perpulchram in arce Cawodienſi, et Coquinam in aedibus Dominicis Mannerii Oteleienſis.

* * *

L. JOANNES KEMP.

* 1426. Hen. 6. 4. PAPAE tum viſum[o], ex plenitudine poteſtatis, ad Archiepiſcopatum per mortem Bowetti vacantem, Richardum Flemming promovere, Lincolnienſem Epiſcopum. Legibus aliquot nuper ſancitis cautum fuerat, ne donationes hujuſmodi Pontificias, quiſpiam aut acceptaret, aut ratas haberet. Quare Eboracenſes Canonici, qui jus electionis per tyrannidem Pontificiam ſibi extorqueri graviter ferebant, Pontificem hunc Pontificium, excommunicationum Papalium larvas vilipendentes, pro Archiepiſcopo agnoſcere recuſarunt, et eccleſiâ ſuâ per vim arcuerunt. Litis ac contentionis inde flamma ingens exarſit; cujus exitus hic fuit, ut Flemmingi tranſlatione irrita declarata, Joannes Kemp Epiſcopus Londinenſis, à Pontifice[p], Eboracenſibus non reclamantibus, Archiepiſcopus fuerit renunciatus. Hic in Epiſcopum Roffenſem conſecratus anno 1418[q], Ciceſtriam tranſlatus extiterat 1422[r], atque inde Londinum eodem ipſo anno[s]; Eboracum vero 1425[t], quando ſedes jam per biennium, propter certamina antedicta, vacaverat. Praefuit ibi annos 28, et aetate jam extrema, ante mortem anno duntaxat uno, Cantuariam migravit[u]. Quomodo Cardinalis S. Balbinae creatus ad tt. S. Rufinae tranſlatus extiterit, alibi demonſtrabitur[x].

---

[l] A°. 1403.

[m] Viceſimo.

[n] Proviſus à Papa ſeptimo Octobris 1407; et temporalia habet reſtituta primo Decembris, 1 *Pat.* 9 H. 4. m. 15. ——— Anno 1407. *Walſingh.*

[o] Licentia eligendi data eſt 16 Nov. 1 *Pat.* 2 H. 6. m. 34; et Capitulum elegit Philippum Wigorn. Epiſcopum in Archiep. cui Rex praebuit aſſenſum 25 Jan. 1 *Pat.* 2 H. 6. m. 6. Papa verò Richardum Lincoln. Epiſcopum promovit.

[p] Papa tranſlationis Bullam Joanni Kemp concedere noluit; Canonici verò illum eligebant 8 Apr. 1426, et tum Papa tranſlationis Bullam conceſſit 20 Jul. Temporalia prius reſtituta 22 Apr. 2 *Pat.* 4 H. 6. m. 21.

[q] 1419.

[r] 1421.

[s] 1422.

[t] 1426.

[u] A°. 1452.

[x] Adhuc Epiſcopus London. Cancellarius Angliae conſtitutus eſt menſe Martio 1426; et iterum 31 Jan. 1450 tum Archiep. et Cardinalis. *Dugd. Cat.*

LI. Gulielmus Boothe.

* 1452. Hen. 6. 31. Qui ſucceſſit illi Gulielmus Boothus[y], in Hoſpitio Graiano Londini, legum municipalium ſtudio operam aliquandiu navavit; et Cancellariatu eccleſiae Paulinae oblato, Clericus derepente factus eſt, ac poſtea (nimirum Julii nono 1447) in Epiſcopum conſecratus Coventrenſem et Lichfeldenſem. Cui ſedi cum annos ſex praefuiſſet, Kempio ſucceſſor in Archiepiſcopatu Eboracenſi declaratus eſt[z]. Praefuit illic annos duodecim, et Southwellae deceſſit viceſimo[a] Septembris 1464, atque in Capella B. Mariae ſepultus eſt prope palatium Archiepiſcopale. Sub Pontificatus illius exitum, Eccleſia Eboracenſis fortuito incendio conflagravit; neque comperi ab illo refectum. In palatio certe Eboracenſi reſtaurando, noviſque aedificiis amplificando, multum inſumpſit pecuniae.

LII. Georgius Nevill.

* 1464. Edw. 4. 4. Magnus ille Warwicenſis Comes Richardus Nevill (qui tanquam in ſcena, Reges hic aliquot annos creavit et exauthoravit fere pro libitu) fratrem habuit Georgium Nevilium, quem multum adhuc adoleſcentem ad ſummos provexit honores. Nam Oxonienſis Academiae (ubi bonarum artium ſtudio in collegio Balliolenſi operam dederat aliquandiu) Cancellarius, in Epiſcopum Exonienſem conſecratus eſt viceſimo quinto Novembris 1455, nondum[b] annos natus viginti. Anno deinde 1460, (id quod jure mirere) ſummus Angliae factus eſt Cancellarius. [Id muneris] adminiſtravit, ad illud uſque tempus, quando Rex Edwardus quartus (poſtquam Warwicenſem fratrem ejus praedictum ad Gallum miſerat legatum, ut nuptias ipſi conciliaret cum *Bona* Gallicae Reginae ſorore) abſente illo, Elizabethae Graiae captus amore, illam derepente duxit, cùm omnia Warwicenſis ex animi ſententia confeciſſet. Non ignarus igitur, ob hoc ejus factum, tanta contumelia laeſum Warwicenſem ſtomachari; ut vires ipſi paulatim detraheret (ſic credere par eſt) fratrem ejus Cancellariatum jubet ejurare, et ſubſtituit illi Stillingtonum Bathonenſem ac Wellenſem Epiſcopum. Poſtea tamen Henrico ſexto regni aemulo capto; et Comite irati animi nullum indicium edente, quamvis alto pectore dolorem coqueret; paſſus eſt Exonienſem ad Eboracenſem Metropolim promoveri.

Vix dum triennium ab eo tempore interceſſerat, quando iſtorum molitione, regno (quod per decennium ferme tenuerat) Edwardus exutus eſt et ab Eboracenſi Ulneiae comprehenſus; atque Henricus emiſſus carcere in regni iterum ſolio collocatus, quod annos olim pene quadraginta tenuerat. Captum Regem ad Warwicenſem arcem primo, mox Middlamenſem in Comitatu Eboracenſi avexit. Sed cuſtos parum ſeverus, cum tam benigne eum haberet, ut pro libitu in campos expatiari permitteret paucis comitatum, nonnunquam etiam venari; amicorum ope facile elapſus eſt, et regno recuperato, ſimul aemulum Regem cepit iterum, unà cum hoc ipſo Archiepiſcopo qui illum ceperat, (per poſticum irrumpens in palatium Epiſcopi Londinenſis, ubi ambo agebant) et ipſe nuper vinctus, illos à quibus in cuſtodiam datus fuerat, in carcerem compingit. Ad Henricum quod attinet; homo ſine dubio ſanctiſſimus, ſed avi Henrici quarti ſcelere praegravante (qui Richardum ſecundum regno ejectum necaverat) poſtquam unicum filium occiſum cognoviſſet, ipſe paulo poſt in Turre Londinenſi crudeliſſime confoſſus occubuit; Edwardo ad tantum flagitium ſi non annuente, connivente certe, ut perpetraſſe videatur quod noluerit vindicare.

---

[y] Natu Ceſtrenſis.

[z] Tranſlatus eſt à Coventr. ad Eboracum 21 Jul. 1452, et temporalia habet reſtituta 26 Oct. 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 21.

[a] Gulielmo defuncto, licentia eligendi conceſſa eſt à Rege 27 Sept. 1 *Pat.* 4 E. 4. m. 15. Obiit certe ante decimum ſextum Septembris. vid. Not. prox.

[b] Viceſimo tertio Aetatis anno. *Gaſcoign* in *Dict. Theol.* ——— Adhuc Epiſcopus Exonienſis cuſtodiam habet Temporalium ſibi commiſſam 16 Sept. 1 *Pat.* 4 E. 4. m. 14. et reſtitutionem Jun. 17. 1465. *Rym. Foed.* T. 11. p. 545. Bulla tranſlationis data fuit Id. Martii 1464.

Archiepiſcopus, à Rege (aemulis omnibus jam ſublatis è medio, nam et Nevillii fratres praelio occubuerant) ut humanitatis ſibi olim capto exhibitae memor videretur, poſt unum aut alterum cuſtodiae menſem, dimiſſus eſt. Anno poſtea vix integro elapſo, Regi Windeſorae venatui indulgenti retulit forte fortuna Archiepiſcopus, feris conſectandis nullibi voluptatem percipi majorem, quam in regione aedibus ſuis vicina, quas magnis ſumptibus Morae in comitatu Hertfordenſi extruxerat nuper et pretioſiſſima ſupellectile inſtruxerat. Cogitata perficiendi anſam hujuſmodi exhibitam, Rex illico arripuit, et tempus deſtinavit quando ſe illuc venturum ſimulavit. Quare domum reverſus Nevilius, argenti caelati magnam vim, belli civilis tempore occultatam, illuc fecit comportari, necnon et ab amicis multum mutuo ſumptum, ut Regem quam poterat magnificentiſſime exciperet. Ille vero cum hanc feram (unice ab illo expetitam) caſſibus pro voto inditam cognoviſſet; pridie temporis deſignati Archiepiſcopum accerſivit, quem protinus comprehenſum, in carcerem conjecit, et opes ad viginti librarum millia valentes in illis aedibus congeſtas, diripuit. Inter caetera hinc ablata, mitra memoratur Pontificia, gemmis immenſi pretii exornata, ex qua poſtea comminuta diadema ſibi Rex fabricavit. Per annos poſtea quatuor miſer Caleti et Guinis vinctus jacuit in ſumma inopia, Archiepiſcopatus redditibus in fiſcum interim redactis. In hanc cladem incidit anno 1472. Anno tandem 1476 interceſſione amicorum emiſſus è carcere, moerore (ut creditur) confectus, Blithlavae interiit [c], et in eccleſia ſua ſepultus eſt. Hoc ſedente, Epiſcopus S. Andreae in Scotia, Archiepiſcopus per Sixtum quartum creatus eſt, juſſis illi duodecim Epiſcopis illius gentis ſubeſſe, qui hactenus Archiepiſcopi Eboracenſis Suffraganei cenſebantur [d]. Reclamante quidem Eboracenſi, ſed fruſtra; aſſerente Pontifice, minime convenire, ut ille Scotiae ſit Metropolitanus, qui propter crebra inter Scotos et Anglos bella, Scotis plerumque hoſtis ſit capitalis.

Convivium quando inſtallatus eſt celebravit Nevillus, magnificentia noſtro aevo (quantum autumo) inaudita. In antiquis quibuſdam ſchedis deſcriptum, quidni lectori impertiam, venia prius petita, ſi vocabula quaedam minus hodie intellecta, et obſoleta, quaedam etiam Latinae linguae non capacia, Anglice ſicut reperi exhibeam?

---

[c] Junii octavo 1476. *Regiſtr. Ebor.*

[d] Coeleſtinus tertius Papa Eccleſiam Scoticam Romanae Eccleſiae immediate ſubditam fore ſancivit anno 1192. *Baron.* ad annum, n. 4.

Obſonia ad convivium hoc praeparata.

Tritici quartaria 300. Habet autem quarterium pondus circiter quingentarum librarum.	
Cerviſiae tonnae	330
vel dolia	1200
Vini tonnae 104. Dolia	416
Vini aromatici Pipa. Dolia	2
Boves ſaginati	80
Tauri ſilveſtres	6
Verveces	1004
Porci	300
Vituli	300
Anſeres	3000
Capi	3200
Porcelli	300
Pavones	100
Grues	200
Hoedi	200
Pulli gallinacei	2000
Columbae	4000
Cuniculi	4000
Butiones. *Bittours*	204
Anates	4000
Ardeolae. *Hernſewes*	400

Faſiani	200
Perdices	500
Gallinagines. *Woodcocks*	4000
Upupae. *Plovers*	400
Curlini. *Curlewes*	100
Coturnices	100
Aſteriades. *Egrets*	1000
Rees. Quid ſit non conjicio.	200
Cervi Damae Capreoli *Roes* pluſquam.	400
Artocreae ex ſerina calentes	1506
Quae refriguerant	4000
Diſhes of Gelly (*coaguli*) parted	1000
Diſhes of Gelly plain	4000
Streblitae. *Tarts*	400
Artologani. *Cuſtards.* qui refriguerant	4000
Calentes	2000
Lupi fluviatiles	300
Praſeni. *Breames*	300
Vituli Marini	8
Phocenae	4

Miniſtri ſive Officiarii munera ſua obeuntes in dicto convivio.

Comes *Warwicenſis*, Seneſchallus Archiepiſcopi.
Comes *Bedfordienſis*, Theſaurarius.
Haſtingus Baro, Cenſor ſive Contrarotulator.
Willoughbaeus Baro, Dapifer.
Joannes Baro *Buckinghamius*, Pincerna.
Richardus Strangewayes eques auratus, Praeguſtator.
Walterus Morley eques auratus, Aulae Mareſcallus, cum aliis octo equitibus auratis eodem munere perfunctis, praeter Armigeros et ſervientes.
Serviens ad Pelvem Regi, hic etiam à pelvi.
Joannes Grayſtocke et Joannes Nevil, argenti caelati cuſtodes.
Joannes Braynocke, Supraviſor Aulae.

Convivae in Aula.

Ad ſummam menſam.

Archiepiſcopus.

Epiſcopi *Londinenſis*, *Elienſis*, *Dunelmenſis* à dextra.

Dux *Suffolciae.*
Comes *Oxonienſis.*
Comes *Wigornienſis.*
à ſiniſtra.

Ad

Ad ſecundam menſam.

Abbas *S. Mariae Eboraci.*
Abbas *Selbienſis.*
Abbas *Whitbienſis.*
Abbas *Bilandenſis.*
Abbas *Renvauxienſis.*
Abbas *Furneienſis.*
Abbas *Chriſtallenſis.*
Abbas *de Meaux.*
Abbas *Whalleienſis.*
Abbas *Salleienſis.*
Prior *Dunelmenſis.*
Prior *Bridlintonenſis.*
Prior *Giſburnenſis*, cum octo aliis Prioribus.

Ad menſam tertiam.

Barones {
Mountegew.
Cromwell.
Scroope.
Dacres.
Ogle.

Cum Equitibus auratis 48.

Ad quartam.

D. Decanus *Eboracenſis.*
Decanus *S. Severini.*
Eboracenſes Canonici.

Ad quintam.

Praetor Eboracenſis.
Praetor Stapuli Caletenſis.
Cum civium Eboracenſium ſpectatiſſimis.

Ad ſextam.

Barones 4 Fiſci Regii.
Et 26 Juriſperiti.

Ad poſtremam.

Armigeri 49, Regi famulantes.

Nomina convivarum in Conclavi ſummo epulantium.

Ad menſam primam.

Dux *Gloceſtrenſis.*
Ducis *Suffolcienſis* ſoror à dextra illius.
Comitiſſa *Weſtmorlandiae.*
Comitiſſa *Northumbriae.* } à ſiniſtra.
Comitis *Warwicenſis* filiae duae in eadem menſa.

Convivae ad ſecundam menſam ibidem.

Baro *Grayſtockius.*
Barones alii 3.
Matronae nobiles 12.

Ad tertiam.

Dictarum matronarum pediſſequae 18.

Convivae ad menſam primam in Conclavi ſecundo.

Duciſſa *Suffolcienſis* ſenior.
Comitiſſa *Warwicenſis.*
Comitiſſa *Oxonienſis.*
Baroniſſa *Haſtinga.*
Baroniſſa *Fitz-hugh.*

Ad menſam ſecundam ibidem.

Baroniſſa *Lumlaea.*
Baroniſſa *Strangia.*
Matronae aliae nobiles 8.

Convivae ad menſam primam in Conclavi magno.

Epiſcopus *Lincolnienſis.*
Epiſcopus *Coventrenſis* et *Lichfeldenſis.*
Epiſcopus *Exonienſis.*
Epiſcopus *Carleolenſis.*

Convivae ad ſecundam menſam ibidem.

Comes *Warwicenſis.*
Comes *Weſtmorlandius.*
Comes *Northumbriae.*
Baro *Fitz-hugh.*
Baro *Stanlaeus.*
Equites Baneretti 10.

Convivae ad tertiam menſam.

Faeminae nobiles 14.
Nobiles, quos Generoſos vulgo appellamus, 14.

In aula iterum.

Nobiles et plebeii ingenui duabus vicibus 412.

In ſolario.

Famuli magnatum 400 duabus vicibus.

In aliis locis.

Officiarii et famuli 1000.
Coqui 62.
Lixae et coquinae miniſtri 515.

Convivii hujus fercula prima.

Aprugnum } potage.
Furmenty viant } potage.
Hare powdered for ſtandard.
Roe powdered.
Feſant entraille.
Swannes. *Cigni.*
Capons in half-greace.
Hernſewes. *Ardeolae.*
Carpet of Veniſon.
Pike in harblet.
Leach cant.
Fruter.
Ferina in furno cocta.
Cuſtard planted.
A Suttlety.

Fercula ſecunda.

Gelly parted } potage.
Raſſens } potage.
Veniſon bake. *Ferina.*
Peacock in rapill.
Cony reverſe.
Lardis of veniſon.
Perdices.
Woodcocks. *Gallinagines.*
Upupae.
Breames in ſpile.
Pummis verte.
Leache ſipers.
Fruter napkin.
Dates in mold.
Scatins ryall.
Suttlety.
Blank deſire.
Dates in compoſt.
Bittours. *Butiones.*
Faſiani.
Egrets. *Aſteriades.*
Cuniculi.
Coturnices.
Martins. *Martes.*
Aviculae majores.
Alaudae.
Phocena.
Leache blank.
Fruter criſpin.
Cotonea in furno cocta.
Chamblet ryall.
Suttlety.
Placentarum (*wafers*) et vini aromatici magna copia.

◆ ◆ ◆

LIII. LAURENTIUS BOOTH.

EPISCOPUS Dunelmenſis Laurentius Booth[e], Gulielmi Booth (cui *1476.
Nevilius ſucceſſit) frater, ſed non uterinus, in praeſulatu Eboracenſi EDW. 4. 16.
illis ſucceſſit[f]. Aulae Pembrochianae Cantabrigiae Praeſes[g], in Dunelmenſem Epiſcopum conſecratus eſt viceſimo quinto Septembris 1457, et poſt annos inde viginti Eboracum tranſlatus eſt. Menſe Auguſto 1472 Cancellarius Angliae conſtitutus[h], eo munere per biennium functus eſt. Mannerium de Baterſey prope Londinum hic pretio emit à quodam Nicolao Stanlaeo; aedes ibi conſtruxit et ſedi ſuae contulit. Obiit Suthwelliae anno 1480[i], cum huic eccleſiae praefuiſſet annos tres et menſes novem, atque juxta fratrem ſuum ſepultus eſt[k].

---

[e] Praepoſitus triceſimus eccleſiae S. Joan. Beverlacenſis.

[f] Licentia eligendi conceſſa eſt 28 Jun. 2 *Pat.* 16 E. 4. m. 19.——Laurentius Booth cuſtodiam habet temporalium 18 Jun. 1 *Pat.* 16 E. 4. m. 20. Reſtitutionem 8 Oct. 2 *Pat.* 16 E. 4. m. 17. Eboracum tranſlatus eſt primo Septembris 1476.

[g] Eandemque Praefecturam uſque ad obitum tenere non aſpernatus eſt. *Regiſtr. Colleg.*

[h] Junii quinto 1474, et non antea. *Clauſ.* 13 E. 4. m. 3.

[i] Maii 19. 1480. *MS. Wood.*

[k] In eccleſia de Cawood. *W. de Chambre* in Angl. Sacr. —— Apud Southwell, *Br. Willis* et *Drake*; ita mandatum eſt in ſupremis tabulis.

LIV. THOMAS ROTHERAM.

1480. Edw.4.20. Qui illi ſucceſſit, Thomas, vero nomine Scotus appellandus, Rotheramae in Comitatu Eboracenſi natus, more eccleſiaſticis hominibus ea tempeſtate uſitato, inde cognomen voluit mutuari, gentili deſerto et abjecto. Cum prima literarum rudimenta in patria percepiſſet, adoleſcentiam ingreſſus, Cantabrigiam ſe contulit, ubi in numerum ſociorum Collegii Regii aſcitus eſt primum[l], et poſtea Praeſes conſtitutus Aulae Pembrochianae; quod munus laudatiſſimè obivit[m], donec ad majora avocatus eſt. Per Edwardum quartum Regem (cui fuit à ſacris) Praepoſitus Beverlacenſis primum, ac deinde Privati ſigilli cuſtos, atque anno 1467[n] Roffenſis Epiſcopus conſtitutus. Ibi cum ſediſſet annos duntaxat quatuor Lincolniam tranſlatus eſt[o]. Anno verò 1474 ſummus Angliae Cancellarius renunciatus[p], quo munere perfunctus eſt ad regnum uſque Richardi tyranni, et non ſine cauſa eſt reprehenſus, quod Reginae id poſcenti magnum Angliae ſigillum tradiderit; unde Richardus tunc regnum occupaturus, occaſionem arripuit in carcerem eum conjiciendi, ut ſic Regem legitimum (patroni ejus filium) fideliſſimi miniſtri adminiculo orbaret.

Dum adhuc Lincolnienſi eccleſiae praeeſſet, magnam illam et ſpecioſam portam ſcholarum publicarum Cantabrigiae conſtruxit, ambulacra ab utroque latere ejuſdem et Bibliothecam ad Orientalem partem, idque propriis ſumptibus, niſi quod ab Academicis nonnihil adjutus eſt, quorum fuit Cancellarius[q]. Opus coeptum 1470, anno 1476 eſt abſolutum. Cum Lincolniae ſediſſet annos novem Eboracum tranſlatus[r], eccleſiam rexit ibidem annos viginti, tribus exceptis menſibus: Quo temporis ſpacio, plurima praeſtitit memoratu non indigna. Rotheramae (ubi natus eſt) collegium[s] condidit (nomini Jeſu dicatum) Praepoſito, (quem oportebat concionatorem eſſe) Praesbyteris quinque Choriſtis ſex et paedagogis tribus; Uno nempe qui Grammatices elementis pueros imbueret; alio qui in Muſicis inſtitueret; ac tertio qui ſcribere et literas formare doceret. Hoc collegium quando ſuppreſſum eſt, redditus habuit annuos 58^{l}, 5^{s}. 9^{d}. ob. q. Collegium Lincolnienſe Oxoniae (quod immatura morte ſublatus Flemingus imperfectum reliquerat) abſolvit; et ſociis ſeptem ab illo conſtitutis, alios quinque adjecit, praediis collatis unde alerentur. Mitram pretioſiſſimam[t] ſucceſſoribus reliquit, vice illius quam Edwardus Rex Nevillio eripuerat. In aedibus Archiepiſcopalibus multa extruxit: Weſtmonaſterii nempe (quae nunc White-hall, et Regia eſt, tunc verò ad Archiepiſcopum ſpectabat Eboracenſem) magnam illam coquinam: Southwellae promptuarium (Anglicè THE PANTRY) et conclavia flumini vicina:

---

[l] Natus die S. Barth. 1423, ut patet ex ultimo teſtamento. Unus è primis Scholaribus poſt fundationem Collegii A°. 1444. Aulae Pembrochianae Socius, et poſtea Cuſtos 10 Kal. Jun. 1480. *Archiv. Coll. Regal.* et *Pembr.*

[m] Uſque ad annum 1488. *Ib.* Quo tempore Archiepiſcopale munus obiviſſet per annos octo.

[n] 1468.

[o] 1471.

[p] Cancellarius Angliae renunciatus eſt 20 Aug. 1480. 2 *Pat.* 20 E. 4. m. 16.

[q] Templi etiam B. Mariae reſtaurationem multopere promovit; et bibliothecam ducentis amplius voluminibus locupletavit.

[r] Licentia conceſſa eſt eligendi 12 Jun. 1 *Pat.* 20 E. 4. m. 13. Cuſtodiam habet temporalium 24 Maii. 1 *Pat.* 20 E. 4. m. 8; Reſtitutionem 9 Sept. 1 *Pat.* 20 E. 4. m. 8.——— Proviſus eſt Bulla data 3 Sept. 1480; electus eſt à Capitulo 12° ejuſdem menſis.

[s] *Sic quod incorporavi et incorporo in Collegio meo unum Praepoſitum, tres Socios et ſex pueros, ut ubi offendi Deum in decem praeceptis ſuis, iſti decem orarent pro me.* Ex *ult. teſtamento* inter *Archiv. Coll. Sidn. Cant.*

[t] Ad valorem quingentarum Marcarum. *Teſtam.* ib.——Teſtamentum coeptum 6 Aug. 1498, perfectum 24 ejuſdem menſis, probatum menſe Novemb. A. 1500.

Ac Thorpae quoque promptuarium, piſtrinum etiam, atque aedificia ab Aquilonari domus latere nemora ſpectante. Neceſſarios ſuos, quoſque ſive propter obſequia, ſive ob ſanguinis propinquitatem charos habebat, magna ſollicitudine provexit; hos per conjugia, illos per munera, aut praediorum donationem, ac alios denique per promotiones eccleſiaſticas. Peſte tandem dicitur extinctus Cawodiae viceſimo nono Maii [anno] 1500, annos natus 76, et in capella B. Mariae tumulo conditus eſt marmoreo, quem ſibi vivus fabricari curavit.

LV. THOMAS SAVAGIUS.

1501. Hen. 7. 16.

THOMAS SAVAGIUS, qui ſucceſſit, Roffenſis quoque (ſicut anteceſſor) extitit Epiſcopus, unde Londinum 1493[u] tranſlatus eſt, atque inde (Rotheramo defuncto) Eboracum, anno videlicet 1501[x]. Hic nobili ortus proſapia, et (ſicuti accepi) equitis aurati filius[y]; quamvis è Cantabrigienſi Academia legum Doctor, tamen magis propter obſequia Principibus praeſtita et rerum fortaſſis gerendarum dexteritatem, quam eruditionem aliaſve virtutes, ad tantos honores provectus videtur. Aulicarum ſanè artium fuit egregie peritus, et in ſecularium negotiorum cura atque adminiſtratione aetatem totam conſumpſit, niſi quatenus venationibus indulſit, quibus immodice delectatus eſt. Multa Cawodiae aedificavit atque Scrobeiae, et magnam famulorum catervam in familia aluit. Moris fuit ante hunc Archiepiſcopum, ut inſtallationis tempore convivium ingenti ſumptu pluſquam magnificum ab inſtallandis inſtrueretur; quem ſumptum, inutilem ſane, hic praeſul omnium primus conſilio non imprudenti amputavit, inopinato et clanculum per vicarium inſtallatus. Cum ſeptennium plus minus ſediſſet, Cawodiae deceſſit[z]; et corpus quidem Eboraci ſepulturae mandari praecepit, cor vero Macclesfeldiae in comitatu Ceſtrenſi (ubi natus eſt) in capella à ſe ibidem conſtructa, quando collegium ibi loci molitus, morte intempeſtiva ſublatus interiit.

LVI. CHRISTOPHORUS BAMBRIDGE.

1508. Hen. 7. 24.

CHRISTOPHORUS BAMBRIGIUS ſucceſſit, nobili ortus familia[a] prope Appleby in Weſtmorlandia. Qui in collegio Reginae Oxoniae educatus[b], jam legum Doctor[c], Rotulorum Praefectus et Decanus[d] Eboracenſis renunciatus; anno 1507 in Epiſcopum Dunelmenſem conſecratus eſt, et anno deinde ſequenti Eboracum tranſlatus[e]. Dum legati munus hic Romae obiret; inter Ludovicum duodecimum Gallorum Regem et Julium Pontificem bellum exarſit. Hujus Archiepiſcopi opera, Henricus octavus Rex noſter inductus fertur (ſic Ciaconius[f]) ut Pontifici opem ferret, ac parata claſſe, contra Ludovicum arma caperet. Ea re foeliciter geſta (inquit ille) rubrum pileum (quem jam diù ambierat) cum tt. S.

---

[u] 1496.
[x] Electus Archiep. Eboracenſis 12 Apr. 1501. *MS. Wood.* Temporalia reſtituta ſunt 29 Apr. *Rym. Foed.* T. 12. p. 771.
[y] Filius D. Joannis Savage de Clifton in agro Ceſtrenſi militis, qui obiit undecimo A°. Henr. 7. *MS. Wood.*
[z] Sept. 2. (Sept. 3. *Br. Willis.*) 1507.
[a] Hiltonae.
[b] Cui etiam Benefactor.
[c] Boneniae creatus, ſed Cantabrigiae incorporatus.
[d] Decanus etiam Windeſorienſis anno 1505. 21 H. 7, et Cuſtos Rotulorum.
[e] Bulla Proviſionis data Rom. 12 Kal. Oct. 1508. *Drake* in *Hiſt. Ebor.*
[f] T. 3 Col. 290.

Praxedis adeptus eſt, menſe Martio 1511. Utrum tam diù Romae permanſerit, an iterum eo ſit profectus non comperi; Ibi certe anno 1514 veneno ſublatus interiit, quo per Italum quendam ſacerdotem, Rivaldum de Modena oeconomum ſuum infectus eſt, iratum (ſicuti capite eam ob rem plectendus confeſſus eſt, ſic P. Jovius) quod ab irato, fuſte fuiſſet caſtigatus. Deceſſit decimo quarto Julii anno antedicto, et in Hoſpitali gentis Anglorum ſepultus eſt[g].

◆ ◆ ◆

LVII. THOMAS WOOLSEY.

*1514. Hen. 8. 6. MAGNUS ille Cardinalis (de quo nunc proxime ſermo habendus eſt[h]) Thomas Wolſaeus, Ipſwici in comitatu Suffolciae, patre lanio pauperculo, prognatus eſt. Nondum pubertatis annos ingreſſus, Oxoniam miſſus, in Magdalenenſi collegio bonarum literarum ſtudio incubuit; et artium Magiſter creatus, in ſchola dicto collegio vicina Ludimagiſter conſtitutus eſt. Cujus muneris (ut laborioſi admodum, nec tamen multum quaeſtuoſi) cito pertaeſus; ſacerdotium Limingtonenſe in Comitatu Somerſetenſi, oblatum ſibi à Marchione Dorſetio (cujus filios erudierat) libenter accepit. Ibi contumeliâ affectus eſt magnâ per Amicium Pawlettum Equitem auratum, qui neſcio quam ob cauſam, ſacerdotis pedes cippo incluſit; ſupplicii genus quod non niſi mendicis fere aut viliſſimae plebi apud nos ſolet irrogari. Quam injuriam Eques haud tulit impune; cum Wolſaeus poſtea Cancellarius Angliae, et in gratia Regis flagrantiſſimus, Londini eum aliquot annis detinuerit et multis affecerit moleſtiis, donec plurimis officiis delinitus et placatus, illius delicti gratiam ipſi feciſſet. Wolſaeus interim ſive ignominiam non ferens ſupplicii tam pudendi; ſive altiores ſpiritus gerens, quam ut tantulo ſacerdotio immoraretur: Eo relicto, in famulitium ſe dedit Naſanti[i] Equitis aurati, [Richardi et Caletenſis urbis Theſaurarii,] per quem, in notitiam pervenit Foxi Wintonienſis Epiſcopi. Hic ingeniorum judex ſagaciſſimus, poſtquam in juvene iſto animi ſolertiam magnam, eruditionem non contemnendam, et admirabilem in rebus gerendis dexteritatem deprehendit; Regi Henrico ſeptimo (qui in Foxi fide et prudentia unice acquieſcebat) tam impenſe eum commendavit, ut magni momenti negotiis tractandis eum protinus admovendum duxerit. Voti ſic tandem compos factus eſt; ſolitus dicere (ut ferunt) ſi in Regia vel pedem ponere aliquando daretur, nihil tam magnum eſſe, quod ſe non confideret conſequuturum. Caeterum ad Regis ſapientiſſimi gratiam, tunc aditum illi fortuna expedivit.

Hominem Rex quaerebat ſolertem, qui negotium quoddam cum Imperatore conficeret, in Belgio tunc agente: Wintonienſis opera Wolſaeus deligitur; qui ad ſummam celeritatem nihil ſibi reliquum faciens, et fortuna ventiſque faventibus, omnia Regi ex animo confecit, et quatridui tantum ſpacio abſens (quod incredibile videatur) Londinum reverſus eſt. Ad primum ejus conſpectum excanduit Rex, arbitratus nondum abiiſſe; neque enim fieri potuiſſe credebat, ut tam mature redierit. Cum verò non ſolum mandata, ſed alia etiam perfeciſſe, quae ab ipſo feſtinante fuiſſent omiſſa, cognoviſſet; prudentiam admiratus, ſummo eum poſtea ſemper habuit in pretio, et tum brevi, Decanatu primum Lincolnienſi[k], mox Eleemoſynarii etiam Regii munere honeſtavit. Hucuſque ſub Henrico ſeptimo proceſſit; cui moris non erat, quenquam tam repentinis honorum acceſſionibus evehere, quin ſurgere ſeſe perſentiſceret.

---

[g] Ubi extat monumentum ſepulchrale, hoc elogio inſignitum. D. O. M. Christophoro Archiep. Eboracen. S. Praxed. Presb. Cardinali Angliae A Julio II Pont. max. ob egregiam operam S. R. E. praestitam dum sui Regis legatus esset assumpto, quam mox et domi et foris castris Pontificiis praefect. tutatus est. Obiit prid. Id. Jul. A. Sal. MDXIIII.

[h] Hujuſce viri celeberrimi vitam ſcripſerunt multi, praecipue verò et prae omnibus *Rich. Fiddes* S. T. P. Ed. L. 1724.

[i] In famulitium ſenis cujuſdam ſe dedit Theſaurarii Caletenſis. Is annis jam gravis, et muneris ſui laboribus impar, Woolſaeo Sacellano ſuo, omnia officii munia obeunda demandavit, unde factum eſt, ut voti compos, Aulicis rebus ſe immiſcendi, occaſionem nactus fuerit. Ita Godwinus ipſe inter Epiſc. Bath. in *MS. Coll. Trin.*

Poſtquam vero, ſublato illo, Henricus ejus filius rerum potitus eſt: Adoleſcentis animum blanditiis et morum commoditate penitus occupavit. Siquidem cum alii amici quamplurimi rogarent, ut conſultationibus eorum qui ipſi erant à ſecretis aſſiduus intereſſet, atque experientia magiſtra rerumque uſu prudentiam colligeret, rebuſque gerendis ſeſe aſſuefaceret: Solus Wolſaeus, "vitam jucundiorem ut ſectaretur hortatur; conſultationum taedia, adoleſcenti dictitans non ferenda: Aetatem hominis temporibus diſcretam, et unicuique ſua ſtudia convenire: Non recte facere qui ſenilem ſeveritatem tanquam perſonam neſcio quam intempeſtive obtrudant et invita conentur Minerva inducere: Futurum olim (ſi Deo viſum) ut quae huic aetati moleſta, provectiori non ingrata ſint, aut etiam fortaſſis oblectamento. Donec ea veniret, praeſenti frueretur, neque aliis inutiliter obſecundando, ejus foelicitatis curſum ullatenus retardaret, quam imperii magnitudo et opum à patre congeſtarum affluentia facile largiretur. Iret igitur venatum, aucupia, aliaſque honeſtas voluptates fortiter conſectaretur: Si quando fuerit ut ſenex derepente fieri aveat, ſenilibus curis ſe immiſcendo, non deeſſe inter ſuos, inquiens, (ſeipſum volebat ſubintelligi) qui uno aut altero verbo ſub veſperam narrare poſſint, quae multarum horarum altercatio, ne dicam totius diei conſultatio expreſſerit."

Oratio haec Regis cupiditatibus mirifice congruens, tantum Wolſaeo peperit potentiae, ut cum antea gratia inter alios plurimum pollere noſceretur, nunc poſthac plane ſecundus à Rege haberetur, et ſolus apud eum omnia potuerit. Nam ille ſtatim delectus eſt, qui tanquam Mercurius aliquis inter Jovem hunc et minorum deorum Senatum diſcurreret, atque horum ſcita ad illum, illiuſque placita ad ipſos deferret. In numerum igitur illorum qui ipſi erant à ſanctioribus conſiliis primo quoque tempore aſciſcitur, et praeter Tornacenſis ſedis adminiſtrationem (civitate bello ab Henrico capta) Lincolnienſi[l] quoque eccleſiae Epiſcopus praeficitur; in cujus regimine ſex totos menſes nondum tranſegerat, quando Romae defuncto Bambrigio Cardinali, ad Eboracenſem[m] Archiepiſcopatum Lincolniâ transfertur. Brevi deinde poſtea, à Rege Cancellarius[n] Angliae (ejurante Warhamo Cantuarienſi) et à Papa Legatus à latere pronunciatur, atque ſeptimo Septembris 1515 Cardinalis creatur tt. S. Ceciliae[o]. Sed neque hic ſiſtitur. Quaſi Cardinali alendo Archiepiſcopatus Eboracenſis et Angliae Cancellariatus non ſufficerent; multa ſacerdotia, S.

---

[k] Anno 1508.

[l] Bulla Papali data 8 Id. Feb. 1513. *Regiſtr. Warham.* f. 17.

[m] Adhuc electus Eboracenſis, cuſtodiam habet Temporalium ſibi commiſſam quinto Auguſti 1514. *Rym.* T. 13. p. 412.——Bulla vero proviſionis data eſt Romae 15 Sept. 1514. *Id.* p. 451.

[n] Septimo Decembris 1516 conſtitutus eſt Angliae Cancellarius, et magnum Sigillum habet ſibi traditum: *Clauſ.* 7 H. 8. *in dorſo.* ita Dugd. in Catalogo. Sed viceſimo Octobris ejuſdem anni Cancellarium Angliae Rex vocat in literis Patentibus. *Rym. Foed.* T. 13. p. 562.——Magnum Angliae Sigillum à Rege accepit viceſimo quarto Decembris 1515. *Id.* p. 529.

[o] *Ciacon.* T. 3. Col. 342.

Albani Abbatiam [p] et Epiſcopatum inſuper Bathonienſem [q] à Rege emendicat. Neque his tandem contentus, Dunelmenſem [r] eccleſiam vacantem Eboracenſi non veretur adjungere (repudiata Bathonenſi) et deinde Dunelmenſi relicta, Wintonienſem [s] (totius Angliae tunc temporis opulentiſſimum Epiſcopatum) occupare.

Fieri non potuit quin magnitudine ſua laborans, jam tantus, mole ſua praeceps rueret. Ille tamen (ut ſunt hominum cupiditates interminatae ac inexplebiles) Archiepiſcopatum Toletanum vacantem ambire non eſt veritus, Carolum quintum Caeſarem ratus non auſurum operam ſuam in eo adipiſcendo negare; cum omnia regni negotia apud juvenem Regem voluptatibus deditum, is fere ſolus pro arbitrio diſponeret. Cum hac ſpe excidiſſet, extincto forte Leone decimo Papatus conſequendi cepit eum libido. Sed cum in eo quoque negotio Caeſarem frigidum reperiſſet; iratus homini à quo ſibi nihil non promittebat; nullum non movit lapidem, ut Rege à Caeſare alienato, eos inter ſe committeret; quod hac tandem ratione perfecit. Duxerat Henricus Catharinam, Caeſaris amitam, Arthuro fratri ſuo prius nuptam, facultate ad id à Pontifice impetrata. Wolſaeus (homo doctus) non ignorabat, fieri hoc non debuiſſe; quippe non canonibus eccleſiaſticis ſancitum, ſed ſacrae Bibliae pagina prohibitum, *fratris relictam ne quis ducat*. Quare, ut hujus matrimonii ſcrupulum animo Regis injiceret; Haud bona fide Caeſarem cum illo agere, ſe jam primum ſubolfacere dictitabat. Siquidem cum de ducenda Maria unica Regis filia ſponſionem feciſſet; ab Hiſpanis ſuis rumuſculos paſſim emanare, inutile ac parum honorificum hoc conjugium futurum; ſpuriam quippe cenſendam eſſe Mariam, ut ab inceſto et legibus eccleſiaſticis damnato matrimonio procreatam. Neque enim Catharinam Reginam Regi legitimo connubio junctam, quae Arthuro Regis fratri antea denupſiſſet: Vetari id in ſacroſanctis novi ac veteris inſtrumenti legibus, ut quae divino jure eſſent conſtituta, Julius Pontifex auro accepto [quantumvis multo] reſcindere non potuerit.

Haec et hujuſmodi alia ab ipſo Caeſaris Legato quandoque jactitata fuiſſe, negandum non eſt. Caeterum Wolſaeus, nullum alium in finem iſta memorabat, quam ut Rex (quem uxorium haud nimis fuiſſe ſatis noverat) occaſione inde arrepta, ad novum aliquod matrimonium animum appelleret. Cumque ſecundis auribus à Rege haec excipi videret, et orbitatem ſuam ſaepe deflere, quod tantum imperium puellae cogeretur relinquere, quaeque tam dubiis eſſet orta natalibus, ut ſucceſſorem ſibi eam pro certo non liceret deſtinare: Ad novas nuptias hortari non eſt veritus, et ſimul Alanſoniam monſtrare Margaretam, Regis Gallici ſororem, ſpectatae formae et venuſtatis foeminam; quam ſi duceret, repudiata Catharina, ſatis intelligebat, ab amicitia Caeſaris, ex tam gravi amitae contumelia, eum penitus divulſum, Gallico nomini abſque ulla ſpe receptus, arcto et neceſſario foedere jungendum.

Erat Catharina foemina, licet ſanctiſſima nobiliſſimaque, jam tamen vergenti aetate (utpote quadragenaria) et ſemper Hiſpanica gravitate (moribus imbuta auſteris) atque ingenio ab omni cultu ac venuſtatis cura abhorrenti. Hanc igitur Rex ut faſtidiret ac abjiceret, his rationibns facile eſt inductus: Tum vero ſuo judicio uſus, aliam deperire coepit, Annam Boleniam, Wolſaei conſilio de Alanſonia Galli ſorore neglecto. Romam igitur extemplo oratores mandantur, qui divortium à Catharina magna importunitate flagitent. Clemens Pontifex, Caeſari erat non ſine cauſa infenſus; et Henricus Rex, ob auxilia illi praeſtita (quo tempore capta nuper civitate Romana, in Vaticano obſidebatur) magna apud eum erat in gratia. Sive tamen natura cunctator; ſive receptum ſibi ad amicitiam Caeſaris nollet omnem praecludere; ſive denique Pontificis Romani authoritatem, hoc divortio imminuendam exiſtimaret; nihil certe expediebat, donec importunitate victus, et vergentibus in Italia rebus Caeſarianis, legatos tandem conſtituit, qui de hac cauſa in Anglia cognoſcerent, Wolſaeum, et Campeium Cardinalem, hominem Italum, ſed Sarisburienſem ea tempeſtate per gratiam Regis Epiſcopum, cui Papa (ut ſtudium ſuum erga Regem declararet) bulla decretali (ut vocant) confecta quam fieri potuit occulte, matrimonium Regium cum Catharina irritum pronunciavit, ejuſque rei tabulas Legato cum hujuſmodi mandato dedit, ut iis Regi atque Wolſaeo oſtenſis, ſe illarum promulgandarum facultatem habere diceret, tempus vero quantum poſſet protraheret, neque ſententiam perferret, priuſquam novum mandatum à ſe accepiſſet. Placere quidem dicens, ut Regi tandem traderetur ea bulla (et veriſimile eſt eo animo tunc temporis eum fuiſſe) verum ſua intereſſe, negotium trahi, donec ſe contra Caeſaris iram ſatis muniiſſet. Haec in ſpeciem Legato, veterator egregius et ad ſimulationem unice comparatus, cum ille nihil aliud ſpectaret, niſi ut occaſiones integras ſibi reſervaret, quibus pro ratione temporis uteretur.

---

[p] Anno 1521. [q] Anno 1518. [r] Anno 1523. [s] Anno 1529.

Cum Londinum veniſſet Campeius; de Pontificis in Regem propenſiſſima voluntate (bulla etiam decretali oſtenſa) nihil non pollicetur, homo minime malus, quique non aliter ea de re loquebatur quam ſentiret. Nam Papa haud ignarus, quam difficile ſit hominem non ſtupidum fallere per nuncium conſcium doli, quique ipſe prius in errorem perductus non fuerit; nihil ſibi fecerat reliquum, ut, ſe Regis cauſa omnia facturum propenſiſſime, Legato eſſet perſuaſiſſimum. Cauſa igitur cognoſci caepta eſt, ſed lente ſatis, ita tamen ut in ſummam ſpem rei mox conficiendae Rex adduceretur, cum tandem, ad promiſſam et tam diu expectatam ſententiam ferendam, ſolito frigidius Campeium properare animadvertit. Nam potentia Caeſaris in Italia jam multum aucta; cum eum Papa non modo offendere deinceps nollet, ſed potius offenſionem illatam abolere cuperet: Franciſcum quendam Campanum in Angliam miſerat, alio quidem praetextu, ſed hoc praecipue habentem in mandatis, ut Cardinalem juberit, Decretum illud judiciale antedictum, igne protinus corrumpere, et reditum quantum poſſet maturare. Cum vero ſimul cum hoc mandato, aegrotare Pontificem nunciatum eſſet; rem exequi diſtulit aliquandiu Campeius, ut ſi forte moreretur ille, occaſione uteretur amico Regi gratificandi, à quo cum Epiſcopatum Sarisburienſem accepiſſet, ipſique ſpem certam feciſſet, omnia pro voto ſucceſſura; verebatur ne non ſolum ingratus, ſed etiam perfidus videretur, ſi Regem ita ludificari permitteret. Poſtquam vero convaluiſſe Clementem accepit, non auſus reniti, mandato obtemperavit, ac bullam in focum conjecit.

Rex interim qui rei conficiendae cupidine flagrabat, et moram omnem vel minimam moleſtiſſimam habuit; mutationem cito perſentiens; inquirere non deſtitit, donec rem prout geſta eſt, totam ordine reſcivit. Ac tum primum omnem iracundiae vim in Wolſaeum effudit; cujus ingenio cum nihil non effeciſſet hucuſque; per illum ſolum ſtetiſſe voluit credere, quominus ex animi ſui ſententia hoc negotium jamdudum fuiſſet confectum. O iniquam ſortem hominum Principi ingrato famulantium, et qui ex eventu conſilia cenſeat metienda. Totos jam viginti annos in obſequio Regis hic Cardinalis abſumpſerat, in eoque ita ſe geſſerat, ut ſibi magnam ſane potentiam et opes forte nimias, Regi vero optimi clariſſimique Principis famam comparaverit. Quoties enim, quanta cum laude Remp. hucuſque adminiſtrarit Henricus octavus apud animum meum perpendo, et deinde in ſequentium temporum calamitates oculos conjicio, equidem facile inducor ut illis aſſentiar, qui Wolſaei conſiliis aſcribant, quod ab omnibus Europae Monarchis hucuſque ſuſpiceretur, ne dicam metueretur. Et cui ſit imputandum, quod poſt eum ſublatum, duas uxores necaverit, duas repudiarit, tot mortales (interque eos viros egregios permultos) ob ſolam religionis cauſam capitali ſupplicio affecerit; ſuſpendio ſimul in Papiſtas ſaeviens, et ignibus in haereticos, (nam haec fuerunt eorum temporum vocabula) deinde quod eccleſiae patrimonium tam horribiliter devaſtarit et dilapidarit; ego mihi tantum non ſumo ut pronunciem. Hoc ſolum dico, Wolſaeum, ſi ad gubernacula conſediſſet, nunquam [permiſſurum, ut Rex tanquam navis gubernatore deſtituta, tam contrariis et incertis motibus fluctuaret.]

Ille vero magnitudine jamdudum laborans ſua, et plurimorum preſſus invidia, quam diuturna foelicitas et potentia in ſe concitarat; nutare ſtatim coepit ſimul ac infenſum habuit Regem, et ad primum ejus fremitum, tanquam ad Leonis rugitum (non expectato impetu) corruit proſtratus, ut caput quamvis ſubinde levare videretur, ſurgere tamen deinceps ſuiſque niti viribus nunquam valuerit. Neque enim Rex poſtquam ab eo ſemel alienatus eſt, in conſpectum ſuum eum unquam poſtea voluit admittere. Plus adeo potuerunt obtrectatorum calumniae (ne dicam opum quas poſſidebat ingentes ſplendor et cupiditas) quam tantorum laborum recordatio et tot annorum fidele obſequium, ad magnam utriuſque gloriam diligentiſſime praeſtitum. Haud me quidem latet, qualia ipſi crimina fuerint objecta. Ea vero mihi adeo probabilia non videntur, ut parum naſutum exiſtimem, cui primo ſtatim intuitu ab invidis conficta non appareant. Neque enim adverſus eum accuſationem ullam inſtituit quiſquam, priuſquam conſtitit, Regem, iracundia flagrantem, quod divortii negotium ex animi ſententia non ſucceſſiſſet, minas et vindictam dies nocteſque anhelare. Quamprimum enim ſimulatio Pontificis (aut ſi mavis perfidia) prodita eſt; Labyrinthum Romanum pertaeſus (in quo annos plus minus quinque erraverat, neque exitus ſpem ullam invenire potuit) ſepta quoviſmodo tranſilire decrevit, et vi perficere quod aliter obtineri non poſſe videbat, ac tanquam alter Alexander, *nodum hunc Gordium*, ingenio non ſolubilem, *gladio diſcindere.* Wolſaeum itaque accerſens, conſilium aperit novi matrimonii, Pontifice quantumvis invito ac refragante, ineundi; ſimulque petit, ut rationem aliquam inveniat, quomodo Campeius collega, iis non obſtantibus quae nuper accepiſſet in mandatis, ad ſententiam pro ſe ferendam poſſit adduci; In cujus facti excuſationem, multa (dicens) obtendi poſſe, ac in primis metum iracundiae Regiae, cujus fortaſſis cauſam habituri eſſent non inanem, niſi ipſi tam juſta petenti obſecundarent.

Quid his Wolſaeus reſponderit, parum habeo compertum. Illud conſtat, hominem, ſive quod primam ejuſce rei mentionem averſaretur, ut coepti temerarii nimiſque audacis; ſive quod de collega in eam ſententiam pertrahendo nullam ſpem facere voluerit; ſive (quod Sleydanus neſcio quo authore tradit) comperiſſet Rex, monuiſſe eum Pontificem, ne divortium cum Catharina approbaret, quod [illi] ſucceſſuram videret aliam Lutherana haereſi infectam: Minis certe et convitiis adeo exagitatum à Rege, ut animi valde conſternati plurima mox dederit indicia. Nam cum à Regia revertenti, Epiſcopus Carleolenſis (qui ſecundo fluvio iter facienti, in cymba unà aderat) de aeſtu (qui tum forte plus ſolito fervebat) conquereretur: *Tu* (inquit Cardinalis) *ſi meum locum modo obtinuiſſes, revera profecto aeſtuares.* Paulo tum poſt, ſummi Cancellarii munus jubetur ejurare. Neque multum deinde temporis interceſſit, cum accuſatio adverſus eum intenditur majeſtatis laeſae, idque (quod raro fit) in ipſo Parliamento, ut lege lata inauditus damnetur. Caeterum ille, conatum hunc invidorum neſcio unde praeſentiens; famulum quendam ſuum, Thomam Cromwellum (virum poſt magni nominis et potentiae) in album eorum curaverat legendum, quibus jus erat ſuffragium inter ordines ferendi. Ab eo edoctus quotidie Cardinalis quid objiceretur, monuit viciſſim per literas, quid eſſet reſpondendum: Quod ille (homo ingenioſiſſimus et egregie facundus, quamvis indoctus fere) ea et fide et facundia retulit ad Concilium, ut herum curaverit abſolvendum, et magnam ſibi laudem comparaverit, aditumque ſimul patefecerit ad magnos illos honores, quos deinde, paucorum annorum curriculo adeptus eſt.

Hac non ſuccedente, alia aggrediuntur via, poenam cujuſdam legis incurriſſe Cardinalem contendunt, unde omnibus fortunis exciderit. Hujus legis praetextu, hominem quaſi nudum è domo ſua ejiciunt, et opibus ingentibus per miniſtros Regios expoliant, ut ab amicis non tantum ſuppellectilem, ſed pecuniam etiam unde aleretur, mutuo ſumere neceſſum habuerit. Tum miſſi judices qui à praeſente quaererent de delicto cujus fecerant reum adverſarii; nempe, quod Legati poteſtate fungi tot annos auſus fuerit, à Rege ad id facultate non impetrata. Ad hanc eorum criminationem, ſeu mavis calumniam (neque enim quiſquam erat tam hebes, cui aut vera viſa ſit aut veriſimilis) in hanc ille fertur ſententiam reſpondiſſe.
“ Hoccine vero illud tam atrox eſt flagitium, ob quod
“ omnibus derepente fortunis ejicerer, et victum quaſi oſtiatim emendicare
“ cogerer, homo jam ſexagenarius, qui totam aetatem in obſequio Regis
“ conſumpſi, nullis parcens laboribus ut illius commodis proſpicerem?
“ Expectabam equidem ut proditionis aut laeſae majeſtatis arceſſerer;
“ non quod talis mihi delicti conſcius eſſem, ſed quod Regem noram
“ tam ſapientem, ut ſatis intelligeret, non decere conſtantiam et magna-
“ nimitatem Regiam ob levius aliquod peccatum, veterem amicum, et
“ ſummae apud illum tot per annos authoritatis, inauditum damnare, et
“ poena morte longe graviori plectere. Quis enim animi tam puſilli eſt
“ et abjecti, ut millies non malit perire, quam mille homines (tot mea alit
“ familia) quorum opera fideli jam diù uſus fuerit (de pleriſque loquor)
“ quaſi ante oculos pereuntes videre? Jam poſtquam nihil aliud video
“ afferri, quam quod à vobis objicitur, in ſummam ſpem erigor; nihilo-
“ que melius ceſſurum hunc invidorum conatum confido, quam de pro-
“ ditionis crimine intentando nuper initum conſilium. Ipſi ſiquidem

“ Regi (de cujus aequitate non poſſum non optime ſperare) notiſſimum
“ eſt, Legati munus me non auſum attingere, priuſquam diplomate[t] ſuo
“ ejus rei facultatem is mihi dediſſet. Iſtud vero diploma ſi ut proferam
“ jubetis, non poſſum fateor. Et hoc et alia quae poſſidebam omnia, mi-
“ hi erepta probe noſtis. Caeterum neque proferrem certè ſi haberem.
“ Ego enim cum Rege quorſum jure contendam? Agite proinde ac
“ Regi nunciate, me omnia quae habeo (quid dico habeo, cum nihil
“ mihi relictum videam?) quaeque unquam habui, illius unicè munifi-
“ centiae ferre accepta; nec iniquum cenſere, ut repoſcat qui contulerit,
“ ſi is me indignum illis exiſtimet. Quid ni igitur ipſi Regi hanc cauſam
“ dijudicandam relinquo, ut ille pro voluntate, me aut damnatum aut
“ abſolutum pronunciet? Huic ſi placet ut objectum crimen fatear, en
“ fateor, nec vobis ultra negotium faceſſo. Cum Regi ſatis conſtet de
“ innocentia mea, ut neque mea confeſſio, nec adverſariorum calumnia
“ in errorem poſſit eum perducere; equidem non abnuo quo minus con-
“ fitentem reum habeatis. Is qui peccantibus pro inſita clementia non
“ raro ſolet ignoſcere, innocentem (ſat ſcio) vel nolentem abſolvet.”

Hac edita confeſſione, poena legis protinus irrogata eſt, hoc uno dempto, quod carceribus perpetuis mancipando, libertas non eſt imminuta. Jam vero ſi poſt hac quomodo Rex eum tractaverit quaeras; eo fere pacto dicendum, quo murem devorandum familica felis. Nam annum integrum permiſit vivere, de quo perdendo certiſſime videtur ſtatuiſſe, et ita vivere, ut nunquam poſſet evadere, nec tamen de evadendo deſperaret. Quamvis enim vix ulla dies praeterierit per aliquot iſtos menſes, in quo non aliquid pertulerit miſer quod animum quantumvis ferreum ad iracundiam extimularet; Homo tamen ſuapte natura, animo ad perferendum adverſa parum forti, nunquam deſperatione fractus eſt, quod triſtibus laeti aliquid quotidie admixtum fuerit, crebris à Rege nunciis (ſed fere noctu ſemper et clanculum) adventantibus, qui de benevolo ejus affectu fidem facerent, monile nonnunquam, aut tale quippiam amoris ſymbolum afferentes; animum ne deſponderet monentes, futurumque brevi aſſeverantes, ut priſtinum gratiae et potentiae locum rurſus obtineret.

Praevalentibus tandem adverſis, incidit in morbum, quo omnes periturum exiſtimabant. Ad laborantem vocatus eſt medicus quidam Regius, à quo memorant Principem quaeſiſſe poſtea, quid morbi haberet Cardinalis: Cui ille; Quidquid id eſt morbi, ſi mortuum cupis, tu quieſcas, et haud totum triduum ſuperfuturum ſpondeo. Ad quam vocem Rex commoveri non mediocriter viſus, *Malim vero* (inquit) *viginti millium librarum jacturam facere quam ut ille moriatur. Abite igitur ocius tu, et quotquot alii medici in regia poſſunt reperiri, hominemque quam poteſtis diligentiſſime curate.* Deinde cum animo eum laborare magis quam corpore is retuliſſet; amandavit ad eum extemplo nobilem quendam cum annulo quo Regem ipſe Cardinalis olim donaverat, et nunciare juſſit, deferbuiſſe jam iracundiam ſuam; poenitere quod obtrectatoribus invidis tamdiu aures accommodaverit; perſpecturum brevi, haud minori ſe illum benevolentia complecti, quam quo tempore gratia apud ſe plurimum pollere noſceretur. Iſta cum rurſus ab alio atque itidem alio afferrentur;

---

[t] Sed forte dici poteſt, ipſum Diploma Regium contra Leges latas minime valuiſſe, in quibus ipſae licentiae, à Regibus conceſſae, ut illegitimae damnantur. Stat. 4 H. 5. c. 4. *MS. Lowth.*

recreatus ille, paucorum hercle dierum ſpatio, priſtinae ſanitati reſtitutus eſt.

Aulici igitur proceres (quorum multi proximum ſibi potentiae locum everſo Wolſaeo ſpoponderunt) metuentes vehementer, ne Regi revera reconciliatus, ſpem eorum eluderet, et jam laeſus, eorum cervices multo quam ante premeret gravius; omnibus ingenii nervis in hoc incubuerunt, ut Londini adhuc haerentem, aut alibi infra pauca milliaria, procul amandandum curarent. Neque vero Wintoniae (cujus Epiſcopatum Adminiſtratoris titulo tenebat) degere eum permiſerunt (Londino ea civitas quadraginta circiter milliaribus diſtat verſus occaſum hibernum) Eboracum ad Archiepiſcopatum regendum quidni abeat dictitantes, poſtquam Cancellarii munus Londini eum amplius non diſtineret? Itaque conceſſo viatico, eoque longe copioſiori quam conſiliarii Regii aſſignarant (videlicet pro 1000 marcis totidem libris, tertiam partem Rege ultro adjiciente) iter coepit Eboracum verſus (urbem Londino centum et quinquaginta milliaribus in Boreali parte regni ſitam) ſub finem menſis Martii anni 1530. Ex tot vero ſacerdotiis, nihil illi relinquunt ad victum quotidianum, praeter fructus praedicti Archiepiſcopatus, qui ea tempeſtate valebant credo 4000 librarum annuatim. Quod de Apicio Romano Seneca, cur non hic etiam nos de Wolſaeo? Quanta luxuria erat cui cenſus aureorum 13000 egeſtas fuit? Totam igitur aeſtatem inſequentem, non Eboraci, ſed Cawodiae (ubi domum habet Archiepiſcopus) moram traxit; ea comitate, juſtitia, liberalitateque erga dioeceſanos uſus, ut magnum ſibi amorem apud omnes hominum ordines conciliaverit. Hujus ſeceſſus voluptate diu non eſt datum frui. Invidorum gliſcente potentia, miſſus eſt Northumbriae Comes qui eum ad laeſae majeſtatis cauſam dicendam citatum comprehenderet, et eo caſu vehementer conſternatum, Londinum verſus captivum deduceret. In ipſo vero itinere incidit in morbum, quo indies ingraveſcente, in Coenobio tandem Leceſtrenſi extinctus eſt.

Ferunt Kingſtonum (qui illuc tum nuper venerat ſatellitibus aliquot Regiis comitatus) morti vicinum, ne animum deſponderet hortatum; Regem (cujus nomine multam illi dixit ſalutem) non aliam ob cauſam arceſſendum curaſſe perhibens, quam ut à criminum labe ſe purgaret, ab invidis et malevolis objectorum: Neque igitur dubitare ſeſe futurum brevi, ut multo ſit quam hactenus unquam, in gratia Principis validior, niſi propter animi mollitiem, moerori interim ſeſe conficiendum permittat. Ad ea Cardinalis (ultimam hanc vocem edens) ſic dicitur reſpondiſſe: "De ſalute Regis tam audio libenter, quam meam ipſius pro certo de- "ploratam cognoſco. Nam quod ad me attinet, octavus jam agitur dies, "à quo primum dyſenteria laboravi, cui ſemper febris adjuncta fuit; "quod genus morbi infra octo dies ſi nihil remittat, lethale plerunque "eſſe medicos (ut puto) non latet. Viribus igitur jam deſtitutus et morbo "magis magiſque ſaeviente; expecto ad ſingula momenta, quando Deus "hanc peccatricem animulam ex corporis ergaſtulo ad ſe avocet. Quod "ſi futurum eſſet ut pauliſper adhuc viverem, anne me tam hebetem "exiſtimas, ut oculos fugiant intentatae mihi caſſes? Tu (ni fallor) King- "ſtone, Turris Londinenſis es Coneſtabilis, nec igitur dubito ad quid "veneris. At hoc merito praemium fero, quod officii erga Deum parum "memor, Regi placendi unice ſtudioſus, ad hunc ſcopum omnes animi "cogitationes direxi. O me miſerum et inſenſatum qui Deo ſummo Regi “adeo extiterim ingratus; quem ſi pro officio, ſic ut Chriſtianum decuerat, coluiſſem; ille, ille, me canis aſperſum jam tandem non deſeruiſſet. Utinam ex me caeteri omnes (atque inprimis Rex ipſe) exemplum capiant quam lubrico loco ſtetur in hoc mundo ab iis, qui Dei ſuper omnia bonitati ac providentiae tanquam baculo firmiſſimo non innituntur. Regiam igitur majeſtatem meo nomine ſalutes plurimum, et hoc unicum ab illo me rogare nuncia, ut examinis coram ſummo tribunali olim ſubeundi (cui jamjam me ſiſtendum video) memor vivat. Ita certe futurum eſt, ut noxae quam mihi impingunt adverſarii, ſecreto conſcientiae ſuae teſtimonio me eximat.” Plura dicturum vox defecit, atque mors continuo inſequuta eſt[u]. Defuncti cadaver, Pontificalibus ornamentis indutum, poſtquam totum eum diem (nam prima luce expiravit) jacuiſſet in propatulo, omnibus qui id vellent conſpiciendum; ſine pompa funebri, nocte intempeſta tumulatum eſt in eccleſia dicti Monaſterii, idque (ut Stous) in medio capellae B. Mariae; ut alius vero, in navi eccleſiae ad ingreſſum chori.

Alere conſuevit in familia hic Cardinalis plus minus mille homines; interque eos Comitem unum, Barones ſaepe octo vel novem, Equites auratos et ſpectatae nobilitatis quamplurimos; ac aliorum, quorum unicuique ſuum munus aſſignatum fuerat, ultra quadringentos, praeter iſtorum famulos, qui eum numerum longe ſuperabant. Miniſtros deinde ſacrorum ſemper habuit ſecum ad 63; videlicet capellae ſuae Decanum, Subdecanum item, Symphoniacum, Archimuſicum, Cantores 35, (ſcilicet clericos 13, laicos 12, et pueros 10) aedituos porro quatuor praeter ſacellanos (viros eruditione per totam Angliam praeſtantiſſimos) ſedecim, atque crucigeros duo, columniferoſque totidem.

Sed nihil eſt quod perinde magnitudinem opum et potentiae ejus oſtendat, ac ſtructurae quas reliquit magnificentiſſimas, et plus quam Regias. Principem locum inter eas jure ſibi vendicant Collegia, unum Ipſuici coeptum extrui (quod jamdudum evanuit) et alterum Oxoniae. Cumque paulo antequam illa inchoaret, ſeptem viris doctiſſimis ſtipendia aſſignaſſet ampliſſima, ut artes totidem Oxoniae profiterentur; his in collegio ſuo ibidem ſedem deſtinavit, et ducentis praeterea ſtudioſis ibidem alendis. Verum antequam opus nobiliſſimum ad umbilicum poſſet perducere, oppreſſus et ſpoliatus interiit, relicturus aliter abunde unde abſolveretur. Nam quadraginta coenobiola, Papa et Rege annuentibus, diruerat (via ſic Regi monſtrata ad omnium Coenobiorum [everſionem]) atque ex illorum praediis, necnon et aliis à ſe coëmptis, plurima congeſſerat latifundia, quibus dicta collegia affluenter dotaret. Haec omnia cum Regi fuiſſent adjudicata quando ille damnatus eſt; non paſſus Deus opus tam egregium omnino perire; ex ſuo Rex contulit poſtea unde Decanus, Praebendarii octo, ſtudioſi etiam centum, pauperes 24, et miniſtri ſacrorum neſcio quot, in eo collegio per Wolſaeum ſemiconſtructo alerentur (ubi etiam Epiſcopalem cathedram paulo poſt collocavit) et appellari praecepit *Collegium Chriſti ex fundatione Regis Henrici octavi.* Ut tranſeam jam ad alià, Palatium Weſtmonaſterienſe (tunc Eboracenſe dictum, quod ad Archiepiſcopum ſpectaret, quodque hodie Regum noſtrorum praecipua ſedes exiſtit) illius ſumptu fere totum extructum eſt. Hantoni vero curiam (inter Regias noſtrates omnium longe elegantiſſimam) à fundamentis ipſe excitavit, et opulentiſſima ſuppellectile inſtructam,

---

[u] Obiit 29 Novembris 1530.

Regi (munus verè Regium) donavit. Haec enimvero omnia, imperitorum quorundam judicio ſuperavit, unius mauſolei ſtructura. Ex aere ſolido imperfectum id monumentum viſitur, in capella quadam eccleſiae Windeſorenſis, Henrici octavi nomen praeferens, quanquam non deſint qui affirment (ſed perperam) ſibi ipſi à Cardinale ut in eo tumularetur deſtinatum.

LVIII. EDWARDUS LEE.

1531. HEN. 8. 23. CUM per mortem Cardinalis annum jam integrum ſedes vacaſſet, ab Henrico Rege eidem praeficitur Edwardus Lee[x], ipſi ab Eleemoſynis, ſacrae Theologiae Doctor, qui in Magdalenenſi Collegio Oxoniae literis operam navarat, unde artium Baccalaureus creatus, Cantabrigiam avocatus, caeteris gradibus ſcholaſticis ibidem eſt honeſtatus[y]. Cum magno illo Eraſmo hic congredi auſus eſt, ſed certamine impari. Poſtquam plurimas obiiſſet legationes, et Archiepiſcopus huic eccleſiae annos tredecim praefuiſſet, Septembris decimo tertio deceſſit 1544, et in ſua ſepultus eſt eccleſia, ubi epitaphium legitur hujuſmodi: *Edwardus Leus Archiepiſcopus Eboracenſis Theologus eximius atque in omni literarum genere longe eruditiſſimus, ſapientia et vitae ſanctitate clarus, Evangelicae doctrinae ſyncerum praeconem ſemper agens, pauperibus beneficus, omnibus ordinibus juxta charus, magno de ſe apud omnes deſiderio relicto, hic ſepultus jacet. Sedit Archiepiſcopus annos paulo minus* XIII, *Obiit Idibus*[z] *Septembris aetatis ſuae anno* LXII, *Chriſti* 1544.

LIX. ROBERTUS HOLGATE.

1544. HEN. 8. 36. SUB exitum ejuſdem anni (Januarii nimirum decimo ſexto 1544) Robertus Holgate[a], ſacrae Theologiae Doctor, à ſede Landavenſi huc tranſlatus eſt, cum ibi annos ſeptem praefuiſſet. Monachus quandoque fuerat ex ordine Sempringamio; et Coenobio everſo, ſacerdotium neſcio quod fertur adeptus, prope locum ubi habitabat Eques quidam auratus, dictus Franciſcus Askew, in Comitatu Lincolnienſi, inter quem et ipſum lites plurimae neſcio quibus de rebus jactatae ſunt: Quas ut perſequeretur, coactus eſt Londinum ſaepe commeare; ubi, ut ſe contra tanti viri potentiam muniret, in numerum ſe cooptari curavit capellanorum Regiorum, et non multo poſt ad Landavenſem Epiſcopatum provectus eſt, ac mox (ſicuti retulimus) ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus, Praeſes etiam Borealium Angliae regionum conſtitutus. Fama fertur (quod memoratu puto non indignum) contentionem neſcio quam, inter Equitem antedictum et alium quendam exortam fuiſſe, et hujuſce Archiepiſcopi (jam Praeſidis) authoritate terminandam. Illum igitur memorem, quantum olim negotii Holgato ſacerdoti pauperculo faceſſiſſet, veritum vehementer, ne ſummo jure ſecum ab eo jam Archiepiſcopo ageretur: Archiepiſcopum vero, regulae Evangelicae memorem, malefacta benefactis rependenda; humaniſſime cum illo egiſſe, et cauſam ejus (quantum jura permitterent) promoviſſe; amicis, quaſi joco reddita hujus facti ratione, hujuſmodi; multum ſe Equiti debere, qui niſi durius ſecum egiſſet, oportebat ipſum in tenui ſacerdotio aetatem ſuam univerſam conterere. Cum annos ſediſſet circiter octo, Maria regnum auſpicante, in Turrim Londinenſem fuit conjectus; ubi cum ſeſquiannum jacuiſſet, exauthoratus eſt, idque (ni fallor) quod uxorem [b] duxiſſet.

---

[x] Eccleſiae Sariſburienſis Cancellarius A°. 1529.

[y] Sacrae Theologiae Doctor in partibus tranſmarinis, non in Academia Cantabrigienſi.

[z] Obiit 30 Septembris 1544. *Regiſtr. Cranm.* f. 306.

[a] De Hemſworth in agro Eboracenſi.——Licentia eligendi conceditur 5 Jan. 1544. Regis habet aſſenſum 22 Jan. Temporalia reſtituta ſunt 30 Jan. *Rym. Foed.* T. 15. p. 60.

LX. NICOLAUS HEATH.

*1555. Mar. 2. CIRCA annum domini 1539 [c] Nicolaus Heath [d], è Cantabrigienſi Academia ſacrae Theologiae Doctor et Eleëmoſynarius Regius, in Epiſcopum Roffenſem conſecratus eſt: A qua eccleſia poſt quadriennium Wigorniam eſt tranſlatus, et ſub Edwardo ſexto (anno 1551) exauthoratus [e]. Maria vero Regina, ut primum regni compos facta eſt, eum non ſolum reſtituit, ſed Walliae etiam Praeſidem conſtituit [f]. Anno deinde ſequenti ad Metropolim Eboracenſem evectus eſt [g], et Gardinero Wintonienſi defuncto, Angliae Cancellarius renunciatus [h]. His muneribus ad Elizabethae uſque Reginae tempora functus eſt; Illa vero regnum auſpicante, cum [caeteris] eorum temporum Praeſulibus amotus et in ordinem redactus [i], reliquum aetatis Cobhamiae in Comitatu Surreiae (ubi praediolum pretio comparaverat) *Deo et bonis ſtudiis* (ſic Camdenus noſter) *ſecurus plures annos vixit, tanta apud Reginam gratia, ut eum ſubinde mira comitate inviſerit.*

LXI. THOMAS YOUNG [k].

1560. Eliz. 3. THOMAS YOUNG legum Doctor [l], Eccleſiae Menevenſis Praecentor, in Epiſcopum ibidem conſecratus viceſimo primo Januarii 1559, ad hanc ſedem eſt tranſlatus viceſimo Februarii 1560: ſimulque Praeſes Borealis Angliae conſtitutus. Sheffeldiae deceſſit 26 Junii 1568 [m], et in ſua eſt eccleſia ſepultus. Illo ſedente aula Palatii Archiepiſcopalis Eboraci [diruta] eſt, quam ingenti ſumptu Thomas ſenior ante annos ferme 500 conſtruxerat.

LXII. EDMUNDUS GRINDALL.

1570. Eliz. 12. EXAUTHORATO Bonero ſucceſſor datus in ſede Londinenſi Edmundus Grindallus Aulae Pembrochianae Cantabrigiae Praeſes [n], electus viceſimo ſexto Julii 1559. Cum ſediſſet ibi annos ferme undecim, Maii viceſimo ſecundo 1570 huc tranſlatus eſt. Hinc vero etiam Cantuariam migravit anno 1575.

---

[b] Quidam nomine Normanus vendicat uxorem Archiepiſcopi, dicens eſſe ſuam. Examinatio hujus rei commiſſa eſt quibuſdam per Regem 23 Nov. 1551. *Ex actis Privati Concilii.* Exauctoratus in Turrim ejectus A°. 1554 et anno 1555 abſolvitur poſtulatione Philippi Regis. Teſtamentum condit 27 Apr. 1555, quod et probatum eſt 4 Dec. 1556; extat in libro Kitchin in Curia Prerog. Cantuar.

[c] Conſecratus 4 Apr. 1540. *Regiſtr. Cranm.* f. 259.

[d] Natus in Civitate Londinenſi. Collegii Chriſti Cantabr. Scholaris, Aulae verò Clarenſis Socius. Archidiaconus Staffordienſis.

[e] Decimo Octobris 1551. *Regiſtr. Cranm.*

[f] Primo Mariae. *MS. Moor.* Num. 388 in Bibl. Reg. Cant.

[g] Licentia eligendi conceſſa eſt 19 Feb. 1554. *Rym. Foed.* T. 15. p. 415. Cuſtodiam habet Temporalium 26 Mar. 1555, et reſtitutionem 27 Nov. *Id.* p. 418, 427.

[h] Cancellarius Angliae primo Januarii 1555. *Dugd. Catal.*

[i] Spiritualia hujus Archiepiſcopatus per deprivationem Nic. Heath tractantur per Capitulum Ebor. 3 Feb. 1559. *Excerptae è libris Capit.* penes Editorem.———Obiit Cobhamiae anno 1579, et in Eccleſia parochiali ibidem ſepultus jacet, nullo marmore honorario inſignitus.

[k] Exauctorato Nicolao, Gulielmus Mey L. L. D. electus eſt à Capitulo Auguſti octavo 1560. Eo verò decedente, Thomas Menevenſis Epiſcopus eſt electus Jan. 30. 1560. *Excerpt. è libris Capit.* ut ſupr.

[l] Collegii Novi Oxon. aliquando Socius.

[m] Ita Epitaph.

[n] Praeſes et Epiſcopus Londinenſis eodem tempore factus eſt, ſc. anno 1559.

◆ ◆ ◆

LXIII. EDWINUS SANDS.

1576. Eliz. 19.

NOBILI ortus familia[o] Edwinus Sands, ſacrae Theologiae Doctor, Aulae S. Catharinae Praeſes Cantabrigiae, et ejuſdem Academiae fuit Procancellarius, quando Northumbriae Dux cum exercitu illac tranſiens ut Mariam (regni tum primum faſces arripientem) opprimeret, coëgit eum, non admodum invitum, Janae Graiae (quae Regina fuerat declarata) cauſam pro concione propugnare: Quod ille fecit tam modeſte ſimul et prudenter, ut Northumbrius officio abunde ſatisfactum ab illo agnoverit, neque tamen adverſam factionem multum iritaverit. Nam cum rebus mutatis, tam Dux quam ipſe poſtridie in vincula raperentur; Dux paulo poſtea capitali quidem ſupplicio affectus eſt; ipſe vero poſt aliquot menſes, amicorum interceſſione liberatus, in Germaniam una cum uxore[p] profugit, ubi, quoad vixit Maria, delituit, et auſpicante regnum Elizabetha, revocatus, Wigornienſis Epiſcopus declaratur, conſecratus viceſimo primo Decembris 1559. Grindallo deinde ſucceſſit utrobique, Londini nimirum 1570, et Eboraci poſt ſexennium[q]. Ibi cum ſediſſet duodecim annos, exceſſit è vivis octavo Auguſti[r] 1588, et Southwelliae eſt tumulatus. Vir neſcio utrum ſuis virtutibus clarior, an generoſiſſima ſobole foelicior.

◆ ◆ ◆

LXIV. JOANNES PIERS.

1588. Eliz. 31.

JOANNES PIERS, ſacrae Theologiae Doctor[s], atque aedis Chriſti Oxoniae Decanus[t] (Magdalenenſis vero Collegii olim Socius) in Epiſcopum Roffenſem anno 1576 conſecratus eſt, et Eleëmoſynarius Regius eodem tempore conſtitutus. Inde anno tum proximo Sariſburiam tranſlatus, Eleëmoſynarii munus adhuc retinuit. Sandio tandem defuncto ſubſtituitur Eboraci[u], et diem clauſit extremum[x] ſub exitum Septembris 1594.

◆ ◆ ◆

LXV. MATTHAEUS HUTTON.

1594. Eliz. 37.

ANNO adhuc eodem non elapſo, menſe Martio ineunte, Matthaeus Hutton[y], ſacrae Theologiae Doctor, primo Collegii S. Trinitatis Cantabrigiae Socius[z], dein [Aulae] Pembrochianae Praeſes[a], qui ex Decano Eboracenſi anno 1589 in Dunelmenſem Epiſcopum fuerat conſecratus, eccleſiae huic Metropoliticae praeficitur[b]. Januario[c] menſe 1605 deceſſit. Ad Collegium ubi fuerat educatus novis aedificiis amplificandum, hic Praeſul centum contulit marcas.

---

[o] Natus apud Coniſide (Coniſby *Fuller.* in *Herwol.* p. 110.) in agro Lancaſtr. *Cambd. Brit.* p. 979.——Potius verò filius Gulielmi Sandys de Turneſs in Com. Lancaſtr. *MS. Anſtis.*

[p] Caecilia filia Thomae Wilford de Hartridge in Com. Cant.

[q] Huc tranſlatus ab Epiſcopatu Londinenſi 8 Mar. 1576.

[r] Decimo Julii 1588, aetatis 69. *Ex Epitap.*

[s] Natus apud Hinxey Oxoniam juxta.

[t] Eccleſiarum etiam Ceſtriae et Sariſburiae Decanus.

[u] Confirmatus 19 Feb. 1588. *Regiſtr. Whitg.* f. 63.

[x] Apud Biſhopsthorpe, viceſimo octavo Septembris 1594. *Ex Epitap.*

[y] Lancaſtrenſis natu, Grindallo (ni fallor) cognatione conjunctus; qui reſignans Magiſterium Aul. Pembr. hunc ſuum Sacellanum Collegio commendavit.

[z] Anno 1556.

[a] Quarto Maii 1562. Rector de Boxworth Septembris quarto 1563.——Reſignat Praebendam in Eccleſ. Cath. Elienſi 25 Jun. 1567.

[b] Viceſimo quarto Martii 1594. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 45.

[c] Apud Biſhopsthorpe 15 Jan. 1605. Aetat. 76.——Praelectoris Theologici in Acad. Cantabrigienſi munere duplici fuerat functus, primo pro Dna Margareta A°. 1561, deinde pro Rege A°. 1562.

LXVI. TOBIAS MATTHEW.

1606. Jac. 1. 4. AUGUSTI decimo octavo[d] 1606 Tobias Matthaeus, ſacrae Theologiae Doctor, Epiſcopus Dunelmenſis, hujus ſedis Archiepiſcopus legitima confirmatione declaratur. Quem, in civitate natum Briſtolienſi, atque aedis Chriſti Oxoniae alumnum, per multos dignitatum gradus ad hoc faſtigii ſuae virtutes extulerunt. Fuit namque dicti Collegii primum Praebendarius, mox Decanus, Collegii deinde S. Joannis in eadem Academia Praeſes, ac poſtremo Dunelmenſis eccleſiae Decanus; unde ad praeſulatum vocatus, conſecratus eſt menſe Martio 1594[e]. Succenſerem hic mihi, quod de virtutibus noſtri temporis Praeſulum praedicandis, ſilentium mihi indixerim, veritus ne cum caeteris omnibus malignus, tum iis qui quantum huic viro debeam ingratus exiſtimer; niſi meis verbis laudare prohibitus, ſua mihi amiciſſimus Camdenus ſuppeditaſſet, apud quem meritiſſimum habet hoc elogium, *Virtutum et pietatis ornamentis, erudita facundia et docendi aſſiduitate reverendiſſimum exiſtere.* Non licet hic tacere, quod, quo tempore haec ſcribimus, Bibliothecam publicam Briſtoliae (amoris erga patriam authoramentum) librorum copia molitur inſtruere. Opus hercle egregium, quodque plures utinam imitentur; cum prae librorum inopia, plurimi tenuioris ſortis Miniſtri tanquam falcibus deſtituti, à ſegete dominica demetenda ſaepenumero detineantur. Deceſſit 29 Martii 1628, et in Eccleſia ſua Cathedrali jacet ſepultus.

* * *

LXVII. GEORGIUS MOUNTAIGNE.

1628. Car. 1. 4. MATTHAEO, poſt annorum pluſquam viginti in hoc Archiepiſcopatu decurſum, mortuo ſucceſſit Georgius Mountaigne primo Julii anno 1628[f]. Qui cum paucos ſolummodo menſes in hoc honorum Eccleſiaſticorum, quos quidem et multiplices et amplos ſuſtinuit, meta atque termino poſuiſſet, Cawoodae in agro Eboracenſi commorans obiit; ubi marmor ipſius memoriae ſacrum, plenius et melius Archiepiſcopi laudes celebrat quam oratio noſtra. Collegii Regin. apud Cantabrigienſes aliquando alumnus, jam tandem inter Patronos annumerandus, in perpetuum diſcipulatus duos ſtipendio ſatis honeſto dotavit.

“ GEORGIO MOUNTAIGNEO honeſtis hoc in oppido penatibus oriundo,
“ per cunctos diſciplinarum gradus Cantab. provecto, et Academiae Pro-
“ curatori, ſub initio *D. Jacobi* hoſpitio quod *Sabaudiam* vocant, et eccle-
“ ſiae *Weſtmonaſterienſi* praefecto, ab eodem *R.* ad Praeſulatum *Lincol-*
“ *nienſem*, ac inde poſt aliqua temporum ſpiramenta *Londinenſem* pro-
“ moto; à *Carolo* divi *F.* ad *Dunelmenſem* honeſtiſſ. ſenii et valetudinis
“ ſeceſſum tranſlato; moxque, *H. E.* infra ſpatium trimeſtre ad Archie-
“ piſcopatum *Eboracenſem* benigniter ſublevato; Viro venerabili, aſpectu
“ gravi, moribus non injucundis, ad beneficia non ingrato, injuriarum
“ non ultori unquam, nec (quantum natura humana patitur) memori, am-
“ borum principum Dom. ſuoque eleëmoſynario. Vixit annos 59. *M.* 6.
“ *D.* 2.”

---

[d] Confirmatus viceſimo octavo Auguſti. *Regiſtr. Bancr.* f. 44.

[e] Menſe Aprili 1595.

[f] *Regiſtr. Abbot.* par. 2 f. 125.

LXVIII. SAMUEL HARSNET.

1628. Car. 1. 4. IN defuncti locum ſucceſſit Samuel Harſnet, ſacrae Theologiae Doctor, Aulae Pembrochianae Cantabrigiae aliquando Magiſter. Anno 1609 Epiſcopus fit Ciceſtrenſis, inde 1610 Norwicenſis conſtitutus, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem poſtremo evocatus Januarii decimo tertio 1628. Biennio circiter exacto obiit; in Eccleſia Parochiali de Chigwell in Comitatu Eſſexienſi ſepultus, ubi marmor extat ſepulchrale, et aerea inſuper tabula Epiſcopi effigiem mitratam exhibens, et epigramma hoc ſingulare quod ipſe inſcribi juſſit;

> “ Hic jacet Samuel Harſnet quondam Vicarius hujus Eccleſiae, primo
> “ indignus Epiſcopus *Ciceſtrienſis*, deinde indignior Epiſcopus *Norwicenſis*,
> “ demum indigniſſimus Archiepiſcopus *Eboracenſis*, qui obiit XXV
> “ die Maii A. D. MDCXXXI.”

LXIX. RICHARDUS NEILE.

1631. Car. 1. 7. RICHARDUS NEILE, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Divi Joannis Evang. Cantabrigiae aliquando Socius, et Eccleſiae Weſtmonaſterienſis Decanus: de quo illud praecipue memoratu dignum occurrit, inter Anglicanos omnes quotquot uſquam extiterint Epiſcopos, neminem totidem à Dioeceſi ad Dioeceſin migrationes obiiſſe; quippe anno 1608 Epiſcopus Roffenſis conſtitutus, 1610 ad Dioeceſin Lichfeldenſem, inde ad Lincolnienſem 1613, ad Dunelmenſem 1617, ad Wintonienſem 1627, poſtremo ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus decimo nono Martii 1631. Non infimae erat inſtar laudis, quod factionis Puritanicae odium atque invidiam provocaverit egregia erga Regem et Eccleſiam fide ſpectabilis: Obiens Eboraci triceſimo primo Octobris 1640, inimicorum jam tum dominantium minaces fefellit iras.

LXX. JOANNES WILLIAMS.

1641. Car. 1. 17. CUM jam opibus et ingenti apud populum gratia indies valerent Preſbyteriani, Carolus temporibus aliquatenus ſervire cupiens, et infenſos ſeditioſorum animos lenire et conciliare, Joannem Williams, Epiſcopum tum Lincolnienſem, virum tanto apud illos in honore habitum, quanto apud Regem odio, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem promovit quarto Decembris 1641, Decanatum inſuper Weſtmonaſterienſem commendatitio jure adjunctum paſſus tenere. Verum adeo non favore Regio delinita animos ſubmiſit, ut auctis viribus audacior indies graſſaretur Factio popularis: et cum jam denuo in dubium vocaretur illud inviolabile Epiſcoporum jus ſuffragium ferendi in Superiori Parliamenti domo, ita accidit ut populus tumultuans et impune debacchans contra Hierarchiam, illi inſignia Epiſcopalia gerenti occurreret et manu violenta injecta detraheret diriperetque; quam injuriam, ut erat animi praefervidi et ferocis, cum moleſte ferret, author fuit fratribus reverendiſſimis hac de re conſulentibus, ut libello ſupplici, apud Regem et Superiorem Parliamenti Domum exhibito, non modo graviſſima de injuriis querela afferretur, verum etiam ut proteſtatione interpoſita denunciarent, ſe nihil à Domo illa decretum pro rato habituros, cui ipſis intereſſe per vim illatam impune non licebat. Qui quidem libellus cum ab ipſis fuiſſet exhibitus triceſimo Decembris 1641, adeo non profecerunt ut poſtmodo laeſae Majeſtatis accuſati omnes cuſtodiae mandarentur. Tum demum belli civilis flamma longe lateque graſſante, Archiepiſcopus aliquandiu à partibus Regiis ſtetit; verum poſtea, conſilio mutato, in Puritanorum caſtra tranſivit et contra Regem militavit. Quod porro ſupererat vitae ignobili conſumpſit otio; obiit viceſimo quinto Martii 1650. Acri vir ingenio et eruditione clarus, in negotiis civilibus adminiſtrandis bene verſatus; Cancellarii munus ampliſſimum (in hoc laudis genere Eccleſiaſticorum poſtremus) non ſine honorifico integritatis et judicii teſtimonio ſuſtinuit.

LXXI. ACCEPTUS FREWEN.

1660. Car. 2. 12. CAROLI ſecundi meliores fortunas cum reſtituta ſequeretur Monarchia, ad Archiepiſcopatum jamdiu vacantem Octobris quarto 1660 promovetur Acceptus Frewen, à Dioeceſi Lichfeldenſi (quam etiam cum fere extincta Hierarchia adminiſtrandam ſuſceperat) tranſlatus. Triennio et quod excurrit exacto obiit in Aedibus Epiſcopalibus Biſhopſthorpiae prope Eboracum viceſimo octavo Martii 1664; in Eccleſia Cathedrali ſepultus, ubi marmor ſepulchrale magnificum extat. Collegio Magdalenenſi Oxon. cui per viginti annos praeſidebat, mille libras ſupremis tabulis legavit.

LXXII. RICHARDUS STERNE.

1664. Car. 2. 16. PROXIME ſucceſſit Richardus Sterne, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Jeſu Cantabrigiae Magiſter; qui cum temporibus iniquiſſimis fidem erga Regem tueretur inviolatam, una cum quibuſdam aliis Collegiorum praefectis à Perduelibus comprehenſus incarceratur, aliquando etiam ad naves damnatus, eo conſilio (ut exiſtimabatur) ut ad Mauros emptores ablegatus in ſervitutem crudelem abiret: aliquando tandem carcere liberatus, victum miſere quaeſivit. Cum Carolo una fortunam ſecundam expertus, ad Dioeceſin Carleolenſem 1660 promovetur, et menſe Maio 1664 ad Archiepiſcopatum Eboracenſem tranſlatus. Deceſſit decimo octavo Junii 1683, cum praeclara pietatis et eruditionis fama ingens ſui deſiderium relinquens: in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus, ubi marmor ſepulchrale ipſius memoriam poſteris commendat. In Collegio Jeſu quatuor diſcipulatus, et in C. C. C. itidem duos, ſingulis ſtipendio decem librarum allocato in perpetuum dotavit.

LXXIII. JOANNES DOLBEN.

1683. Car. 2. 35. DEFUNCTO Richardo mox ſufficitur Joannes Dolben, ſacrae Theologiae Doctor, aliquando ex Aede Chriſti Oxon. quo tempore Regis Caroli ſigna ſecutus, non ſine gloria militavit. A viſitatoribus Parliamentariis anno 1648 ejectus, quà licuit in otium ſeceſſit. A Carolo reduce ad Aedis Chriſti Canonicatum, inde Eccleſiae Weſtmonaſterienſis Decanatum, et deinde ad Epiſcopatum Roffenſem 1666, poſtremo ad Archiepiſcopatum Eboracenſe evectus decimo ſexto Auguſti 1683[h]. Obiit undecimo Aprilis 1686, variolarum morbo extinctus; honorum Eccleſiaſticorum curriculo magna cum laude ſua perfunctus: in Eccleſiae Cathedralis Choro Auſtrali ſepultus, ubi marmor perquam magnificum extat ipſius memoriae ſacrum.

LXXIV. THOMAS LAMPLUGH.

1688. JAC. 2. 4. JACOBUS Rex ſedem hanc Archiepiſcopalem ultra biennium vacare paſſus, eo animo ut Religionis quam tum moliebatur mutatione confecta, è Pontificiorum grege aliquis ſufficeretur; et profecto tunc temporis in Civitate Eboraco commorantem quendam Smyth, in partibus infidelium Epiſcopum, comperio, cui forte haec ſedes Archiepiſcopalis deſtinabatur; aut fortaſſe Jeſuito cuidam nomine Peters, Regi è ſecretis. Aliquando tandem nominavit Thomam Lamplugh[i] Epiſcopum Exonienſem; qui, cum contra Gulielmum liberatorem, qui tum agro Devonienſi appuliſſet, Regias partes ſtrenue tueri velle videbatur, magnam apud Regem, periculi magnitudine perculſum, gratiam inivit, hac fidei mercede donatus: Verum idem jam Eboracenſis Gulielmo rerum potito facili obſequio ſe ſubmiſit. Diem clauſit extremum Maii quinto 1691, Aetatis 75, in Eccleſia ſua ſepultus jacet.

LXXV. JOANNES SHARP.

1691. GUL. et MAR. 3. SUCCESSIT Joannes Sharp, S. T. P. Sancti Aegidii in pratis Londini Rector, et Eccleſiae Cantuarienſis Decanus; qui quidem magno cum periculo ſuo Eccleſiae Anglicanae periclitanti in trepidis rebus aſtitit vindex intrepidus. Conſecratus quinto Julii 1691[k], Bathoniae obiit ſecundo Februarii 1713, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus. Illius de laudibus ne plura commemorem admonet quod marmori ſepulchrali inſcribitur Elogium[l].

---

[h] *Regiſtr. Sander.* f. 53.

[i] Confirmatus Dec. 8. 1688. *Regiſtr. Sander.* f. 171.

[k] *Regiſtr. Suſpen. Sander.* f. 51.

[l] "*M.* S. Reverendiſſimi in Chriſto patris JOANNIS SHARP Archiepiſcopi *Eboracenſis*, Qui honeſtis parentibus in hoc comitatu prognatus, *Cantabrigiae* optimarum artium ſtudiis innutritus, tum ſoli, unde ortus, tum loci, ubi inſtitutus eſt, famam ſui nominis celebritate adauxit. Ab Academia in domum illuſtriſſimi Dom. *Heneagi Finch*, tunc temporis Attornati Generalis, ſummi poſtea *Angliae* Cancellarii, virtutum omnium altricem fautricemque evocatus, et Sacellani miniſterium diligenter abſolvit, et Sacerdotis dignitatem una ſuſtinuit. Talis tantique viri patrocinio adjutus, et natura pariter et doctrinae dotibus plurimum commendatus; peracto rite munerum eccleſiaſticorum curſu, cum Parochi, Archidiaconi, Decani officia ſumma cum laude praeſtitiſſet, ob eximia erga Eccleſiam *Anglicanam* merita, quam iniquiſſimis temporibus, magno ſuo periculo contra apertam Pontificiorum rabiem argumentis invictiſſimis aſſeruerat, propugnaverat, ſtabiliverat; Apoſtolicae ſimul veritatis praeco, ac fortitudinis aemulus, faventibus *Gulielmo* et *Maria* regibus, plaudentibus bonis omnibus, ad Archiepiſcopalis dignitatis faſtidium tandem evectus eſt. Nec hujuſce tantum provinciae negotia ſatis ardua feliciter expediit, ſed et *Annae* principum optimae tum à conſiliis, tum ab Eleemoſynis fuit; quas utcunque amplas, utcunque diffluentes, ne quem forte inopum à ſe triſtem dimitteret, de ſuis ſaepenumero facultatibus ſupplevit.

"Erat in ſermone apertus, comis, affabilis; in concionibus profluens, ardens, nervoſus; in explicandis Theologiae Caſuiſticae nodis dilucidus, argutus, promptus; in eximendis dubitantium ſcrupulis, utcunque naturae bonitate ad leniores partes aliquanto propenſior, aequi tamen rectique cuſtos ſemper fidiſſimus. Primaeva morum ſimplicitate, inculpabili vitae tenore, propenſa in calamitoſos benignitate, diffuſa in univerſos benevolentia, ſtudio in amicos perpetuo ac ſingulari, inter deterioris ſaeculi tenebras emicuit, purioris aevi lumina aequavit. Tam acri rerum coeleſtium deſiderio flagrabat, ut his ſolis inhians, harum unice avarus, terrenas omnes neglexerit, ſpreverit, conculcarit. Eo erat erga Deum pietatis ardore, ut Illum totus adamaverit, ſpiraverit, Illum ubique praeſentem, Illum ſemper intuentem, animo ſuo ac ipſis fere oculis obſervaverit. Publicas haſce virtutes domeſticis uberrime cumulavit, Maritus et Pater amantiſſimus, et à Conjuge, Liberiſque impenſe dilectus, qui, ne deeſſet etiam mortuo pietatis ſuae teſtimonium, hoc marmor ei moerentes poſuerunt."

LXXVI. GULIELMUS DAWES.

1713. Annae 13. POST paucos dies ſucceſſit Gulielmus Dawes S. T. P. et Baronettus, aliquando è Collegio D. Joannis Baptiſtae Oxon. poſtea Aulae B. Catharinae apud Cantabrigienſes Magiſter. Ad Dioeceſin Ceſtrenſem promotus anno 1709, ad Eboracenſem tranſlatus nono Martii 1713. Ab hac aerumnoſa ad meliorem vitam tranſivit triceſimo Aprilis 1724, in Capella B. Catharinae, quam ipſe Magiſter extructam et conſecratam viderat, ſepultus.

LXXVII. LANCELOTUS BLACKBURNE.

1724. Geo. I. 11. SUCCESSIT Lancelotus Blackburne, ſacrae Theologiae Doctor, à Dioeceſi Exon. quam octo circiter annos tenuerat, tranſlatus viceſimo octavo Novembris 1724.



De EPISCOPIS DUNELMENSIBUS.

I. Aidanus.

* 635. INCLYTUS ille et plurimis animi virtutibus (ac pietate praeſertim in Deum) Princeps merito celeberrimus, Oſwaldus, cum Northumbrorum regno anno ſalutis 634 fuiſſet potitus; tam de animarum ſalute, quam de temporalibus ſubditorum commodis ſollicitus; Oratores miſit ad vicinos Scotos[a], veritatem Evangelicam jampridem amplexos, petitum ab iis, ut virum aliquem doctum ac pium ad ſe amandarent, qui popularibus ſuis Chriſtum annunciaret. Poſtulationi aequiſſimae illi promptiſſime aſſentientes; ablegarunt ad eum bonum quendam virum, ſed aſperiori ingenio praeditum, qui cum muneri demandato aliquandiu ſtrenue incubuiſſet, neque profeciſſet quicquam; reverſus eſt ad ſuos, barbaram eſſe gentem dicens ad quam miſſus fuerat, et doctrinae non capacem. Male id habuit Scotorum ſeniores; qui rem tantam non temere negligendam exiſtimantes, conventum indixerunt, ubi, quid jam faciendum anxie conſultatum eſt. Aderat inter caeteros Aidanus quidam, vir pius juxta ac prudens, qui ad ſacerdotem illum converſus, modo (uti retulimus) è Northumbria reverſum, “*Videtur mihi frater* (ſic habet

---

[a] *Bedae Hiſt.* L. 3. c. 3.

“ Beda[b]) *quia durior juſto indoctis auditoribus fuiſti, et non eis juxta Apoſtolicam diſciplinam primo lac doctrinae mollioris porrexiſti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, et ad facienda ſublimiora Dei praecepta ſufficerent.* Quo audito, omnium qui conſidebant ad ipſum ora et oculi converſi, diligenter quid diceret diſcutiebant, et ipſum eſſe dignum Epiſcopatu, ipſum ad erudiendos incredulos et indoctos mitti debere decernunt, qui gratia diſcretionis (quae virtutum mater eſt) ante omnia probatur imbutus: Sicque illum ordinantes, ad praedicandum miſerunt[c]. Venienti ad ſe Epiſcopo, Rex locum ſedis Epiſcopalis in Inſula *Lindisfarnenſi*, ubi ipſe petebat, tribuit. (Qui videlicet locus, accedente ac recedente reumate, bis quotidie inſtar Inſulae, maris circumluitur undis; bis renudato littore contiguus terrae redditur;) atque ejus admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auſcultans, Eccleſiam Chriſti in regno ſuo multum diligenter aedificare ac dilatare curavit. Ubi pulcherrimo ſaepe ſpectaculo contigit, ut evangelizante Antiſtite (qui Anglorum linguam perfecte non noverat) ipſe Rex ſuis ducibus ac miniſtris interpres verbi exiſteret coeleſtis; quia nimirum tam longo exilii ſui tempore, linguam Scotorum jam plene didicerat.” Haec Beda. Epiſcopali munere[d] functus eſt quatuordecim annos, toto eo tempore nihil ſummae diligentiae ſibi reliquum faciens quo gentem ſibi commiſſam in ſalutis via deduceret. *Doctrinam ejus* (inquit Beda) *id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam vivebat cum ſuis, ipſe docebat. Nihil enim hujus mundi quaerere, nihil amare curabat. Cuncta quae à Regibus vel divitibus ſeculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent erogare gaudebat. Diſcurrere per cuncta et urbana et ruſtica loca, non equorum dorſo, ſed pedum inceſſu vectus* (*niſi ſi major forte neceſſitas compuliſſet*) *ſolebat.* Migravit ex hac vita triceſimo primo Auguſti anno 651[e], moerore confectus (ut videtur) ex interitu Oſwaldi Regis, qui ſuorum perfidia ante duodecim dies tum fuerat interemptus. Miracula aliquot ab eo patrata, et alia de hoc viro quamplurima habentur in ejuſdem Bedae Eccl. Hiſt. Lib. 3. cap. 3, 5, 14, 15, 16, et 17. Oſſium ejus pars in Scotiam aſportata per Colmannum ſucceſſorem, reliqua vero Glaſtoniae condita, ſicuti Malmeſburienſis ſcriptum reliquit.

◆ ◆ ◆

II. FINANUS.

651. “ AIDANO Epiſcopo de hac vita ſublato, Finanus[f] pro illo gradum Epiſcopatus, à Scotis ordinatus ac miſſus, acceperat, qui in Inſula Lindisfarnenſi fecit eccleſiam Epiſcopali ſedi congruam. Quam tamen more Scotorum non de lapide, ſed de robore ſecto totam compoſuit, atque arundine texit. Quam tempore ſequente reverendiſſimus Archiepiſcopus Theodorus, in honorem B. Petri Apoſtoli dedicavit. Sed Epiſcopus loci illius Eadbertus, ablata arundine, plumbi laminis eam totam, hoc eſt et tectum et ipſos quoque parietes ejus, cooperiri curavit.” Haec

---

[b] L. 3. c. 5.

[c] L. 3. c. 3.

[d] Conſecratus eſt Epiſcopus et à Scotis miſſus anno 635, et Epiſcopatum rexit A. 17. *MS. de Epiſc. Dunelm.* in Bibl. Reg. Cantab.

[e] *Beda* L. 3. c. 14; et *Florent.* et in Eccleſia ſua Lindisfarnenſi ſepultus. *Angl. Sacr.* V. 1. p 692.

[f] Coenobii Hiienſis Monachus. Baptizati fuere à Finano Peada Mediterraneorum Anglorum, et Sigebertus Orientalium Saxonum Reges. Epiſcopatum tenuit circ. decem annos. *MS. Reg.*

Beda[g]; qui tum poſtea narrat, multum illi negotii fuiſſe cum Scoto quodam qui Romanus appellatus eſt, et jure quidem, quod Romanorum rituum ſtrenuus eſſet propugnator. *Nequaquam tamen Finanum emendare potuit* (inquit Beda[h]) *quin potius quod eſſet homo ferocis animi, acerbiorem caſtigando, et apertum veritatis adverſarium reddidit.* Obiit anno 661[i].

III. COLMANNUS.

661. SCOTUS porro fuit qui et illi ſucceſſit Colmannus; qui cum majorum morem pertinaciſſime tueretur; *gravior de obſervatione Paſchae, necnon et de aliis eccleſiaſticae vitae diſciplinis controverſia nata eſt.* Sic Beda[k]; qui tum prolixam ſubjungit narrationem de magno et memorabili certamine inter ipſum ac Wilfridum Eboracenſem hiſce de rebus, Rege ipſo coram, qui victoriae palmam Wilfrido adjudicavit. Cujus rei indignitate et ignominia commotus Colmannus, aſſumptis ſecum ſuis, qui Paſcha Romano more noluerunt celebrare, nec verticem tondere (*nam et haec quaeſtio non minima erat*, inquit Beda[l]) praeſulatum abdicavit et in patriam reverſus eſt[m].

IV. TUDA[n].

664. INTER caeteros qui Colmannum fuerant in Angliam comitati; Tuda (qui pietatis et induſtriae ſpecimen ſub Colmanno dederat, praedicandi aſſiduitate vitaeque ac morum ſanctimonia) rituum, ad eccleſiae Romanae normam conformationem cum probare videretur, ſucceſſor ipſi datus eſt. Cum unicum vix annum ſediſſet, peſte ſublatus interiit anno 665[o].

V. EATA

665. SCOTORUM plurimis qui cum Colmanno in Angliam venerant, cum eodem in patriam reverſis; qui permanſerant reliqui, Mailroſiae conſederunt (Abbatem ſibi praeponentes Eatam) quem locum, Colmanno rogante, Oſwinus Rex eis aſſignavit. Hic, Tuda defuncto, tam Haguſtaldenſis quam Lindisfarnenſis conſtitutus eſt Epiſcopus, et utramque ſedem per biennium rexit. Quo temporis ſpacio finito, Haguſtaldenſem Tumberto[p] cuidam reſignavit. Tumberto vero per Synodum Twifordae congregatam (quam ob cauſam neſcio) exauthorato; Cuthbertus illi ſubſtitutus eſt. Sed Eata cum intelligeret, Cuthberto magis cordi eſſe ſedem Lindisfarnenſem; relicto illi quem concupierat praeſulatu, Haguſtaldenſem ſuſcepit. Anno haec 684 geſta ſunt; annoque deinde ſequenti[q],

---

[g] *Lib.* 3. c. 25.

[h] *Ib.*

[i] Decimo ſeptimo Februarii. *Obitu. Eccl. Cantuar.* Decimo ſui Epiſcopatus anno. *Sim. Dun.* L. 1. c. 5.

[k] L. 3. c. 25.

[l] *Ib.* c. 26.

[m] E vivis exceſſit anno 676.——Epiſcopatum rexit per tres tantum annos. *MS. Reg.*

[n] *Malmeſb. Floren.* TUDDA, *Huntin.*

[o] Anno 664 nondum exacto; et in Monaſterio vocato *Pegnalech* ſepultus. *Beda.* L. 3. c. 27. Huntingdonenſis verò ait ſepultum eſſe in *Wemalet.* L. 3. f. 191.

[p] TUMBERT, *Malmeſb.* TRUMBERTUS, *Bromt.*

[q] Anno 685 ſubſcripſit Chartae donationis Egfridi ad Eccleſiam Dunelmenſem. *Sim. Dun.* p. 58.—Theodorus Cantuariae Archiepiſcopus plures, in locis opportunis, conſtituit Sedes Epiſcopales; et inter primos Trumbertus quidam Eccleſiae Haguſtaldenſi praeficitur: Eo verò depoſito in Synodo Twyfordiae habito (qua verò de cauſa me latet) iterum ſubſtituitur Eata. *Beda* Lib. 4. c. 28.

Eata videtur vitam cum morte commutaſſe. Siquidem Joannes (inter Sanctos poſtea annumeratus, vulgo dictus S. Joannes Beverlacenſis) in Epiſcopum illius provinciae tum conſecratus eſt[r]. Huic in illa ſede ſucceſſerunt (quod praetermittendum non duxi) hii qui ſequuntur.

709. II. Acca, conſecratus anno 709, Boſae Archiepiſcopi Eboracenſis diſcipulus[s]. Qui vir egregie doctus, multa ſcripſit à Balaeo commemorata. Bibliothecam etiam Haguſtaldae magna librorum copia inſtruxit[t], et deceſſit anno 740. Anno interim 732[u] à ſede ſua neſcio quam ob cauſam vi expulſum ferunt. Dunelmi tumulatus dicitur jacere[x]. Hector Boëthius author eſt, Candidae-caſae Epiſcopum eum extitiſſe. Succeſſerunt illi in praedicta ſede hii quorum nomina ſubjungo.

734. III. Frithebertus[y], qui obiit anno 766[z].

767. IV. Alhmundus[a], conſecratus 24 Aprilis[b] 767. *Praeſul* (ut Hovedenus) *eximiae religionis et magnarum virtutum vir, migravit ad Chriſtum 7 Id. Sept.* 781.

V. Tilherus[c].

789. VI. Aethelbertus[d], ab eccleſia Witternenſi, ſive Candidae-caſae[e] tranſlatus anno 789.

797. VII. Heandredus[f], conſecratus anno 797 Woodfordiae[g], obiit anno 800[h].

[800.] VIII. Eanbertus[i].

[806.] IX. Tidferthus[k], Haguſtaldenſium Epiſcoporum fuit poſtremus. Quo demortuo, cùm propter tumultus Danicos, Epiſcopatum nemo vellet ſuſcipere; regiones illae in ditionem ceſſerunt Archiepiſcoporum Eboracenſium, donec poſt aliquot ſecula, Carleoli ſedes Cathedralis conſtituta eſt. Haguſtaldum vero (hodie Hexham appellatum, in Comitatu Northumbriae ſitum) Romano ſeculo Axelodunum nuncupatum cenſet Camdenus noſter.

VI. Cuthbertus.

* 685. Cuthbertus antedictus, Regio dicitur natus ſanguine in Hibernia, patre Muriardacho, matre vero Sabina[l]; quae Regis neſcio cujus filia, Romam peregrinatione religionis cauſa ſuſcepta, filiolum in Coenobio Mailroſenſi reliquit inſtituendum. Ibi loci multos annos ſub Eata primum anteceſſore deinde Abbate Boiſillo tranſegit; cui defuncto ſubſtitutus eſt, et munere ſibi demandato, magna cum ſanctitatis

---

[r] Eatae ſucceſſit *Joannes Beverlacenſis* anno 686, et 687 Eboracum migravit. Poſt quem Wilfridus, non ita pridem Ebor. Archiepiſcopus, Eccleſiam rexit Haguſtaldenſem ab anno 688 uſque ad annum 709, quo mortem obiit 12 Octobris. De eo vide plura inter Archiepiſcopos Eboracenſes, p. 652, &c.

[s] *Florent.*

[t] *Beda* L. 5. c. 21.

[u] *Ric. Haguſtal.* L. 1. c. 15.

[x] Deceſſit 20 Oct. 740. *Id.* ib. *Dunelm. Hoved.* f. 230. b.

[y] *Weſtm. Hoved.* et *Florent.* Fretheberτus, *Mailr.* Fridebert, *Malmeſb.* Frithuberht, *Dunelm.* Friothebertus et Frithobertus, *Florent.* Succeſſit ad Regimen Epiſcopatus anno 732, ſed non conſecratus ante annum 734 vel 735.

[z] Obiit 23 Dec. 766, poſtquam rexit Epiſcopatum 34 Annis. *Ric. Haguſt.* L. 1. c. 16.

[a] *Florent.* Alcmundus, *Weſtm. Hoved.* Alchmundus, *Dunelm. Mailr.*

[b] Non 24 ſed 26 Aprilis fuit Dominica anno 767; quo die conſecratum eſſe videtur.

[c] Tilbert, *Malmeſb.* Tilbertus, *Weſtmon. Florent.* Tilberhtus, *Dunelm.* Tilbeth, *Huntin.* —— Conſecratum eſſe dicitur ſecundo Octobris, mala verò fide, dies enim 2 Octobr. non fuit Dominica, nec in anno 779 quo *Florentius*, nec 780 quo *Annal. Petrob.* nec 781 quo *Hovedenus* et *Rich. Haguſt.* collocarunt.

[d] Ethelbreth, *Malmeſb.*

[e] Ad quam conſecratus fuerat anno 778, huc tranſlatus eſt 789. *Hoved.* f. 232. *Ric. Haguſt.* L. 1. c. 18. Obiit apud Barton 16 Oct. 797, et in Eccleſ. ſua Haguſt. tumulatus eſt. *Dunelm.* et *Mailr.*

[f] Headred, *Dunelm. Mailr.* Herdred, *Malmeſb.* Eadred, et Heardred, *Hoved.*

[g] Ab Eanbaldo Archiepiſcopo et Higbaldo Epiſcopo 29 Oct. *Dunelm.* et *Weſtmon.* Oct 30, *Haguſt.* ſed non fuit Dominica.

[h] *Hoved.* f. 233. b. *Weſtm.* et *Mailr.*

[i] *Florent. Mailr.* Eambertus, *Malmeſb.* Heanberth, *Mailr.* Eadbert et Osbert, *Weſtm.* Eanbrith, *Hoved.* Conſecratus apud Ethingaham anno 800; et mortem obiit 806.

[k] *Florent.* Thiffriddid, *Malmeſb.* Succeſſit anno 806, Dioeceſin rexit per quindecim ferme annos, et obiit 821 in itinere Romam verſus.

[l] Ita Capgravus, perperam verò. Natus ex humili genere in Septentrionali Anglia. *Turgot.* L. 1. c. 3.

induſtriaeque laude perfunctus. Neque vero gregi ſibi commiſſo proſpicere contentus, monaſterio ſaepenumero egreſſus, populis vicinis Chriſtum praedicabat. « Solebat autem ea maxime loca peragrare quae in arduis « aſperiſque montibus procul poſita, aliis horrori erant ad viſendum, et « paupertate pariter ac ruſticitate ſua, doctorum arcebant acceſſum. Quos « tamen ille libenter, pio mancipatus labori, tanta doctrinae ſolertis exco« lebat induſtria, ut de monaſterio egreſſus, ſaepe hebdomada integra, « aliquando duabus vel tribus, nonnunquam etiam menſe pleno domum « non rediret: Sed demoratus in montanis, plebem ruſticam verbo prae« dicationis ſimul et opere virtutis ad coeleſtia vocaret. Porro Cuthberto « tanta erat dicendi peritia, tantus amor perſuadendi quae docuerat, tale « vultus Angelici lumen, ut nullus praeſentium latebras ei ſui cordis ce« lare praeſumeret." Sic Beda [m]. Poſtquam in hoc vitae genere annos quamplurimos tranſegiſſet; ab Eata Epiſcopo exoratus, Lindisfarnam ſe contulit, ut ibi degens, illius iterum frueretur conſortio. Poſt vero non multum temporis, ſubiit eum cupido eremiticae vitae. Quare, inſulam petiit deſertam [n], quae Farnenſis appellata, à Lindisfarna novem milliaribus in Oceano Germanico ſita eſt, et ibi manuum ſuarum labore victum toleravit, donec ad Epiſcopatum fuit aſſumptus. Electo perſuaderi non potuit ut eremo relicta, tantum oneris in ſe ſuſciperet, donec Rex ipſe in inſulam trajiciens, multis precibus hoc ab eo evicit. Conſecratus eſt Eboraci in feſto die Paſchatis anno 684 [o], per Theodorum Cantuarienſem Archiepiſcopum, praeſentibus (praeter Epiſcopos ſex [p] alios) Egfrido etiam Rege et procerum quamplurimis. Vix biennium in Pontificatu expleverat, quando ejus pertaeſus, ſponte abdicavit, eremum Farnenſem cupide repetens, ubi paulo poſtea vitam finiit viceſimo Martii [q], qui dies (ipſo inter Sanctos relato) honori ejus fuit conſecratus. Cadaver Lindisfarnae conditum, Dunelmum poſtea tranſlatum eſt [r]. Si cui cordi eſt miracula ab eo patrari credita, et alia quamplurima de illo per Bedam tradita perlegere; habentur ea ſub finem libri quarti hiſtoriae eccleſiaſticae.

◆ ◆ ◆

VII. EADBERTUS [s].

CUM poſt Cuthberti abdicationem annum unum ſedes vacaſſet, in ſucceſſorem ei conſecratus eſt Eadbertus, qui (ſicut antea retulimus) eccleſiam ſuam plumbo operuit univerſam, et tectum nimirum et parietes. *Vir* (inquit Beda [t]) *ſcientia divinarum ſcripturarum, ſimul et praeceptorum coeleſtium obſervantia, ac maxime eleemoſynarum operatione inſignis.* Poſtquam annos decem praefuiſſet, Maii [u] ſexto deceſſit 698, et ſubtus feretrum Cuthberti anteceſſoris fuit humatus. *688.

---

[m] L. 4. c. 27. [n] Anno 676. [o] Viceſimo ſexto Martii 685, quae Paſchalis fuit. *Rob. de Grayſtan* in Hiſt. Dunelm. p. 764. et *Sim. Dunelm.* Electus prius in Concilio Angliae unanimi omnium conſenſu. *Bromt.* [p] Septem. *Dunelm.* [q] Anno 687. *Dunelm.* L. 1. c. 10. et *Florent.* necnon *Malmeſb. de Reg.* L. 2. f. 268. [r] *Florent.* et *Malmeſb.* [s] *Florent. Beda.* EDBERT, *Bromt.* EDBERTHUS, *Malmeſb.* [t] L. 4. c. 29. [u] Ita *Beda* L. 4. c. 30. *Florent.* ad Ann. et *Dunelm.* L. 1. c. 11. *Turgotus* ſolummodo 6 Martii aſſignat. L. 1. c. 11. Decem Ann. Epiſcopavit. *MS. Reg.*

VIII. EGBERTUS[x].

[698.] SUCCESSIT illi[y] Egbertus, aliis Edferthus, et Egfridus, vir in bonis literis ab ipſa pueritia verſatus; quique illo aevo eruditione eximia clarus habitus, in munere tamen paſtorali ſegnior, à vicino Beda (qui illi fuit contemporaneus) eam ob rem meritò eſt reprehenſus; epiſtola perſcripta mordaci ſatis et aculeata, in qua multa de Chriſtiani praeſulis officio tractat; necnon de ſcriptura ſacra in Saxonicam linguam vertenda. Inculcat deinde ibidem, ut Epiſcopus Reges admoneat, pſeudomonachos et importunos monaſteriorum conſtructores, ſi otii ſpe aut gloriolae potius quam virtutis id fiat, caſtigandos eſſe. Ad quas ſive reprehenſiones ſive admonitiones, reſcripſit Gratificationis reſponſa (ſic epiſtolam ſuam appellavit) Egbertus, et inde è ſermone Latino in Angloſaxonicam linguam vertit plures Bibliorum libros. Sic fere Balaeus. Obiit anno 721[z].

IX. ETHELWOLDUS[a].

[724.] ETHELWOLDUS[b], Abbas fuit Mailroſenſis, et deceſſit anno 738[c].

X. KENULFUS[d].

[740.] AB Edberto Rege captus Kenulfus anno 750[e], et in vincula conjectus, in arce Bebbenſi diu jacuit concluſus. Deceſſit anno 781[f].

XI. HIGBALDUS[g].

[781.] HIGBALDUS[h] annos praefuit tredecim, et anno 803[i] fatum explevit. Illo ſedente, Coenobium Lindisfarnenſe, una cum eccleſia, à Danis ſaepe fuit devaſtatum. "Quapropter[k] penſato conſilio, decretum "eſt (inquit Malmesburienſis[l]) ut ab inſula illa quae eſſet maritimorum "praedonum hiatibus expoſita, corpora ſanctorum in continentem transferrentur. Tunc beatum magni Cuthberti corpus cùm quidam religioſo "(ut putabant) furto in Hiberniam tranſvehere ambirent; perdiderunt "fructum operae, dum aut multis diebus ventum operirentur in littore; "aut flatu aliquantum concitatiore in altum provecti, ſtatim repellerentur.

---

[x] EDFRIDUS, *Malmeſb.* EADFRIDUS, *Florent.* et EADFERTHUS.

[y] Anno 698. *Florent.*

[z] *Id.* Epiſcopus viginti quatuor annorum. *MS. Reg.* et *Turgot.*

[a] ADILWALDUS, *Huntin.* EDILWALDUS, *Beda.* AETHELWOLDUS, *Florent.* ATHELWALDUS, *Dunelm. Hoved. Weſtmon.* ADELWALD, *Mailr.* EDELWOLDE et ADILWALD, *Bromt.*

[b] Succeſſiſſe dicitur à *Dunelm.* L. 1. c. 12. anno 721; à *Turgoto* verò, et rectiùs A°. 724.

[c] Obiit anno 740, *Bedae Continu. Mailr.* et *Dunelm.* 739, *Florent.* 738, *Floril.*

[d] RENULFUS, *Weſtmon.* KIMWLFUS, *Mailr.* CYNEVULF, *Dunelm.* et CYNWLF. KINEWOLFE, *Bromt.* CINEWLFUS, *Malmeſb.* et *Florent.* CHENEWLF, *Huntin.*——Succeſſit anno 740. *Mailr.*

[e] *Hoved. Weſtm. Mailr.*

[f] Epiſcopatus curam reſignavit anno 780. *Mailr.* et poſt 4 annos deceſſit. *Dunelm.* L. 2. c. 4.

[g] *Hoved. Florent. Weſtmon.* et *Mailr.* HIBALDUS, *Dunelm.* HIGEBALDUS, *Malmeſb.*

[h] Conſecratus anno 781, *Dunelm.* et *Turgotus.*

[i] Maii 25. *Turgot.* L. 2. c. 9. et *Dunelm.* L. 2. c. 5. *Florentius* verò A. 802 apponit, ſed falsè.

[k] Tota haec narratio è Malmeſburienſi, ad ſecundam Danorum invaſionem referenda eſt, ut conſtat è *Sim. Dunelm.* L. 2. c. 6.

[l] L. 3. f. 157.

“ Quocirca, cum honore debito, ſacrum corpus apud *Bulbeford* depo-
“ ſuere juxta amnem Twydam:” Ubi tamen diu non quievit, ad alia atque alia loca ſubinde deportatum per annorum prope ducentorum ſpacium, quando Aldhunus cathedram ſuam Dunelmi collocavit. Uti ſuo loco Deo volente enarrabimus.

XII. EGBERTUS.

EGBERTUS, conſecratus undecimo Junii[m] 802, deceſſit anno 819. * 803.

XIII. EGFRIDUS[n].

AUTHOR eſt Florentius Wigornienſis, Egberto ſucceſſiſſe Eathoredum, non ſolum à caeteris ſcriptoribus, ſed ab eo etiam ipſo in ſuo Epiſcoporum hujus ſedis catalogo, omiſſum; quem igitur et ego porro omittendum duxi. Egfridus certe Lindisfarnenſis Epiſcopus anno 845[o] eſt defunctus. [830.]

XIV. EANBERTUS.

EANBERTUS[p] obiit anno 854[q], nonnullis Egbertus. [846.]

XV. EARDULFUS.

“ ANNO Elfredi Regis decimo tertio (inquit Hovedenus[s]) hoc eſt [854.]
“ anno Chriſti 882, *Gutredo* in Regem promoto, ſedes Epiſcopalis,
“ quae prius erat in *Lindisfarnenſi* inſula, inſtauratur in *Ceſtre*, quae
“ antiquitus dicebatur *Cunecaceſtre* (hodie CHESTER UPON THE STREET.)
“ Ante vero, in augmentum prioris Epiſcopatus, totam terram inter TINE
“ et TEISEAM, praefatus *Gutredus* et *Elfredus* Reges, omnium conſenſu,
“ S. *Cuthberto* perpetuo poſſidendam, addiderunt. Jam enim multo ante
“ defecerat Epiſcopatus *Haguſtaldenſis* eccleſiae.—Sane ad Epiſcopatum
“ *Lindisfarnenſem* pertinebant antiquitus LUGUBALIA id eſt LUEL (CAR-
“ LEOLUM hodie) et NORTHAM; omnes quoque eccleſiae ab aqua quae
“ vocatur *Tweda* uſque ad *Tinam* Auſtralem, et ultra deſertum uſque ad
“ Occidentem, pertinebant illo tempore ad praefatam eccleſiam: Et hae
“ manſiones, CARNHAM, et CULTERHAM, et duae GEDEWRDE ad Auſtra-
“ lem plagam fluminis TEINETE quas *Ecgredus* Epiſcopus condidit, et

---

[m] Ab Eanbaldo Ebor. Archiepiſcopo anno 803; dies enim 11 Junii non fuit Dominica anno 802: et Epiſcopatum rexit 18 annis *Turgot*. Deceſſit ideo 821.——Egberto ſucceſſit *Heathuredus* quidam, qui cum ſediſſet novem annis, diem clauſit extremum A. 830. *Id.* et *Dunelm.* L. 2. c. 5. et *Florent.*

[n] EGFREDUS, *Malmeſb.* EGREDUS, *Florent. Dunelm.*

[o] Deceſſit decimo ſexto Epiſcopatus A°. *MS. Reg.* A. D. 845. *Weſtm.* et *Florent.*

[p] Succeſſit anno 846. *Sim. Dun.*

[q] *Florent. Weſtm.*

[r] *Hoved. Florent. Weſtm.* ERDULFUS, *Dunelm. Malmeſb.* EARNULFUS, *Mailr.*——Succeſſit anno 854, et cum ſediſſet annis 46, diem obiit A. 900. *Florent.*

[s] f. 240.

“ Meilros, et Tigbre, et Tinigham, et Colingham, et Bricgham et “ Tillemuthe, et Northam quae antiquitus Ubbamford dicebatur. “ Werkwrd quoque ipſius eccleſiae poſſeſſio erat, donante Rege *Ceolwlfo*, “ cum omnibus appendiciis ſuis. Hanc enim manſionem ipſe Rex abrenuncians mundo, ſecum eccleſiae *Landisfarnenſi* contulit, in qua Monachus factus, coeleſti regno militavit.—Praeterea, memoratus Epiſcopus *Egredus*, aedificans eccleſiam in loco qui dicitur Geinford, donavit eam S. *Cuthberto*. Condidit etiam Bellingham et Heorternesse “ et duas alias villas, Veccliff et Wigeclif ad Auſtralem plagam fluminis *Teiſe*, quas S. *Cuthberto* ad victum ei ſervientium dedit. Similiter “ et Wdecester et Hwitingham et Edulfingham et Ecwlingham “ donante *Ceolwffo*, fuerant antiquitus S. *Cuthberti*.

XVI. CUTHARDUS[t].

[900.] CUTHARDUS, obiit anno 915[u].

XVII. TILREDUS[x].

[915.] TILREDUS, obiit anno 927[y].

XVIII. WITHREDUS[z].

[927.] WITHREDUS, obiit 944[a].

[944.] XIX. UHTREDUS[b].

XX. SEXHELMUS[c].

[947.] DE hiis nihil traditur.

XXI. ALDREDUS.

[957.] ALDREDUS, Cunegeceſtriae deceſſit anno 968[d].

---

[t] *Weſtm. Florent.* Guthredus, *Hoved.* Cuthredus, *Mailr.* Cuthbertus et Tuthred, *Sim. Dun.* Cutheardus, *Malmeſb.* [u] Poſtquam Epiſcopatum tenuit annis 15. *Dunelm.* L. 2. c. 16. et *MS. Reg.* [x] Milredus. *Malmeſb. Weſtmon.* [y] Ita quidem *Weſtmonaſterienſis*; 928 *Florentio* teſte; Praefuit annis 13, menſibus quatuor. *Turgot.* [z] Witred, *Malmeſb.* Wigredus, *Florent.* et *Mailr.* ——— Succeſſit immediate poſt mortem Tilredi, et Epiſcopatum rexit annis 17. *MS. Reg.* [a] *Florent.* [b] Uthredus et Uhtredus, *Dunelm.* Getredus, *Malm. in geſtis.* Hanc rexit Dioeceſin per tres annos. *MS. Reg.* et obiit A. 947. [c] Succeſſit anno 947, et Edwii Regis partibus adſtans, ejectus eſt ab Edgaro Succeſſore A. 957. *Florent.* non expreſſe quidem, ſed è ſequentibus clarè deduci poteſt. Vid. Not. ſequ. [d] In hoc omnes conſentiunt, anno etiam pontificatus duodecimo; et ſi cavos numeres, conſecrationis annus incidit in A. 957.

XXII. ALFSIUS[e].

[968.] ALFSIUS vel Elſſinus, obiit anno 990. Lindisfarnenſium Epiſcoporum poſtremus.

I. ALDWINUS[f].

990. ALDWINUS[g] (quem nonnulli Aldhunum nominant) circa annum ſalutis 990 conſecratus eſt[h]. Hoc ſedente, Monachi Lindisfarnenſes, poſtquam bellorum calamitate per annos ferme ducentos à Danis exagitati, incertis ſedibus cum reliquiis S. Cuthberti fuiſſent vagati[i]; Dunelmi tandem, oraculo (ſi credere libet) admoniti, conſederunt. Sed rem accipe ex libro Dunelmenſi[k]. "Comitans ſanctiſſimi patris Cuthberti "corpus univerſus populus in Dunholmum (locum quidem natura munitum, et non facile habitabilem) venit, quem denſiſſima undique ſilva "totum occupaverat; tantum in medio erat planities non grandis, quam "arando et ſeminando excolere conſueverant, ubi Epiſcopus Aldwinus "non parvam de lapide eccleſiam poſtea conſtruxit[l]. Igitur praefatus "Antiſtes totius populi auxilio, et Comitis Northumbrorum Uthredi ad-"jutorio, totam extirpans ſilvam ſuccidit, ipſumque locum brevi habita-"bilem fecit. Denique à flumine Coquedo uſque Teiſam, univerſa po-"pulorum multitudo, tam ad hoc opus, quam ad conſtruendam poſt-"modo eccleſiam prompto animo acceſſit, et donec perficeretur, devotè "inſiſtere non ceſſavit. Eradicata itaque ſilva, et unicuique manſionibus "ſorte diſtributis; Praeſul antedictus, amore Chriſti et S. Cuthberti fer-"vens, honeſto (nec parvo) opere inchoavit eccleſiam, et ad perficiendam "omni ſtudio intendit." Haec fuerunt initia Dunelmenſis et civitatis et eccleſiae, quibus indita eſt appellatio à DUN, quod *montem*, et HOLM, quod lingua Saxonica *inſulam amnicam* ſignificat, quia Coquedus fluvius per maeandrum in ſe quaſi reductus, montem ab omni fere parte circumluit (quaſi inſulam molitus) in quo *Dunelmum* (Anglice *Durham*) ſitum eſt. Filios Ethelredi Regis, Alfredum et (qui poſtea regnavit) Edwardum (Confeſſorem dictum) Aldwinus iſte erudiebat; et patre eorum per Swanum regno deturbato, illos, una cum Emma Regina, in Normanniam deduxit, ad Richardum Normanniae Ducem, Emmae praedictae fratrem, anno 1017[m]. Quando redierit non habeo compertum: Hoc conſtat, poſt biennium deinde vitam cum morte eum commutaſſe, quando dioeceſi huic praefuiſſet annos plus minus 29.

---

[e] *Florent.* ELFSINUS, *Hoved.* ELFSIUS, *Dunelm.* ALSIUS, *Malmeſb.* AELFSIUS et MILDREDUS, *Weſtmon.* Huic ſufficitur Epiſcopatui anno 968, et ſedit annis 22. *Sim. Dunelm.* L. 2. c. 20. et *Florent.*

[f] ALDUNUS, *Hoved. Mailr. Bromt.* ALDHUNUS, *Weſtmon. Florent. Dunelm.*

[g] Natu nobilis, ſed placita Deo converſatione multò nobilior. *Dunelm.* L. 2. c. 20.

[h] *Sim. Dun.* et *Florent.*

[i] Tranſlatus eſt ad Rippon Ebor. Dioec. per 4 Menſes, inde reverſus ad Dunelmum. *MS. Reg.*

[k] *Sim. Dunelm.* L. 3. c. 2.

[l] Eamque dedicavit 4 Sept. tertio incoepti operis anno. *Turg.* L. 3. c. 4.

[m] Exeunte anno 1018, poſtquam Epiſcopatum rexiſſet 29 Annis. *Hoved.* L. 1. f. 250. b. *Mailr.* et *Turgot.*

II. EADMUNDUS.

*1021. FATO poſtquam functus eſt Aldwinus Epiſcoporum Dunelmenſium primus; vacavit ſedes per triennium propter bella et tumultus Danicos. Quomodo deinde caſu mirabili (ut loquitur Malmesburienſis[n]) Eadmundus[o], Epiſcopus poſtea ſit creatus, ipſum audiamus narrantem. “Electio Praeſulum et Abbatum tempore Anglorum, penes clericos et Monachos erat.—Defuncto ergo Aldhuno Antiſtite; Clerici conſederant, de rectoris futuri electione conſultantes; nec (ut fit in talibus) quicquam certi, pro ſchiſmate partium, definientes. Tum Eadmundus (quem nullus accerſendum putaverat) cunctantibus ſuperveniens, conſuetaque uſus facetia; me (inquit) accipite et Epiſcopum facite. Illi omnes, quaſi divinitus accenſis ſpiritibus, rapuerunt ex ore ejus verbum, quaſi divinum miraculum, ſtupentemque et dicti poenitentem, (utpote qui mallet luſum pilae quam uſum cuculli) Monachum fecerunt, et Regi Ethelredo (qui tunc regnabat) in Epiſcopum ſibi poſtulaverunt. Omine foelici fuit haec facta praeluſio, ut commemorant indigenae loci. Regis enim ſerenitas, quod petebatur annuit, et propitia divinitas quod ſperabatur implevit. Sub eo enim praeſule, multum in modum eccleſiae promovit proſperitas. Corpus ſanctum delatum Dunelmum, baſilica ibidem à fundamentis conſummata: Multa praeterea, quae nullo unquam apud cives aevo, fallax conſumet oblivio.” Electus anno 1020[p], nonniſi poſt quinquennium conſecratus eſt[q]. Sedit tum poſtea annos 23[r], et Gloceſtriae defunctus anno 1048[s]. Dunelmum corpore delato, ibi extitit tumulatus.

III. EADREDUS[t].

[1041.] SEDEM Dunelmenſem tum rexit parvo tempore Eadredus, qui decem duntaxat menſes cum praefuiſſet[u], mortem obiit.

IV. EGELRICUS.

[1042.] EGELRICUS Monachus (ſive ſecundum nonnullos Abbas) Petroburgenſis, Godwyni Comitis opera, ſucceſſor Eadredo declaratus eſt. Eccleſiam ille Cunegeceſtriae conſtruxit in honorem D. Cuthberti, cujus corpus ibi per annos 113 quieverat. In fundamentis moliendis, opifices magnam vim pecuniae effoderunt; unde Epiſcopus dives admodum effectus, praeſulatus opulentiſſimi redditus nihil moratus, Egelwino fratri ſuo Epiſcopatu tradito, ipſe ad Coenobium Petroburgenſe rediit, unde prodierat; idque aedificiis plurimis ornavit et amplificavit. Viam etiam à Depinga ad Spaldingum, per regionem paluſtrem ducentem, munivit egregiè, effoſſo aggere, quem calce et arena operuit, (additis in opportunis locis pontibus) unde nomine indito, ELRICH-RODE hic agger appellatur. Abdicavit anno 1056 [x], cumque poſtea privatus, hic loci annos tredecim delituiſſet, majeſtatis laeſae reus fit apud Gulielmum Regem [y], qui Coenobio extractum, Weſtmonaſterii incarceravit, donec decimo quinto Octobris 1072 è cuſtodia mors eum emiſit. Sepultus dicitur ibidem in capella S. Nicolai.

---

[n] *De Pontif.* L. 3. f. 157. b.

[o] Nobili proſapia oriundus, perſonâ ſimul et converſatione honorabilis. *Dunelm.* L. 3. c. 6.

[p] *Id. Hoved.* f. 250. b. *Mailr.* et *Weſtmon.*

[q] Conſecratus à Wolſtano Ebor. Archiep. anno 1021. Annum 1025 *Florilegus* et *Florentius* aſſignant, male verò; Wolſtanus enim obiit menſe Maio 1023.

[r] Ita quidem, non à conſecratione, ſed à morte deceſſoris.

[s] Obiit in aula Regia apud Gloceſtriam 1041. *Turgot.* L. 3. c. 9.

[t] *Weſtmon.* EDRED, *Malmeſb.* EDREDUS, *Florent.* EADMUNDUS, *Dunelm.*

[u] Epiſcopatum emit, ſed divina percuſſus ultione deceſſit anno 1042.

◆ ◆ ◆

V. EGELWINUS.

“ ANNO 1069 (inquit Hovedenus [z]) miſit Rex *Gulielmus* Northumbris [1056.]
“ ad Aquilonalem plagam TINE, Comitem *Robertum Cumin*.
“ At incolae omnes in unam coacti ſententiam, ne alienigenae dominio
“ ſubderentur, ſtatuerunt, aut illum interficere, aut ipſi omnes in ore
“ gladii cadere. Cui appropinquanti, *Dunelmenſis* Epiſcopus *Egelwinus*
“ occurrens, inſidias ſibi praecavere praemonuit. Sed ille neminem hoc
“ auſurum exiſtimans, deſpexit admonentem. *Dunelmum* itaque cum
“ multa militum manu ingreſſus, permiſit ſuos hoſtiliter ubique agere,
“ occiſis etiam nonnullis eccleſiae ruſticis. Suſceptus autem eſt ab Epiſcopo
“ cum omni manſuetudine et honore. At *Northumbri* tota nocte
“ feſtinantes *Dunelmum*; ſumma vi diluculo per portas irrumpunt, et
“ ſocios Comitis imparatos ubique locorum interficiunt. Atrociter nimis
“ res geritur: Proſtratis per domos et plateas militibus, domum Epiſcopi
“ (in quam Comes fuerat ſuſceptus) aggrediuntur pugnantes. Sed cum
“ non ferrent jacula defendentium, domum cum inhabitantibus concremarunt [a].
“ Tanta fuit interfectorum multitudo, ut omnia pene urbis loca
“ replerentur cruore. Nam de 700 hominibus nemo praeter unum evaſit.
“ —Haec ubi Regi *Gulielmo* innotuerunt, nimia commotus ira, juravit
“ omnes *Northumbrienſes* una ſe lancea perempturum: Ac mox exercitu
“ congregato, in *Northumbriam* efferato properavit animo, eamque
“ per totam hiemem devaſtare, hominesque trucidare, et multa alia non
“ ceſſabat agere, — ita ut, terra cultore deſtituta, lata ubique ſolitudo
“ pateret, et per annos novem inter *Eboracum* et *Dunelmum*, nuſquam
“ villâ inhabitatâ, beſtiarum tantum et latronum latibula magno itinerantibus
“ fuerint timori. — *Egelwinus* interim Epiſcopus et optimates
“ populi ſibi metuentes, adventum ejus praeſtolari non auſi, profugerunt
“ ad EALAND, ubi manſerunt donec verno tempore Rege ad *Southumbriam*
“ reverſo, poſt tres menſes et aliquot inſuper dies redierunt.—*Agelwinus*
“ vero, videns res Anglorum ubique turbari; exterae gentis (cujus
“ nec linguam nec mores noverat) grave ſibi metuens dominium; decrevit,
“ Epiſcopatu dimiſſo, quaque poſſet advena ſibi providere.” Haec (nonnullis interpolatis) Hovedenus. Weſtmonaſterienſis vero aliam adhuc cauſam reddens hujus conſilii, dicit, *Egelwinum videntem fratrum injuſtas*

---

[x] Poſtquam 15 annos in Epiſcopatu egiſſet. *Turgot*. *Weſtmon*. et *Florent*.

[y] Regnante poſtea Gulielmo, accuſatus eſt quod multas de Eccleſia Dunelmenſi pecunias ſublatas reddere noluit, ideo Londinum perductus, cuſtodiae traditur, ubi et mortem obiit.

[z] f. 258, 259. Jan. 28. *Hoved*. f. 258. b. Jan. 31. *Dunelm*. L. 3. c. 15.

oppreſſiones, (Stigandi et aliorum qui praeſulatibus ſuis ſpoliati ſunt) *condolentem et zelum Dei habentem, exulaſſe ſpontaneum ab Anglia, volentem oppreſſores vinculo excommunicationis innodare.* Sic ille. Nave conſcenſa, Egelwinus Coloniam iter intendit[b]. Verum navigare incipientem, tempeſtas orta in Scotiam repulit, una cum Edgaro, Margareta ſorore ejus et aliis Regii generis Anglorum; quos benigne admodum Rex excepit, Margareta poſtmodum matrimonio ſibi ſociata. Cum ibi loci diuturnam moram non feciſſet, ſocietatem iniit cum Morkero, Herewardo[c] et aliis Anglis, qui patriam à Normannis oppreſſam graviter ferebant, ſperantibus, ſi arma ſemel ſumpſiſſent, non defuturos, qui patriae libertatem vindicaturi, ſe illis magno numero adjungerent. Qua ſpe cum ſe falſos viderent, Elienſi inſula occupata, eam contra Regios duces tempore ſatis longo defenderunt. *Rex tandem ipſe ad locum accedens una cum* Buthleſcarlis (Hovedenum iterum audis[d]) *in Orientali plaga Inſulae, omnem illis exitum obſtruxit, et pontem in Occidentali plaga duum milliarium longum fieri juſſit. At illi ubi viderunt ſe incluſos eſſe, repugnare deſtiterunt, et omnes* (*excepto* Herewardo *qui per paludes cum paucis evaſit*) *Regi ſe dediderunt: Qui mox Epiſcopum* Abendoniam[e] *miſſum, in cuſtodia poſuit, ubi in ipſa hieme vitam finivit.* Florentius Wigornienſis author eſt, incarceratum, ex nimio cordis dolore comedere noluiſſe, adeoque inedia ſimul et dolore abſumptum; cum non deſint qui aſſerant, cibaria illi ſubtracta, ut inedia non ſpontanea, ſed coacta interierit[f].

VI. WALCHERUS[g].

1071. GUL. I. 5. SUPERSTITI adhuc Egelwino, ſed exauthorato et in cuſtodia detento, Rex curavit ſubſtitui Walterum ſive Walcherum[h], in Leodienſi eccleſia educatum, patria vero Lotharingum. Qui ſecularibus negotiis quam paſtoralis muneris laboribus magis intentus, hoc unum agere videbatur, ut nummis congerendis opum compararet affluentiam. Quare pretio emit à Rege Comitatum Northumbriae, et judicem ſe conſtituens, lites forenſes ipſe audiebat, atque (aequitatis non magna habita ratione) ſic plerunque terminabat, prout ſuis rationibus maxime arbitraretur conducere. Unde ſe brevi temporis ſpatio affatim locupletabat, verum odia popularium in ſe vehementer concitavit, quod ipſi tandem fuit exitioſum, ſicut in hiſtoria ſubſequenti patebit, quam integram tibi ex Florentio Wigornienſi[i] exhibebo.

“ *Dunholmenſis Epiſcopus* Walcerus *genere Lotharingus, in loco qui di-*
“ *citur* AD CAPUT CAPRAE (Romano ſeculo *Gabroſentum* appellatum Cam-
“ denus autumat) 2 *Id. Maii feria quinta à Northumbrenſibus eſt occiſus,*
“ *in ultionem necis* Liulfi, *nobilis generoſique miniſtri* (qui Algitham, Aldre-
“ di Comitis Northumbriae filiam duxerat uxorem, et à quo Lumlaeum
“ Baronem non ita pridem defunctum ſtemma duxiſſe accepi.) Hic nam-
“ que vir late per Angliam poſſeſſiones multas haereditario jure poſſedit.
“ Sed quia ubique locorum Normanni inceſſanter ea tempeſtate operam

---

[b] *Dunelm.* L. 3 c. 17.

[c] Siwardo potius.

[d] f. 260. a.

[e] Weſtmonaſterium ait *Liber Elien.*

[f] Sub exitum anni 1071. *Dunelm.* et *Florent.* Epiſcopatum rexit annis quindecim. *MS. Reg.*

[g] *Hoved. Dunelm.* WALCERUS, *Florent.* WALKERUS, *Malmeſb. Mailr. Bromt.*

[h] Preſbyterum ſecularem. *Dunelm.* L. 3. c. 18.——Apud Wintoniam conſecratus eſt anno 1071, et Dunelmum advenit media Quadrageſima ſequ. *Hoved.* f. 260. b.

[i] Ad A. 1080.

“ dabant ſuae feritati ; cum ſuis hominibus ad Dunholmum ſe contulit,
“ quia S. *Cuthbertum* corde ſincero dilexit; quippe cui idem Sanctus (ut
“ ipſemet *Aldredo* Eboracenſi Archiepiſcopo et aliis viris religioſis nar-
“ rare conſueverat) et dormienti et vigilanti perſaepe apparuit, et quae
“ fieri voluit (ut ſuo fideli amatori) revelavit. Sub cujus pace, nunc in
“ oppido, nunc in ſuis poſſeſſionibus, quas illis in partibus habuerat longo
“ tempore, degit. Cujus adventus Epiſcopo *Walcero* non extitit ingratus,
“ quia eidem Sancto valde devotus extiterat in omnibus. Idcirco ab ipſo
“ in tantum diligebatur, ut abſque illius conſilio majores ſecularium ne-
“ gotiorum cauſas nullatenus agere vellet aut diſponere. Ob quam rem
“ ſuus Capellanus *Leobwinus* (quem ita exaltaverat, ut et in Epiſcopatu
“ et Comitatu fere nihil ſine illius arbitrio agitaretur) invidiae ſtimulis
“ ſuccenſus, et propter ſuam potentiam tedis ſuperbiae nimis inflatus; ſe
“ contra praedictum virum arroganter erexit. Quapropter nonnulla ejus
“ judicia atque conſilia flocci pendebat, omnibuſque modis annullare ſu-
“ dabat. Frequenter etiam coram Epiſcopo (non ſine minis) cum eo liti-
“ gans, illum verbis probroſis ſaepe ad iracundiam provocabat. Quadam
“ itaque die, cum idem vir *Liulfus* ab Epiſcopo vocatus ad conſilium,
“ legalia quaeque et recta decerneret; obſtinatius ei *Leobwinus* obſtitit,
“ et loquelis illum contumelioſis exacerbavit. Sed quia ille reſpondit ei
“ durius ſolito, de placiti loco diſceſſit illico, et evocans ad ſe *Gillebertum*
“ (cui praeſul quia ſuus propinquus erat, Comitatum Northumbrenſium
“ ſubregendum commiſerat) ut ſe vindicaret obnixe rogavit, et *Liulfum*
“ quam cito poſſet, morti tradere maturaret. Ille autem iniquis petitio-
“ nibus acquieſcens ſuis, et Epiſcopi et ejuſdem *Leobwini* militibus in
“ unum coadunatis, ad villam ubi *Liulfus* tunc morabatur, nocte quadam
“ perrexit, ac illum cum ſua familia fere tota in domo propria injuſte
“ peremit.

“ Quo cognito, graviter Antiſtes ex corde ſuſpiravit intimo, et capitio
“ ex capite detracto, et in terram projecto, *Leobwino* qui tunc praeſens
“ aderat, triſtis dixit continuo, tuis *Leobwine* factionibus doloſis acta ſunt
“ haec, et inſidiis ſtolidiſſimis. Idcirco volo te ſcire pro certo, quia et te
“ et me, omnemque familiam meam tuae linguae peremiſti gladio. Hoc
“ dicto, in caſtellum ſe proripuit feſtinato, confeſtimque nunciis per Nor-
“ thumbriam miſſis, omnibus nunciari curavit, ſe necis *Liulfi* conſcium
“ non fuiſſe, quin potius ejus occiſorem *Gillebertum* omneſque ſocios ip-
“ ſius, de Northumbria penitus exlegaſſe, ac paratum fore ſemetipſum
“ purgare ſecundum judicium pontificiale. Dein miſſis intercurrentibus,
“ ille parenteſque occiſorum, pace ad invicem data et accepta, locum et
“ diem quo convenire, interque ſe pacem firmiorem facere poſſent, ſta-
“ tuere. Quo adveniente, loco conſtituto in unum convenere. Verum
“ cum illis Epiſcopus ſub divo noluit placitare, ſed in eccleſiam quae ibi
“ erat cum ſuis clericis ac honorabilioribus militibus intravit; et conſilio
“ habito, ſemel et iterum de ſuis quos voluit pro pace facienda, foras ad
“ eos miſit. At illi nequaquam petitis acquieſcebant, quia *Liulfum* illius
“ juſſione peremptum fuiſſe, pro certo credebant. Nam *Gillebertum* ejuſ-
“ que ſocios, nocte poſt necem propinqui ſui proxima, non ſolum in
“ domum ſuam *Leobwinus* familiariter et amicabiliter ſuſcepit; verum
“ etiam Epiſcopus ipſe illum (ut prius) in ſuam gratiam familiamque re-
“ cepit. Unde omnes qui ex parte Antiſtitis foris inventi fuerant, primitus

"occiderunt, paucis fuga reſervatis. Quo viſo, ut hoſtium furori ſatisfaceret, propinquum ſuum praefatum *Gillebertum* (cujus anima quaerebatur) Praeſul de eccleſia juſſit exire. Quem egredientem, milites repugnaturi è veſtigio ſunt ſecuti. Sed mox ab hoſtibus undique gladiis et lanceis appetiti, in momento ſunt perempti; duobus tantum Anglicis miniſtris propter conſanguinitatem pepercerunt." Hucuſque Florentius. Pariſienſis[k] jam author eſt, "Cum ad placita conſueta omnes comprovinciales adveniſſent, et de diverſis injuriis ſibi juſtitiam fieri exegiſſent; Epiſcopum nimis crudeliter reſpondiſſe, quod de nulla injuria vel calumnia ipſis juſtitiam exhiberet, niſi antea libras 400 optimae monetae numeraſſent. Tunc unus eorum (inquit ille) pro omnibus loquens, licentiam poſtulavit ab Epiſcopo ut ſuper exactione promiſſa poſſet cum aliis conferre; quò habita deliberatione, ipſi poſſit conſultius reſponderi. Quare accepta licentia conferendi, cum pauliſper ſe ſubtraxiſſent, unus ex illis, cujus arbitrium omnes expectabant, praecipitanter patria lingua dixit, SHORT RED, GOOD RED, SLEA YE THE BISHOPPE." Hoc eſt, ſententia optima haec breviſſima, Epiſcopum occidite. Pergat jam Florentius[l]. "*Leobwynum* Dunelmenſem Decanum (non illum hujus tragediae architectum, ſed alium) quia ſaepius Epiſcopo adverſus illos multa dederat conſilia, et clericos alios ſtatim ut egreſſi ſunt, occiderunt. Epiſcopus autem ut intellexit illorum furorem nulla ratione iri mitigatum, niſi caput et author totius illius calamitatis occideretur *Leobwinus*; rogavit illum egredi foras. Sed cum penitus ut egrederetur ab illo extorquere non poſſet; ad eccleſiae januas ipſemet acceſſit, ſibique vitam concedi popoſcit, (praetentum ramum, ſic Malmesburienſis, praeferens) illis vero renuentibus, caput ſuae chlamidis limbo cooperiens, foras exivit, et inimicorum gladiis percuſſus occubuit. Dein *Leobwinum* egredi juſſerunt: Quo nolente, eccleſiae tecto parietibuſque ignem impoſuere. At ille, potius uſtulatione quam occiſione vitam eligens finire; flammas aliquandiù ſuſtinuit. Sed cum ſemiuſtus eſſet, exilivit, et fruſtatim conciſus, nequitiae ſuae poenas exoluendo, miſer interiit."

Hoc mortis genere decimo quarto Maii 1080 ſublatus periit, una cum centum è ſuis qui illum comitati ſunt, *Walcherus* Epiſcopus; cujus mortem videbatur praedixiſſe *Eadgitha* Regina, Edwardi Confeſſoris relicta. *Quae cum videret eum Wintoniae ad conſecrandum duci, caeſarie lacteolum, vultu roſeum, ſtatura praegrandem* (ſic Malmesburienſis[m]) *pulchrum* (ait) *hic martyrem habemus*; *conjectura videlicet immoderatae gentis ad praeſagiendum inducta*. Interempti corpus, propter multitudinem vulnerum aegrè agnitum, nudum tandem repertum, Monachi Yarrowenſes ſuſtulerunt, et in domo Capitulari Dunelmi ſepulturae tradiderunt, ſed clanculum, propter metum homicidarum, per vicos urbis paſſim oberrantium, eo numero, ut in arcem auſi fuerint impetum facere; unde repulſi, in fugam ſe conjecerunt. Neque tamen ita potuerunt evadere, ut vitam eorum plerique non infoeliciſſime tandem terminaverint.

Rex de hoc tumultu certior factus; fratrem ſuum uterinum *Odonem* Cantiae Comitem[n], Epiſcopum Baiocenſem, miſit in Northumbriam cum exercitu magno, ut de parricidio tam immani vindictam ſumeret. Quod ille dum ſtudioſe nititur exequi, univerſam regionem ad ſummam redigit deſolationem. Qui ſceleris perpetrati ſibi fuerunt conſcii, fuga ſaluti ſuae conſuluerant. Ex caeteris qui remanſerant, inſontes nonnulli capitali ſupplicio ſunt affecti: Et caeteri pecunia tam grandi mulctati, ut ad ſummam pauperiem inde fuerint redacti. Inter ſeditioſos, acerimus omnium fuiſſe perhibetur *Eadulfus* quidam cognomento *Rus* à Comitibus Northumbriae genus ducens, qui Epiſcopum creditur ſua manu interemiſſe, iſte vero juſto Dei judicio à muliere poſtea fertur interemptus; et quamquam in eccleſia Gedworthenſi ſepultus, tamen exhumatus ad mandatum *Turgoti* Prioris Dunelmenſis; à quo etiam omnibus eſt interdictum, ne ſicarii cadaver in quovis loco Chriſtianorum hominum ſepulturae conſecrato tumularent. Caeterum *Odo*, ne ſontibus tantum plectendis eo videretur acceſſiſſe, eccleſiae Dunelmenſis ornamenta plurima, ac inter caetera pedum paſtorale pretii immenſi, vi erepta ſecum ſuſtulit. Silentio deinde non eſt praetermittendum, clericos ſeculares à *Walchero* Dunelmenſi eccleſia ejectos, et Monachos tum primum introductos; Rege, Papa, et Archiepiſcopo Eboracenſi id probantibus.

---

[k] Ad A. 1075 p. 8.

[l] P. 640.

[m] *De Geſtis Regum* L. 3. f. 62. a.

[n] *Dunelm.* L. 3. c. 24.

◆ ◆ ◆

VII. GULIELMUS DE S. CARILEFO.

QUANDO poſt Walcheri caedem Dunelmenſis praeſulatus per ſemeſtre[o] vacaſſet; in Epiſcopum ibidem, Novembris decimo[p] anni 1080. Gul. 1. 15.
antedicti, Gulielmus de Carileſo, Abbas S. Vincentii electus eſt, et conſecratus Gloceſtriae à Thoma Eboracenſi Antiſtite Januarii tertio[q] ſequenti, praeſente Rege, et plurimis totius regni Epiſcopis. "Qui, oris "volubilitate promptus (Malmesburienſem[r] pauliſper audias) et potens "fuit in ſaeculo, maxime ſub Gulielmo Rege juniore. Quapropter et "amicorum cohorti additus, et Angliae praelatus, non permanſit tamen "in gratia. Quippe nullis Principis dictis vel factis contra eum exiſtentibus, ab amicitia deſcivit, in perfidia Odonis Baiocenſis et caeterorum "ſe immiſcens. Quapropter, victis partibus ab Anglia fugatus, poſt duos "annos[s] (alii dicunt tres[t]) indulgentia Principis rediit. Epiſcopatu ergo "reſumpto, ſedulo agebat, ut in antiquum reſumeretur amorem; ſpectatoque Regis ingenio, quocunque ille vergendum putaſſet, et ipſe vergere. "Unde factum eſt, ut in turbine qui inter Anſelmum et Gulielmum ſurrexit, maximas contra Archiepiſcopum turbas iſte ſignifer excitaret[u]; "ſperans (ut aiunt) vel alliciendam Regis gratiam, vel ſe pro Anſelmo "fore Archiepiſcopum. Sed enim utroque excidit. Nam non multo poſt, "orto inter ipſum et Regem diſſidio, aegritudinem apud Gloceſtriam "incurrit. Ibi tunc erat curia; et juſſus eſt Epiſcopus exhiberi ut cauſam ſuam defenſaret. Cumque reſponſum eſſet infirmitate detineri quo "minus veniret; Per vultum Lucae, fingit ſe inquit Rex. Enimvero "ille, vera valetudine correptus, morti appropinquabat. Cumque confidentes Epiſcopi[x] judicaſſent, ut in eccleſia Dunelmi ſepeliretur quam "ipſe magnifice inchoaverat (nam veteri diruta per Alwynum conſtructa, "amplioris multo fundamenta jecerat, à Malcolmo Scotiae Rege, ſeipſo,

---

[o] Ita *MS. Reg.* [p] Nono, *Annal. Dun. Hoved.* f. 263. [q] Ita *Dunelm.* dies fuit Dominica; 5 non ita. *Florent.* et *Hoved.* [r] *De Pontif.* L. 3. f. 158. [s] *Bromt.* Col. 986. [t] *Hoved.* f. 265. [u] Vid. *Malmeſb.* L. 4. f. 67; et *Mat. Par.* in A. [x] Eboracenſis ſc. Wintonienſis et Bathonenſis. *Dunelm.* L. 4. c. 10.

“atque Turgoto Dunelmenſi Priore, tribus primis lapidibus Julii triceceſimo poſitis, vel ſecundum quoſdam Auguſti[y] 1093) reſumptis viribus, haec verba ſpiravit; Non placeat Deo, ut pro me mutetur vel minuatur Domini mei S. Cuthberti reverentia, pro cujus honore, nullus unquam anteceſſorum meorum in eccleſia humatus eſt. Sed in Capitulo me ponite. Defunctus ergo Dunelmumque delatus, pulchrum ſuae induſtriae monumentum apud Monachos habet, quod et eos congregaverit, et tam libris quam caeteris ornamentis eccleſiam decoraverit; quin et Priorem loci hoc inſigni extulerit, ut in toto Epiſcopatu Decanus et Vicedominus eſſet.” Poſtquam Epiſcopus creatus eſt anno uno aut altero, Romam profectus, facultatem impetravit à Gregorio ſeptimo Pontifice, Monachos Yarrowenſes Dunelmum transferendi; et quo novis hoſpitibus locum faceret; clericorum ſecularium nonnullis ibi adhuc à Walchero relictis, de ſacerdotiis alibi proſpexit; atque Monachis praedia contulit à ſe coëmpta; quorum donationes, ſicut privilegia ab aliis Principibus conceſſa; Dunelmenſi eccleſiae à Gulielmo primo diplomate Regio confirmari curavit[z]. Humatus eſt ab Aquilonari parte domus Capitularis, è regione Walcheri; Turgoto Dunelmenſi olim Priore (poſtea vero S. Andreae in Scotia Epiſcopo) medium locum obtinente.

* * *

VIII. RANULFUS FLAMBARD.

1099. Gul. 2. 13. POST mortem Gulielmi, vacavit Epiſcopatus annos tres menſeſque quatuor. Quem tandem Rex contulit Ranulfo cuidam[a], non tam quod tanto praeſulatu eum dignum, quam quod dignum exiſtimaret, quem (quanquam bipedum nequiſſimum) ob plurima ſibi praeſtita obſequia remuneraret[b]. Ab hoc tamen homine tam utili et gratioſo, mille libras accipere non eſt veritus, ut ad hunc eum promoveret praeſulatum. Capellanus hic fuerat Mauritii Londinenſis Epiſcopi, qui plurimi eum facere viſus eſt, ſed non tanti, ut Decanatu eccleſiae ſuae vacante eum voluerit donare. Quod ille ferens aegerrimè, indignabundus eum reliquit, et neſcio quibus artibus in aulam irrepſit. Homini vafro, ingenioſo, facundo, quique honeſtatem ex utilitate ſemper conſueſſet metiri, difficile non fuit fere quicquid vellet conſequi, apud Principem et avariſſimum ſimul et luxurioſiſſimum, Gulielmum ſecundum (quem Rufum cognominamus) cui nullum genus lucri ſuavius viſum, quam quod ex ſacrilegio proveniret. Gratiam igitur Regiam hujuſmodi commento primum eſt promeritus. Praeſulatus vacantes, (tam Abbatias puta quam Epiſcopatus) elocandos dicebat impigris hominibus, qui ſua curantes impenſiùs quam miniſtri Regii aliena, multo plura erant corraſuri, quam fiſco hactenus fuiſſet illatum. Placuit conſilium: Et licitatoribus ad mercimonium tam inhoneſtum rariùs confluentibus; locationes omnes ſolus Ranulfus conſequutus eſt. Magnam hinc nummorum vim Regi coacervavit, ſeque etiam ſimul abunde locupletavit[c]. Unde Rex conjiciens, aliis etiam in rebus operam ejus inutilem non futuram; collaudata hominis induſtria, ad alia itidem atque alia munera eum quotidie promovit, donec tandem *totius regni procurator* (ſic loquitur Malmesburienſis) effectus eſt[d]. Unde illam omnem authoritatem videtur conſequutus, qua hodie potiuntur Cancellarius, Theſaurarius, et neſcio quot alii. Hac ille intemperanter admodum abuſus eſt; nil penſi habens quem offenderet, modo vel ſe vel Regem locupletaret. Sic nimirum Malmesburienſis[e]. *Si quando edictum Regium proceſſiſſet ut nominatum tributum Angliae penderet, duplum adjiciebat; ſubinde ridente Rege ac dicente, ſolum eſſe hominem qui ſciret ſic agitare ingenium, nec aliorum curaret odium dummodo complacaret dominum.* Quibus rationibus, magnam invidiae molem contra ſe concitavit. Unde crebrae adverſus eum accuſationes, quibus Rex ſemper aures habebat occluſas.

---

[y] Ita *Turgotus* et *Dunelm.* Duodecimo juxta *Annal. Dunelm.*

[z] Deceſſit in Curia Regis apud Windeſor. in ipſis Kalendis Januarii anno 1095, Dunelmi verò ſepultus *Florent. Weſtm.* et *Annal. Waverl.* Die ſecundo, *Hoved. Dunelm.*

[a] Ex infimo genere, *Malmeſb.* f. 69. Canonicus fuit Eccleſ. Sarum. et Praebendarius de Sutton et Buckingham in Eccleſ. Lincolnienſi, et poſt eum, ſeu cum eo conjunctim poſſidens, Elias filius ejus. 1 *Pat.* 2 R. 2. m. 5. et *Monaſt. Angl.* V. 3. p. 264.

[b] *Hoved.* f. 268.

[c] Vid. *Ordericum Vitalem* f. 786, et *Pariſienſem.*

Hac igitur non ſuccedente[f], alia aggrediuntur via. Fraude circumventum inimici ſtatuunt occidere. Mittitur qui nunciet, Mauritium Epiſcopum Londinenſem animam agentem, ipſius vehementer expetere colloquium, et cymbam ideo miſiſſe quae illum ad ſe deducat. Ille nihil ſuſpicatus doli, paucis comitatus, naviculam ingreditur et ad navem velit nolit deportatur in anchoris ſtantem, paratam ad enavigandum. Inſidias ut primum ſenſit, ſigilla Regia abjecit in [fluvium]; tumque ad preces converſus, minis nonnunquam intermixtis, nonnunquam etiam pollicitationibus, à coepto curſu avertere illos anniſus eſt. Verum illi, morituri minis, perfidi promiſſis contemptis et irriſis[*]; nautarum duobus praecipiunt, ut vel fuſte cerebrum illi protinus diſpergant; vel in mare praecipitatum, quoquo modo, certe tollant è medio, ſceleris praemium veſtes habituri. Placet conditio; nec jam aliud quicquam moratur quo minus mandata perficiant, niſi quod de praemii diviſione non poterat inter homicidas convenire, cum veſtem ejus ſupremam valde pretioſam, caeterae (ſatis viles) nullo modo aequarent. Dum ea de re altercantur, tempeſtas ingens derepente eſt exorta, quae effracto vi venti malo et rudentibus diruptis, ad locum invitos repulit unde primum ſolverant. Interea vero ſalutis propriae ſollicitudo, alienae vitae tollendae cogitationem excuſſit. Neque deerat ſibi Ranulphus, homo facundus et animi ſatis magni, rogare, monere, hortari, pollicitari, terrere, allicere, omni denique ratione perſuadere, ne ſanguine ſuo manus velint cruentare, ac jam praecipuè, quando immiſſa tempeſtate, Deus, tanti ſceleris debitam poenam mox luendam, quaſi ante oculos repreſentaſſe videbatur. Sed illi, quo magis littori appropinquabant, tanto periculoſius exiſtimabant à nece ejus temperare, quem non dubitabant, ut primum terram attigiſſet, ſceleris vel attentati ſumpturum ſupplicium. Flectebantur attamen paulatim eorum animi; ſic ut tandem exurgeret inter eos quidam non infimae authoritatis, qui Giraldum (agminis ducem) hortaretur, monenti Deo obtemperare, atque ſibi decretum diceret, Ranulphum aut tueri, aut cum illo ſimul interire. Sic omnibus perſuaſum, ut ad terram appellentes, Ranulphum ad ſuam domum deducerent. Giraldus tamen in exilium ſponte profectus, in Angliam poſtea reverti nunquam eſt auſus.

Sic Ranulpho, poſtquam facundiae ſuae Muſica tanquam alter Arion marinas iſtas belluas excantaſſet, ac periculum unum per aliud evaſiſſet,

---

[d] Quod munus eo tempore tantum emicuit, ut Huntindonenſis (L. 7. f. 212.) Odonem, Ranulphi in hoc munere praedeceſſorem, vocat *Juſticiarium et* PRINCIPEM *totius Angliae*. [e] *De Pontif.* L. 3 f. 158. [f] *Dunelm.* [*] *Id.*

Themiſtocleum illud uſurpare licuit, *Periiſſem niſi periiſſem.* Paulo tum poſtea quam reverſus eſt, Junii videlicet quarto[g] 1099, in eccleſia Paulina Londini, in Epiſcopum Dunelmenſem eſt conſecratus. Ibi vixdum conſederat, quando Gulielmus Rex inter venandum, ſagittae in cervum emiſſae ictu fortuito, interemptus eſt[*]. Henricus tum frater et ſucceſſor ejus, accuſationum victus multitudine, novitium Epiſcopum in Turrim Londinenſem conjecit[h], unde corruptis cuſtodibus, brevi poſtea[i] evadens in Normanniam profugit. Author eſt Malmesburienſis, *ſollicitato per nuncios dapifero ſuo, funem ſibi afferri impetraſſe. Funem* (inquit ille) *miniſter aquae bajulus* (*proh dolor*) *amphora immerſum detulit*; *quo ille de muro ad terram demiſſus, ſi laeſit brachia, ſi manus excoriavit, parum curat populus.* In Normanniam (uti dixi) evadens, ſub initium Februarii 1101[k], Roberto Duci, Henrici Regis fratri natu majori, ad regnum à fratre minori occupatum anhelanti, calcaria addidit[l]. Cujus conatus irritum ſucceſſum legat qui volet in Annalibus noſtris. Quamdiù vixerit in exilio non comperi[m]. Haud longo ſane tempore, quantum conjicio; quia plurima poſtea non parvi momenti effecit. Muros navis eccleſiae ſuae ad tectum uſque perduxit: Reliquias S. Cuthberti in novam hanc eccleſiam tranſtulit, et feretro condidit pretioſiſſimo[n]. Urbem munivit ac moenibus cinxit[o]: Aedes quamplurimas eccleſiae ſuae vicinas, pecunia ſua coëmptas diruit, tanquam majeſtati eccleſiae propinquitate officientes, et periculum incendii, ſi forte conflagrarent, minitantes. Aggeres ad Ripam Werae fluminis per ſpatium longiſſimum jaciebat. Caſtrum Northamenſe in cacumine montis juxta Twedam fluvium conſtruxit[p], prout etiam Hoſpitale apud Kepar et pontem de Frammoldgate. Prioratum de Motſford prope Wintoniam primus fundavit, et Canonicis replevit atratis, quod ſuppreſſionis tempore annuum cenſum colligebat ad[q] 167 libras, quindecim ſolidos, octo denarios obolumque. Denique apud Aedem Chriſti in Comitatu Hantonienſi, collegium (cujus olim fuerat Decanus) redditibus ditavit, aedificiis non paucis auxit et amplificavit. Annos cum ſediſſet plus minus 29[r], Septembris quinto[s] deceſſit 1128[t].

⁂

IX. GALFRIDUS RUFUS.

*1133. Hen. 1. 34. GALFRIDUS[u] cognomento Rufus, Angliae Cancellarius[x], in Epiſcopum Dunelmenſem conſecratus eſt Auguſti ſexto 1128[y]. Cum annos huic ſedi duodecim praefuiſſet, Maii ſexto 1140 debitum naturae perſolvit[z]. Arcem Alvertonenſem hic dicitur conſtruxiſſe, et conſtructam dono dediſſe nepoti cuidam ſuo (filio forſitan) qui neptim quandam Comitis Albemarliae duxerat in uxorem[a].

---

[g] Junii quinto 1099. à Thoma Ebor. Archiepiſcopo. *Hoved.* f. 268. *Dunelm.* Sine ulla exacta Profeſſione, ſicut et Gulielmus Praedeceſſor ejus. *Turgot. Continua.* p. 707. [*] *Hoved.* ib. [h] Auguſti 15. 1100. *Dunelm.* [i] Februarii primo, *Hoved.* f. 268. b.—tertio, *Dunelm.* [k] Anno 1100 exeunte. [l] *Huntin.* L. 7. f. 217. [m] Rediit anno 1107. *Ordericus.* f. 833. b. [n] Sept. 4. anno 1104. *Mailr.* [o] Haec omnia videtur ex Simione Dun. hauſiſſe. [p] A°. 1121. *Mailr.* [q] Suppreſſionis tempore valebat 124^{l}. 3^{s}. 5^{d}. ob. nomine Mottisfont. *Dugd. Monaſt.* V. 1. [r] Annos 29, menſes tres et dies ſeptem. *Turgot. Continua.* p. 709. [s] *Sim. Dunelm.* et *Florent.* Anno 1128, *Huntin.* L. 7. f. 220. et *Mailr.* 1129, *Hoved.* f. 274. b. mala verò fide. [t] Ranulfo defuncto, Epiſcopatus Dunelmenſis duobus Baronibus committitur, vacavitque per quinquennium. *Turg. Contin.* [u] Succeſſit anno 1133, nominatus eodem tempore quo Nigellus ad Epiſcopatum Elienſe. *Bromt.* Col. 1019. [x] Ita *Huntin.* et *Dugd.* in *Catal. Cancell.* et *Hoved.* f. 275. a. [y] Apud Eboracum 1133 (menſe Auguſto, *Haguſt.*) à Turſtino Eboracenſi Archiepiſcopo. *Turgot. Continuat.* [z] In Caſtello ſuo Dunelmenſi. [a] De intruſione Gulielmi Cumin, qui Epiſcopatum per tres annos uſurpavit, vide *Sim. Dunelm* f. 271.

X.

X. GULIELMUS DE S. BARBARA.

1143. STEPH. 8. SUCCESSOR illi deſignatus[b] Gulielmus de S. Barbara, Decanus Eboracenſis, (homo pius et religioſus) per Henricum Wintonienſem Epiſcopum Legatum Pontificium conſecratus eſt Junii viceſimo 1143; et cum praeſulatus annum decimum nondum expleviſſet, diem clauſit extremum Novembris decimo quarto 1152[c].

XI. HUGO PUSAR.

*1153. STEPH. 19. HUGO PUSAR, dictus etiam Pudſey et de Puteaco, Eboracenſis eccleſiae Theſaurarius et Wintonienſis Archidiaconus[d], propter nobilitatem generis (erat enim Stephani Regis ex ſorore nepos) ad Pontificatum Dunelmenſis eccleſiae electus eſt[e], *Henrico Eboracenſi Archiepiſcopo* (*ad quem ſpectabat conſecratio ejus*) *plurimum obnitente, atque obtendente* (ut loquitur Newbrigenſis[f]) *et minus Canonicam electi aetatem, et minus probatam morum ejus gravitatem.* Romam igitur, electus, una cum eligentium praecipuis aliquot, profectus eſt, conſecrationem ibi, quam domi non poterat, impetraturus; Archiepiſcopo etiam procuratorem ſuum mittente, qui (ut loquitur idem Newbrigenſis[g]) *et electioni contrairet, et conſecrationem impediret*, quod illi factu difficile haud fuiſſet futurum, niſi oportune ſub id ipſum tempus mortem obiiſſent et Eugenius Pontifex, qui (ut ſupra memoravimus) ejuſdem Archiepiſcopi apud Clarevallem fuerat condiſcipulus, et ipſe paulo poſtea Archiepiſcopus, amicum veterem brevi temporis intervallo ſequutus. Sine magno tum negotio conſecrationis gratiam à novo Pontifice Anaſtaſio adeptus eſt, ſacris Epiſcopalibus ab ipſo Papa initiatus, Decembris triceſimo 1153[h]. Annos totos 42 huic eccleſiae praefuit; quo temporis ſpatio multa fecit memoratu non indigna. Aedes aliquot Epiſcopales in Manneriis ſuis, partim de novo conſtruxit, partim refecit collapſas ac novis auxit aedificiis. Et Derlingtonae quidem, non ſolum domum, ſed et eccleſiam à fundamentis excitavit. Prioratum Finchalenſem fundavit, habentem in redditibus annuis ſuppreſſionis tempore[i], 146 libras, novendecim ſolidos et denarios duos; et leproſis 65, ac ſacerdotibus aliquot, Ptochotrophium Sherbornae, ad Orientalem plagam urbis Dunelmenſis (cujus annuus cenſus eodem tempore fuit[k] 135 libras et quinque ſolidos) et hoſpitale itidem aliud Alvertonae, cujus reddituum rationem non reperi initam. A Richardo primo Rege, Sadburiam ſua emit pecunia et ſucceſſoribus reliquit. Pontem Elnetenſem conſtruxit, necnon et aedificium perpulchrum ad

---

[b] Electus in capella S. Andreae apud Eboracum 14 Martii 1142; et poſtea conſecratus à Legato viceſimo Junii (*Dominica ante feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtae*) ſequentis; aſtantibus (ſeptem, *Dunelm.*) novem aliis Epiſcopis in eccleſia S. Swithini. *Haguſtal.* [c] *Hiſt. Dunelm.* [d] Angliae Juſticiarius, *Bromt.* Col. 1162; pro quo Domino Regi dedit mille marcas argenti. *Ib.* [e] Annos natus vixdum 25, Jan. 22. 1152. *Dunelm. Hiſt.* [f] L. 1. c. 26. p. 68. [g] P. 69. [h] Ante Natale Domini. *Hoved.* f. 281. Dominica ante Natale Domini. *Mailr.* In Vigilia S. Thomae Apoſtoli. *Gervaſ.* Die viceſimo Decembris 1153.——— Poſtea verò ſuſpenſus eſt ab Alexandro Papa, quod Coronationi Henrici tertii conſentiſſet, in prejudicium Thomae Cantuar. Archiepiſcopi. [i] 122^{l}. 15^{s}. 3^{d}. *Monaſt. Angl.* V. 1. [k] 135^{l}. 7^{s}. 0^{d}. *Id.* ib. Poſt varias rixas, conſtitutum eſt Hoſpitium (per *Stat.* 27 Eliz.) pro Magiſtro et triginta fratribus. *Cambd. Brit.* Col. 949, idque nomine Hoſpitii Chriſto dicati.

Occidentalem partem eccleſiae Dunelmenſis, quod Galilaeam nuncupamus, ubi Venerabilis Bedae oſſa collocavit.

Reliquam jam vitam ejus depingat tibi, ſcriptor (ut illa ferebant tempora) egregie diſertus, Neubrigenſis[l]. “His diebus (inquit ille) nimirum Martii tertio 1194 ſtylo Anglicano, Hugo Dunelmenſis Epiſcopus extrema ſorte defecit, anno ſacerdotii ſui quadrageſimo ſecundo. Et quidem electorum Pontificum, quibus dignus non erat mundus, paucos raro legimus tanto tempore officio functos. Noſtri autem temporis Epiſcopis mundus non eſt crucifixus, ſed infixus, neſcientibus cum Propheta dicere, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*; quibus etiam productius in illa excellentia tempus breve videtur; tantuſque hos cum ſuas vel divitias vel delitias deſerere coguntur, torquet dolor, quantus illis dum affluerent, haeſit amor. Dicitur autem Epiſcopus ille, neſcio unde deceptus, dum in proſperis ageret, tam annoſam ſibi prophetaſſe aetatem, ut audientibus plurimis pronunciaret, ſe, oculis ſenio caligantibus, annos decem in caecitate acturum.” Habeo authores ac in primis Pariſienſem (quod Neubrigenſem vel latuiſſe, vel cognitum diſſimulaſſe, miror) *praedictum illi à Godrico quodam Eremita, futurum, ut ſeptem annos caecus viveret*; *ideoque maxima ſollicitudine medicorum, oculis medicinas conſervativas adhibuiſſe, ut tam viſu quam vita diuturniore frueretur*, Godricum vero de caecitate mentis non corporis, loquutum, voluit credere. Pergat jam Neubrigenſis. “Mundo jam ſecurus incubans (inquit ille[m]) extremis ex improviſo urgentibus, hujus fatuae prophetiae certum dat experimentum. Sane utrum in hoc aliquis eum quaſi divinando deluſerit, an ipſe abundans in ſenſu ſuo, ex conſideratione bonae valetudinis, vitam ſibi longiorem pollicitus fuerit, incertum eſt. Quippe uſque ad ſeptuageſimum annum, quo deceſſit, ſoſpes et vegetus vixiſſe perhibetur: Homo in terrenis diſponendis prudentiſſimus, et ſine multis literis eloquentiſſimus, pecuniarum ſitientiſſimus, earumque ſcientiſſimus quaerendarum. Spirituali potentia ſive excellentia non contentus, ſecularem ambivit, et multa eccleſiaſticae pecuniae (religioſis potius uſibus applicandae) jactura, quaeſivit ſibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui ſunt in terra. Caſtellorum inſtructioni, atque inſignium in locis plurimis aedificiorum fabricae deditus; quo plus ſtuduit aedificare in terra, eo remiſſius aedificare curavit in coelo.

“Hic nimirum ob ſolam generis nobilitatem, ex ſecularis vitae illecebris in aetate minus canonica ad Epiſcopatum aſſumptus, ſtudioſe implevit illud Salomonis, *Omnia quae deſideraverunt oculi mei non negavi illis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur*. Cumque opibus plerunque non parceret, ſed multo ſtudio congeſta, ne quid magnis animi ſui conceptibus deperiret, indiſcrete effunderet; alias tamen plus erat congregans quam diſpergens. Leproſis indulgentior, nobile illis Xenodochium, non longe à civitate Dunelmenſi, profuſa quidem, ſed tamen ex parte minus honeſta largitione conſtruxit. Alieni quippe juris non modicum huic devotioni per potentiam applicans, dum propria ſufficienter impendere gravaretur. Sane cum poſt plebis Chriſtianae in Oriente excidium, Chriſtiani principes, multuſque populus characterem dominicum ſuſcepiſſet; ipſe quoque ejuſdem piae

---

[l] L. 5 c. 8. p. 461.

[m] *Ib.* p. 462.

“ devotionis conſors eſſe voluit. Denique in capite jejunii ſignum Domini
“ ſolemniter ſumpſit, et pro caſtigandis peccatis ſuis ſub veſte exteriori
“ durum cilicium celavit, quo tamen diù uſus non eſt. Porro ut abjiciendi
“ etiam ſacri characteris occaſio non deeſſet; tepide rogatus à Principe,
“ publicae adminiſtrationis ſollicitudinem minime recuſavit; ac
“ deinde ab eodem callide inductus, appenſa illi univerſa pecunia, quam
“ in ſumptus longiſſimae peregrinationis congeſſerat, Comitatum Northumbriae
“ comparavit.

“ Quo facto, et Rege in Orientem profecto; à ſacro tandem charactere
“ humerum liberavit, ac geminato honori (Epiſcopus ſenior Comeſque
“ novitius) incubans, potentiam ſuam et gloriam uſque ad ejuſdem
“ Principis reditum magnifice oſtentavit. Cum autem ejus de captivitate
“ Alemannica in regnum regreſſi, faciem minus ſibi arridentem notaſſet;
“ non aliter eum quam reſignato Comitatu (quem gravi ſumma emerat
“ et ſpacio brevi poſſederat) placari poſſe credidit. Non tamen vel ſic
“ placare eum potuit, quem nimirum exactionibus importunis poſtmodum
“ gravem ſenſit, credentem ſcilicet, tanti Epiſcopi ſacculos non facile
“ poſſe exhauriri, praeſertim cum ille pro redimendo Comitatu (quem
“ olim fruſtra emerat) in multa quantitate pecuniam novam offerret.
“ Proinde Regi in tranſmarinis partibus conſtituto, et oblatam quidem
“ pecuniam authoritate Regia exigenti, non tamen Comitatum reddenti;
“ per reſponſales et munera ſupplicavit, ut vel mediante ipſa pecunia
“ Comitatum redderet, vel non reddens ab exactione ceſſaret. Rex autem
“ callide (ut olim) hominem palpans literis reverentia plenis, mandavit,
“ ut oblatam ſummam appenſurus, Lundonias accederet, et tanquam
“ pater patriae cum Archiepiſcopo Cantuariae, totius regni moderator
“ de caetero reſideret. Qua gratia exhilaratus Epiſcopus, Lundonias iter
“ arripuit. Venienſque ad villam propriam quae dicitur Craet[u], Dominica
“ qua mos eſt ſacerdotibus caput Quadrageſimalis jejunii ſolenni
“ eſu carnium praevenire; ibidem ſupra virtutem corporis ſenilis, ingurgitavit
“ ſe epulis, dum miſer (cui nil ſapit) venter, per ſaporum illecebram
“ de numeroſitate ferculorum uſque ad gravamen proprium ſuſcipere
“ cogeretur. Cumque per vomitum vitio crapulae mederi voluiſſet;
“ eo ipſo afflictus eſt magis.

“ Ab illo ergo die ſenſim deficiens; obſtinato tamen animo progreſſus
“ eſt itinere dierum aliquot uſque Doncaſtrum. Nec ulterius (excreſcente
“ incommodo) reluctari valens, itinere liquido circa primam Dominicam
“ Quadrageſimae delatus Hovedenam, ibidem decubuit. Et cum ingraveſcente
“ moleſtia jam deſperaretur; amicis qui aderant ſuadentibus,
“ teſtamentum condidit; et pro tempore faciens fructus vel ſerae poenitentiae;
“ ſenſu quidem doloris modico (ſicut fatebatur) ſed defectu
“ paulatim ſerpente, et tandem praevalente, vitam finivit. Illo autem
“ mortuo, et Epiſcopatu illicò per miniſtros Regios in fiſcum redacto:
“ iidem omnia ſecreta ejus ſcrutantes, quicquid repertum eſt, Regiis applicuere
“ commodis. Sed nec miniſtri et familiares ejus evaſere quaeſtionem,
“ qui nimirum juſſione Regia, tanquam ſubtractores bonorum
“ ejus, diſtrictae diſcuſſioni addicti, pro viribus quiſque ſubſtantiae ſuae
“ ſatisfacere ſunt compulſi.

---

[u] CRAKE.

[o] “ Sane memoratus Epiſcopus, dum adhuc Eboracenſis eccleſiae eſſet Theſaurarius, paulo ante Epiſcopatum, diverſis ex matribus tres ſpurios fuderat, nec tamen hoc vel ipſum divini reſpectu judicii ab Epiſcopatu ambiendo terruit, vel electionem ejus (quod et Canones remiſſius, et homines indiſcretius agerent) impedivit.—Epiſcopatum nactus, ſuſceptam ſobolem, per illecebram carnis affectus, ſtuduit ad divitias et nomen grande provehere. Porro in Epiſcopatu ſobolem non procreavit. Primogenitus [p] ejus, nobiliori matre procreatus, ſecularem militiam plus amavit. Sequens vero, cum Archidiaconatu Dunelmenſi, eccleſias plurimas, ad uſum magis deliciarum quam utilitatem animarum, paterna proviſione poſſedit. Tertius autem (quem pater teneriùs diligebat) multa ejus opera et impenſa, Regis Francorum Cancellarius, immatura morte paternum verberavit affectum. Medius quoque filiorum, patri ſuperſtes relictus, in multa foelicitate terrena; ab ejus diſceſſu menſe ſexto, ejuſdem foelicitatis vanitatem atque fallaciam, patrem ſequendo probavit.” Hactenus Neubrigenſis. Filius iſtius Epiſcopi natu minimus, ille eſt (ni fallor) quem Hovedenus Comitem Barrenſem appellat, et Adeti in Gallia anno 1189 defunctum, in Galilaea antedicta à patre conſtructa dicit tumulatum. Ad ipſum quod attinet Epiſcopum, in domo Capitulari, Dunelmi humatus perhibetur [q].

XII. PHILIPPUS PICTAVIENSIS.

1197. Ric. 1. 8. De ſucceſſore Hugonis, ſic Neubrigenſis [r]. *A morte Epiſcopi antedicti anno expleto, et Epiſcopatu per officiales Regios multifariam ſpoliato; accepit eandem ſedem nutu Regio Philippus, genere Aquitanus. Cum enim eſſet idem circa Principem multo tempore ſedulus, laborum particeps, et conſcius ſecretorum; tanquam de ſe optime meritum, praeclare remunerari idem Rex voluit.* Electus eſt triceſimo Decembris 1195 [s], et paulo poſtea Legatus Romam miſſus una cum Gulielmo de Longo-campo Elienſi Epiſcopo, (qui antequam illuc proveniret obiit in itinere) ibi loci conſecratus eſt duodecimo Maii [t] 1197. Anno deinde 1200 peregrinationem religionis ergo Compoſtellam uſque ſuſcepit [u]. Joanni Regi hic ſuaſor extitit praecipuus, ut excommunicationes Pontificias nihili penderet [x]. Quod Papa ut inaudivit, ipſum una cum Rege, anathematis fulmine percuſſit. Nondum abſolutus, diem obiit extremum Aprilis viceſimo ſecundo 1207 [y], et per laicos, ſine ulla exequiarum pompa, in coemiterio eſt humatus. Huic Richardus Rex monetae cudendae facultatem conceſſit, atque ut officinam monetariam Dunelmi haberet permiſit.

---

[o] L. 5. c. 9.

[p] Henricus ex Alicia de Percy. *Monaſt. Angl.* V. 2. p. 824.

[q] Deceſſit Martii tertio 1194. *Hiſt. Dunelm. Hoved.* f. 427. b. *Mailr.* p. 180. Epiſcopatus ſui anno 42. *Gervaſ.* —— Interfuit Concilio Lateranenſi A°. 1179: et anno 1190 factus eſt Northumbriae Comes. *Hoved.* f. 378.

[r] L. 5. c. 9. p. 467.

[s] Januarii quarto 1195. *Hiſt. Dunelm.*

[t] Dies non fuit Dominica. Conſecratus potius à Coeleſtino Papa viceſimo Aprilis 1197. *Dicet.* et *Hiſtor. Dunelm.*

[u] Et in Angliam revertit A°. 1201. *Hoved.* f. 468.

[x] Vid. *M. Par.*

[y] Obiit anno 1208, teſtibus *Paris. Mailr.* et *Weſtmon.* quo verò die non conſtat.

◆ ◆ ◆

XIII. RICHARDUS DE MARISCO.

VIDETUR jam ſedes diù vacaſſe[z]. Richardum namque de Mariſco 1217. Angliae Cancellarium, Sarisburienſem Decanum et Northumbriae HEN. 3. 1. Archidiaconum (qui multos annos in obſequiis aulicis tranſegerat) Gualo Legatus Pontificius huic Epiſcopatui ingeſſit, et ab Archiepiſcopo Eboracenſi conſecrari mandavit Junii viceſimo ſecundo 1217, annos totos decem poſt Philippi obitum. Durante vacatione, Morganum quendam Praepoſitum Beverlacenſem, à Dunelmenſibus Monachis electum comperi, quem [Henricus] Rex genuerat ex conjuge equitis cujuſdam aurati, Radulphi Bloet vel Bluet. Cum igitur ſpurius eſſet, ideoque juxta Canones eccleſiaſticos Pontificatus incapax; ut hunc obicem removeret, oportebat diſpenſationem Romae petere. Papa vero ad eam rem non nimium propenſus, ut ſe Equitis filium mentiretur hortatus eſt. Id modo vellet facere, conſecrationem non abnuebat. Electus vero generoſa voce profeſſus, nullum eſſe honorem tam magnum quem Regii ſanguinis nobilitati non poſtponeret; Praeſulatu excidit, et in Praepoſitura antedicta (ut puto) conſenuit. Ad Richardum iſtum quod attinet, homo dicitur fuiſſe prodigentiae tam profuſae, ut Monachi Dunelmenſes metuentes, ne tam ſuas quam Epiſcopales opes decoqueret: In jus vocatum, ut modum ſumptibus imponeret vi cogere nitebantur[a]. Qua in re opinione ſua multum falſi ſunt; Ille ſiquidem priſtinae profuſioni non parum etiamnum adjecit litigationis ſumptibus. Anno 1226 paulo poſt Paſcha, ut lites perſequeretur[b], Londinum iter ſuſcepit, magna juriſperitorum caterva ſtipatus. In Coenobium vero Petroburgenſe divertens (ubi honorifice ſatis eſt exceptus) veſpere cum optime valens quieti ſe dediſſet, mane à cubiculariis mortuus eſt repertus. Repentina ſic morte deceſſit Maii primo[c]; aeris alieni ſucceſſoribus onere relicto quadraginta millium marcarum. Tumulo ejus Epitaphium hujuſmodi à Monacho quodam Dunelmenſi inſcriptum ferunt; etſi non deſint, qui Gulielmum de Marchia Bathonenſem et Wellenſem Epiſcopum eo contendant honeſtatum[d].

“ Culmina qui cup-	itis,	laudes pompaſque ſit-	itis.
“ Eſt ſedata ſ-		ſi me penſare vel-	
“ Qui populos reg-		memores ſuper omnia ſ-	
“ Quod mors imm-		non parcit honore pot-	
“ Vobis praepoſ-		ſimilis fueram bene ſc-	
“ Quod ſum vos er-		ad me currendo ven-	

---

[z] Poſt mortem Philippi Richardus Sariſburienſis Decanus, non de Mariſco Regis Cancellarius, electus eſt à Capitulo Dunelmenſi, clam verò prae timore et Regis et Papae. Poſt quinque verò menſes Joannes Norwicenſis Epiſcopus electus eſt, Papa jubente, in Epiſcopum hujus Sedis, et ab eo confirmatus Octobri menſe A°. 1214. Joanne verò defuncto ante perfectam tranſlationem, Novembris ſcil. primo, Morganus Praepoſitus Beverlacenſis, Henrici Regis nothus, electus eſt: Caſſata verò electione de Morgano facta, Richardus de Mariſco, Regis Cancellarius tandem electus anno 1216, conſecratus eſt à Waltero Ebor. Archiepiſcopo apud Gloceſtriam die 25 Junii 1217: Et Temporalia habet reſtituta 29 ejuſdem menſis. *Pat.* 1 H. 3. m. 5.

[a] Ita *Florilegus*; *Pariſienſis* verò longe aliter rem narrat A°. 1221.

[b] Non ut lites perſequeretur, ſed ut Concilio Legatino, quod tum indicebatur Londini, intereſſet. Ita *Regiſtr.* vetus Eccleſ. Sarum. p. 143.

[c] *Hiſt. Dunelm.* et *Weſtmon.*———Cancellariatum tenuit ab anno 1213 uſque ad mortem. Et in MS. de officio Cancell. in Bibl. Reg. Cant. Richardus de Mariſco vocatur Cancellarius Regni Joannis Regis *anno quarto.*

[d] *M. Paris.* A°. 1226.

XIV. RICHARDUS POORE.

1228. Hen. 3. 12. HENRICO tertio Regi fuit quidam à ſacris, Lucas appellatus. Hunc magna vi Dunelmenſibus obtruſit ut in Epiſcopum eligeretur[e]; dejerans ſubinde, per totum ſeptennium Antiſtite carituros, ſi hunc ſibi praeficere abnuerent. Illi vero tanto praeſulatu hominem cognoſcentes indignum; Gulielmum quendam cognomine Scotum[f], Archidiaconum Wigornienſem, ſuffragiis ſuis Epiſcopum declararunt, virum graviſſimum juxta doctiſſimumque et capellanum itidem Regium. Rex attamen pro Luca ſuo repulſam ſe paſſum indignatus; electionem noluit probare; cumque Romam Scotum intellexiſſet profectum, ut ibi conſecrationem impetraret; Romam et ipſe oratores miſit (Epiſcopum nempe Lichfeldenſem et Priorem Lanthonienſem) qui parvo negotio effecerunt, ut bonus vir ſperato praeſulatu excideret. Poſt annum tandem unum aut alterum, Rege annuente electus eſt[g] Richardus Poore, Sarisburienſis Epiſcopus, ob plurimas animi virtutes vir merito celeberrimus. Decanus hic primum Sarisburienſis, in Epiſcopum Ciceſtrenſem anno 1215 conſecratus eſt, ac inde Sarisburiam 1217, atque Sarisburia Dunelmum 1228 tranſlatus. Ciceſtriae dum adhuc ſederet, ab eccleſia Wintonienſi Amportam pecunia emit numerata, et illi ſedi reliquit. Sarisburienſes vero memoriam ejus ſanctiſſimam habent, quod ſedis à veteri Sarisburia ad novam transferendae author, baſilicae nobiliſſimae ſtructuram ibi fuiſſet exorſus, qua de re ſupra inter Sarisburienſes plura à me perſcripta ſunt. Illinc etiam antequam migraret, Coenobium monialibus fundavit Tharentae in Comitatu Wiltonienſi, ac Reginae donavit, quae ibi loci ſe mandavit humari. Ptochotrophium deinde ſive Hoſpitale pauperibus juxta collegium *Vauxenſe* poſuit Sarisburiae, habens in redditibus 25^{l}. 2^{s}. 2^{d}.

Hunc Pariſienſis appellat *eximiae ſanctitatis ac profundae ſcientiae virum*, et exitum ejus admirabilem foeliciſſimumque his verbis depingit[h]; "Imminente hora ſuae diſſolutionis, videns Epiſcopus quia *venit hora quod tranſiret de hoc mundo:* ſermonem ſolennem populo fecit convocato, obitumque ſuum nunciavit imminere. Et cum in craſtino morbus ingraveſceret, iterum convocato populo, ſermonem replicavit, valedicens omnibus, veniamque ſi quem offenderat poſtulando. Tertia vero die convocata familia, et illis praecipue quibus tenebatur in ſolvenda clientela, diſtribuit quae ei videbantur rationabiliter diſtribuenda, cuique ſecundum meritum ſuum. Et cum certa deliberatione cunctis diſpoſitis et conſummatis et amicis ſingulatim ſalutatis, ſero dicens completorium, cum diceret verſum iſtum *in pace in id ipſum dormiam et requieſcam* Epiſcopus ipſe in Domino foeliciter obdormivit." Sic igitur (ut praefertur) deceſſit Aprilis decimo quinto 1237[i], poſtquam ingens illud debitum ab anteceſſore contractum diſſolviſſet, et Tharentae[k] in Monialium Coenobio à ſe conſtructo voluit tumulari.

---

[e] Mortuo Richardo Rex conceſſit licentiam eligendi 25 Maii. *Pat.* 10 H. 3. m. 5.

[f] De Stichill; Papa verò electionem de eo factam caſſavit.

[g] Anno nimirum 1228, Maii tertio, nominatus eſt à quibuſdam Monachis Richardus Poore, ab iis nempe, qui cauſam Capituli coram Papa promovebant; annuit Papa, poſtulatum confirmat Maii nono, et viceſimo ſecundo Julii 1228 Temporalia à Rege ſunt reſtituta.

[h] P. 370.

[i] Poſtquam rexerat Epiſcopatum novem fere annos.

[k] Obiit Tarentae Dorceſtriam juxta; ibi natus et ibi cor fuit ſepultum, corpus verò Sariſburiae.

XV. NICOLAUS DE FERNHAM.

PORO defuncto, Monachi Dunelmenſes, invito ac refragante Rege, 1241. Thomam[l] eccleſiae ſuae Priorem in Epiſcopum elegerunt[m], et con- HEN. 3.25. ſecrationem à Pontifice impetrandam ſperantes, Romam amandarunt; quo ſucceſſu, narrabit Pariſienſis[n]. *Monachi Dunelmenſes* (inquit ille) *poſt multos labores inutiles, et ſumptuoſarum expenſarum effuſiones multiplices, cedente*[o] *Priore Dunelmenſi praeëlecto, et ſic ejuſdem electione caſſata, elegerunt unanimiter* (*invocata ſpiritus ſancti gratia*) *M. Nicolaum de Fernham*[p] (*virum moribus et ſcientia commendabilem*) *in Epiſcopum et paſtorem animarum ſuarum. Rexerat autem ipſe dictus Nicolaus in artibus Pariſiis per plures annos* poſtquam adoleſcentiam (Lelando teſte) Oxoniae[q] in bonarum literarum ſtudiis tranſegiſſet. "Deinde arte medicinae Bononiae claruit gratioſus et peritus excellenter. Hic etiam poſtquam in Dialectica et arte Phyſicali et naturis ad plenum eruditus, ad Medicinam ſe poſtea conferens ſpiritualem, videlicet Theologiam; ipſa ſcientia et librorum copia ſe adeo reſtauravit, ut lecturiens, ad cathedram aſcendendam ſufficeret magiſtralem. Ipſum igitur quaſi expertum et ſcientia multipliciter et moribus commendabilibus inſignitum, peritorum conſilio Rex et Regina, ad ſuarum vocaverunt animarum et corporum cuſtodiam et conſilium familiare, hoc conſulentibus et procurantibus Ottone tunc Legato et Epiſcopo Carliolenſi, et aliis ſecretis Regis conſiliariis. Ubi cum proſpere et prudenter ſe haberet, ad dicti Pontificatus dignitatem electus, non adquievit. Videbatur enim ei inhoneſtum, illi conſentire electioni, cum paulo ante[r] quando in Epiſcopum Coventrenſem eligeretur, renunciaverit, nolens quomodolibet conſentire (qua de re ſupra pluribus inter Coventrenſes actum eſt.) Igitur ut obſtrueretur os loquentium iniqua, qui forte dicerent, Ecce hic hypocrita pauperi Epiſcopatui renunciavit, expectans uberiorem; ſummo animi conamine reluctabatur. Donec Epiſcopus Lincolnienſis (ille celeberrimus R. Groſſeteſt) eum ſuper hoc graviter redarguens, efficaciter ipſum ad hoc perſuaſit ut conſentiret, hoc modo: *Ecce Monachi Dunelmenſes et eorum eccleſia deſtituta paſtore, lachrymis obortis, ſolatium flagitant paſtorale*; *nec tu conſentis cum canonice eligaris? Adjuro per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, ut hoc onus ſubeas et honorem*; *quia Rex nullo modo niſi manifeſte deſipiat veſtram reprobabit electionem. Si autem non conſentias, Rex ibi apponet ſua machinatione aliquem alienigenam et degenerem necnon et imperitum, in ſubverſionem eccleſiaſticae dignitatis et periculum totius regni, cum ſit Dunelmenſis Epiſcopatus in confinio regnorum Angliae et Scotiae, et ſint caſtra Dunelmenſis Epiſcopi* (*Dunelmenſe ſcilicet et Norhamenſe*) *Angliae ex parte illa repagula contra omnium hoſtium inſultus.* Quod cum audiſſet dictus M. Nicolaus, ab imo trahens ſuſpiria, ait, *Amplector virtutem obedientiae. In Dioeceſi veſtra, mea habui, ex gratia veſtra, quae obtinui beneficia. Paternis*

---

[l] Thomam de Melſanby. *Hiſt. Dunelm.* [m] Jun. 1. 1237. *Weſtm.* [n] P. 490. [o] Aprilis octavo 1240. *Hiſt. Dunelm.* [p] Grandaevum et Regis Medicum. *Mailroſ.* [q] Videtur aliquando Cantabrigiae literis operam dediſſe; commemoratur enim in Miſſa Benefactorum Cantabr. nomine *Nicolai de Ferneham.* [r] Anno 1239.

“ *igitur veſtris monitis obtempero.* Monachi igitur Dunelmenſes, gaudentes eum Regi praeſentarunt tanquam ſuum electum. Rex autem ejus electionem gratanter acceptans, cum in electione vel electo nihil poſſet rationabiliter reprehendere, ſuſcepit electum ſine morae diſpendio.”

Conſecratus eſt Gloceſtriae Junii[s] nono 1241; praeſente Rege, Regina, praeſulumque et procerum numero permagno. Ad onus paſtorale ſuſcipiendum tam difficilis, ad deponendum haud minus promptus extitit. A Pontifice Romano facultate abdicandi impetrata, ſub initium Februarii 1249 re vera abdicavit[t], trium duntaxat manneriorum fructibus ſibi ad ſuſtentationem (quoad viveret) reſervatis, Hovedenae videlicet, Stoctonae et Enſingtonae. Quam reſervationem ſucceſſor ejus, aggreſſus eſt (ſed irrito conatu) infringere. Poſtquam privatus annos octo vixiſſet, ſtudiis interea et pietatis operibus ſe totum dedens, ad meliorem vitam ineunte Februario migravit anno 1257. Qui de illo plura cupit cognoſcere legat Pariſienſem de anno 1241, ubi quomodo Walterum Marſhall in gratiam Regis reduxerit et ad fratris defuncti Comitatum admitti illum impetraverit perſcribit. Deinde, de anno 1244, ubi litis cujuſdam inter illum et Abbatem S. Albani narratio habetur ſatis prolixa. De anno denique 1248, ubi hiſtoriam reperiet (niſi fabulam potius dicendam exiſtimet) de prodigioſa ſui ipſius hydrope necnon et aliis morbis laborantis, curatione. In eccleſia ſua ſepultus eſt, quam (à Thoma Melſcomb Priore ejuſdem nonnihil adjutus) teſtudine nova operuit anno 1242.

XVI. WALTERUS DE KIRKHAM.

* 1249. HEN. 3. 34. ABDICANTE Fernhamo, à Monachis Dunelmenſibus magna contentione Rex flagitavit, ut fratrem ſuum uterinum Ethelmarum ipſi in ſucceſſorem eligerent. Quod, cum illi, facere ſibi integrum non eſſe, reſpondiſſent, propterea quod neque ad maturam perveniſſet aetatem, neque eruditione ea praeditus eſſet, ut tanto praeſulatu dignus poſſet videri: *Fructus* (inquit) *Epiſcopales, annis octo vel novem in fiſcum inferri curabo. Et ſpero, fratrem meum, priuſquam tam diu ſedes vacaverit, tam aetate quam doctrinae ſupellectile abunde inſtructum fore.* Anno attamen ſequenti, quendam Walterum de Kirkham[u] in Dunelmenſem Epiſcopum conſecratum comperi, cumque ſediſſet annos plus minus decem, Auguſto menſe defunctum 1260[x].

XVII. ROBERTUS STITCHELL.

1260. HEN. 3. 45. ROBERTO STITCHELL[y] temporalia hujus ſedis reſtituta ſunt quinto Decembris Henrici tertii Regis 45°. Hoſpitale ſive Xenodochium hic fundavit Grithamae, et cenſu dotavit annuo 97 librarum ſex

[s] *Paris.* et *Annal. Winton.* Maii 26 die S. Trinitatis. *Hiſt. Dunelm.* [t] Reſignationis inſtrumentum Conventus accepit Februarii octavo 1248. *Id.* et *Paris.*———Noveritis &c. nos vacante ſede Dunelm. ad petitionem Rogeri de Merlay Militis, Patroni Eccleſiae de Horſel, Robertum de Dathenorth Capellanum ad ejuſdem Eccleſiae Vicariam admiſiſſe, tertio Aprilis. Ex minori Rot. *Regiſtr. Ebor.* Walteri de Gray, anno Pontificatus 34. *MS. Baker.* [u] Eborac. Decanum. Electus 21 Aprilis 1249; conſecratus Eboraci à Waltero Archiepiſcopo prima Dominica adventus Domini, in Vigilia S. Nicolai, viz. Decembris quinto 1249. *Hiſt. Dunelm. Florileg.* et *Paris.* [x] Obiit Auguſti nono 1260 apud Hoveden (Londini. *MS. Reg.*) ſepultus in Eccleſia Dunelmenſi. *Par.* et *Weſtm.* [y] Monacho Dunelmenſi et Priori de Stichil. *Mailr.* et *Weſtm.* Priori Finchelenſi. *MS. Reg.* et *Hiſt. Dunelm.* et Sacerdotis filio. *Id.* Electus eſt 30 Sept. et conſecratus apud Southwellam 13 Feb. 1260. *Id.* et *Weſtm.*

ſolidorum, trium denariorum et oboli[z]. Poſtquam Simon de Morte-forti Leceſtriae Comes res novas molitus in praelio interemptus eſt; praedia ejus ubicunque exiſtentia, à ſuis occupari hic Epiſcopus mandavit. Cum vero in Comitatu Dunelmenſi latifundia Comes nonnulla poſſediſſet; haec ad ſe jam devoluta contendebat; et cum hoc, lite intentata eviciſſet, adjudicata ſibi praedia Hoſpitali antedicto contulit. Praefuit annos quatuordecim et Auguſti quarto 1274 deceſſit[a].

XVIII. ROBERTUS DE INSULA.

ROBERTO praedicto, alius itidem Robertus ſucceſſit, de Inſula cognominatus[b]; qui annos praefuit novem, et Junii viceſimo tertio 1283 defunctus[c], in domo Capitulari, marmore affabre inſculpto, jacet opertus. 1274. EDW. I. 2.

XIX. ANTONIUS BEAK[d].

JANUARII decimo quinto ſequenti Antonius Beak[e], in excelſo pegmate, à Gulielmo Eboracenſi Archiepiſcopo, praeſente Rege et multis regni magnatibus, conſecratur ad hanc ſedem[f], in qua, potentia opulentiaque ſic viguit, ut omnes tam ſucceſſores quam anteceſſores (ſi unum forte Wolſaeum demas) non paucis paraſangis fuerit ſupergreſſus. Praeter numeratae pecuniae gazas immenſas, praedia poſſidebat ad eccleſiam non ſpectantia, quae redderent annuatim quinque millia marcarum. Horum multa illi obvenerunt à Veſſeio Barone, qui fiduciarum eum conſtituit haeredem, ut ille ad Gulielmum nothum dicti Baronis haereditatem poſtea transferret, quod tamen ab eo nunquam factum ferunt[g]. 1283. EDW. I. 12.

Opum hujuſmodi conſcientia turgidus, titulum caepit ſpernere Epiſcopalem, ſeque curavit Patriarcham Hieroſolimitanum[h] à Papa declarandum. Et Manniae Inſulae principatu à Rege ceu prece ceu pretio impetrato, quoad vixit potitus eſt. Quomodo ad Imperatorem à Rege Legatus, à Joanne Romano Eboracenſi Archiepiſcopo eo ipſo tempore ſit excommunicatus, ſupra à me eſt expoſitum. Cum Monachis ſuis Dunelmenſibus magnum habuit et diuturnum certamen, quod ipſi multarum moleſtiarum cauſa extitit. Conqueſtus Papae Priorem eccleſiae ſuae hominem eſſe ſtupidum ac imperitum et tanti Coenobii regimini uſquequaque imparem: Omnium rerum tam ſpiritualium quam temporalium procurationem ad ſe ipſum demandari curavit. Tumque miniſtros quoſdam ſuos Dunelmum miſit, qui ſecundum authoritatem ſibi commiſſam mandata ejus exequerentur. Ii vero ad Coenobium venientes, contumelioſe ſunt excluſi à Monachis; qui Regem dicentes de controverſiis inter ipſos velle cognoſcere, ad Pontificem provocarunt. Miniſtri attamen Epiſcopales, Priorem extemplo Monachoſque omnes excommunicarunt. Quod Rex ferens iniquiſſime, miniſtris ſingulis mulctam gravem inflixit, et Epiſcopum ipſum tempore praeſtituto coram ſe juſſit comparere; qui Rege inconſulto, Romam interea profectus eſt. Unde Rex iratus admodum, temporalia ejus (ut loquimur) ſeiſivit, hoc eſt fructus et redditus Epiſcopales fiſco mandavit inferri; omnibuſque qui munera publica in Comitatu Dunelmenſi tractarent (Cancellario, Juſticiariis, caeteriſque) ſucceſſores dedit. Pontifici etiam ſcripſit in gratiam Prioris, qui epiſtolam Regiam ſua manu Papae cum tradidiſſet, examen poſtquam ſubiiſſet, vir gravis et non imprudens repertus, muneris ſui executioni reſtitutus eſt; ſed diem obiit extremum antequam in patriam poſſet pervenire.

---

[z] Ita *Monaſt. Angl.* T. 1.

[a] Deceſſit in Caſtello de Arbipellis, et ſepultus in Monaſterio Ordinis S. Benedicti, cor verò apud Durham. *MS. Reg. Hiſt. Dunelm.*

[b] Anno 1274 Eccleſia Dunelmenſis, per mortem bonae memoriae Roberti quondam ejuſdem Eccleſiae Epiſcopi, Paſtoris ſolutio deſtituta, petita à Domino Edwardo illuſtri Rege Angliae eligendi licentia et obtenta, 8 Kal. Oct. anno praenominato, Prior et Capitulum Dunelm. elegerunt Rob. de Inſula Priorem de Finkhall &c. Rex adhibet aſſenſum 15 Oct. ejuſdem anni. *Regiſtr. W. Gifford. Ebor.* f. 15; ita etiam *Pat.* 2 E. 1. m. 5. ——Conſecratus 2 Nov. 1274. *Regiſtr. Giff.* f. 16. ſed dies non fuit Dominica. Conſecratus 9 Dec. *Hiſt. Dunelm.* Tempo. reſtituta 11 Nov. *Pat.* 2 E. 1. m. 2.

[c] Middlehamae. *MS. Reg.* Junii ſeptimo 1285. *Hiſt. Dunelm.* Temporalia in manu Regis 14 Jun. *Pat.* 11 E. 1. m. 8.

[d] BECK, *Chron. Petrob.* BEK, *Hiſt. Dunelm.*

[e] Frater Walteri de Bek Senioris, Domini de Ereſby Comitatu Lincolnienſi: et Rector de Ereſby anno 1272. *Dugd. Baron.* V. 1. p. 426.—Archidiaconus Dorſet. A°. 1275. *Rym. Foed.* T. 1. p. 47, 48; et Archidiaconus Dunelmenſis. *Hiſt. Dunelm.*

[f] Electus Julii nono 1283. *Ib.* Temporalia habet reſtituta 4 Sept. *Pat.* 11 E. 1. m. 4, et conſecratus 9 Jan. ejuſdem anni. *Angl. Sacr.* V. 1. p. 745.

[g] *Lib. Dunelm.*

[h] Antonius *Patriarcha Jeruſalem* et Epiſcopus Dunelmenſis. *Clauſ.* 1 E. 2. m. 12. Et *Fin.* 4 E. 2. m. 11.

Dum Regem ſic infenſum haberet hic Epiſcopus, inter alia damna quamplurima juribus Epiſcopalibus illata, ſilentio non eſt praetereundum, arces aliquot aliaque praedia Epiſcopis erepta fuiſſe, quorum jus per damnationem Joannis Bailiol Scotorum Regis et aliorum, ad Epiſcopos Dunelmenſes tanquam Comites Palatinos fuerat devolutum (nimirum *Werkam* in Tividale, *Perith*, et eccleſiam de *Simonburia*.) Ludovicus vero de Bellomonte (qui illi poſtea ſucceſſit) jure cum Rege agens, illa omnia poſtea recuperavit, ſicuti ſuo loco demonſtrabitur.

His turbis poſteaquam ſe Patriarcha tandem expediiſſet, ſtructuris magnificis excitandis totus vacavit. Aedes Auklandenſes convertit in caſtrum, ubi aulam conſtruxit magnae amplitudinis (quam columnis ornavit ex nigro marmore maculis candicantibus variegato) et conclave ſatis amplum, cum aliis aedificiis vicinis; necnon et capellam pulcherrimam, in qua Decanum collocavit et Praebendarios, area quadrata (aedificiis à ſe porro conſtructis circundata) pro habitaculo eis aſſignata, in Occidentali parte ejuſdem caſtri. Aedificavit de novo, vel novis ſtructuris multum auxit, caſtrum Bernardi, et arces *Alnwikenſem*[i] (quam acceperat à Veſſeio Barone) *Gainforthenſem*, *Cunclifenſem*, *Somertonenſem*, qua Regem, ac denique *Elthamam* (prope Londinum) quam Reginae, donavit. Prioratum de *Alvingham* fundavit in Comitatu Lincolnienſi, redditus habentem annuos ſuppreſſionis tempore[k] 141 librarum, et quindecim ſolidorum. Gulielmum deinde [Eboracenſem Archiepiſcopum] ſumptu permagno in Sanctorum album aſcribi curavit. Et Ceſtriae juxta ſtratum in comitatu Dunelmenſi eccleſiam collegiatam, Decanum, ſeptemque Praebendarios inſtituit. Cum annos ſediſſet 28, Elthamae diem obiit ſupremum viceſimo octavo[l] Martii 1311, et in eccleſia ſua [Epiſcoporum primus eſt ſepultus[m].]

---

[i] Baroniam de *Alnewyk* conceſſit Henrico Percy, Syngrapha data apud Kenyton 19 Nov. 1309. *Rym. Foed.* T. 3. p. 183.

[k] 128^{l}. 14^{s}. 2^{d}. *Monaſt. Angl.* V. 1.

[l] Mortuus tertio die Martii 1310, quo Dominus Rex cepit Temporalia poſt mortem Antonii per breve de Privato Sigillo. *Rym. Foed.* T. 3. p. 251.

[m] Inter altaria SS. Adriani et Michaelis Archiangeli. *MS. Reg.*

XX. RICHARDUS KELLOW

1311. Edw. 2. 4. RICHARDUS[n] KELLOW, qui Antonio ſucceſſit, annos tantum quinque praefuit. Quo brevi temporis ſpatio magnis impenſis aedificavit multa *Middlehamae*, *Stoctonae* et *Welhallae*. Obiit [Middlehamae] anno 1316[o].

XXI. LUDOVICUS BEAUMONT.

*1318. Edw. 2. 11. A MONACHIS[p] Dunelmenſibus in Epiſcopum tunc electus eſt Henricus Stamford Prior Finchalenſis[q], et Romam ablegatus ut ibi conſecrationem impetraret. Sed antequam illuc perveniret, Pontifex à Regibus Angliae[r] Galliaeque impenſe rogatus, Epiſcopatum contulerat[s] cuidam Ludovico de Bello-monte [Sariſburienſi Theſaurario,] ex Regio Gallorum ſanguine prognato, et ſic Iſabellae Angliae Reginae propinquo; qui utroque pede claudus, tam porro indoctus fuit, ut conſecrationis[t] ſuae bullas et diplomata legere nequierit. Verbo (*Metropoliticae*) occurrente; diù haeſitavit, et tandem recitare neſcius, *Soit pour dict* (inquit) perlectum credas. Sic quando ad vocabulum (*aenigmate*) perventum eſt, in eodem haerens luto, prorupit in haec verba, *Par Saint Lowis, il n'eſt pas curtois qui ceſte parolle ici eſcrit:* Per S. Ludovicum, inhumaniter factum ab illo qui hoc verbum ſcriptitavit[u]. Non ſine cauſa igitur, à Papa aegre eſt admiſſus ad conſecrationem, quae tanto illi conſtitit, ut aere alieno ingenti contracto, per annos totos quatuordecim, quibus huic eccleſiae praefuit, nominibus non eſſet ſolvendo.

Dunelmum inſtallandus proficiſcens, unâ cum duobus Cardinalibus qui ipſum comitati ſunt; prope Derlingtonam incidit in latrones, qui non contenti impedimenta diripuiſſe tam Cardinalium[x] quam Epiſcopi, illis dimiſſis, hunc comprehenſum deduxerunt ſecum ad caſtrum Morpethenſe, et donec lytrum grande perſolviſſet, captivum detinuerunt. Horum duces erant Walterus Selby et Gilbertus Middleton; quorum iſte, in caſtro ſuo Nitfordenſi captus poſtea, ad Londinum deductus eſt, et in Cardinalium conſpectu ſuſpendio facinoris poenas luit. Poſt haec tamen Goſcelinus quidam [D'Eiville] eques auratus unâ cum fratre Roberto, magna ſuorum caterva ſtipatus (qui omnes fraterculorum habitu ſunt induti) auſus eſt in aedes aliquot Epiſcopales impetum facere, et reperta quaecunque aſportare, omnia etiam alibi depraedantes quocunque ſe converterent. Ob quae ſcelera comprehenſi poſtea illorum plurimi, Eboraci poenas dederunt, in patibulo ſuſpenſi. Eccleſiae ſuae jura hic Praeſul ſatis animoſe defendit, et praedia non pauca ſub Antonio Beco injuſte ac per vim erepta, lite intentata, ſedi ſuae reſtituenda curavit (ſicut antea memoravimus) hac à judicibus lata ſententia, *Quod Epiſcopus Dunelmenſis debet habere forisfacturas guerrarum intra libertates, ſicut Rex extra.*

---

[n] Electus eſt 31 Martii 1311; confirmatus ab Archiep. 11 Maii, conſecratus apud Eboracum die Pentecoſtes 30 Maii. *Hiſt. Dunelm.* ——— Frater *Ric. de Kellowe* Monachus Dunelmenſis, Regium habet aſſenſum 11 Apr. et Temporalia reſtituta 20 Maii 1311. 1 *Pat.* 4 E. 2. m. 18.

[o] Oct. 9. 1316, et in Capitulari domo Dunelmae ſepultus jacet. *Regiſtr. Ebor. Hiſt. Dunelm.*

[p] Richardo defuncto Licentia eligendi conceſſa eſt 19 Oct. 1 *Pat.* 10 E. 2.

[q] "Vir moribus "ſincerus, aetate maturus, vultu placidus, ſufficienterque literatus." *Hiſt. Dunelm.*

[r] Litera data apud Eborum 23 Nov. 1316. *Rym. Foed.* T. 3. p. 581.

[s] Bulla de proviſione data 5 Id. Feb 1316. *Ib.* p. 605.

[t] Conſecratus 26 Mar. 1318. *Wharton.* 25 Mar. *MS. Reg.* Dies verò non fuit Dominica.—Temporalia reſtituta 4 Maii 1317. 2 *Pat.* 10 E. 2.

[u] *Hiſt. Dunelm.* cap. 33.

[x] Gauſelinum tituli Sanctorum Marcellini et Petri Preſbyterum, et Lucam S. Mariae in via lata Diaconum. *Rym.* T. 3. p. 663.

Quouſque vero hae libertates pertendant, narrabit tibi ſuis verbis doctiſſimus Camdenus: “Totam hanc regionem (inquit ille) Comitatum nempe Dunelmenſem cum aliis etiam vicinis S. Cuthberti terram ſive patrimonium vocant in ſuis ſcriptis Monachi. Sic enim vocarunt illi quicquid ad Dunelmenſem ſpectavit eccleſiam, cujus Cuthbertus quaſi patronus habetur. Ideoque Reges et proceres noſtri quod tutelarem illum fuiſſe divum contra Scotos crediderint, non ſolum ejus corpus devoti inviſerunt (quod integrum incorruptumque duraſſe perſuaſerunt ſcriptores) ſed etiam ampliſſima latifundia donarunt, et plurimas immunitates irrogarunt. Egfridus Rex, magnos reditus in ipſa urbe *Eboraco*, *Crecam* et *Luguballiam* civitatem ipſi Cuthberto vivo dedit, ut eſt in hiſtoria Dunelmenſi. Alfredus Rex et Guthrunus Danus (quem ille Nordanhumbris praefecit) poſtea totam terram inter *Were* fluvium et *Tinam* (libri antiqui verbis utar) Cuthberto et in ejus eccleſia miniſtrantibus, perpetuo poſſeſſionis jure largiti ſunt, ex qua illis ne inopia laborarent, vitae ſubſidia procurentur. Praeterea ejus eccleſia tutum profugis locum refugii conſtituerunt, ut quicunque qualibet de cauſa ad ejus corpus confugerit, pacem per 37 dies nulla unquam occaſione infringendam habeat. Edwardus et Athelſtanus Reges, et Cnuto ſive Canutus Danus, (qui nudis pedibus ad Cuthberti tumulum acceſſit) has leges et libertates non modo confirmarunt, ſed etiam auxerunt. Nec minus Gulielmus Normannus, à cujus ſtatim tempore Comitatus Palatinus judicatus eſt, et Epiſcopi nonnulli tanquam Comites Palatini ſigillo inſculpſerunt militem cataphractum phalerato equo inſidentem, altera manu gladium vibrantem, altera inſignia Epiſcopatus praetendentem. Juraque ſua regalia habuerunt Epiſcopi, adeo ut proſcriptorum bona illis, non Regi cederent, et ipſa plebs immunitatibus elata, militare in Scotia ſub Rege recuſarit. Dicebant enim (hiſtoria Dunelmenſis pro me loquetur) ſe eſſe *Halliwerk Folkes*, id eſt, ſacro operi aſcriptitios, et terras ſuas tenere ad defenſionem corporis S. Cuthberti, nec debere ſe exire terminos Epiſcopatus, ſcilicet ultra *Tinam* et *Teiſam* vel pro Rege vel pro Epiſcopo. Verum Edwardus primus has libertates primus praecidit. Cum enim ille ſe tanquam arbitrum honorarium inter Antonium Beccum Epiſcopum et Priorem, de poſſeſſionibus inter ſe acriter digladiantes, interponeret, nec illi ex ejus arbitrio facerent; ſeiſivit (inquit author) libertatem Epiſcopatus in manum ſuam, et ibi rimata ſunt multa. Jura tamen ſua poſtea recuperavit eccleſia, illaeſaque tenuit uſque ad Edwardum ſextum, cui, diſſoluto Epiſcopatu, omnes ejus reditus et libertates, ordines in parliamento conceſſerunt. Sed ſtatim Maria Regina eadem authoritate hanc conſtitutionem refixit, et omnia ſarta tecta eccleſiae reſtituit, quibus hodie gaudet. Nuper enim Jacobus Pilkintonus Epiſcopus, Reginam Elizabetham de poſſeſſionibus et bonis Caroli Nevill Comitis Weſtmorlandiae et aliorum in hoc agro proſcriptorum, qui in patriam bellum nefarie moverant, in jus vocavit, cauſamque perſequutus eſſet, niſi authoritas Parliamentaria interceſſiſſet, et pro eo tempore (ſic ſe habent verba) Reginae adjudicaſſet, quod impenſis ſuis maximis, cum Epiſcopum tum Epiſcopatum è ſeditioſorum faucibus "eripuiſſet." Hactenus Camdenus. Ad Epiſcopum noſtrum jam revertamur, cui tribuunt nonnulli, quamplurimi Flambardo anteceſſori, maeniorum urbis Dunelmenſis ſtructuram. Aulam et coquinam Middlehamae aedificaſſe conſtat, capellam vero ibidem inchoatam relinquere, mors intempeſtiva coëgit, qua ſublatus [y] interiit viceſimo octavo Septembris (ſi non ut aliqui habent viceſimo ſecundo) 1333 [z]. Sub marmore aereis laminis ornato (quod vivus ſibi paraverat) jacet tumulatus ante ſummum altare eccleſiae ſuae, et epicedio hujuſmodi eſt honeſtatus.

"De Bello monte jacet hic Ludovicus humatus,
"Nobilis ex fonte Regum Comitumque creatus [z].

◆◆◆◆◆◆◆◆◆◆

XXII. RICHARDUS DE BURY.

1333. EDW. 3. 7. BELLO-MONTIO vix dum juſtis perſolutis, ad novi Pontificis electionem, omine parum fauſto, à Monachis Dunelmenſibus properatum eſt; qui ex ſui corporis gremio Monachum neſcio quem [b] Epiſcopum renunciarunt, ab Archiepiſcopo poſtea Eboracenſi non ſolum confirmatum ſed et conſecratum; neque Rege, neque (quod plurimum intererat) Papa conſultis. Rex igitur et temporalia huic conſecrato reſtituere recuſavit, et à Papa [c] facile impetravit, ut ex plenitudine poteſtatis ſedi Dunelmenſi (Monacho neglecto) Richardum de Bury ingereret Decanum Wellenſem. Partim ut petenti gratificaret, partim ut de altero illo vindictam ſumeret quod non petiiſſet, petitioni Regis morem geſſit, et reſcripto ſuo Wintonienſi Epiſcopo mandavit, ut Burienſem conſecraret (quod ab illo decimo nono Decembris 1333 magna cum ſolennitate factum eſt Chertſeiae) et à Rege [d] temporalia illi continuo ſunt reſtituta. Ad miſerum quod attinet Monachum; ſine Epiſcopatu Epiſcopus, ad clauſtrum ſuum rediit, ubi moerore et angore animi contabeſcens, brevi poſtea animam exhalavit.

Richardo vero patria fuit oppidum, quod à Coenobio S. Edmundi (ibidem quandoque ſito) Burgum S. Edmundi appellamus, vulgo S. EDMUND'S BURY, unde Antiſtiti, Burienſis cognomen inditum, cum patrem habuerit militem auratum, Richardum [e] Angervill. Quo, ipſo nondum pubere, orbatus, à ſacerdote quodam avunculo ſuo, nomine Willowbeio, magna cum ſollicitudine educatus, et in Academia Oxonienſi, ut animum ibi bonarum literarum ſcientia excoleret, collocatus. Illic poſtquam philoſophiae tam divinae quam humanae ſtudio operam eouſque dediſſet, ut *in utraque* (teſtibus Boſtono et Roſſo Warwicenſi) *magnus evaſerit*; morum etiam vitaeque ſanctimonia celebris; inter omnes Academicos idoneus maximè viſus eſt, qui pueritiam regeret Edwardi principis, Edwardi inquam qui poſtea Edwardus tertius dictus, regnum foeliciſſimum, et rebus maximis à ſe geſtis glorioſiſſimum, ad annum ſecundum ſupra quinquageſimum produxit. Quo tempore mater ejus, ipſo ſecum in Galliam abducto, res novas contra maritum Edwardum ſecundum coepit moliri, Burienſis noſter Quaeſtor fuiſſe Regius perhibetur in Vaſconia, et rei nummariae inopia laboranti Reginae, non parvam pecuniae ſummam ſuppeditaſſe, fiſco Regio pendendam. Id quod parum abfuit quin illi in exitium verteret. Nam Regiorum perſequentium manus tam aegrè effugit, ut Pariſiis in Eccleſiae cujuſdam [f] campanili ſe occultare fuerit coactus, per ſpacium ſeptem dierum. Edwardus junior rerum potitus, plurimorum munerum adminiſtrationem illi protinus commiſit, quae Latine nemo commode expoſuerit. Primum Coferarius illius conſtitutus eſt; poſtea Theſaurarius Garderobae, deinde Privati ſigilli Cuſtos. Atque in hoc munere poſtremo quinque annos tranſegit: Quo temporis ſpacio ad Pontificem bis fuit legatus. Anno tum 1333 Decanus Wellenſis renunciatus, ante finem ejuſdem anni Epiſcopus Dunelmenſis creatus eſt [g], et decimo nono Decembris 1333 (uti diximus) conſecratus, Regibus Angliae et Scotiae praeſentibus, Regina etiam, Archiepiſcopis duobus, Epiſcopis quinque, Comitibus ſeptem, et aliorum utriuſque ſexus nobilium numero permagno. Anno mox ſequenti Cancellarius, et poſt biennium Theſaurarius Angliae eſt declaratus [h]. Et poſt ſuſceptum Epiſcopatum de rebus maximis legationibus plurimis perfunctus eſt.

---

[y] Obiit Brantingamae. *MS. Reg.* [z] Septembris 24. 1333. *Hiſt. Dunelm.* [a] Sic ſe habet Epitaphium

——— "In Gallia natus
"De *Bello-Monte*, jacet hic Ludovicus humatus,
"Nobilis ex fonte Regum Comitumque creatus,
"Praeſul in hac ſede Celi letetur in Ede.
"Preteriens ſiſte memorans quantus fuit iſte,
"Celo quam dignus, juſtus, pius, atque benignus,
"Dapſilis ac hilaris, inimicus ſemper avaris.

De novo Sigillo pro regimine Epiſcopatus Dunelm. poſt mortem Ludovici Epiſcopi in manu noſtra exiſten. dat. 6 Oct. *Clauſ.* 7 E. 3. par. 2. m. 16. [b] Robertum de Grayſtanes (ſeu Graviſton) S. T. P. qui ab Archiepiſcopo confirmatus eſt Nov. 10. 1333, et conſecratus Nov. 14, in Capella Palatii. *Regiſtr. Melton.* [c] In *MS. Trin.* p. 42, ſuperius inter Epiſcopos Bathonio-Wellenſes laudato, Godwinus ipſe in Pontificis Tyrannidem hoc modo invehitur "Eo uſque invaluerat hoc tempore tyrannis Pontificia, ut neglectis electionibus, niſi per proviſiones Papales (ſic enim loquuntur) vix aut ne vix cuiquam Epiſcopatus conferrentur. Unde factum eſt, ut vel abſque electione, authoritate ſola Pontificia freti, Eccleſias plerique invaderent; vel electionem nemo ambiret, niſi qui gratiam Domini Papae vel prece vel pretio ſe conſequi poſſe confideret. Si quis illo non conſulto conſecrationem auſus eſt ſuſcipere, foeliciter ſecum actum putabat, ſi mulcta qualibet graviſſima delictum ſibi liceret expiare. Narrat (exempli gratia) Walſinghamius Monachum quendam Dunelmenſem pium, doctum, omnique exceptione majorem, illa ſede vacante, electum rite, confirmatum ſacratumque in Epiſcopum Dunelmenſem; Deerat ſolum conſenſus Pontificis, qui ſpretam authoritatem ſuam et laeſam majeſtatem magno exemplo vindicare ſtatuit; Novum Epiſcopum ſolio exturbat, in ordinem redegit, et intra clauſtri monaſtici parietes rurſus compingit,——ubi moerore contabeſcens brevi moritur." [d] Cum de gratia noſtra ſpeciali pardonavimus Willelmo Ebor. Archiep. tranſgreſſionem et contemptum quos nobis fuit confirmando electionem nuper factam de *Roberto de Grayſtan* Monacho Eccleſiae Dunelm. in Epiſcopum loci praedicti, et ipſum Epiſcopum conſecrando dict. Rob. per nos non acceptato, nec Regio aſſenſu noſtro prout moris eſt in hac parte adhibito &c. 30 Mar. *Clauſ.* 8 E. 3. m. 27. [e] AWNGEVILL. *Hiſt. Dunelm.*

Quantum temporis habebat à publicis muneribus vacuum, aut in oratione impendit, aut in colloquiis cum ſacellanis ſuis (quorum non paucos habuit viros doctiſſimos) aut denique in literarum ſtudio, quo mirifice eſt delectatus. Inter plurima quae ſcripſit, memoratur praecipue opus cui titulum fecit, *Philobiblos*; in cujus praefatione confitetur, *ecſtatico quodam librorum amore potenter ſe abreptum:* ut mirari neminem ſubeat, bibliothecam illi fuiſſe tam copioſe inſtructam, omnes uti Angliae id temporis Epiſcopos, tantum librorum non poſſediſſe, fuerit aeſtimatum. Eruditorum hominum familiaritatem plurimum expetiit: Inter eum ac Fr. Petrarcham Italum, alioſque doctos illius ſeculi viros, ex crebro epiſtolarum commercio amicitia nata eſt permagna. Inter ſacellanos illius numerantur T. Bradwardin Cantuarienſis poſtea, Richardus Fitzralph Armachanus Archiepiſcopi; deinde Epiſcopi, Richardus Bintworth Londinenſis, Walterus Segrave Ciceſtrenſis, ac denique Walterus Burley, J. Mandut, Rob. Holcot, R. Killington, ſacrae Theologiae Doctores illius aevi fere celeberrimi [i].

Moris illi perhibent fuiſſe, quoties cibum caperet, legentem aliquem ſuorum audire, atque de eo quod tum audiſſet, cum capellanis poſtea ſermones per magnam diei partem (ſaltem ſi per occupationes liceret) conſerere. Erga tenuioris ſortis homines et inopia preſſos fuit egregie munificus. Singulis ſeptimanis octo tritici quartarios in panem coctos pauperibus erogavit; quantum frumenti noſtro aevo (annona mediocriter copioſa) quadraginta aureis ſolet vaenire. Quoties iter faceret, inter Dunelmum et Novum-caſtrum octo libras noſtrates in eleëmoſynis diſtribuendas mandare conſuevit; inter Dunelmum et Stoctonam libras quinque; inter Dunelmum et Auklandiam quinque marcas, ac denique inter Dunelmum et Middlehamam quinque libras. Sunt qui tradunt Aulam ſtudioſis Oxoniae poſuiſſe: Sed perperam illi aſcribitur quod à proximo ſucceſſore T. Hatfeldio praeſtitum conſtat. Bibliothecam certe pulcherrimam Oxoniae inſtituiſſe, ipſemet in Philobiblo teſtis eſt locupletiſſimus, ubi haec verba habentur. « Libros omnes et ſingulos de quibus catalo-« gum fecimus ſpecialem, concedimus et donavimus intuitu charitatis « communitati ſcholarium in Aula Oxonienſi degentium in perpetuam « eleëmoſynam, pro anima noſtra et parentum noſtrorum, necnon pro « anima illuſtriſſimi Regis Angliae Edwardi tertii poſt conqueſtum, et « devotiſſimae Dominae Philippae conſortis ejuſdem, ut iidem libri, om-« nibus et ſingulis Univerſitatis dictae ſcholaribus et Magiſtris tam regu-« laribus quam ſecularibus commodentur pro tempore ad profectum et « uſum ſtudentium juxta modum quem immediate ſubjungimus &c." Hujus Bibliothecae cuſtodes, ſtudioſos quinque conſtituit, quibus ſalaria annua eſt largitus. Poſtquam annos ſediſſet undecim menſeſque quatuor, Auklandiae deceſſit viceſimo quarto[k] Aprilis 1345, et in Auſtrali parte ſepti tranſverſi tumulatus eſt in eccleſia ſua[l], cui magni pretii ornamenta contulerat.

---

[f] Fratrum Minorum. [g] Proviſus à Joanne Papa 14 Octobris 1333; et conſecratus 19 Dec. [h] Conſtitutus eſt Scaccarii Theſaurarius 3 Febr. 1333. 1 *Pat.* 8 E. 3. m. 40; et Angliae Cancellarius 28 Sept. 1334. *Clauſ.* 8 E. 3. m. 10. *dorſo. MS. Galc.* [i] *Hiſt. Dunelm.*

◆ ◆ ◆

XXIII. THOMAS HATFEILD.

1345. Edw. 3. 19.

PRAESULUM creandorum jus (poſtquam Principes Chriſtiani per aliquot ſecula id uſurpaſſent) magno molimine, et non niſi poſt multas concertationes, extorſit ab iis Pontifex Romanus, Canonicis electionibus (ut prae ſe ferebat) locum facturus; cum nihil aliud is quaereret, quam ut hoc ipſum ad ſe unum transferret. Quod variis artibus jam tandem effecerat: adeo ut nemo, vel millies conſecratus, ſe poſſet pro certo Epiſcopum credere, priuſquam ordinationem illius Papa ratam habuiſſet. Cujus rei exempla eſſe poſſunt, S. Gulielmus Eboracenſis et Monachus ille Dunelmenſis de quo mentio modo facta eſt, qui jam conſecrati, atque alii innumeri qui quantumvis canonice electi, praeſulatibus tamen ſuis exciderunt, aliis (melius plerunque nummatis) in ſedes ſibi debitas, per reſervationes aut proviſiones pontificias, aut denique per poteſtatis plenitudinem, ingeſtis. Huic incommodo ut occurreretur, leges aliquot ſanciri curaverunt Reges noſtri. Verum Edwardo tertio non erat in animo Papae omnem authoritatem in hoc negotio abrogare; exemplis plurimis edocto, Monachorum et Canonicorum proterviam illi fore moleſtiſſimam, niſi authoritatis Pontificiae freno illos quandoque poſſet coërcere. Sane quando hoc ipſo tempore contra tyrannidem hujuſmodi Pontificiam regni proceres vehementer intonarent; Rex antedictus ad ſedem Dunelmenſem cupiens provehere Thomam[m] Hatfeild Secretarium ſuum, quem Monachi Dunelmenſes non videbantur electuri; ad Pontificem recurrere conſultum putavit, quem rogavit ut Hatfeldium oraculo ſuo Epiſcopum pronunciaret. Atque is anſam ſibi oblatam retinendae priſtinae authoritatis, gaudens; petitioni promptiſſimè annuit; adeo ut, cum eam ob rem argueretur, quod hominem levem, multum juvenem, et nec literarum ſcientia, nec morum vel gravitate vel ſinceritate ſic praeditum, ut tanto praeſulatu dignus poſſet videri, Epiſcopum tamen creaſſet: Nil aliud reſponderit quam hoc, *ſi Rex Angliae pro aſino ad Epiſcopatum provehendo me nunc rogaſſet, repulſam certe non tuliſſet*[n].

---

[k] Decimo quarto. *Hiſt. Dunelm.* Januarii 14. 1344, Aetatis ſuae 58 praeciſe completo. *Caius de Antiqu. Cant.* L. 2. p. 250.

[l] Coram Altare SS. Andreae et Mar. Magd. *MS. Reg.*

Conſecratus itaque decimo Julii 1345, ſedit poſtea annos pene 36. Fundavit interea ac dotavit, Collegium, Dunelmenſe appellatum, Oxoniae; et ſalaria aſſignavit Monachis Dunelmenſibus octo ibi loci bonis literis operam daturis, atque octo pueris; Monachorum nempe ſingulis decem libras, puerorum vero quinque marcas. Hoc Collegium, Monaſteriis ubique per Angliam ruentibus, inter caetera peſſum ivit, tanquam monaſterium, quod Monachorum eſſet receptaculum[o]. Poſtea verò Thomas Popus Eques auratus reſtauravit, et in verum Collegium reformatum ſtudioſis implevit. Praeter collegium porro antedictum, Coenobium hic idem praeſul Carmelitis poſuit apud Northallerton in comitatu Eboracenſi; et aedes magnificas conſtruxit Londini, in quas ipſe ac ſucceſſores ad urbem venientes ſe reciperent. [Alfordae obiit prope Londinum] in domo quam nuper aedificaverat, ſub initium[p] Maii 1381, et Dunelmum delatus, in ſua eccleſia eſt ſepultus[q].

◆ ◆ ◆

XXIV. JOANNES FORDHAM.

JOANNES FORDHAM, Decanus Wellenſis[r], conſecratus eſt in Epiſ-
1381. copum Dunelmenſem viceſimo nono Maii 1381, et inſtallatus Sep-
Ric. 2. 4. tembri menſe 1382, ſedit annos ſeptem. Tanquam ſeditionis incentor, aula Regia, factioſorum quorundam[s] opera, expulſus eſt anno 1388. Sed eorum fracta potentia, revocatus brevi poſtea[t], et eodem anno ad eccleſiam Elienſem eſt tranſlatus, Septembris nempe viceſimo ſeptimo. Interea vero (anno nimirum Richardi ſecundi nono) Theſaurarius Angliae fuerat conſtitutus[u], quod munus anno uno adminiſtravit.

[m] Cuſtos fuit Privati Sigilli anno 1343. *MS. Reg.*

[n] E Walſinghamo; Rectius verò *W. Chambre*, canonicè electus à Monachis 10 Maii 1345. *Hiſt. Dunelm.*

[o] "Tho. Epiſcopus Dunelm. olim fundare propoſuit quoddam Collegium " in Villa Oxon. (in qua viget ſtudium generale) pro 16 perſonis, quarum octo Monachi Eccl. Dunelm. per Priorem et " Capit. ejuſdem, et octo perſonae ſeculares quos ipſe Prior et Capit. ducerent, exiſterent. Sed morte praeventus propo- " ſitum minime adimplevit, et Rex Ricardus, pro hujus Eccleſiae dote, jus Patronatus Eccleſiarum de *Frampton* et *Boſſul* " et de *Redington* et de *Fyſchelake*, ad ipſum Regem pertinentes, dare proponabat." *Memor. Smith Epiſc. Linc.* p. 137. *MS. Ox.*

[p] Maii octavo. *Hiſt. Dunelm.*

[q] Sub ſtallo Epiſcopali, in tumulo per ſe ſumptuoſiſſime conſtructo. *Ib.*

[r] Proviſus eſt ab Urbano ſexto 9 Sept. 1381; Conſecratus Lamethae 5 Jan. ſequentis. *Regiſtr. Courtn.* Temporalia reſtituta 23 Oct. 1 *Pat.* 5 R. 2. m. 20.

[s] Baronum nempe Rebellium.

[t] Male; Baronum potiùs inſtantia à ditiore ad pauperiorem Sedem tranſlatus, Papali verò authoritate, Bulla data 3 Apr. 1388. *Regiſtr. Courtn.* f. 323.

[u] 17 Jan. 1385. 2 *Pat.* 9 R. 2. m. 42.

XXV. WALTERUS SKIRLAW.

1388. Ric. 2. 11. JANUARII decimo quarto 1385, legum Doctor Oxonienſis, Walterus Skirlaw[x], in Epiſcopum Coventrenſem ac Lichfeldenſem conſecratus eſt. Ibi cum annum unicum ſediſſet, ad eccleſiam Bathonenſem ac Wellenſem tranſlatus, inde etiam poſt biennium migravit, et hic tandem anno 1388 conſedit menſe Septembri[y]. Eccleſiae clauſtra ibidem, illius maximè impenſis conſtructa ſunt. Nam ad illud opus perficiendum, vivus contulit libras ducentas, et teſtamento moriturus legavit quadringentas. Ducentas deinde ac viginti in ſtructura Diribitorii impendit. Fluvios non paucos locis oportunis pontibus junxit, Shinkleiae nimirum, [Dunelmi] Yarroae et Auklandiae. Eccleſiam Holmenſem, et aulam aedium Epiſcopalium ibidem reparavit; campanile vero ejuſdem eccleſiae à fundamentis excitavit, ſicut etiam capellam perpulchram apud Swinam in Holderneſſia, ubi natus eſt. Laternam quam vocamus eccleſiae Eboracenſis (ubi nimirum inſignia ejus infixa viſuntur) magna ex parte conſtruxit. Eccleſiis denique cathedralibus quibus praefuerat, magnam pecuniam teſtamento legavit, ac eccleſiae inprimis Wellenſi 150 libras noſtrates, quibus ſupellectilem ſacram compararent. Cum annos hic praefuiſſet octodecim, ſub initium anni 1406 deceſſit[z].

◆ ◆ ◆

XXVI. THOMAS LANGLEY.

1406. Hen. 4. 7. THOMAS LANGLEY[a], Cancellarius Angliae, in Dunelmenſem Epiſcopum eſt ſacratus octavo Auguſti 1406[b]; quo tempore Cancellariatum abdicavit; ſed poſt undecim annos reſumere coactus, munus illud per ſex deinceps annorum ſpatium adminiſtravit[c]. Interea vero (Junii nimirum ſexto 1411) Cardinalis eſt creatus per Joannem 23 Papam, una cum Roberto Halam Epiſcopo Sariſburienſi. Libras plus minus quingentas hic impendit in reſtauratione Galilaeae, in Occidentali parte eccleſiae Dunelmenſis, ab Hugone Puſar jam olim conſtructae. Duas item ſcholas fundavit in loco PLACE GREENE appellato, Grammaticae unum, Muſicae vero alterum[d]. Cum annos hic ſediſſet 31, [deceſſit viceſimo[e] Novembris] anno 1437, et in Galilaea praedicta jacet tumulatus, nimirum ante altare ibidem, ſubtus menſam conſiſtorialem. Circa haec tempora (ut illud obiter adnotem) inter annum nempe 1408 et annum 1498 in ſtructura clauſtrorum Dunelmenſium impenſas comperi libras 838, atque inſuper 17^{s}. ob.

---

[x] Decretorum Doctor, Natus apud Swine in Holderneſs.

[y] Bulla tranſlationis data 3 Apr. 1388. *Regiſtr. Courtn.* ——Temporalia reſtituta accepit 13 Sept. 1388. 1 *Pat.* 12 R. 2. m. 22.

[z] Deceſſit 24 Mar. 1404. *Regiſtr. Ebor.* Vacavit 30 Mar. *Fin.* 7 H. 4. m. 11.——“ Sepultus jacet in Boreali plaga chori Eccleſ. Dunelmenſis, inter binas columnas coram altare S. *Blaſiae*, quod poſtmodum dictum erat altare de *Skirlaw*, ſub lapide marmoreo, admodum curioſo, “ multiſque aeneis imaginibus ſumptuoſis circumſpicuo, cum ipſius imagine in medio ejuſdem tumbae artificioſè in aere “ coelata. Super pectus inſcribitur tale dictum: *Credo quod redemptor meus vivit, et in die noviſſimo de terra ſurrecturus* “ *ſum, et in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum.*” Ita etiam *MS. Reg.*

[a] Academiae Cantabrigienſis alumnus, cui multos poſtea libros donavit; electus eſt 17 Maii 1406. *Hiſt. Dunelm.*

[b] Ab Archiepiſcopo Cantuar. *MS. Reg.* et *Regiſtr. Arund.* f. 34. Temporalia habet reſtituta 9 Aug. 2 *Pat.* 7 H. 4. m. 5.

[c] Magnum habuit Sigillum ſibi traditum anno 1405, 6° H. 4^{i}. Iterum 23 Julii 1418, 5° H. 5^{i}. *Clauſ.* 5 H. 5. m. 15. *dorſo.* Iterumque de aviſamento et aſſenſu totius Concilii in Parliamento 16 Nov. 1423 ſibi delatum recepit; 4 *Pat.* 1 H. 6. m. 19.

[d] *Hiſtor. Dunelm.*

[e] Ita *Hiſtor. Dunelm.* malè vero 28 diem aſſignat Cl. *Br. Willis*, eo enim die conceſſa eſt licentia eligendi poſt mortem Thomae. 1 *Pat.* 16 H. 6. m. 18.

XXVII.

XXVII. ROBERTUS NEVILL.

1438. Hen. 6. 16. ROBERTUS NEVILL[f], in Epiſcopum Sarisburienſem conſecratus eſt anno 1427, et inde Dunelmum tranſlatus 1438[g]; ubi locum Scaccarium appellatum ad caſtri portam conſtruxit, et anno deceſſit 1457[h].

XXVIII. LAURENTIUS BOOTHE.

1457. Hen. 6. 36. LAURENTIUS BOTHUS[i], Aulae Pembrochianae Cantabrigiae Praeſes[k] et ejuſdem munificus benefactor, necnon Academiae praedictae Cancellarius, ad hanc ſedem conſecratus eſt viceſimo quinto Septembris 1457[l], et Angliae Cancellarius[m] renunciatus Edwardi quarti anno decimo tertio. Portam Collegii Auklandiae hic conſtruxit una cum aedificiis vicinis; et cum viginti annos ſediſſet, Eboracum eſt tranſlatus anno Chriſti 1476.

XXIX. GULIELMUS DUDLEY.

1476. Edw. 4. 16. GULIELMUS DUDLAEUS Windeſorenſis Decanus[n] ſucceſſit[o], et reſtitutionem habuit temporalium decimo quarto Octobris[p] Edwardi quarti 16°. In Collegio (Univerſitatis dicto) Oxoniae hic eſt educatus, ex nobiliſſima ortus familia[q], utpote Joannis Dudlaei filius, Baronis Dudlaei octavi, ſicuti teſtatur epitaphium inſcriptum tumulo, quem ſitum cernimus Weſtmonaſterii ab Auſtrali latere capellae S. Nicolai[r]. Obiit 1483, annos cum ſediſſet plus minus ſex.

XXX. JOANNES SHERWOOD.

*1485. Ric. 3. 3. JOANNES SHERWOOD, Collegii Univerſitatis Oxoniae (ſimiliter ut anteceſſor) alumnus[s], Dunelmenſis Epiſcopus creatus eſt anno 1483. *Hic* (ut habet apud Balaeum[t] Lelandus) *vir doctus et* Rocho *Carthuſiano Monacho propter ſtudiorum ſimilitudinem* (*nam uterque muſas amaeniores coluit, et carmina quam libentiſſime cecinit*) *conjunctiſſimus erat. Fuit*

---

[f] Filius quintus Radulphi Nevill primi Comitis de Weſtmorland. *Dugd. Baron.* V. 1. p. 300.

[g] Tranſlatus Bulla Papali data 27 Jan. 1437.——Temporalia habet reſtituta 8 Apr. 1438. 2 *Pat.* 16 H. 6. m. 37.

[h] Deceſſit 8 Jul. 1457, Sepultus in Gallilaea Eccleſ. Cath. Dunelm. juxta feretrum ſive tumbam S. Bedae, ante altare in honorem ejuſdem Sancti conſtructam. *E Teſtam.* in *Regiſtr. W. Booth, Ebor.*

[i] Rector de Cotenham in agro Cantabrigienſi.

[k] Anno 1450. *Archiv. Colleg.* Cuſtos privati Sigilli. Archidiaconus Richmondiae.——S. Pauli Lond. Decanus 1456.——Munificentiae teſtimonia videre eſt in *Scelet. Cantabr.* p. 52.

[l] Apud Sherburn. *Hiſt. Dunelm.*——Temporalia habet reſtituta 18 Oct. *Fin.* 36 H. 6. m. 5. ſub. dat. 29 Apr. Item 1 *Pat.* 36 H. 6. m. 7.——Seiſita 28 Dec. 1462, qua verò de cauſa non conſtat; denuo illi reſtituta 17 Apr. 1464. *MS. Sym.*

[m] Cancellarius eſt conſtitutus 5 Jun. 1474. *Clauſ.* 13 E. 4. m. 3.

[n] Necnon Capellae Regiae.

[o] Proviſione Papali.

[p] Ita *Pat.* 16 E. 4. m. 25.

[q] Joannis Baronis Dudlaei Filius.

[r] Ita Dart in Hiſt. Eccleſ. Weſtmon.

[s] Archidiaconus Richmondiae et Exon. Cancellarius.——Confirmatus ab Archiepiſcopo 10 Aug. 1485. *Regiſtr. Rotheram. Ebor.*——Temporalia reſtituta ſunt 6 Aug. 1485. *Rym. Foed.* T. 12. p. 272.

[t] Cent. 11. p. 66.

aliquandiu in Italia, et ibi Principis ſui cauſas egit. Quo etiam tempore Graeca exemplaria (quorum ſtudioſiſſimus erat) ſibi comparavit; ſic Lelandus. Cum annos ſediſſet undecim deceſſit 1494 [u].

XXXI. RICHARDUS FOX.

1494. HEN. 7. 10. RICHARDUS FOXIUS in Epiſcopum Exonienſem conſecratus 1486, ad ſedem Bathonenſem tranſlatus 1491, inde Dunelmum migravit 1494 [x], ac Wintoniae tandem conſedit 1502. [In caſtro interim Dunelmenſi multa immutavit. Cum in aula ibidem duo antiquitus throni Regales fuiſſent collocati (ſic appellatos invenio) in ſuperiori viz. parte unus, atque ab inferiori itidem alius: inferiorem ſuſtulit, et ibidem edifici quaedam excitavit. Novam porro aulam exorſus conſtruere, et coquinam in magna Turri ejuſdem caſtri, Wintoniam tranſlatus eſt, antequam opus ad umbilicum potuerit perducere. Vivarium denique] ampliſſimum prope Dunelmum, ad feras includendas muro ſatis excelſo circundedit. Sed de hoc inter Wintonienſes habebis plura [y].

XXXII. GULIELMUS SEVERUS [z].

1502. HEN. 7. 18. GULIELMUS SEVERUS (ut fama fatur) Shinkleiae natus, patre genitus pauperculo cribrorum opifice (Anglice dicto A SIVEYER) à patris artificio cognomen invenit. Qui Mertonenſis Collegii Oxoniae Gardianus [a], et Etonenſis Praepoſitus, ac Carleolenſis Epiſcopus anno 1496 creatus, huc videtur tranſlatus 1502 [b], et cum paulo pluſquam biennium ſediſſet anno 1505 defunctus.

XXXIII. CHRISTOPHORUS BAMBRIDGE [c].

1507. HEN. 7. 23. POST Severi mortem vacaſſe ſedes videtur annos duos. Anno deinde 1507 [d] Chriſtophorus Bambrigius ejus regimen ſuſcepit, quod tenuit annum duntaxat unum, Eboracum anno 1508 tranſlatus, et poſtea Cardinalis creatus, ſicuti ſuo loco ſupra demonſtravimus [e].

---

[u] Romae ſepultus, ubi et hodie cernitur Sepulchrum in Sacello Coll. Angl. Romae, Epitaphio hoc inſculpto. *Hic jacet R. Pater* JOANNES SHIRWOOD *Epiſcopus Dunelmenſis Sereniſſimi Regis Angliae Orator qui obiit* 12 *Januarii* 1493. *Cujus anima in pace quieſcat*. Epiſcopus hic noſter omittitur in Catalogo Epiſc. Dunelm. in *Bibl. Reg. Cant.*

[x] Temporalia reſtituta 8 Dec. *Rym. Foed.* T. 12. p. 566.

[y] Adhuc Epiſcopus Dunelmenſis, haec de eo habemus in *Angl. Sacr.* p. 779. Anno circiter 1498, orta gravi rixa inter Anglos et Scotos in confiniis utriuſque Regni, et ad bellum ſpectante, Jacobum Scotiae Regem miſſis frequentibus literis ad pacem hortatus eſt. Reſcribit Jacobus pacem ſarciri poſſe, ſi ipſe in Scotiam veniret, idque ſibi valdè gratum fore. Richardus, impetrata prius Henrici Regis venia, Scotiam adit, pacem facile renovat. Tunc Jacobus pectoris arcanum Epiſcopo patefacit, ſe nempe *Margaretam* Henrici Regis filiam natu maximam ſibi in uxorem dari vehementer cupere; et ad hanc obtinendam Epiſcopo auxilium implorat. Pollicetur id Epiſcopus, et Angliam reverſus, Henrico fit author, ut Jacobo Margareta in uxorem concedatur.

[z] SIMONES, SINWES, vel SENWSE, *Hiſt. Dunelm.*

[a] Nec Collegii Mertonenſis Gardianus, nec Etonenſis Praepoſitus; haec vera ſunt de *Henrico* Sever, non de *Gulielmo*: In libro enim *Wattys* in *Cur. Prerog. Cant.* p. 18. habetur Teſtamentum Hen. Sever. S. T. P. fact. 4 Jul. 1471, et probat. 20 Sept. ſequ. ubi legat corpus ſepeliendum in Choro Eccleſiae Coll. de Merton Oxon. coram ſtallo Cuſtodis ejuſdem, et plura dat dicto Collegio. *MS. Anſtis.* Gulielmus verò hic noſter ſepultus eſt in Abbatia S. Mariae Eboraci. *Hiſt. Dunelm.*

[b] Temporalia habet reſtituta 15 Oct. 1502. *Rym. Foed.* T. 13. p 28. ——Coenobii S. Mariae Ebor. Abbas, Academiae Oxon. Cancellarius, et D. Regi ab Eleëmoſynis.

[c] BAINBRIG et BAINBRIDGE.

[d] Epiſcopatum accepit anno 1507; Temporalia reſtituta 17 Nov. *Rym. Foed.* T. 13. p. 171.

[e] Vid. p. 699, 700.

* * *

XXXIV. THOMAS RUTHALL[f].

1509. Hen. 8. 1. THOMAS RUTHALLUS, Ciceſtriae[g] in Comitatu Gloceſtrenſi ortum habuit; educationem vero Cantabrigiae ſortitus, ibi legum Doctor creatus eſt. Per Henricum[h] ſeptimum (qui propter multas animi virtutes, hominem plurimi fecit) ad Epiſcopatum Dunelmenſem eſt evectus. Illo vero defuncto, in conſeſſum allectus eſt ſanctioris concilii[i] ab Henrico octavo, qui in legationibus obeundis, necnon et in aliis gravioris momenti negotiis conficiendis, ejus opera ſaepenumero uſus eſt. Memoratur inter caetera, in mandatis ei dediſſe, ut vir prudentiſſimus, quique in republica adminiſtranda longo jam tempore fuiſſet verſatus, libellum conficeret, in quo regni ſtatum deſcriberet, ac quaedam praecipuè capita paulo fuſius explicaret. Fecit ille quod imperatum eſt, et ſub id ipſum tempus, alium compoſuit libellum ejuſdem (ut ferunt) magnitudinis cum altero illo, et uſquequaque ſimilem, de rationibus ſuis propriis ac domeſticis rebus; catalogum nimirum continentem, non ſolum utenſilium, et ſupellectilis, una cum ſingularum rerum pretio; ſed etiam pecuniae vel debitae vel numeratae, quae ad immanem ſummam exurgebat, centum millia librarum. Accidit igitur, ut Wolſaeo librum promiſſum Regio nomine poſtulante, per errorem ille alterum traderet (ſimilitudine deceptus) de rebus ſuis propriis conſcriptum. Errorem Wolſaeus illicò deprehendit; ſed homini ex priſtina aemulatione infenſus, libellum continuò detulit ad Regem; Epiſcopum foeliciter allucinatum dicens, et invitum illi demonſtraſſe, à quo magnam pecuniam, quando opus haberet, ſuae Majeſtati mutuo ſumere liceret. Quibus de rebus certior factus Ruthallus, ex indignatione et moerore morbum contraxit, quo paulo poſtea extinctus eſt. Dunelmi illo praeſidente, eccleſia parochialis Ciceſtrenſis (dixerim potius Cirenceſtrenſis) magna ex parte extructa eſt. Et pollicitum quidem ferunt impenſorum ſtructurae partem non exiguam ſe collaturum; ſed morte intempeſtiva ſublatum, nihil praeſtitiſſe. Amita quaedam ejus (Anna Aveling) 100 marcas in opus illud erogavit. Pontis ſuper Tinam fluvium partem tertiam [reparavit.] Conclave coenatorium peramplum Auklandiae à fundamentis excitavit, et antequam perficeretur defunctus, teſtamenti executori (Strangwaio cuidam) mandavit, ut opus à ſe inchoatum abſolvendum curaret. Londini deceſſit anno 1523[k], utcunque epitaphium tumulo ejus (quod in eccleſia Weſtmonaſterienſi ex lapide polito cernitur) inſcriptum anno 1524 obiiſſe perhibeat, in his nimirum verbis: *Hic jacet Thomas Ruthall Epiſcopus Dunelmenſis et Regis Henrici ſeptimi Secretarius, qui obiit* 1524.

---

[f] ROTHEHALL et ROWTHALE.

[g] Cirenceſtriae, ubi liberam Scholam fundavit tempore Hen. 7ⁱ, et dedit domum et ſeptem libras annuatim pro rectore ejuſdem.

[h] *Octavum*, eodem ipſo die quo Rex ipſe inauguratus erat, ſc. 22 Apr. 1509.——Obedientiam praeſtitit Archiepiſcopo Ebor. 24 Jun. 1509. *Regiſtr. Ebor.*———Temporalia habet reſtituta 3 Jul. 1509. *Rym. Foed.* T. 13. p. 258.

[i] Privati Sigilli Cuſtos 1522. *Herb. Hiſt. Hen.* 8ⁱ. et Academiae Cantabrigienſis Cancellarius Aº. 1503.

[k] Quarto Februarii 1522 (anno exeunte) in Palatio ſuo Londini. *MS. Reg.*

XXXV. THOMAS WOLSEY.

1523. Hen. 8. 15.

RUTHALLO defuncto, Thomas Wolſeius Cardinalis, Archiepiſcopus Eboracenſis, et Eccleſiae Bathonenſis ac Wellenſis Adminiſtrator, Bathonenſi dimiſſa, Dunelmenſem occupavit[l], tenuitque annos ſeptem. Sub exitum anni 1529[m], ut Wintonienſem Epiſcopatum per Foxi mortem vacantem acciperet, Dunelmenſem abdicavit. De hoc prolixe ſatis egimus inter Eboracenſes.

XXXVI. CUTHBERTUS TUNSTALL.

1530. Hen. 8. 21.

IN ſede Dunelmenſi ſucceſſit illi, vir, ob animi virtutes quamplurimas, merito celeberrimus, Cuthbertus Tunſtallus Epiſcopus Londinenſis; qui ortum habuit Hatchfordae in Comitatu Richmondiae, patre quidem nobili prognatus, ſed ex concubina. Fama fertur, primum Tunſtallorum familiae conditorem, Gulielmi primi Tonſorem fuiſſe, ideoque pro inſignibus gentilitiis ſumpſiſſe, omneſque poſteros uſurpaſſe, tres pectines argenteos in area nigra; quod mihi nullo modo veriſimile videtur. Inſignia geſtandi morem excogitavit antiquitas, ut monumenta eſſent virtutum illius hominis, qui familiae primus nobilitatem intulit. Qui credam igitur huic è contra artificii ignobilitatem inde exprobratam? Sed haec (quod aiunt) extra oleas. Ad ipſum ut revertamur Tunſtallum, vir ſane is fuit inſignis, et in quo, niſi quod Pontificiae religioni fuerit addictior, nemo haud temere quiſquam quicquam opinor reprehenderet. Ad literarum cognitionem quod attinet, Graecae linguae fuit peritiſſimus; Hebraicae non ignarus; Mathematicae ad miraculum uſque ſcientiſſimus, ac Arithmeticae praeſertim, de qua conſcriptus ab eo libellus multum celebratur; eloquentia tam potens, ut clariſſimis ſui temporis oratoribus potuerit annumerari; juris prudentiſſimus, ideoque legum Doctor creatus; Theologiae denique cognitione tantus, quantum eum oſtendunt edita ab illo opuſcula. Caetera loquatur Thomas Morus, qui in epiſtola quadam ad Eraſmum ſic de illo ſcriptum reliquit: *Tunſtallo ut nemo eſt omnibus bonis literis inſtructior, nemo in vita moribuſque ſeverior*; *ita nemo eſt uſquam in convictu jucundior*. Propter has animi dotes tam illuſtres, Warhamo Archiepiſcopo percharus, et Vicarius ejus generalis conſtitutus[n], Regi tandem innotuit, qui opera illius multis in legationibus aliiſque muneribus publicis uſus eſt. Rotulorum namque (ut loquimur) primum fuit Praefectus[o], deinde Privati ſigilli cuſtos[p], ac denique Londinenſis per novennium Epiſcopus. Dunelmum inde tranſlatus eſt viceſimo quinto Martii 1530[q]. Londini dum adhuc ſederet, Cantabrigiae (ubi ferunt educatum[r]) bibliothecam, magnis impenſis, libris optimis inſtruxit, impreſſis partim, partim manuſcriptis. Dunelmi portam ſpecioſiſſimam caſtro addidit (una cum Capella et aedificiis nonnullis vicinis, à fundamento per ſe excitatis) eandemque portam valvis, repagulis ferreis et crate penſili munivit. Aquam è puteo hactenus hauriendam, per aquaeductum exhibuit ibi ſalientem. Alnewici portam exteriorem conſtruxit, [Auklandiae ſolarium,] et Dunelmi in foro praetorium (TOLBOOTH appellatum) cum aedificiis à tergo adjunctis, conſtructaque Dunelmenſibus ſuis civibus donavit. Reparavit denique ſumptu permagno [arcem Norhamenſem, et] pontis Tinenſis partem tertiam.

---

[l] Temporalia habet reſtituta 30 Apr. 1523.

[m] Dunelmenſem reliquit anno 1528, et Wintonienſem accepit 20 Oct. *Rym. Foed.* T. 14. p. 269.

[n] Anno 1508.

[o] Maii 12. 1516.

[p] Anno 1523.

[q] Tranſlatus Bulla data 9 Kal. Mar. (21 Feb.) 1529. *Rym. Foed.* T. 14. p. 384.——Temporalia habet cuſtodienda 4 Feb. *Ib.* p. 364, reſtituta 25 Mar. 1530. *Ib.* p. 387.

[r] Aulae Regiae Socius.

Cum ſedis hujuſce gubernaculo praefuiſſet annum unum ſupra viginti, viceſimo Decembris 1551 in Turrim Londinenſem ſub Edwardo ſexto conjectus eſt religionis cauſa[s], et in cuſtodia ibi detentus, Rex ille quamdiu vixit, hoc eſt menſibus novendecim. Quo temporis ſpacio, inter alia ſacrilegia nefanda non pauca (quibus occaſionem dedit pueritia Regis) illi qui authoritate tunc temporis plurimum pollebant, non ſolum Epiſcopum exauthorandum curarunt, ſed Epiſcopatum diſſolvendum, et reditus authoritate parliamentaria Regi concedendos, ut ſic conceſſos ipſi invaderent. Faucibus erat admota haec offa, jamjam deglutienda, quando viſum Deo rapinas illorum temporum ſacrilegas punire, clariſſimae indolis Principem tollendo, Edwardum dico ſextum. Quo mortuo, Maria, anno ſtatim regni ſui primo, conſtitutionem parliamentariam refixit, Epiſcopum ſedi ſuae reſtituit, et omnia ſarta tecta eccleſiae conſervavit. Maria defuncta, cum juramentum de primatu Regio (quod non ſolum ſuſceperat ipſe ſub Henrico octavo, ſed ſuſcipiendum acriter contenderat, ſcripta ad Cardinalem Polum ea de re epiſtola bene prolixa) ſuſcipere jam recuſaret; Praeſulatu mulctatus eſt menſe Julio 1559, et in libera[t] cuſtodia apud Archiepiſcopum Cantuarienſem benigniſſimè habitus, ſexto poſt menſe migravit ex hac vita, Novembris videlicet decimo octavo Lamethae, ubi ante annos paulo minus quadraginta fuerat conſecratus, annos natus quinque ſupra octoginta. Corpus ejus in eccleſia parochiali Lamethenſi non ſine funebri pompa ſepultum et marmore contectum eſt, cui hoc epitaphium inſculptum, à Waltero Haddon conſcriptum.

" Anglia *Cuthbertum Tunſtallum* moeſta requirit
" Cujus ſumma domi laus erat atque foris.
" Rhetor, Arithmeticus, juris conſultus et aequi.
" Legatuſque fuit, denique Praeſul erat.
" Annorum ſatur, et magnorum plenus honorum
" Vertitur in cineres aureus iſte ſenex.

* * *

XXXVII. JACOBUS PILKINTON.

1560. ELIZ. 3. MARTII ſecundo 1560 Jacobus Pilkinton[u], ſacrae Theologiae Baccalaureus, ab exilio nuper reverſus, in quo perſecutionis metu Mariana tempora tranſegerat, conſecratus eſt in Epiſcopum Dunelmenſem[x], ſeditque annos plus minus ſedecim, anno defunctus 1576[y]. De quo vide plura in vita Ludovici Beaumont anteceſſoris ſui, ad cujus caput ante ſummum altare jacet tumulatus.

---

[s] Decembris viceſimo 1552 cuſtodiae demandatur, tanquam laeſae majeſtatis reus, eo quod aliorum conjurationem, ſibi cognitam, non revelavit. *Strype in Cranm.* p. 289, ex actis Privati Concilii.

[t] Matthaeus Archiep. Cantuariae non conſecratus ante 17 Dec. 1559.

[u] Ex nobili et antiqua familia ortus; Natus apud Rivington Com. Lancaſtriae, ubi Scholam liberam fundavit, et praediis dotavit.—Collegii D. Joannis Cantabrigiae Magiſter.

[x] Martii ſecundo 1560. ———Temporalia habet reſtituta 25 Mar. 1561. *Rym.* T. 15. p. 608.

[y] Deceſſit 23 Jan. 1575, Aetat. 55. ſepultus primo apud Aukland, poſtea verò in Eccleſia ſua Cathedrali.

XXXVIII. RICHARDUS BARNES.

1577. Eliz. 19. RICHARDUS BARNES[z], Collegii alumnus quod ab Aeneo naſo nomen habet Oxoniae[a], Nottingamenſis Epiſcopus Suffraganeus primum conſecratus, Carleolenſis eccleſiae gubernaculo anno 1570 admotus, Dunelmum 1577 tranſlatus eſt[b], ubi annos praefuit plus minus undecim[c].

XXXIX. MATTHAEUS HUTTON.

1589. Eliz. 31. POST Barneſii obitum, vacavit ſedes per biennium. Anno tandem 1589 Matthaeus Hutton[d], ſacrae Theologiae Doctor, et Eboracenſis per annos 21 Decanus, eidem praeficitur, et poſt quinquennium ad Archiepiſcopatum promovetur, anno nimirum 1594.

XL. TOBIAS MATTHAEUS.

*1595. Eliz. 37. MARTIO menſe 1594[e] Tobias Matthaeus, S. Theologiae Doctor, et Dunelmenſis Decanus, ſumma plurimorum gratulatione in Epiſcopum ibidem eſt aſſumptus. Qui Huttono defuncto, per Jacobum Principem noſtrum ſereniſſimum ſucceſſor deſignatus eſt, et in Archiepiſcopum Eboracenſem confirmatus decimo octavo Auguſti 1606. De quo inter Eboracenſes plura.

XLI. GULIELMUS JAMES.

1606. Jac. 1. 4. GULIELMUS JAMES, quem ante annos quadraginta ſacrae Theologiae Doctorem et Collegii Univerſitatis Oxoniae Praeſidem, virum habitu graviſſimum memini, in comitatu Ceſtrenſi natus, Aedis vero Chriſti in dicta Academia alumnus[f], Matthaeo [ter] ſucceſſit: In Decanatu nempe [utroque] ac deinde in Epiſcopatu Dunelmenſi, ad quem eſt conſecratus ſeptimo Septembris 1606. Deceſſit duodecimo Maii 1617, Aetatis 75, et in Eccleſia ſua Carhedrali ſepultus jacet.

XLII. RICHARDUS NEILE.

1617. Jac. 1. 15. OCTOBRIS nono 1617 Richardus Neile Epiſcopus Lincolnienſis, per electionis legitimae confirmationem huc transfertur. Honeſtis parentibus hic natus eſt Weſtmonaſterii, et in ludo literario ibidem educatus, donec in numerum cooptatus eſt ſtudioſorum in Collegio D. Joannis

[z] Ex honeſta familia in Comitatu Lancaſtr. apud Bolde prope Warrington.

[a] Artium Magiſter *Oxoniae*, ſed Theologiae Baccalaureus *Cantabrigiae*, et Bibliothecae publicae ibidem benefactor.

[b] Confirmatus ab Archiepiſcopo 9 Maii 1577. *Regiſtr. Ebor.*

[c] Obiit 24 Aug. 1587. Aetat. 55. *Ex Epitaph.*

[d] Natus in agro Lancaſtrenſi. *Fuller in Herwol.* ——Confirmatus ab Archiepiſcopo 26 Jul. 1589, et poſtridie conſecratus. *Regiſtr. Piers. Ebor.*

[e] Menſe Aprili 1595.

[f] Et poſtea Decanus.

Cantabrigiae degentium. Sacris initiatus, capellanus fit Neſtoris Anglicani Gulielmi D. Burghleii, per cujus viventis gratiam, ac ipſo defuncto Roberti filii, Comitis Sarisburienſis, primos dignitatum gradus conſcendit; Xenodochii Sabaudiani Londini praefecturam, et Sacerdotia de Cheſhunt et Tuddington, Decanatum deinde Weſtmonaſterienſem (quem etiam tenuit Commendatarius, poſtquam anno 1608 Epiſcopus Roffenſis factus eſt; ac denique munus honeſtiſſimum Clericatus Regi ab Oratorio ſacro privato conſtitutus, regni fere ſub initium. In his locis nihil habuit prius aut antiquius, quam aedificia labefactata reficere, ac priſtino nitori primo quoque tempore reſtituere. Hoc ipſum aedes teſtantur ſacerdotiorum praedictorum, prout Bromleienſes, Bugdenenſes, ac denique arx Dunelmenſis, cujus ſtructurae faciem ita immutavit in melius, ut eundem eſſe locum non facile agnoſcas. Inter alia porro, capellae aedium Auklandenſium tectum impoſuit, vitro feneſtras obduxit, et priſcae uſque quoque reſtituit pulchritudini, quae tanta eſt, ut paucis in Anglia cedat, adeo ut elegantiſſimae illae Etonenſis, et S. Trinitatis Cantabrigiae, inde ferantur olim mutuatae exemplar. In Dunelmenſibus autem ſolis tria librarum millia impendit, aureorum Gallicorum plus decem millibus, praeter mille marcas in Lincolnienſibus. Caeterum iſtius Praeſulis omnia bene facta facile non fuerit commemorare. Februarii ſeptimo 1627 Wintoniam migravit, et poſtea Eboracum.

* * * * * * * * * * * *

XLIII. GEORGIUS MOUNTAIGNE.

1627. CAR. I. 3. DE ſucceſſore Georgio Mountaigne merito dubitari poteſt utrum inter Dunelmenſes annumerari debeat: quippe quem anno 1627 à Rege nominatum comperimus; nec tamen de tranſlatione ad hanc ſedem confirmata ſatis conſtet; illud interea patet anno eundem inſequenti Julii primo ad Archiepiſcopatum Eboracenſem migraſſe.

XLIV. JOANNES HOWSON.

1628. CAR. I. 4. SUCCESSIT Joannes Howſon S. T. P. ab Epiſcopatu Oxonienſi tranſlatus decimo octavo Septembris 1628. Mortem oppetiit ſexto Februarii 1631, ſepultus in Eccleſ. Cathedrali S. Pauli London.

XLV. THOMAS MORETON.

1632. CAR. I. 8. PROXIME ſucceſſit Thomas Moreton, ſacrae Theologiae Doctor, vir honeſto ortus genere, aliquando Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantab. Socius; Eccleſiarum Gloceſtriae et Wint. ſucceſſivè Decanus, inde ad Dioec. Ceſtrenſem et Lichfeldenſem promotus, poſtremo Julii ſecundo 1632 ad Dunelmenſem tranſlatus; integritate, eruditione, pietate, et quoad potuit munificentia clarus; Eccleſiae Anglicanae et Monarchiae temporibus iniquiſſimis fidem praeſtitit inviolatam, utriuſque cauſa vexatus, incarceratus, ſpoliatus; aliquando tandem è turbis civilibus in otium ſeceſſit. Obiit viceſimo ſecundo Septembris 1659, aetatis 95.

* * *

XLVI. JOANNES COSIN.

CAROLUM reſtitutum fortunarum comes ſequebatur Joannes Coſin, 1660. ſacrae Theologiae Doctor, Collegii D. Petri apud Cantabrigienſes CAR. 2. 12. Magiſter, et Eccleſiae Petroburgenſis Decanus: Regiam familiam exulantem comitabatur à Sacris domeſticis Miniſter, et hac quidem in parte Carolo à Pontificiis inſidiantibus obſeſſo, et ad diſputationes provocato, operam utiliſſimam navavit, Eccleſiae Anglicanae periclitantis vindex invictus: Quippe, cum colloquio quodam cum aliquo è Principibus Germanis Coloniae habito, Carolus à Jeſuitis triumphantibus circumventus, diſputationem quandam MS. de tranſubſtantiatione ad Capellanum ſuum transferret, noſter ille cauſam Eccleſiae Anglicanae defendendam ſuſcepit, atque adeo (quod ab homine exulante, et ſubſidiis literariis deſtituto haud facile ſperare quiſquam potuit) praeclaram illam tranſubſtantiationis hiſtoriam concinnavit, ſingularis profecto et ingenii et eruditionis monumentum immortale, quod ſubruere et divellere incaſſo molimine conati, ipſi, quorum cauſam profligavit atque proſtravit, etiamnum inviti laudant Pontificii. Eodem animo et laude pari de ſacro Canone hiſtoriam ſcholaſticam adornavit, antiquitatum Eccleſiaſticarum indagator peritiſſimus, eodemque argumento contra novatores Tridentinos effecit, ut primaevus Veteris Teſtamenti Canon intaminatus conſervaretur, ejuſque telis confoſſi pariter, Eccleſiae veneranda autoritate oppreſſi Pontificii plane αὐτοκατάκριτοι ſuccumberent.

Ad Dioeceſin Dunelmenſem promotus ſecundo Decembris 1660, aedes Epiſcopales et temporis et perduellium injuria mutilatas et labefactatas ſumptu ſuo non mediocri refecit, et Capellam ibi et Ptochotrophium et Bibliothecam inſuper ſupellectile ſua libraria inſtructam de novo extruxit. Eccleſiae porro Petroburgenſis haud immemor in aedificiorum uſus publicos trecentas libras donavit. Diem clauſit extremum decimo quinto Januarii 1671, Aetatis 77.

◆ ◆ ◆

XLVII. NATHANIEL CREW.

CUM Epiſcopatus hujuſce, per triennium vacantis, reditus haud lau- 1674. dabiles in uſus, à Principe pecuniarum prodigo, fuiſſent tranſlati, CAR. 2. 26. jam tandem ſucceſſit Nathaniel Crew, legum Doctor, à Dioeceſi Oxon. tranſlatus viceſimo ſecundo Octobris 1674. Filius fuit Joannis Crew Baronis de Stene, cui etiam in honore ſucceſſit; Collegii Lincolnienſis Oxon. aliquando Socius; Regi Carolo et poſtea Jacobo à conſiliis ſecretioribus; ab hoc inter Rerum Eccleſiaſticarum inquiſitores accenſitus, conſiliis iis intereſſe non dubitavit quae ad Eccleſiae Anglicanae politiam ſubvertendam tantum non valuerunt. Qua de cauſa, rerum Gulielmo jam potito, cùm anno 1690 amneſtiae lex promulgaretur, clauſula ſpeciali cautum erat ne ad ipſum beneficii communis fructus redundaret. Nihilominus temporibus ſervire docilis aliquando cum Rege gratiam inivit; atque adeo circiter 48 annos huic Dioeceſi praefuit. Obiit decimo octavo Septembris

1722, Aetatis anno 88. Collegii Lincolnienſis patronus inter primos numerandus, Academiae etiam Oxonienſi eximia munificentiae ſuae monumenta reliquit.

XLVIII. GULIELMUS TALBOT.

1721. Geo. 1. 8. HUIC tum praeficitur Epiſcopatui Gulielmus Talbot, S. T. P. aliquando è Collegio Orielenſi Oxoniae; Eccleſiae Wigornienſis Decanus, anno 1699 Dioeceſeos Oxonienſis Epiſcopus eſt conſtitutus, deinde ad Epiſcopatum Sarisburienſem 1715, ad hunc demum tranſlatus ſeptimo Novembris 1721 [g]. Deceſſit decimo Octobris 1730.

XLIX. EDWARDUS CHANDLER.

1730. Geo. 2. 4. POSTREMO ſucceſſit Edwardus Chandler, ſacrae Theologiae Doctor, à Dioeceſi Lichfeldenſi tranſlatus viceſimo primo Novembris 1730.

---

[g] *Regiſtr. Ebor.*



p. 767.



De EPISCOPIS CARLEOLENSIBUS.

CIVITAS Carleolenſis, Romano ſeculo *Luguballia* dicta, Nennio *Caer-lualid*, Saxonibus priſcis (ut habet Beda) *Luel*, hiſtoricis quibuſdam (ac Hovedeno inprimis) *Carlwell*, nobis hodie *Carleolum*, urbs haud dubie antiquiſſima, vaſtata eſt et funditùs everſa à Danis circa annum Chriſti 900. Poſt annos tum ferme ducentos, Gulielmus ſecundus Rex, illac forte fortuna in Scotiam proficiſcens; locum perſpiciens, quam eſſet natura munitus, amoenus ſitu, et ſolo quam fertili circumfuſus, quantique ſua intereſſet munitionem aliquam illa in regione Scotis vicinis objicere; de reſtauranda hac urbe coepit cogitare, et poſt triennium, non ſolùm moenia diruta omnino (adeo ut ingentia robora in veſtigiis eorum ſuccreverint) excitavit denuo, ſed caſtrum etiam firmiſſimum adjecit, et habitatoribus complevit, Belgis primùm (quos mutato conſilio in Walliam paulo poſtea tranſtulit) et mox Anglis ex Auſtrali parte Angliae traductis. Anno ſalutis haec geſta ſunt 1093, quo tempore urbi ſic reſtauratae praefeciſſe videtur Rex antedictus, Walterum quendam, eccleſiaſtici ordinis hominem, locupletem admodum, qui patrem ejus in Angliam fuerat comitatus, et jam divitiis affluens, Eccleſiam in B. Virginis honorem coepit condere; habens quidem in animo opes ſuas univerſas erogare in Coenobii neſcio cujus fundatione, utrum à ſecularibus Clericis, an Monachis incolendi, incertum. Sed morte illo ſublato antequam ad umbilicum rem potuerit perducere; Adelwaldus (nonnullis

Athelwulfus) primus S. Oſwaldi in Noſthill Prior, et Henrici tum regnantis Confeſſor, author illi fuit, ut opes à Waltero relictas, in Collegii ſtructura impenderet; idque non Praebendariis, ſed Canonicis Regularibus compleret, qui in Eccleſia à Waltero (uti diximus) conſtructa, ſacra facerent perpetuò. Quod ille conſilium ſequutus, praeter latifundia à Waltero comparata, ſex Eccleſiis Collegium recens conditum donavit (nimirum de Novo-caſtro, Newburne, Warkware, Robery, Winchingham et Corbridge) atque Adelwaldum antedictum, Priorem eidem praeficiendum mandavit. Res jam poſtulare videtur, ut commemorem, *S. Cuthberto Lindisfarnenſi Epiſcopo etiamnum viventi hanc civitatem* (*quae tam* Luguballia *vocata eſt*) *et in circuitu ejus quindecim milliaria donaſſe* (ſic habent donationis verba) *Egfridum Northumbriae Regem* anno ſalutis 679. Poſtquam vero Epiſcopi Danos metuentes ad latebras quaerendas compulſi, incertis ſedibus vagarentur; et regio haec univerſa ſic depopulata et immaniter à crudeliſſimis barbaris vaſtata eſſet, ut quaſi in ſolitudinem redacta, hominem multorum milliarum ſpatio non oſtenderet, niſi unum aut alterum fortaſſis Hibernum hinc inde oberrantem: Richmundiae Archidiaconi juriſdictionem eccleſiaſticam totius Cumbriae, Weſtmorlandiae et Alvedaliae à Lindisfarnenſibus Epiſcopis (qui jam Dunelmi conſederant) per multorum annorum curriculum neglectam, uſurpare paulatim coeperunt ſibique aſſerere. Accidit tandem poſt novi iſtius Collegii ſtructuram, Thurſtanum Eboracenſem Archiepiſcopum hanc regionem viſitare. Qui Eccleſiae perſpecta magnificentia, et ſecum animo perpendens, ſedes illa quam opportuna eſſet futura cathedrae Epiſcopali; necnon ſatis habens exploratum, in eccleſiaſticam juriſdictionem locorum praefatorum, Archidiacono Richmundano quam nihil eſſet juris; cupiens porro fortaſſis numerum augere Suffraganeorum ſuorum; conſultum putavit, Epiſcopum ibi loci collocare, et Collegium novum in novum Epiſcopatum commutare. Rex ea de re admonitus, fundationi ſuae multum favens, annuit libenter; et Papa facultatem tribuente, Canonicis data eſt poteſtas quem vellent in Antiſtitem eligendi; pro dioeceſi, illi his regionibus aſſignatis, Cumbria, Weſtmorlandia atque Alvedalia.

I. ADELWALDUS[a].

1133. Hen. 1. 34. ADELWALDUS, à nonnullis Adelwulfus etiam appellatus, Collegii antedicti Prior, Canonicorum ſuorum unanimi conſenſu in primum iſtius Eccleſiae Epiſcopum electus eſt, et Eboraci conſecratus anno 1133[b]. Quamdiù praefuerit, aut quando deceſſerit minime habeo compertum[c].

II. BERNARDUS[d].

[1157.] Hen. 3. 2. SUCCESSIT illi Bernardus, qui videtur obiiſſe circa annum Domini 1186. Hovedenus[e] ſiquidem author eſt, Henricum ſecundum Regem,

---

[a] ADULFUS, *Mailr.* ALDULFUS, *Haguſt.* AETHELULPHUS, *Weſt. Par.* ARNULPHUS, *Bromt.* NICOLAUS ADELULFUS, *Chron. Norman.* AELULFUS, *R. Montens.*

[b] A Turſtino Archiep. Ebor. una cum Galfrido Dunelm. Epiſcopo, A°. 1133. *Mailr.* Menſe Auguſto, *Haguſt.*

[c] Obiit anno 1156. *Par. Waverl. N. Trivet.* ——1155. *Chron. Norman.* f. 992.

[d] Poſt Adelwaldi obitum ſucceſſit Gulielmus quidam, anno enim 1174 vocatur Epiſc. Carl. *Rym.* Tom. 1. p. 37.

[e] L. 2. f. 360.

Carleolum ea tempeſtate venientem, in Pontificem illius loci eligendum curaſſe, quendam Paulinum de Leedes: Cumque ille (quam ob cauſam neſcio) electioni de ſe factae conſenſum ſuum adhibere recuſaret; reditus annuos, priſtinis, 300 marcas adjecturum ſe promiſit, donatione Eccleſiarum Banburgae et Scathburgae una cum capella de Tickhill et duorum manneriorum prope Carleolenſem civitatem[f]. Sed haec, de ſententia Paulinum non potuerunt dimovere, quo minus in recuſatione perſiſteret[g].

III. HUGO.

* 1216. Hen. 3.3. HUGO Abbas de Bello[h], longo poſt tempore, Januarii videlicet viceſimo quarto[i] 1218, per Gualonem Legatum Pontificium hujus ſedis Epiſcopus conſtitutus eſt[k], qui anno 1223 fato conceſſit. Mandatum interea Vicecomiti Cumbriae à Rege emanaverat (ſicuti comperi) ut electo huic Carleolenſi, poſſeſſionem traderet omnium praediorum ad Epiſcopatum Carleolenſem ſpectantium, ſicuti antea tradita fuerat Leonardo Archiepiſcopo Sclavorum. Unde licet conjicere Leonardum Sclavorum nomine tenus Archiepiſcopum, durante vacatione antedicta Epiſcopalibus praediis hujus ſedis ſuſtentatum.

IV. WALTERUS MALCLERK[l].

1223. Hen. 3.8. ANNO 1223[m] Walterus Malclerk ſive Malo-clericus conſecratus eſt ad hunc praeſulatum, quem anno 1246, ſe parum legitime conſequutum agnoſcens, Junii 29 abdicavit, et Fratris Praedicatoris habitum ſumpſit Oxoniae, in quo reliquum aetatis tranſegit. Angliae vero cum interea Theſaurarius eſſet ſub Henrico tertio; non ſolum munere illo derepente eſt exactus, ſed ad rationes revocatus centum librarum debito oneratus, cum aerario nihil à ſe deberi contenderet[n]. His malis remedium quaeſiturus, Romam voluit proficiſci: Sed à Regiis miniſtris in littore, ne navem conſcenderet, impeditus eſt, quos eam ab cauſam Rogerus Londinenſis Epiſcopus (ſicut antea ſuo loco memoravimus) excommunicavit, et Wigorniam properans, ubi loci ea tempeſtate Rex agitabat, in Regis ipſius praeſentia excommunicationis eam ſententiam à ſe latam denuo confirmavit[o]. Walterus vero quo pacto hiſce moleſtiis ſe poſtea expedierit, non comperi. Satis ſane veriſimile eſt, contentionum hujuſmodi et certaminum pertaeſum, potius quam conſcientiae ſtimulis agitatum (quod tamen prae ſe tulit) pontificatum depoſuiſſe[p]. Obiit Octobris viceſimo octavo 1248[q].

---

[f] *Hoved. ib.*

[g] Jan. 5. 1201 Rex conceſſit Epiſcopatum Carleolenſem Archiepiſcopo Sclavoniae ad ſuſtentand. donec in ampliori beneficio ei providerit. *Char.* 2 Joh. *dorſ. MS. Anſtis.* ——— Paulo poſt Alexander de Lucy conceſſum habet 8 Jun. 1203. *Pat.* 5 Joh. m. 9. ——— Et iterum conceſſum eſt Archiepiſcopo Raguſienſi 10 Jan. ſequ. *Rym. Foed.* T. 1. p. 135. ——— Anno verò 1216 Henricus tertius ſcribit Papae, quod Villa Carleol. defecit ad Regem Scotiae inimicum ſuum, et quod elegerunt Epiſcopum adverſarium ſuum, et ideo rogat Papam eidem providere. *Pat.* 1 H. 3. m. 3. *dorſo.* apud *Prin. Collect.* V. 3. p. 39.

[h] Ita *Annal. Waverl.* p. 185 et *Annal. Wigorn.*

[i] Dies non fuit Dominica.

[k] Miſſus à Rege inter alios ad Concilium Veronenſe. *Clauſ.* 6 H. 3. m. 3. Primo Julii 1231 conſtitutus eſt Theſaurarius Scaccharii pro termino vitae. *Chart.* 16 H. 3. m. 5. nihilominus Petrus de Rivallis ſucceſſit Januarſi ſexto ſequ. *Pat.* 17 H. 3. m. 8, 7. *MS. Gale.*

[l] MAUCLERK, *Weſtm.*

[m] Viceſimo tertio Junii 1223 Temporalia hujus Epiſcopatus traduntur cuſtodienda Theobaldo de Valon Archidiacono Eſſexienſi, et concedit Rex licentiam eligendi. *Pat.* 7 H. 3 m. 8; et Walterus Mauclerc elect. in Epiſcopum Carleol. 27 Oct. *Pat.* 8 H. 3. m. 8 et 12. Regis habet aſſenſum electioni.

[n] *Weſtmon.* ad A. 1233.

[o] *Id.* ib.

[p] Mutato habitu, ſe in ordinem Praedicatorum praecipitavit, Jun. 29. 1246. *Id.* p. 329. et *Wikes.*

[q] *Weſtm.*

V. SILVESTER DE EVERDON.

1247. Hen. 3. 31. SILVESTER DE EVERDON[r], qui tum fuit, et poſtea diù perſtitit Angliae Cancellarius, electus eſt ad hanc ſedem anno 1246[s], ſed non conſecratus uſque ad Februarii quintum 1247, cunctatus nimirum aliquandiu utrum munus ſuſciperet oblatum, cujus ſe dicebat (nec ſine cauſa fortaſſis) indignum. Quomodo Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus, Ethelmarus electus Wintonienſis, necnon et iſte Silveſter Regem adeuntes una cum caeteris regni Epiſcopis fere univerſis, rogaverunt, ut exteris et indignis hominibus provehendis abſtineret: Ut Rex iratus, aequum igitur eſſe reſponderit, Bonifacium et Ethelmarum, qui et exteri eſſent et indocti praeſulatus ejurare; ſupra eſt à me expoſitum. Tum vero ad Silveſtrum converſus, *Et te* (inquit) *Silveſter Carleolenſis, qui diù lambens Cancellarium, clericorum meorum clericulus extitiſti* (ſic Pariſienſis[t]) *qualiter poſtpoſitis multis Theologis et perſonis reverendis, te* (*inquam*) *in Epiſcopum ſublimavi, omnibus ſatis notum eſt.* Illum igitur porro ad abdicationem hortatus, non perſuaſit credo. Anno haec 1253. Anno deinde ſequenti, *tertio Idus Maii* (ut habet idem Pariſienſis[u]) *equum nimis laſcivum equitans, qui pedem ad ceſpitem offendit, corruit ſupinus; contritus, et oſſium diſſolutis compaginibus expiravit*[x].

VI. THOMAS VIPONT.

*1254. Hen. 3. 39. THOMAS VIPONT vel de veteri ponte, familia ortus Vipontorum qui Weſtmorlandiae Domini his temporibus dicebantur, Silveſtro defuncto in ſucceſſorem electus eſt[y], quamvis Joannem Priorem Newboroënſem conſiliarium ſuum Rex Carleolenſibus Canonicis impenſe commendaſſet[z]. Annum duntaxat unicum cum ſediſſet, ſub initium Octobris exceſſit è vivis 1256[a].

VII. ROBERTUS CHAUSE.

1258. Hen. 3. 42. ROBERTUS DE CHAUSE, Reginae Capellanus, per Epiſcopos Bathonenſem et Sariſburienſem Bermondſeiae conſecratus eſt decimo Aprilis[b] 1258; et circa feſtum D. Michaelis dicitur obiiſſe 1278.

---

[r] Rex contulit ei Archidiaconatum Ceſtriae ratione Epiſcopatus Covent. et Lichf. vacationis. *Pat.* 29 H. 3. m. 9.—— Praeſentatus ad Eccleſiam de Everſton per Abbatem et Convent. de Berney A°. primo Pont. Rob. Groſthead Epiſc. Linc. *Regiſtr.* ejus. *MS. Anſtis.*

[s] Licentia eligendi conceſſa eſt, 1 Aug. 1246. *Pat.* 30 H. 3. m. 2.

[t] P. 746.

[u] P. 760.

[x] Primo Aprilis 1253. *Annal. Burton.* Decimo tertio Maii 1254. *Weſtmon.*

[y] Regis habet aſſenſum electioni 6 Nov. 1254. *Pat.* 39 H. 3.

[z] *Weſtmonaſt.* ad annum 1254.

[a] *Annal. Burt.*

[b] Decimo quarto potius, dies enim fuit Dominica.

VIII. RADULFUS DE IRETON.

RADULFUS DE IRETON, Prior Gisburnenſis, temporalibus (ut 1280.
loquimur) hujus ſedis reſtitutus eſt decimo Julii Edwardi primi EDW. I. 8.
octavo.

IX. JOANNES DE HALTON.

JOANNES DE HALTON, Canonicus Carleolenſis, conſecratus anno * 1292.
1288[d], ſedit annos 32. EDW. I. 20.

X. JOANNES DE ROSSE.

JOANNEM DE ROSSE, legum Doctorem, ſine electione aliqua legi- * 1325.
tima in hunc Epiſcopatum Papa intruſit et conſecrari mandavit anno EDW. 2. 18.
1318[e]. Annos is praefuit 13.

XI. JOANNES DE KIRKBY.

JOANNES DE KIRKBY, Canonicus Carleolenſis, electus eſt legitime 1332.
et conſecratus anno 1332[f]. De quo memorant ſcriptores noſtri, quod, EDW. 3. 6.
cum anno 1345 Scoti cum copioſiſſimo exercitu, nimirum triginta pugnatorum millibus in fines noſtros irruiſſent, Gulielmo Dowglaſſio duce, et praeter alia aliquot oppida urbem Carleolenſem incendiſſent atque devaſtaſſent; Hanc ſuorum cladem vindicaturus hic praeſul, adjunctis ſibi Thoma Luceïo et Roberto Oglio viris ſtrenuiſſimis; cum cohortibus aliquot tumultuariis, Scotos perſecutus, iter eis praecluſit, et loco iniquo dimicare coactos, ex inopinato ſpoliis graves invaſit, atque ſic inſignem de eis reportavit victoriam. Sedit annos plus minus 20.

---

[c] Poſt Roberti obitum, Gulielmus Eborac. Decanus à Canonicis eſt electus Dec. 13. 1278; qui electioni renuens conſentire, electus eſt Radulphus; Archiep. Ebor. conſecrare noluit, ideoque Romam ivit, ubi jubente Papa conſecrationis ritus ab Epiſcopo Tuſculano accepit ineunte anno 1280, ante 5 Id. Apr. *Rym. Foed.* T. 2. p. 147.——Temporalia habet reſtituta 10 Jul. *Pat.* 8 E. 1. m. 10. Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 31 Jul. 1280. *Regiſtr. Wyckwane Ebor.* f. 35.——Electus per Priorem et Conventum in Epiſcopum Carlile ſine licentia Regia, Prior pardonatur pro fine centum librarum. *Communia de Term. Mic.* 10 E. 1. *Rot.* 4.

[d] Radulpho defuncto, Licentia eligendi conceſſa eſt 23 Mar. et Joannes de Halaſton electus, habet temporalia reſtituta 18 Jun. *Pat.* 20 E. 1. m. 12.——Deceſſit Nov. 1. 1324, in Palatio ſuo de ROSE-CASTLE. *Le Neve.* Joanne defuncto, Licentia eligendi conceſſa eſt 26 Nov. 1 *Pat.* 18 E. 2, et Willelmus de Ayremine Clericus Regis, Canonicus Eboracenſis, habet Regis aſſenſum 17 Jan. 2 *Pat.* 18 E. 2.

[e] Joannes de Roſs, Canonicus Herefordenſis et ſacri Palatii auditor, Temporalia Epiſcopatus Carleol. habet reſtituta 20 Jun. 1325. 2 *Pat.* 18 E. 2.——Profeſſionem fecit Archiepiſcopo 30 Aug. 1326, et diem clauſit extremum anno 1332. *Le Neve.*

[f] Reſtitutionem habet Temporalium 9 Jul. 2 *Pat.* 6 E. 3. m. 25.—Conſecratus 19 Jul. 1332. *Le Neve.* Obiit exeunte anno 1352.

XII. GILBERTUS DE WELTON.

1353. Edw. 3. 27. GILBERTUS DE WELTON[g], legum Doctor, à Papa intruſus, conſecratus eſt anno 1353, rejecto Joanne de Horncaſtle Priore Elienſi, qui legitime fuerat electus, et à Rege etiam temporalibus reſtitutus.

XIII. THOMAS DE APPLEBY.

1363. Edw. 3. 37. THOMAS DE APPLEBY legitime electus[h], auſus tamen non eſt electioni conſenſum praebere antequam confirmationem Romae impetraſſet, ubi conſecratus anno 1363; cum ſediſſet annos 33, deceſſit quinto Decembris 1395.

XIV. ROBERTUS READE.

1396. Ric. 2. 19. CANONICI Carleolenſes poſtquam unanimi conſenſione Epiſcopum declaraſſent[i] quendam Gulielmum Strikland; Papa nihiloſecius à Richardo ſecundo Rege rogatus, conſecrari mandavit Robertum Readum[k] Dominicanum, quod anno 1396 factum eſt. Cum unicum vix annum ſediſſet Ciceſtriam eſt tranſlatus.

XV. THOMAS MERKES.

*1396. Ric. 2. 20. SIMILI planè ratione, Thomam Merkes Monachum Weſtmonaſterienſem, ad Regis petitionem Papa, Carleolenſibus invitis, huic ſedi ingeſſit, et conſecrari mandavit anno 1397[l]. Qui utcunque ingreſſus, virum ſe oſtendit eo munere non indignum. Nam praeterquam quod ob eruditionem et prudentiam non mediocrem laudatur, celebratur inprimis (nec immeritò) pro fide et conſtantia erga patronum ſuum Richardum Regem ſingulari, necnon propter magnanimitatem egregiam quod id ipſum intrepide auſus eſt profiteri, non ſine ingenti et manifeſto periculo, quando tacere et poterat honeſte, et debebat etiam, ſi ſalutis ſuae rationem habere voluiſſet.

Procerum nonnulli fuerunt, qui Principem illum infoelicem deſerere non ſuſtinuerunt, donec regni aemulo in captivitatem ſe tradidiſſet. Hic verò neglecto quod imminebat periculo; non ſolum eum nolebat deſerere quando ſeipſum is jamdudum deſeruiſſet, ſed eum cauſamque ejus rebus jam perditis et deploratis pro virili auſus eſt defendere, quando pro certo poterat ſtatuere, neque illi utilitatis quicquam inde redundaturum, et ſibi tamen exitio id futurum. Quo tempore plebs inſana et affectibus ſemper nimia, non contenta Richardum Regem dejeciſſe et Henricum Lancaſtrenſem (delicias ſuas) in ſolio ejus collocaſſe, clamoribus à parliamento videbantur extorturi, ut durius adhuc cum illo ageretur, nec deeſſent inter ordines qui de illo tollendo obliquos jacerent ſermones; Exurgens Carleolenſis, pronunciare non eſt veritus, *praeſentium neminem dignum eſſe ut de tanto Rege ferret ſententiam*; *cui nimirum ut legitimo principi per annos totos 22 paruiſſent. Illud vero ut mittamus*, (placet ipſa verba prout ab Hiſtoricis noſtris referuntur, inſerere) *proditorum* (inquit) *ſicariorum*, *praedonum*, *nemo tam ſceleratus eſt*, *nemo tam vilis*, *ut quantumvis manifeſti criminis arguatur*, *tamen inauditum damnandum cenſeamus. Et vos anne aequum exiſtimatis de Rege uncto et coronato ſententiam ferre*, *nulla data defenſionis copia? Quam hoc eſt iniquum? Sed rem ipſam ſpectemus. Ego dico*, *edico*, *aſſero*, *Henricum Lancaſtriae Ducem* (*quem vobis placet Regem appellare*) *Richardum dominum tam ſuum quam noſtrum regno iniquiſſime ſpoliaſſe.* Plura dicturus, à Comite Mareſcallo abductus eſt, et ad Coenobium S. Albani amandatus [m], ibi cuſtodiendus. Emiſſus paulo poſtea et de fidei conſtantia nihil remittens, in caput Henrici conjuravit una cum Hollandis et aliis procerum permultis, qui re detecta, ad unum oppreſſi et capitali ſunt affecti ſupplicio: Solus iſte ſervatus, gratiam invenit; ordinis fortaſſis intuitu (ſiquidem ut Epiſcopus, crimen quantumlibet grave capite lueret, hactenus fuerat inauditum) ob admirationem forte fidei ac conſtantiae (nam ea virtutis vis eſt ut vel in hoſte ſuſpiciamus ac veneremur.) Fortaſſis denique ut in vitam aerumnoſam conjiciendo, poenam morte graviorem infligerent. Papa (nihil Regibus ſolitus denegare quod parvo ſibi conſtaret) inductus eſt facile, ut bonum hunc virum, ab Epiſcopatu Carleolenſi, reditus exhibente ſatis amplos, invitum ad Samium [n] transferret in Graecia, unde ne teruncium quidem unquam percepturum [o], ſatis habebat exploratum. Is vero tam foelix fuit, ut nec inimici beneficio uſus, nec perſonati amici malitia laeſus extiterit. Quaſi dedignatus vitam illo donante accipere, qui patrono ſuo et regnum et vitam eripuerat, brevi poſtea animam emiſit [p]; tranſlationis ſuae ludibrio ſic eluſo, unde (ut fors tulit) nihil ad eum detrimenti redundavit.

---

[g] Joannes de Horncaſter Prior Eccleſiae Cathedralis Karleol. Ordinis S. Auguſt. electus in Epiſcopum Karleol. confirmatus eſt ab Archiepiſcopo 12 Jan. 1352. *Regiſtr. Thurſby Ebor.* et reſtitutionem habet temporalium à Rege 2 *Pat.* 27 E. 3. m. 23. Papa verò renuente Gilbertus praeficitur, confirmatus 24 Maii 1353.

[h] Gilberto defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 18 Jan. 2 *Pat.* 36 E. 3. m. 3, et Thomas Canonicus Carleolenſis, per Papam proviſus, fidelitatem fecit et temporalia habet reſtituta 10 Aug. 2 *Pat.* 37 E. 3. m. 38. Prebendas retinuit in Eccleſ. Ebor. et Southwellenſi.

[i] Thoma defuncto licentia eligendi conceſſa eſt 30 Dec. 1 *Pat.* 19 R. 2. m. 1.

[k] Epiſcopum Waterfordiae et Liſmore in Hiberniae Regno. Huc tranſlatus eſt Papali proviſione, et Temporalia habet reſtituta 30 Mar. 1396. 2 *Pat.* 19 R. 2. m. 23.

[l] Rex reſtituit Temporalia Thomae Merke S. T. P. Monacho Weſtmonaſt. à Papa proviſo in Epiſcopum Karleolenſem 18 Mar, 1396. 2 *Pat.* 20 R. 2. m. 3.

◆ ◆ ◆

XVI. GULIELMUS DE STRIKLAND.

AD petitionem Regis, Papa, tranſlato (ſi diis placet) Merkio, ſubſtituit 1400.
Gulielmum de Strikland [q] vel Stirkland, ex familia natum non HEN. 4. 1.
ignobili, quem, legitime ante annos quatuor electum et à Pontifice rejectum, memoravimus. Conſecratus eſt Cawodiae ab Archiepiſcopo

---

[m] Thomas nuper Epiſcopus Carlile in Turri Lond. detentus, uſque Abbathiam et Abbatem Weſtmonaſt. deliberandus, ibidem moriturus, 23 Jun. *Clauſ.* 1 H. 4. m. 7.

[n] Thomas Merke S. T. P. nuper Epiſcopus Karl. tranſlatus ad Eccleſiam de Samaſton per Papam; in qua Clerus ſeu Populus Chriſtianus non habetur. 2 *Pat.* 2 H. 4. m. 11.——Idem proditionis reus pardonatur 28 Nov. 1 *Pat.* 2 H. 4. m. 20.

[o] Enormis haec ab Epiſcopis Romanis aſſumpta poteſtas decreto quarto Seſſ. 39nae Concil. Conſtant. coërcita eſt. vid. *L'Enfant Hiſt. Conc. Conſt.* p. 516.

[p] Nequaquam; anno enim 1404 Auguſti 13 inſtituitur ad Rectoriam de Todenham in agro Glouceſtrenſi. *Regiſtr. Cliff.* Wig. f. 18. et 13 Jan. 1409 Robertus Ely ad dictam Rectoriam inſtituitur vacantem per mortem Tho. Merks. *Regiſtr. Peveral.* Wig. f. 12. ita Cl. *Br. Willis.* in Epiſc. Carleol. p. 293.

[q] Cuſtodiam habet Temporalium 18 Feb. 5 *Pat.* 1 H. 4. m. 9. Reſtitutionem 15 Nov. 1 *Pat.* 2 H. 4. m. 13.

Eboracenſi viceſimo quarto Auguſti [r] 1400, et diem clauſit extremum triceſimo Auguſti 1419.

XVII. ROGERUS WHELPDALE.

1419. Hen. 5. 7. ROGERUS WHELPDALE[s], ſacrae Theologiae Doctor, Balliolenſis Collegii Oxoniae alumnus, Collegii Reginae ibidem Praepoſitus, qui in eadem Academia anno 1403 Procuratorio munere functus fuerat, à Carleolenſibus Canonicis electus, et à Wintonienſi Epiſcopo Londini conſecratus eſt anno 1419. Opuſcula ſcripſit non pauca, à Balaeo recenſita, et in Balliolenſi Collegio hodie (ſicut accepi) viſenda. Obiit Londini quarto Februarii 1422, et in eccleſia Paulina ibidem ſepultus eſt.

XVIII. GULIELMUS BARROW.

* 1422. Hen. 6. 1. GULIELMUS BARROW Epiſcopus Bangorenſis huc tranſlatus[t] anno 1423, deceſſit apud Roſecaſtle, quaſi dicas caſtrum roſarum, quarto Septembris 1429, et Carleoli ſepultus eſt.

XIX. MARMADUCUS LUMLEY.

1430. Hen. 6. 8. MARMADUCUS LUMLEY[u], ex praenobili Baronum Lumleiorum familia (ut videtur) prognatus, à Capitulo Carleolenſi electus et conſecratus, cum annos viginti ſediſſet, Lincolniam tranſlatus eſt[x]. Interea vero Angliae fuit ad tempus Theſaurarius[y], et Academiae Cantabrigienſis Cancellarius.

XX. NICOLAUS CLOSE.

* 1449. Hen. 6. 28. NICOLAUS CLOSE[z] conſecratus anno 1450, cum annos ſediſſet duos Lichfeldiam tranſlatus eſt[a].

XXI. GULIELMUS PERCY.

1452. Hen. 6. 31. GULIELMUS PERCEIUS, Northumbriae Comitis filius, et Cantabrigienſis Academiae quandoque Cancellarius, conſecratus anno 1452[b], annos praefuit decem.

---

[r] Conſecratus 15 Aug. 1400; dies 24 non fuit Dominica.

[s] Gulielmo defuncto Licentia eligendi conceſſa eſt 12 Oct. 1 *Norman.* 7 H. 5. n. 22. à Papa vero praeficitur Rogerus Rector Eccleſ. Paroch. de Burgcleere Dioeceſ. Winton. S. T. B. cui Rex reſtituit Temporalia 17 Mar. *Pat.* 7 H. 5. m. 3.

[t] A Papa; Temporalia reſtituta 16 Jun. 4 *Pat.* 1 H. 6. m. 16.

[u] L. L. B. Aulae Trinitatis Cantabrigiae Magiſter, et Northumbriae Archidiaconus, reſtitutionem habet Temporalium 15 Apr. 2 *Pat.* 8 H. 6. m. 26, et poſtridie conſecratus. *Regiſtr. Kemp.*

[x] Anno 1449.

[y] Ita conſtitutus 18 Dec. 1 *Pat.* 25 H. 6. m. 10.

[z] S. T. P. Archidiaconus Colceſtriae, et Academiae Cantabrigienſis Cancellarius, à Papa proviſus, reſtitutionem habet Temporalium 14 Mar. 1 *Pat.* 28 H. 6. m. 6.

[a] Triceſimo Auguſti 1452.

[b] Temporalia reſtituta ſunt 29 Oct. 1 *Pat.* 31 H. 6. m. 12.——Proviſus à Papa.——Prebendarius de Bedmynſter et Radclyffe in Eccleſia Sarum. *MS. Sym.*

XXII. JOANNES KINGSCOTE.

1462. Edw. 4. 2. JOANNES KINGSCOTE, legum Doctor[c], conſecratus 1462, annum ſedit duntaxat unum[d].

XXIII. RICHARDUS SCROOPE.

1464. Edw. 4. 4. RICHARDUS SCROPUS[e], conſecratus Eboraci, per Georgium Nevilium Epiſcopum tunc Exonienſem, Junii viceſimo quarto 1464[f], deceſſit 22 Maii[g] 1468.

XXIV. EDWARDUS STOREY.

1468. Edw. 4. 8. EDWARDUS STOREIUS[h], ſacrae Theologiae Doctor, et Academiae Cantabrigienſis Cancellarius, à dicto Georgio Nevilio Eboracenſi nunc Archiepiſcopo Weſtmonaſterii conſecratus Octobris decimo quarto 1468[i], cum annos ſediſſet novem Ciceſtriam tranſlatus eſt.

XXV. RICHARDUS [BELL[k].]

1478. Edw. 4. 18. RICHARDUS, Prior Dunelmenſis, Pontificis mandato, ſine aliqua electione, ab anteceſſore ſuo conſecratus eſt, et temporalibus reſtitutus viceſimo quarto Aprilis 1478[l]. Sedit annos octodecim[m].

XXVI. GULIELMUS[n] SEVERUS.

1496. Hen. 7. 11. GULIELMUS SEVERUS, Abbas Coenobii S. Mariae Eboraci, conſecratus anno 1496, Dunelmum tranſlatus eſt 1503[o].

XXVII. ROGERUS LAYBURN.

1503. Hen. 7. 19. ROGERUS LAYBURN, ſacrae Theologiae Doctor, et Aulae Pembrochianae Cantabrigiae Praeſes[p], familia natus nobili quae non procul à Carleolo ſedem habuit, conſecratus primo[q] Septembris 1503; ſedit annos ſex.

---

[c] Ex Academia Cantabrigienſi; Archidiaconus Glouceſtriae: Temporalia habet cuſtodienda 16 Maii. 1 *Pat.* 2 E. 4. m. 18; reſtituta 20 Oct. *Rym. Foed.* T. 11. p. 526.

[d] Inteſtatus obiit 5 Nov. 1463.

[e] Academiae Cantabrigienſis Cancellarius, ex nobiliſſima Scroporum familia.

[f] Temporalia habet reſtituta 5 Jun. 1 *Pat.* 4 E. 4. m. 10.

[g] Vacavit Epiſcopatus per mortem Ric. Scroope 16 Maii 1468. *Regiſtr. Nevill Ebor.*—— Maii 22. 1468 Temporalia in manu Regis, et conceſſa cuſtodienda Joanni Burell. 1 *Pat.* 8 E. 4. m. 22; et eodem die Epiſcopus Elienſis contulit Magiſtro Alex. Lye A. M. Eccleſiam parochialem de Ditton vacan. per mortem. Vener. Patris Dom. Ric. Scropi Epiſcopi &c. *Regiſtr. Elien.*——Teſtamentum condidit 9 Mart. 1467, et legat corpus ſuum ſepeliendum in Eccleſia Carleolenſi coram ſummo altari; Probat. 31 Jul. 1468.

[h] Aulae Pembrochianae Cantabr. Socius, et Domus Michaelis ibidem Magiſter. *Archiv. Coll.*

[i] Temporalia reſtituta ſunt 1 Sept. 3 *Pat.* 8 E. 4. m. 9.

[k] *Leland. Collect.* T. 1. p. 472.

[l] 1 *Pat.* 18 E. 4. m. 5, et conſecratus 26 die ejuſdem menſis

[m] Sepultus in Eccleſia ſua Cathedrali.

[n] Henricus dictus in Charta fundationis Collegii Etonenſis. 2 *Pat.* 19 H. 6. m. 20, et in *Regiſtris Collegii.*———Sed vide inter Epiſc. Dunelm. p. 753. Not. [a].

[o] Menſe Octobr. 1502. *Rym. Foed.* T. 13. p. 28.

[p] Electus Praeſes biennio poſt adeptum Epiſcopatum, viz. 29 Nov. 1505. *Archiv. Coll.*

[q] Decimo; dies enim à Godwino aſſignata non fuit Dominica.

XXVIII. JOANNES PENNY.

1509. Hen. 8. 1. JOANNES PENNY, legum Doctor, Lincolnienſis Collegii Oxoniae alumnus, in Epiſcopum Bangorenſem conſecratus 1504, huc tranſlatus eſt 1509[r], et annos praefuit decem[s].

XXIX. JOANNES KITE.

*1521. Hen. 8. 13. JOANNES KITE in Londinenſi natus civitate, legatione functus in Hiſpania, conſecratus in Archiepiſcopum[t], neſcio cujus ſedis in Graecia, Carleolenſis Epiſcopus conſtitutus eſt anno 1520. Deceſſit decimo nono Junii 1537, et Stepneiae prope Londinum jacet tumulatus, in medio fere cancelli verſus Aquilonem, ubi marmori (quo tegitur) inſcriptum legi epitaphium ſatis barbarum, et tam docto ſeculo admodum indignum.

XXX. ROBERTUS ALDRICH.

1537. Hen. 8. 29. ROBERTUS ALDRICH[u], ſacrae Theologiae Doctor, Etonenſis primum ac deinde Regii Collegii quod eſt Cantabrigiae alumnus[x], illius Moderator ſive Ludimagiſter, hujus vero Praepoſitus[y] poſtea conſtitutus, in Carleolenſem Epiſcopum electus eſt decimo octavo Julii 1537. Eraſmus (cujus ad illum epiſtolae extant non paucae) *blandae eloquentiae juvenem* eum vocat. Deceſſit apud Horncaſtle Martii quinto 1555.

XXXI. OWINUS OGLETHORP.

*1557. Mar. 5. OWINUS OGLETHORP, ſacrae Theologiae Doctor, Windeſorenſis Decanus[z], Collegii Magdalenenſis Oxoniae Praeſes, loco natus honeſto, conſecratus eſt anno 1556[a], Elizabethae Reginae coronationis ſolennia is impendit. Reformationi tamen eccleſiaſticae pervicaciter ſe opponens, cum caeterorum ſui ordinis pleriſque exauthoratus eſt anno 1559, et paulò poſt Apoplexia extinctus[b].

---

[r] Bulla Papali dat. 10 Kal. Oct. (22 Sept.) 1508. Ita Br. Willis inter Epiſc. Bang. Spiritualia vero hujus ſedis non ſeiſta ante 20 Jan. 1508, et liberata 20 Jun. 1509. *Regiſtr. Warham.* f. 12.

[s] Sepultus in Eccleſia S. Margaretae Leiceſt. *MS. Anſtis.*

[t] Archiepiſcopus Armachanus Bulla Papali anno 1513, Temporalia habet reſtituta 20 Maii 1514. *Waraeus de Praeſ. Hibern.* Poſtea verò hunc reſignat Archiep. et alium accepit, ſc. *Thebanenſem* in Graecia, et Commendatarius perpetuus eſt conſtitutus Eccleſiae Carleolenſis; Temporalia ſunt reſtituta 11 Nov. 1521. 1 *Pat.* 13 H. 8. m. 17.

[u] Natus apud Burnham in agro Buckinghamenſi.

[x] Et Socius.

[y] Praepoſitus Etonenſis, ſed non Coll. Regal. Cantabrigiae. *Arch. Coll.* Canonicus Windeſorenſis, et ordinis Periſcelidis Regiſtrarius.

[z] Ex Canonico fit Decanus 1° Mariae, et in Vigiliis S. Georgii admiſſus eſt Scriba ordinis de Garter; et ut conſuetum ſalarium 50 Librarum dicto officio debitum è Scaccario quotannis potiretur per Supremum et Commilitones ſancitum eſt Apr. 24 anno ſequente. A prima praecellentiſſimi ordinis praedicti inſtitutione huc uſque, nemo niſi mere Canonicus Scribae ſeu Regiſtrarii officium obibat. Iſte etiam Decanus et Succeſſores ſui, non quatenus Decani, ſed quatenus Canonici ejuſdem muneris capaces facti ſunt, prout Statuta dicti ordinis exigunt.

[a] Decimo quinto Auguſti 1557.

[b] Sepultus in Eccleſia S. Dunſtani in Occidente Lond.

XXXII. JOANNES BEST.

JOANNES BEST, ſacrae Theologiae Doctor[c] Oxonienſis, conſecratus *1560.
Martii ſecundo 1561[d], deceſſit 22 Maii 1574[e], et Carleoli ſepul- ELIZ. 3.
tus eſt.

XXXIII. RICHARDUS BARNES.

RICHARDUS BARNES, Epiſcopus Suffraganeus Nottingamenſis, 1570.
Carleolum tranſlatus eſt viceſimo tertio Julii 1570[f], et anno 1577 ELIZ. 12.
Dunelmum.

XXXIV. JOANNES MEY.

JOANNES MEY[g], ſacrae Theologiae Doctor, et Aulae S. Catharinae 1577.
Cantabrigiae Praeſes, per Londinenſem Epiſcopum (Eboracenſis Vi- ELIZ. 19.
carium) conſecratus eſt viceſimo nono Septembris 1577. Obiit menſe
Aprili 1598[h].

XXXV. HENRICUS ROBINSON.

HENRICUS ROBINSON[i], ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Re- 1598.
ginae Praepoſitus Oxoniae, conſecratus eſt viceſimo tertio Julii[k] ELIZ. 40.
1598. Exceſſit è vivis undecimo Junii 1616.

XXXVI. ROBERTUS SNOWDEN.

ROBERTUS SNOWDEN[l], ſacrae Theologiae Doctor, ſucceſſit, Ebo- 1616.
raci à Metropolitano ſuo conſecratus[m]. Sub initium menſis Maii[n] JAC. 1. 14.
deceſſit 1621.

XXXVII. RICHARDUS MILBORN.

RICHARDUS MILBORN ab Eccleſia Menevenſi huc tranſlatus eſt 1621.
ſub exitum Septembris 1621[o]. JAC. 1. 19.

* * *

Collegii S. S. Trinitatis Cantabrigiae aliquando Socius, et Roffenſis Decanus; ab Epiſcopatu Menevenſi ad Carleolenſem fuit tranſlatus menſe

---

[c] Baccalaureus tantum. [d] Anno 1560 exeunte. [e] Obiit 22 Maii 1570. [f] *Rym. Foed.* T. 15. p. 684. [g] Natus in agro Suffolcienſi; Archidiaconus de East-Riding Com. Ebor. Rector Eccleſ. S. Dunſtani in Oriente, et de Derfeild in Com. Ebor. [h] Obiit 15 Feb. 1597, et in Eccleſ. ſua ſepultus jacet, annos natus circiter 70. E *Regiſtr. Eccleſ. Paroc. de Dalſton* Comitatu Cumbr. [i] Natus in Civitate Carleolenſi. [k] *Regiſtr. Whitg.* par. 3. f. 6. [l] Collegii Chriſti Cantab. Socius, et Eccleſiae de Southwell Prebendarius. [m] Novemb. 24. 1616. [n] 15 Maii 1621 Lond. *Wood.* Apud Roſe-Caſtle, *Willis.* Menſe Maio 1620, *MS. Luſkin.* [o] Licentia eligendi conceſſa eſt 21 Jun. 1621.

Junio 1621. Triennio exacto obiit 1624. Aliqua extant munificentiae monumenta, quae in uſus publicos erogavit, ſc. trecentas libras in Ptochotrophii, et totidem ad Scholae dotationem.

XXXVIII. RICHARDUS SENHOUSE.

1624. Jac. I. 22. HUIC ſucceſſit Richardus Senhouſe, ſacrae Theologiae Doctor, aliquando Collegii D. Joannis Evangeliſtae Cantabr. Socius, et Eccleſiae Gloceſtrenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus decimo ſexto Septembris 1624. Inter equitandum equo ſubſultante excuſſus obiit ſexto Maii 1626, in Eccleſ. ſua Cathedrali ſepultus.

XXXIX. FRANCISCUS WHITE.

1626. Car. I. 2. FRANCISCUS WHITE S.T.P. Eccleſiae Carleolenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus eſt tertio Decembris 1626; et inde biennio exacto ad Dioeceſin Norwicenſem, deinde Elienſem tranſlatus: Ubi de eo ſuperius plura.

XL. BARNABAS POTTER.

1628. Car. I. 4. SUCCESSIT Barnabas Potter, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Reginenſis Oxoniae Praepoſitus; Vir magni apud Calvini aſſeclas nominis, quibus hac in parte gratificari ſtudentem, Rex Carolus ad Epiſcopatum promovit decimo quinto Martii 1628. Diem obiit menſe Januario 1641.

XLI. JACOBUS USHER.

1641. Car. I. 17. INCIDIMUS jam in medias rerum civilium turbas atque tempeſtates, quae per Hiberniam graſſatae, poſtmodo ad Angliam tranſierunt. Miſera profecto erat Eccleſiae Anglicanae conditio, hinc à Puritanis, illinc à Pontificiis obſeſſae atque vexatae. In Hibernia praeſertim, ubi Pontificii doctrinam et diſciplinam eccleſiaſticam, argumentis oppugnare fruſtra conati, jam tandem conjuratione facta, armiſque clanculum comparatis, inaudito crudelitatis exemplo Anglicanos circiter 154000, nihil tale opinantes vel timentes, uno ferè et eodem tempore per atrociſſimum nefas jugularunt. In hac rerum trepidatione aliqui dilapſi fuga ſalutem quaeſiverunt: Hos inter Jacobus Uſher Armachanus, Hiberniae Primas, in Angliam devectus, à Carolo Rege in hoſpitium gratiamque exceptus, ad Epiſcopatum Carleolenſem, jam tum vacantem, promovetur decimo ſexto Februarii 1641; ut viro, de Eccleſia optime merito, aliquid interea vitae in ſubſidium et dignitatem ſuppeteret, donec tumultuum popularium tempeſtas deſaeviret. Verum hanc felicitatem experiri cum non contigiſſet, à belli civilis ſtrepitu qua potuit in otium literatum receſſit. Diem clauſit extremum 21 Martii 1655, Aetatis anno 76. Vir innocentia morum et pietate venerandus, eruditionis profundae et multiplicis fama inter primos ſui temporis Theologos merito celebratus.

XLII. RICHARDUS STERNE.

A CAROLO jam reſtituto ad hanc Dioeceſin evocatur Richardus Sterne, ſacrae Theologiae Doctor, et Collegii Jeſu Cantabrigiae Magiſter, conſecratus ſecundo Decembris 1660; unde Eboracum migravit anno 1664. 1660. Car. 2. 12.

XLIII. EDWARDUS RAINBOW.

SUCCESSIT Edwardus Rainbow, S. T. P. aliquando Collegii Magdalenenſis Cantabrigiae Magiſter, à Perduellibus ejectus, à Carolo verò reſtituto Eccleſiae Petroburgenſis Decanus conſtitutus, et decimo Julii 1664 ad hanc Dioeceſin promotus, ubi munificentiae etiamnum extant monumenta. Exceſſit è vivis viceſimo ſexto Martii 1684. 1664. Car. 2. 16.

XLIV. THOMAS SMITH.

ILLI defuncto mox ſufficitur Thomas Smith, Collegii Reginenſis Oxoniae Socius, et Eccleſiae Carleolenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus viceſimo nono Junii 1684. Munificentiae et pietatis fama clarus, magnum ſui deſiderium reliquit moriens duodecimo Aprilis 1702, Aetatis anno 88, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet. 1684. Car. 2. 36.

XLV. GULIELMUS NICHOLSON.

GULIELMUS NICHOLSON, aliquando Collegii Reginenſis Oxon. Socius, Eccleſiae Carleolenſis Praebendarius et Archidiaconus, per conſecrationem epiſcopalibus ſacris initiatus eſt decimo quarto Junii 1702, ad Epiſcopatum Derenſem in Hibernia tranſlatus 1718, inde ad Archiepiſcopatum Caſhillenſem migraturus, morte praepropera abreptus obiit menſe Februario 1726. 1702. Annae 1.

XLVI. SAMUEL BRADFORD.

IN tranſlati locum ſucceſſit Samuel Bradford, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae Magiſter, et Eccleſiae Weſtmonaſterienſis Praebendarius, Epiſcopus conſecratus in ipſo Pentecoſtes feſto, Junii primo 1718. Anno 1723 ad Dioeceſin Roffenſem tranſlatus eſt. 1718. Geo. 1. 4.

XLVII. JOANNES WAUGH.

1723. Geo. 1. 9. SUCCESSIT Joannes Waugh S. T. P. Collegii Reginenſis Oxoniae aliquando Socius, Eccleſiae Gloceſtrenſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus decimo tertio Octobris 1723 [p]. Obiit Octobri menſe 1734.

XLVIII. GEORGIUS FLEMING.

1734. Geo. 2. 7. GEORGIUS FLEMING Baronettus, Eccleſiae Carleolenſis Decanus in Epiſcopum conſecratus eſt decimo nono Januarii 1734.

---

[p] *Regiſtr. Ebor.*



De EPISCOPIS CESTRENSIBUS.

IN Civitate Ceſtrenſi fuerat antiquitus Sanctimonialium Coenobium, cujus eccleſia (à clariſſimo illo Comite Leofrico conſtructa, et S. Werburgae dicata) ruinam quotidie minabatur, quando Hugo cognomento Lupus, primus Ceſtriae Comes poſt adventum Normannorum authore D. Anſelmo (quem aegritudine laborans è Normannia evocarat, ut ſibi conſilium daturus in extremis adeſſet) reſtauravit et Monachis complevit anno 1094. Circa id ipſum tempus (aut aliquanto forte maturius) anno nimirum 1075, Petrus Lichſeldenſis Epiſcopus, Epiſcopalem cathedram Lichſeldiae huc tranſtulit. Robertus vero de Limeſeia (qui proxime ſucceſſit) relicta Ceſtria, Coventriae ſedem fixit[a], quae paulo poſt Lichfeldiam reducta eſt; ita tamen, ut tituli Epiſcopalis partem Coventria occuparet, ſicuti ſuo loco à me dictum eſt. Henricus octavus honorem Epiſcopalem huic urbi reſtituit, monaſterio praedicto in eccleſiam cathedralem converſo, et Epiſcopo conſtituto, cujus juriſdictioni parerent Comitatus Ceſtrenſis, Lancaſtrenſis atque Richmondiae, [Cumberlandiae pars] et Eboracenſis provinciae pars cenſeretur.

---

[a] Apr. 18. 1102. *Florent.* Et Epiſcopi Coventrenſes ſunt vulgo Ceſtrenſes dicti uſque ad erectionem hujus Epiſcopatus tempore Henrici Octavi. Vid. inter Epiſc. Lichfeldenſes p. 312.

I. JOANNES BIRD.

[1541.] Hen. 8. 33. NOVAE hujus fundationis Epiſcopus primus fuit Joannes Bird, ſacrae Theologiae Doctor, in Coventrenſi civitate natus, et in Academia Oxonienſi [b] educatus, Carmelitarum triceſimus ſecundus et poſtremus Provincialis; qui Oſſerienſis [c] in Hibernia conſtitutus Epiſcopus, inde ad ſedem Bangorenſem primum, ac mox dein huc tranſlatus eſt [d]. Conciones quaedam coram Rege habitae, in quibus primatum Pontificium nervoſe impugnavit, aditum illi ad has dignitates patefecere. Sub Maria Regina exauthoratus eſt [e], propterea quod uxorem duxiſſet, et Ceſtriae deceſſit anno Domini 1556.

II. [GEORGIUS] COTES.

*1554. Mar. 1. QUI ſucceſſit Johannes Cotes, Collegii Magdalenenſis Oxoniae alumnus, Balliolenſis vero Praeſes [f], parvo tempore conſecrationi ſuperſtes, ſub eadem Regina mortem oppetiit [g].

III. CUTHBERTUS SCOT.

[1556.] Mar. 4. EJUSDEM Mariae deſignatione, Ceſtrenſis Epiſcopus tum conſtitutus eſt [h] Cuthbertus Scotus, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii Chriſti Cantabrigiae alumnus [i]: Qui cum duos aut tres annos ſediſſet, ab Elizabetha Regina exauthoratus, et homo admodum protervus in carcerem Fleetenſem conjectus, neſcio quo pacto elapſus Lovanium profugit [k], ubi diem clauſit extremum.

IV. GULIELMUS DOWNHAM.

1561. Eliz. 3. GULIELMUS DOWNHAM [l] in Collegio Magdalenenſi Oxoniae educatus, et Elizabethae Reginae ante regnum adeptum Capellanus, conſecratus quarto Maii 1561, menſe Novembri deceſſit 1577 [m].

---

[b] Cantabrigienſi potius, ut ipſe fatetur Godwinus inter Epiſc. Bangorenſes. [c] Oſſerienſis non fuit Epiſcopus, ut habet *Waraeus de Praeſ. Hib.* [d] Literae Patentes pro erectione hujus Epiſcopatus datae 4 Aug. 1541. *Rym. Foed.* T. 14 p. 724. [e] Poſtea verò Palinodiam cecinit, et fit Epiſcopus Suffraganius Edmundo Bonner, et Rector de Dunmow in agro Eſſexienſi, ubi Octogenarius fermè diem clauſit extremum anno 1556. [f] Socius primo et deinde Magiſter. Conſecratus primo Aprilis 1554. [g] Exeunte anno 1555. [h] Temporalia habet reſtituta 29 Sept. 1556. *Rym.* T. 15. p. 444. [i] Et Magiſter. Academiae Procancellarius annis 1554, 1555, et unus è Delegatis à Polo Cardin. miſſis ad viſitandam Academiam. [k] Vid. Lit. Orig. à Privato Concilio ad Archiep. Parker de hac re, inter *Archiv. Coll. Corp. Chriſt. Cantab.* [l] Norfolcienſis natu. Archidiaconus de Brecknock, et Weſtmonaſter. Praebendarius. [m] Deceſſit tertio Decembtis 1577. Aetat. 66. *Vale-Royall.* p. 34. Sepultus in medio Chori Eccl. Cath. Ceſtr.

V. GULIELMUS CHADERTON.

1579. ELIZ. 21. GULIELMUS CHADERTON, ſacrae Theologiae Doctor[n], Collegiorum Chriſti ſocius, dein Reginae Cantabrigiae Praeſes, Novembris nono conſecrationem accepit 1579[o], et Lincolniam tranſlatus eſt anno 1595[p].

VI. HUGO BELLOT.

1595. ELIZ. 37. HUGO BILLETT vel Bellot, ſacrae Theologiae Doctor, Epiſcopus Bangorenſis[q], Collegii S. Joannis Cantabrigiae alumnus, huc tranſlatus[r], et tranſlationi unum duntaxat annum ſuperſtes, deceſſit circa feſtum Pentecoſtes 1596[s].

VII. RICHARDUS VAUGHAN.

1597. ELIZ. 39. RICHARDUS VAUGHAN[t], ſacrae Theologiae Doctor, in Collegio S. Joannis antedicto educatus, Bellotto tam Ceſtriae quam Bangorae ſucceſſit, tranſlatus huc menſe Junio[u] 1597. Sub exitum Decembris 1604 hinc ad eccleſiae Londinenſis gubernaculum aſſumptus eſt[x].

VIII. GEORGIUS LLOYD.

1604. JAC. I. 2. GEORGIUS FLOYD[y] vel potius Lloyd, ſacrae Theologiae Doctor, Sodorenſis Epiſcopus ſive Mannae Inſulae, et Collegii Magdalenenſis Cantabrigiae aliquando Socius, in Ceſtrenſem Epiſcopum confirmatus eſt decimo quarto Januarii 1604. Sub initium Auguſti deceſſit 1615, magno ſui deſiderio relicto.

IX. THOMAS MORTON.

1616. JAC. I. 14. GEORGIO LLOYD Epiſcopo defuncto, Thomas Mortonus, ſacrae Theologiae Doctor, Cantabrigienſis Academiae alumnus, et Wintonienſis Decanus, poſt errores Pontificios nervoſe ab illo ſcriptis editis confutatos, in Epiſcopum hujus Eccleſiae conſecratus ſeptimo Julii 1616[z]. Inde triennio nondum exacto, ad ſedem Coventrenſem et Lichfeldenſem tranſlatus eſt, videlicet ſexto Martii 1618 ſtylo Anglicano.

---

[n] Archidiaconus Eboracenſis et Collegii Manceſtrenſis Guardianus.

[o] Conſecratus 8 Nov. 1579. *Regiſtr. Ebor.*

[p] Viceſimo quarto Maii 1594. *Regiſtr. Whitg.* par. 2. f. 21. Annum 1595 malè apponitur inter Epiſcopos Lincolnienſes.

[q] Conſecratus Epiſc. Bang. 30 Jan. 1585.

[r] Jun. 25. 1595.

[s] Menſe Junio 1596; ſepultus in Eccleſia de Wrexham Com. Denbigh.

[t] Archidiaconus Middleſexiae et Canonicus Wellenſis.

[u] Regium habet aſſenſum 4 Junii, et Temporalia reſtituta 12 Auguſti. *Rym. Foed.* T. 16. p. 317, 322.

[x] Dec. 20. 1604. *Regiſtr. Bancr.* f. 9.

[y] Filius Meredith, fil. Joannis de Comit. Caernarvon.

[z] *Regiſtr. Abbot.* f. 66.

X. JOANNES BRIDGEMAN.

1619. Jac. 1. 17. JOANNES BRIDGEMAN, ſacrae Theologiae Doctor Cantabrigienſis, ſucceſſit illi, conſecratus nono Maii 1619[a].

* * *

Natus fuit Exoniae, in Collegio Magdalenenſi Cantabrigiae educatus, Eccleſiae Petroburgenſis Decanus. Flagrante bello civili, communis fati particeps, ejectus et plane exul, in otio haud amabili conſenuit; obiit anno 1652, in Eccleſia Parochiali de Kinnerſly in agro Salopienſi ſepultus, ubi ſepulchro hoc ſolummodo legitur inſculptum, *Hic jacet ſepultus Johannes Bridgman Epiſcopus Ceſtrienſis.*

XI. BRIAN WALTON.

1660. Car. 2. 12. A CAROLO reſtituto ad Epiſcopatum Ceſtrenſem promovetur Brian Walton, ſacrae Theologiae Doctor, aliquando è Collegio D. Petri Cantabrigiae, Eccleſiarum S. Aegidii in Pratis Lond. Rector et Paulinae Praebendarius. Conſecrationis ritibus inauguratus eſt ſecundo Decembris 1660, et obiit in vigiliis S. Andreae 1661. Vir de Rep. literaria et Eccleſia Anglicana bene meritus, cujus laudes Biblia Polyglotta quae edidit longe praeſtantiſſima, per orbem Chriſtianum propagatas aeternitati conſecrabunt.

XII. HENRICUS FERNE.

1661. Car. 2. 13. HENRICUS FERNE, ſacrae Theologiae Doctor, Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiae Magiſter, et Eccleſiae Elienſis Decanus, in Epiſcopum conſecratus eſt menſe Februario 1661, et Martii 16 inſequentis obiit. In Capella S. Edmundi Weſtmonaſteriae ſepultus.

XIII. GEORGIUS HALL.

1662. Car. 2. 14. PROXIME ſuffectus eſt Georgius Hall, Joſephi Norwicenſis filius, Eccleſiae Windeſorenſis Canonicus, et Archidiaconus Cantuariae, in Epiſcopum conſecratus undecimo Maii 1662, et mortem obiit viceſimo tertio Auguſti 1668, Aetatis anno 55.

XIV. JOANNES WILKINS.

1668. Car. 2. 20. SUCCESSIT Joannes Wilkins, ſacrae Theologiae Doctor, conſecratus decimo quinto Novembris 1668; acuti et verſatilis vir ingenii, temporibus docilis ſervire à Cromwello, rerum jam potito, cujus ſororem in matrimonium duxerat, ad Collegii Wadhamenſis Oxoniae, inde ad Collegii Trinitatis praefecturam admotus. Idem à Carolo in gratiam admiſſus, ad hunc Epiſcopatum promovebatur. In omni literarum genere verſatiſſimus, in Phyſica praecipue, quam ille mirum in modum excoluit, et auſus grandia et aſſecutus, inter ſui temporis Philoſophorum Principes merito ſuo annumerandus. Deceſſit decimo nono Novembris 1672.

---

[a] *Regiſtr. Abbot.* par. 2. f. 7.

XV. JOANNES PEARSON.

JOANNI ſucceſſit alter Joannes, Pearſonus nempe, ſacrae Theologiae 1672. Doctor, aliquando è Collegio Regali Cantabrigiae; deinde Collegii CAR. 2. 24. Trinitatis ibidem Magiſter, et Archidiaconus Surreienſis; in Epiſcopum conſecratus Februarii nono 1672. Naturae debitum perſolvit decimo ſexto Julii 1686, et in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus jacet. Magni inter Theologos nominis, eruditione inſtructus multiplici et profunda, verecundia pari, et quae Epiſcopum decuit pietate primaeva. Vir noſtro certe praeconio major, nullius indigens, ipſe per ſe abunde notus, Commentarii in Symbolum Apoſtolicum ſcriptor.

XVI. THOMAS CARTWRIGHT.

THOMAS CARTWRIGHT à Jacobo, jam tum in Eccleſia res 1686. novas moliente, ad hanc Dioeceſin evocatus eſt, conſecratus Octo- JAC. 2. 2. bris decimo octavo 1686, eo ipſo dignus habitus, qui in Eccleſia Anglicana ad ſedem Epiſcopalem promoveretur, quod ad ipſius ornamentum aut tutelam adeo nihil afferret, ut ejus proditor et transfuga in Pontificiorum caſtra tranſire ſemper eſſet paratus. Adeoque poſtea, rerum jam potito Gulielmo, Jacobum comitatus in Hiberniam, Eccleſiae Romanae fidem publicè profitebatur, ibique vitam terminavit decimo quinto Aprilis 1689.

XVII. NICOLAUS STRATFORD.

AD Epiſcopatum, eo quo ſupra diximus modo vacantem, Septembris 1689. decimo quinto 1689 promotus eſt Nicolaus Stratford, Decanus GUL. et MAR. 1. tum Aſaphenſis; in trepidis dubiiſque rebus Eccleſiae Anglicanae vindex intrepidus. Februarii duodecimo 1706 diem clauſit extremum, in Eccleſia ſua Cathedrali ſepultus.

XVIII. GULIELMUS DAWES.

SUCCESSIT Gulielmus Dawes Baronettus, Aulae B. Catharinae Can- 1707. tabrigiae Magiſter, in Epiſcopum conſecratus octavo Februarii 1707; ANNAE 6. inde anno 1713 ad Archiepiſcopatum Eboracencem tranſlatus.

XIX. FRANCISCUS GASTRELL.

1713. Annae 13. FRANCISCUS GASTRELL, ſacrae Theologiae Doctor, Aedis Chriſti Oxon. Canonicus, in Epiſcopum conſecratus eſt quarto Aprilis 1714[b]. Vir eruditione, ſeveritate morum, conſtantia ſpectabilis obiit ineunte Novembri 1725.

XX. SAMUEL PEPLOE.

1726. Geo. I. 12. SAMUEL PEPLOE Epiſcopus Ceſtrenſis conſecratus eſt duodecimo Aprilis 1726.

---

[b] *Regiſtr. Ebor.*





CARDINALIUM
CATALOGUS,

Qui ANGLI vel fuerunt, vel fuiſſe ab Hiſtoricis noſtris perhibentur.

I. JOANNA PAPA.

AGMINIS hujuſce dux et anteſignanus, primus erit (rectius fortaſſe dixerim prima) Joanna Papa, Joanna Anglica vulgo nuncupata, Sabellico Joannes ſeptimus, Platinae et aliorum ſcriptorum pleriſque octavus appellata. Quae mulier exiſtens (ſi verum ſaltem ſit quod plurimorum hiſtoricorum conſenſu comprobatur) non ſolum Cardinalis, ſed Pontifex etiam Romanus (ô portentum) evaſit. Natam plurimi contendunt Moguntiae in Germania, quanquam non deſint qui aſſerant Angliam noſtram illi patriam fuiſſe. Ego vero magis fidem adhibeo Balaeo, qui Jacobo Curione authore tradidit, ortu ſaltem et progenie Britannam illam fuiſſe, Britannici utpote ſacerdotis filiam; qui cum uxorem duxiſſet cujus parentes et affines Moguntiae habitarent, eo profectus cum uxore gravida, propinquos illius viſendi gratia, moram ibi loci traxit, donec partu conjux levata, Papam hanc foemininam edidit in lucem, in Baptiſmo Joannam nuncupatam ut plerique tradunt, vel ut alii

Gilbertam, aut (quod Fulgoſo placet) Agnetem. Tenerioris adhuc aetatis puella, cum Monacho quodam habuit conſuetudinem Coenobii Fuldenſis; quocum multas regiones peragravit et plurimas ſcholas inſigniores tam Graecas quam Latinas inviſit, atque poſt longos errores, Athenis Atticis conſedit, ubi [vir aeſtimata] literarum ſcientia celebris permanſit quandiu vixit Monachus amaſius illius. [Illo defuncto] Romam tunc profecta; legendo publice, diſputando et aliis exercitationibus ſcholaſticis, tantam ſibi famam eruditionis comparavit, ut demortuo Leoni quarto Pontifici ſuffecta fuerit, anno ſalutis 855. Hoc munus tum dicitur adminiſtraſſe annos duo, menſes quinque, et dies tres. Cum vero interea à Cardinale quodam fuiſſet compreſſa; dum ad Lateranenſem baſilicam proficiſceretur, partus doloribus ex inopinato oborientibus, antequam domum ſe poſſet recipere, in via peperit, inter Coliſeum et eccleſiam S. Clementis, atque ibidem protinus interiit. Cujus caſus turpitudo et ignominia, ſacroſanctae ſedi tanto habetur dedecori, ut ab eo jam inde tempore Pontifices pudeat, proceſſionis pompam illac deducere. Atque ne ſimili incommodo locus in poſterum relinqueretur, inſtituta eſt ratio qua de virilitate novi Pontificis ſemper conſtaret. *Spectatur adhuc* (inquit Sabellicus) *in Pontificia domo, marmorea ſella, circa medium inanis, qua novus Pontifex continuo ab ejus creatione reſidat, ut ſedentis genitalia ab ultimo Diacono attrectentur.* Hanc narrationem (utcunque à modernis Pontificiis ut fictitia rejiciatur) aſſerunt profecto ſcriptores quorum nomimina ſubſequuntur.

Marianus Scotus, qui vixit anno 1030.
Martinus Polonus, qui vixit anno 1320.
Sigebertus Gemblacenſis, qui vixit anno 1100.
Sabellicus.
Joannes Pariſienſis.
Antoninus.
Faſciculi temporum author.
Fulgoſus.
Theodoricus à Nyem.
Raviſius Textor.
Laonicus Chalcondylas.
Fr. Petrarcha.
Jo. Boccacius.
Ranulfus Ceſtrenſis.
Joannes Lunidus.
Alph. de Cartagena.
Palmerius.
Jo. Tritemius.
Mantuanus.
Volaterranus.
Nauclerus.
Conſtantinus Phrygio.
Chriſt. Maſſaeus.
Anſelmus Rid.
Supplementi Chronicorum author.
Chronica qui ſcripſit Chronicorum.
Gotefridus Viterbienſis, et alii non pauci.

Sed omnium caeterorum inſtar erit Platina[a], qui haec *ab omnibus fere affirmata confitetur.*

* * *

II. ULRICUS[b].

ULRICUS (Malmesburienſi Odolricus) Anglus, ut habet Ciaconius, Legati Pontificii munere in Anglia perfunctus anno 1109 (ſic Malmesburienſis, Hovedenus, et Florentius Wigorn. non 1107 ut Ciaconius) pallium Archiepiſcopale ſecum detulit ad Thomam juniorem electum Eboracenſem, et author illi fuit, ut Turgotum Priorem Dunelmenſem in Epiſcopum conſecraret S. Andreae in Scotia.

---

[a] In vita Joannis VIII. p. 120. Ed. Colon. 1574.

[b] *Hoved.* ULRIUS, *Florent.*

III. ROBERTUS POLLEN.

PROXIMUS jam ordine ſequitur Robertus Pollen[c], Anglus haud dubie, tam patria quam genere, appellatus etiam Pulley, Pulcy, et nonnunquam Bullen, de quo ex Lelando, Boſtono Burienſi et aliis haec ſcripſit Balaeus[d]. « Robertus Pollenus, alias Pully, vir in omni literarum « genere inſtructiſſimus, eruditione eximia et rerum divinarum ſcientia « plurimum per hoc tempus valebat, ac labaſcentibus ſuccurrebat ſtudiis. « Hic, cum multis nominibus perpetuam gloriam, tum hoc praecipue « meritus eſt, quod ſubverſis olim ab Haraldo primo ejus appellationis « Anglorum Rege, Oxonienſis gymnaſii ſcholis Herculeam tunc adhi- « buit manum. Porro ut ſuorum comprovincialium patrocinaretur in- « ſcitiae, poſt reditum è Pariſiis, ex omni regni parte ſtudioſos illuc ad- « vocabat; omnis generis doctrinas propoſuit, et optimarum artium « diſciplinas gratis tradidit. Legit praeterea, perſuaſit, pellexit, docuit, « expoſuit, et omnia humanitatis officia ſcientiis promovendis praeſtitit. « Dumque haec ageret, pro reſtaurandis illic bonis literis, multa dictabat « ipſe ac multa ſcripſit. His modis ita late hominis undecunque docti « fama divulgata eſt, ut à Pontifice Romam vocatus, eo annuente Car- « dinalis atque Cancellarius Romanae eccleſiae deſignatus ſit." Hactenus Balaeus. Ab Innocentio certe ſecundo accerſitus[e], à Coeleſtino ſucceſſore Cardinalis creatus eſt tt. S. Euſebii anno 1144, et per Lucium ſecundum Cancellarius (ut ante dictum eſt) poſtea conſtitutus. Deceſſit circa annum Domini 1150.

IV. HADRIANUS 4 PAPA.

DE Hadriano quarto Papa, qui ante Pontificatum Nicolaus Breakſpeare, quaſi dicas haſtifragus appellatus, et Langleiae in comitatu Hartfordenſi prope S. Albanum natus eſt (utcunque aedes quae antiqua feruntur Breakſpearorum ſedes, in comitatu Middleſexiae ſitae cernantur) haec tradidit Gul. Neubrigenſis[f]. « Is natione Anglicus, patrem habuit « clericum quendam (nomine Robertum Breakſpeare) non multae facul- « tatis, qui relicto cum ſeculo filio impubere, apud S. Albanum factus « eſt Monachus. Ille vero adoleſcentiam ingreſſus, cum propter inopiam « ſcholis vacare non poſſet, idem monaſterium quotidianae ſtipis gratia « frequentabat. Unde pater erubuit, verbiſque mordacibus ſocordiam ejus « increpitans, omni ſolatio deſtitutum cum gravi indignatione abegit. « Ille vero ſibi relictus, et forti neceſſitate aliquid audere coactus; Gal- « licanas adiit regiones, ingenuè erubeſcens in Anglia vel fodere vel

---

[c] Epiſcopalem honorem ab Henrico Rege oblatum reſpuit, victu et veſtitu contentus. *Dunelm.* f. 275.

[d] Cent. 2. p. 192.

[e] Ab Innocentio creatus A. 1130, vel 1133. *Ciacon. Vit. Pont.* T. 1. Coll. 986. A Lucio poſtea Cancellarius Sedis Apoſtolicae creatus. *Ib.*

[f] Lib. 2. c. 6.

“ mendicare. Cumque in Francia minus proſperaretur, ad remotiora
“ progrediens, trans Rhodanum peregrinatus eſt, in regione quae Provincia
“ dicitur. Eſt autem in illa regione monaſterium nobile clericorum
“ Regularium quod dicitur ſancti Rufi: Ad quem locum ille veniens,
“ et ſubſiſtendi occaſionem ibidem inveniens; quibus potuit obſequiis
“ iiſdem ſe fratribus commendare curavit. Et quoniam erat corpore elegans,
“ vultu jocundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger; placuit
“ omnibus, rogatuſque Canonici ordinis ſuſcipere habitum, annis plurimis
“ ibidem reſedit, regularis inprimis diſciplinae aemulator. Cumque
“ eſſet acris ingenii et linguae expeditae, frequenti et ſtudioſa lectione ad
“ ſcientiam atque eloquentiam multum profecit. Unde factum eſt, ut
“ Abbate defuncto, fratres eum concorditer atque ſolenniter in patrem
“ eligerent. Quibus cum aliquandiu praefuiſſet; poenitentia ducti atque
“ indignati, quod hominem peregrinum levaſſent ſuper capita ſua; facti
“ ſunt ei de caetero infidi atque infeſti. Odiis itaque paulatim crudeſcentibus,
“ ut jam graviter aſpicerent in quo ſibi paulo ante bene complacuerat:
“ Tandem confictis et propoſitis contra eum capitulis, ad ſedem
“ eum Apoſtolicam provocarunt. Piae autem memoriae Eugenius, qui
“ tunc arcem Pontificii tenebat, cum rebellium filiorum contra patrem
“ querelas audiſſet, et ejus pro ſe allegantis prudentiam, modeſtiamque
“ animadverteret; paci inter eos reformandae efficacem operam dedit,
“ multumque imperans, et ſaepius inculcans utrique parti ut partes eſſe
“ deſinerent, et unitatem ſpiritus in vinculo pacis ſervarent; reconciliatos
“ ad propria remiſit. At non diu quievit neſcia quietis malitia, grandiuſque
“ intonuit rediviva tempeſtas. Interpellatus eſt iterum idem venerabilis
“ Pontifex, cujus jam aures fratrum illorum querelis et ſuſurris
“ tinniebant. Utrique ergo parti pie et prudenter proſpiciens: *Scio* (inquit)
“ *fratres, ubi ſedes ſit Satanae*; *Scio quid in vobis ſuſcitet procellam*
“ *iſtam. Ite, eligite vobis patrem, cum quo pacem habere poſſitis, vel potius*
“ *velitis: Iſte enim non erit vobis ulterius oneri.* Itaque dimiſſis fratribus,
“ Abbatem in beati Petri obſequio retinens, Albanenſem ordinavit Epiſcopum;
“ ac non multo poſt ſumptis induſtriae ejus experimentis, ad
“ gentes ferociſſimas Dacorum et Norrenſium cum plenitudine poteſtatis
“ direxit Legatum. Quo ille officio in barbaris nationibus per annos aliquot
“ ſapienter et ſtrenuè adminiſtrato; Romam cum ſalute et gaudio
“ remeavit, ſuſceptuſque à ſummo Pontifice et Cardinalibus cum honore
“ et gloria. Evolutis diebus non multis, Anaſtaſio (qui Eugenio ſucceſſerat)
“ decedente, omnium in eum votis concurrentibus, Romanae urbis
“ Pontificatum ſuſcepit, factus ex Nicolao Adrianus. Qui nimirum ſuorum
“ non immemor rudimentorum ob paternam maximè memoriam,
“ beati martyris Albani eccleſiam et donariis honoravit, et perpetuis inſignivit
“ privilegiis.” Hactenus Neubrigenſis, qui privilegia quaenam illa fuerint non expoſuit. Inter caetera, hoc ſilentio mihi non eſt praetermittendum, quod Abbati Albanenſis Coenobii indulſit (verbis utar ipſius privilegii) *ut ſicut beatus Albanus Anglorum Protomartyr eſſe dignoſcitur; ita Abbas Monaſterii ipſius inter Abbates Angliae primus omni tempore dignitatis ordine habeatur.* Caetera jam quae ad hunc Pontificem pertinent operae pretium opinor haud erit explicare. Quomodo Norwegos fidem Chriſtianam primus docuerit, (quod nimis leviter pertranſiit Neubrigenſis) cives Romanos ad priſcam libertatem anhelantes repreſſerit; Et

[Imperatorem] Fredericum (quocum illi poſtea magna certamina) ſtapedem de equo deſcendenti tenere illi permiſerit; ne longus ſim nimis, lectorem rogo ut ab hiſtoricis petat qui haec omnia prolixe ſatis ſunt perſequuti. Cardinalis creatus eſt anno 1146[g], in Pontificem electus menſe Decembri 1154, et diem clauſit extremum primo Septembris 1159 Anagniae[h], mortis genere inaudito ſublatus, muſca nimirum in os involante ſpiritu praecluſo (ut plurimi tradidere) quamvis Ciaconio placet angina extinctum. Sepultus eſt in eccleſia ſancti Petri juxta Eugenium patronum ſuum.

◆◆◆

V. GALFRIDUS MONUMETHENSIS.

QUAM parum probabiliter à Ciaconio traditum ſit, Galfridum Monumethenſem Epiſcopum Aſaphenſem, Cardinalem extitiſſe, in vita ejuſdem inter Aſaphenſes Antiſtites diſſeruimus, ad quem locum lectorem remitto.

* * *

VI. BOSO.

BOSO, natione Anglus (ſicut Balaeus tradidit) necnon (ut habet alius[i]) Hadriani Papae nepos, Cardinalis renunciatus eſt menſe Decembri 1155, et Pontificis Camerarius. Titulos habuit primum SS. Coſmae et Damiani, tum S. Crucis in Jeruſalem, mox S. Pudentianae, ac tandem denique Paſtoris. Illius praecipuè opera Alexander tertius Cardinalium novendecim ſuffragiis Pontifex eſt declaratus. A quatuor tamen diſſidentibus Octavianus quidam Papa etiam conſtitutus, Victoris quarti nomen aſſumpſit. Sed ab Imperatore tantum et Germanis ſuis pro Pontifice legitimo agnitus eſt. Sub Alexandro igitur, magno in honore vivens Boſo, fato tandem functus eſt circa annum ſalutis 1180[k].

* * *

VII. HENRICUS BLESENSIS.

AUTHOR libelli cui titulus Antiquitates Britannicae (qui reverendiſſimo patri aſcribitur Matthaeo Cantuarienſis, me puero, Archiepiſcopo) ſcriptum reliquit, Gulielmo Corbello, ex anteceſſoribus ſuis uno, defuncto, Henricum Bleſenſem Wintonienſem Epiſcopum et Stephani tum regnantis fratrem, Cardinalem creatum. Cujus rei mentionem alibi nuſquam reperi. Legatina certe poteſtate circa id temporis honeſtatum, teſtatiſſimum eſt. De illo ſupra inter Wintonienſes plura.

---

[g] *Ciacon.* T. 1. col. 1044. [h] *Id.* Col. 1061. [i] *Ciacon.* Col. 1065. [k] 1181. *Id.* ib.

VIII. HEREBERTUS DE BOSHAM[l].

HEREBERTUS, de Boſham cognominatus, quod Boſhamiae in comitatu Suſſexiae natus ſit, Academiae Oxonienſis alumnus (ubi Theologiae Doctorem creatum tradunt) Becketti Cantuarienſis Archiepiſcopi fuit amanuenſis, ac neci ejus interfuit, qua de re [praeter] alia ejus opuſcula à Balaeo recenſita, hiſtoriam ſcripſit. Per Alexandrum tertium Beneventanus Archiepiſcopus renunciatus eſt, et menſe Decembri 1178 in Cardinalium album aſcriptus[m]. Ubi, aut quo tempore obierit, non comperi.

IX. JOANNES CUMMIN.

“ JOANNES, agnomine Cuminus, vir Anglicus natione, et in Anglia “ apud Eveſham à Clero Dublinenſi, regia procurante induſtria, con“ ſone ſatis et concorditer electus in Archiepiſcopum ejuſdem eccleſiae, “ et à Romano Pontifice Lucio apud Velletrium Presbyter Cardinalis “ ordinatus, ac conſecratus eſt annò 1183. Literatae vir eloquentiae, qui “ juſtitiae zelo, debitoque adeptae dignitatis officio, eccleſiae Hibernicae “ ſtatum egregiè ſublimaſſet, niſi ſemper gladius gladio, ſacerdotium “ regno, virtus invidia reprimeretur.” Sic Giraldus, eo ipſo tempore vivens; utcunque Ciaconius illius nullam faciat mentionem, imò nec alius quiſquam quod ſciam, ut Cardinalis ſaltem. Haud temere invenies (quantum auguror) aliquem Pontificum ante hunc Lucium, cardinalitiam dignitatem contuliſſe homini, quem conſtaret tam procul à ſede Romana vitam traducturum. Eccleſiam S. Patricii Dublini hic conſtruxit, in qua ſepultus eſt anno 1212.

X. STEPHANUS LANCTON.

STEPHANUS LANCTONUS, in Archiepiſcopum Cantuarienſem poſtea conſecratus, Cardinalis creatus eſt tt. S. Chryſogoni Dec. 15. 1212. De quo plura inter Cantuarienſes[n].

XI. ROBERTUS CURSON.

SUB id ipſum tempus, aut aliquanto fortaſſe maturius[o], (Onuphrius deſignat annum 1211) Robertus Curſon Cardinalis creatus eſt tt. S. Stephani in Coelio monte; de quo haec ſcripta reliquit Balaeus[p]. “ Ro“ bertus Curſon ex nobili quodam Anglorum ortus genere, diſciplinis

---

[l] *Vir ingenio acutus, eloquio facundus, Poëta elegans, Rhetor diſertus, Philoſophus ſubtilis, divini humanique Juris conſultiſſimus. Ciacon.* T. 1. Col. 1094.

[m] Cardinalis eſt creatus ab Alexandro tertio, Archiepiſcopus vero Beneventanus à Lucio tertio *Id. ib.*

[n] P. 86, &c.

[o] Eodem tempore quo Stephanus Lanctonus. *Ciacon.* T. 2. Col. 37.

[p] Cent. 3. p. 267.

“ tum prophanis tum ſacris ſtudioſus incubuit, idque (quantum ex con-
“ jecturis colligo) in celebratiſſima Oxonii Academia. Praeſtantiſſimis
“ illic inſtitutoribus uſus, ex ſumma circa ingenuas artes induſtria, et
“ aſſiduo literarum labore, famam ſibi inter ſuos celeberrimam compara-
“ vit. Ampliora deinde meditatus, Pariſiorum Lutetiam atque Romam
“ ipſam petiit; illic Theologus Doctor, hic vero Cardinalis effectus. Unde
“ uterque Matthaeus, Pariſius ac Weſtmonaſterius, hoc de ipſo teſtimo-
“ nium adferunt, Anno Domini 1218, (inquiunt) in captione Damiatae
“ Aegypti urbis, ſub Joanne Brenno Hieroſolymorum Rege, fuit cum
“ Pelagio Albanenſi, Magiſter Robertus de Curſon Anglus, clericus cele-
“ berrimus, genere nobilis, ac Romanae eccleſiae Cardinalis &c.” Deinde
quae ſcripſerit opuſcula enarrat. Poſt reditum, ſub Honorio tertio venit
huc in Angliam Legatus. De tempore mortis ejus nihil comperi[q].

XII. ROBERTUS SOMERCOT.

ROBERTUS SOMERCOT Anglus, Cardinalis creatus eſt (ut habet Onuphrius) menſe Decembri[r] 1234; Ciaconius mentionem ejus bis facit; ſemel tanquam ad hoc honoris fuerit evectus per Honorium tertium anno 1216; ac deinde poſtea, quaſi ad titulum praedictum fuiſſet ordinatus menſe Septembri 1231 ſub Gregorio nono. Sed Robertum appellat Ummarcot. *Vir fuit* (inquit Pariſienſis[s]) *diſcretus et circumſpectus, omnibus amabilis merito et gratioſus.* Unde defuncto Gregorio praedicto, omnium Cardinalium digniſſimus exiſtimatus eſt qui illi in Pontificatu ſuccederet: Et ſucceſſiſſet ſine dubio, niſi ex tam ſacroſancto coetu nonnulli, invidia tacti, et nullo modo patiendum rati, ut Petri cathedram aliquis conſcenderet, niſi generis Italici; veneno ipſum tollendum curaſſent in ipſo conclavi, ubi electio erat celebranda. Sic Thomas Eccleſtonus in hiſtoria ſua de adventu fratrum Minorum in hoc regnum, necnon et alii. Ita ut praefertur extinctus interiit anno 1241[t].

XIII. JOANNES.

DE Cardinali quodam Anglo Joanne (quem Ciaconius vocare videtur Joannem Franciogiam, et natione Burgundum, ad titulum dicit ordinatum S. Laurentii in Lucina, deinde Epiſcopum Cardinalem Portuenſem evaſiſſe) haec habet Matt. Pariſienſis[u], in narratione anni 1246. “ Saevientibus eodem tempore maris mundi turbinibus; cum au-
“ diſſet Papa quod D. Rex Angliae parabatur animoſe exactionibus ſuis
“ contradicendo reſiſtere, quia nec advenerant nuncii qui effoeminatam
“ formidinem ſuam et incurvationem ipſius nunciarent: In iram mag-
“ nam excanduit vehementer, et regnum Angliae ulciſcendo ſupponere
“ propoſuit interdicto. Cui talia infrunito ſpiritu proponenti, ſe M. Joan-
“ nes natione Anglicus, Monachus Ciſtercienſis ordinis et Cardinalis,

---

[q] Obiit in Suburbio Damiatae anno 1218. *Ciac.* T. 2. Col. 38.

[r] Septembri. *Id.* Col. 86.

[s] P. 511.

[t] Sepultus in Aede S. Chryſogoni, ad cujus tumulum hoc extat Epitaphium. HIC REQUIESCIT IN DOMINO ROBERTUS GRATAE MEMORIAE S. EUSTACHII DIACONUS CARD. NATIONE ANGLUS, QUI OBIIT VI KAL. OCTOB. A. D. INCARN. MCCXLI.

[u] P. 624.

“ oppoſuit dicens: *Domine, pro Deo parcatis irae veſtrae* (*ſi dicere licet*) *indiſcretae, fraenoque temperantiae motus voluntarios compeſcatis, conſiderantes, quoniam dies mali ſunt. Terra ſancta patet diſcrimini; Graeca eccleſia receſſit à nobis; adverſatur nobis Fredericus, quo non eſt potentior, imo nec par inter Principes Chriſtianorum. Vos et nos, qui culmen ſumus eccleſiae, à ſede Papali, imo ab ipſa urbe, imo ab Italia exulamus expulſi. Hungaria cum ſuis terris ſibi conterminis, nihil aliud niſi à Tartaris expectat exterminium. Alemannia ſuis bellis concutitur inteſtinis. Hiſpania uſque ad abſciſionem Epiſcopalium linguarum deſaevit. Francia uſque ad egeſtatem per nos jam depauperatur, quae etiam in nos conſpiravit. Anglia noſtris injuriis multoties laeſa, quaſi aſina Balaam, calcaribus et fuſtibus caeſa, tandem loquitur et obloquitur, et ſe nimis et intolerabiliter conqueritur fatigatam, et irreſtaurabiliter damnificatam. Iſmaëlitico igitur more, omnibus odioſi, omnes ad odium provocamus.* Cum nec ad haec verba mens Papalis contrita, ad compaſſionem vel humilitatem inclinaretur, quin ad poenam et ultionem inflammaretur: Advenerunt nuncii ab Anglia, animum Papalem emolumentis inhiantem mitigantes, et affirmantes, quod per amicos ſuos ſpecialiſſimos in Anglia (quos non licet mihi haec ſcribenti ad praeſens nominare) incurvatus eſt animus Regis, ut quod optat effectui celeriter mancipetur, unde gaudium vultum et animum ejus mirifice ſerenavit.” Joannes iſte quomodocunque cognominatus, dum Lugduni Concilio intereſſet, vitam cum morte commutavit anno 1274.

XIV. ANCHERUS.

ANCHERUS, Archidiaconus Londinenſis, (in qua civitate natum affirmat Balaeus[x]) Cardinalis creatus eſt tt. S. Praxedis menſe Decembri 1261[y]. Ciaconius et Onuphrius Gallum extitiſſe tradunt et Urbani quarti Pontificis nepotem, atqui Archidiaconum non Londinenſem ſed Laudunenſem. Deceſſit Romae primo Novembris 1286, et ad titulum ſuum eſt tumulatus, marmoreo conditus ſepulchro.

XV. GULIELMUS BRAY.

GULIELMUS BRAY, ſacrae Theologiae Doctor Anglus, cui cum antedicto Anchero jam inde ab adoleſcentia magna interceſſerat familiaritas, (ut Balaeus[z] tradidit) ex Archidiacono Rhemenſi Cardinalis creatus eſt ab Urbano praedicto tt. S. Marci anno 1262. Ad urbem veterem deceſſit viceſimo nono Aprilis 1282, vacante ſede Pontificia, et ibidem jacet ſepultus in Coenobio Praedicatorum, tumulo quoque marmoreo conditus. Ciaconius et Onuphrius hunc etiam Gallum extitiſſe volunt.

---

[x] Ita quidem *Balaeus* Cent. 13. p. 154. Archidiaconum verò fuiſſe Londinenſem non conſtat.

[y] *Ciacon.* T. 2. Col. 159.

[z] Cent. 13. p. 154.

XVI. ROBERTUS KILWARDBY.

ROBERTUS KILWARDBY Archiepiſcopus Cantuarienſis praeſulatu ſe abdicavit, Cardinalis creandus et Epiſcopus Portuenſis anno 1278; qua de re vide plura in vita ejus à me ſupra expoſita [a].

XVII. HUGO DE EVESHAM.

HUGO DE EVESHAM, Medicus ſui temporis excellentiſſimus et per totum orbem Chriſtianum celeberrimus (quem, neſcio quam ob cauſam, Ciaconius Atratum cognominat) necnon artium Mathematicarum (ac praecipue Aſtrologiae) egregiè peritus, à Martino quarto Romam accerſitus eſt, ut eum de rebus quibuſdam medicis conſuleret. Qua in re cum admodum placuiſſet; ab eodem poſtea, nimirum Martii viceſimo tertio 1280 Cardinalis creatus eſt tt. S. Laurentii in Lucina. Sicut Robertus Somercot antea memoratus, poſt mortem ejuſdem Martini, quando de novo Pontifice ſubſtituendo agitatum eſt, veneno eſt ſublatus [b] anno 1287, ut Balaeus tradidit. Ciaconius [c] dicit peſte eum interiiſſe. In titulo ſuo, marmoreo tumulo jacet conditus elegantiſſimo, qui hodie extat prope Sacriſtiam, ſed ſine ulla inſcriptione.

XVIII. THEOBALDUS.

BALAEUS author eſt, Theobaldum quendam, patria Anglicum, quem credit Stampenſem cognominatum, Presbyterum Cardinalem tt. S. Sabinae in Aventino à Nicolao quarto Papa creatum, et anno 1289 defunctum. Cujus rei alibi nuſquam reperi mentionem.

XIX. BERNARDUS DE ANGUISCELLO.

IN catalogo Cardinalium Anglicorum ab authore Antiquitatum Britannicarum contexto, mentio fit Bernardi cujuſdam de Anguiſcello Angli, qui ex Archiepiſcopo Rhemenſi, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis dicitur creatus anno 1281, et anno defunctus 1290. Videtur Gallus extitiſſe et non Anglus, quod Ciaconius affirmat.

XX. BERARDUS.

TRADITUR porro in eodem Catalogo Berardum quendam Anglum, Epiſcopum Cardinalem Praeneſtinum conſtitutum in vigilia Pentecoſtes 1288 [d]. Et Anglum ſane extitiſſe, mihi videtur eo probabilius, quod Ciaconius (qui Gallum vocat) Canonicum fuiſſe Eboracenſem tradidit. Deceſſit menſe Junio 1291.

---

[a] P. 97.

[b] 27 Jul. 1287.

[c] Tom. 2. Col. 239.

[d] *Ciacon.* T. 2. Col. 266.

XXI. ARNOLDUS DE CANTILUPO.

IN regiſtro Radulphi Baldock (ubi Catalogus habetur Decanorum eccleſiae ſuae Paulinae) Arnoldus [e] de Cantilupo unus è Decanis antedictis, Presbyter Cardinalis aſſeritur creatus anno 1306 [f].

XXII. LEONARDUS GUERCINUS.

IN praefato Cardinalium Anglicorum catalogo habetur etiam quidam Leonardus Guercinus. Meminit certe illius Onuphrius, ſed Gallum fuiſſe dicit, et Presbyterum Cardinalem à Clemente quinto ordinatum anno 1310. Ciaconius, Leonardum Patraſſum de Guercino appellat, et per Bonifacium octavum, quem dicit avunculum ejus extitiſſe, Epiſcopum Cardinalem Albanum aſſerit conſtitutum, menſe Martio 1300. Galliam porro patriam habuiſſe; et unum fuiſſe ex quatuor Legatis quibus facultas data, ut Henrico ſeptimo Imperatori coronationis ſolennia impenderent: Ex Germania vero hunc in patriam revertentem in via defunctum quinto Decembris 1311.

XXIII. GULIELMUS MAKLESFEILD.

BENEDICTUS undecimus Papa qui ex ſocietate prodierat fratrum Praedicatorum, et ejuſdem ordinis fuerat Generalis; veteris amicitiae memor, inter ſe et Gulielmum Maklesfeild ante annos plurimos contractae; eundem Gulielmum ſacrae Theologiae Lutetiae Baccalaureum, Oxoniae vero Doctorem creatum et fratrem (prout ipſe) praedicatorem, Cardinalem [Presbyterum] renunciavit tt. S. Sabinae menſe Decembri [g] 1303, cum jam quatuor menſes in ſepulchro is jacuiſſet [h]. Galerus tamen Cardinalitius, Londinum, ubi fuerat humatus, deportatus eſt, et magna cum ſolennitate ſuper tumulum ejus collocatus. Natus hic fertur in civitate Coventrenſi.

XXIV. WALTERUS WINTERBORN.

DE obitu Maklesfeldii ſimul ac nunciatum eſt, Pontifici antedicto viſum ei continuo ſubſtituere, atque ad eundem titulum ordinare, Walterum Winterburn, Sariſburiae natum, fratrem (ſicut alter ille) Praedicatorem, Doctorem Theologum, ordinis ſui Provincialem, et Regis

---

[e] In Catalogo Decanorum Eccl. Paulinae *Alanum* vocat Godwinus. ——— W. de Cantilupo Tit. S. Marcelli Preſb. Cardina. 1 E. 2. 1307. *Rym. Foed.* T. 3. p. 29.

[f] 15 Dec. 1305. *Ciacon.* T. 2. Col. 373.

[g] Decimo octavo Decembris. *Id.* 353.

[h] Incertum an obierit ante creationem, vel poſt habitum nuntium de creatione. *Id. ib.*

Edwardi primi Confeſſorem. Clementis quinti Pontificis electioni interfuit: Et vix quindecim menſes hoc potitus honore, octogenarius deceſſit anno[i] 1305; Londini tumulatus[k]. Homo (ut ea ferebant tempora) eruditione praeditus ſingulari, quod ſatis teſtantur monumenta in ſcriptis ab eo relicta.

XXV. THOMAS JOYCE[l].

FRATRUM Praedicatorum Provincialis in Anglia proximus, Thomas Joyce[m], ſacrae Theologiae Doctor Oxonienſis, Winterburno uſquequaque ſucceſſit. Nam ut ſocietatis ſuae poſt illum fuit Provincialis, ſic etiam Regius Confeſſor, ac tandem ejuſdem tituli S. Sabinae Cardinalis, creatus nimirum menſe Decembri 1305. Septem annos Provincialem fuiſſe tradit Ciaconius, in hoc ut videtur lapſus[n], cum id muneris Winterbornus non reliquerit ante ſuſceptum honorem Cardinalitium, anno videlicet 1303[o]. Anno vero 1311 Legatione functus apud Henricum ſeptimum Imperatorem, dum revertitur, in Sabaudia morbo lethali correptus, vitam ibidem terminavit[p]. Corpus tamen Oxoniam deportatum, in Coenobio Praedicatorum, ſicut ipſe mandaverat, humatum eſt. Huic ſex erant fratres uterini, qui omnes habitum ſumpſerunt praedicatorum, et quorum unus nomine Walterus, Archiepiſcopus evaſit Armachanus. Opera ab hoc Cardinali conſcripta Balaeus ſatis diligenter recenſuit.

XXVI. SERTORIUS WALLENSIS.

SERTORIUS, quod è Wallia fuerit oriundus, Wallenſis vulgò cognominatus, nonnunquam etiam (cujus rei rationem non capio) Fontanerius Vaſallus appellatus, Franciſcanorum ſodalitio ſe juvenis adjunxit, cujus Miniſter Generalis electus eſt decimus nonus anno 1339. Epiſcopus poſtea Maſſilienſis creatus, mox Archiepiſcopus Ravennae, ac tandem Gradenſis Patriarcha; ab Innocentio ſexto Avenione in Cardinalium album aſcriptus eſt decimo ſeptimo Septembris 1361. Sed Maklesfeldii uſus fortuna, ante ſuſceptum pileum in Italia mortem obiit, nimirum ante ejuſdem Septembris exitum. Scripſit non pauca, inter quae praecipue memorantur, Commentarius in Auguſtinum de civitate Dei, Quodlibeta diſputata, et Lecturae.

XXVII. URBANUS 5 PAPA.

URBANUS quintus, ante Papatum Gulielmus Griſant nominatus, fuit (ſi Walſinghamo[q] credendum) Anglus. Sic enim ille ſcriptum reliquit. “ Obiit hoc anno 1362 menſe Auguſti PP. Innocentius ſextus, “ cui ſucceſſit D. Gulielmus Abbas ordinis S. Benedicti Marſiliat. patria[r] “ Anglicus, doctor egregius et Auditor in curia, et 2 Kal. Novembris “ conſecratur et vocatur Urbanus quintus. Hic cum longum tempus in “ curia tranſegiſſet, et nullum à PP. gradum accepiſſet; cuidam amico “ ſuo conqueſtus eſt dicens; *Puto veraciter (ô amice) etſi omnes eccleſiae* “ *mundi caderent, nulla caderet ſuper caput meum.* Cum coronatus fu- “ iſſet, accedens ad illum dictus amicus ſuus, ait: *Dudum conqueſti eſtis* “ *pater beatiſſime dicens, Etſi omnes eccleſiae mundi caderent, nulla caderet* “ *ſuper caput veſtrum. Ecce quomodo Deus diſpoſuit in hac parte: Omnes* “ *ſiquidem eccleſiae mundi modo ſuper caput veſtrum pariter ceciderunt.*” Platina, Ciaconius, et ſcriptorum reliqui, Gallum hunc fuiſſe contendunt, et hominis cujuſdam militaris filium qui Gundardus ſit appellatus. Ego vero harum ſententiarum neutri fidem adhibens, id verum eſſe habeo perſuaſum quod tradidit ex Boſtono Burienſi Balaeus; qui nimirum Boſtonus illis ipſis vixit temporibus. Hii igitur authores ſunt, natum quidem in Gallia Urbanum, ſed Anglo patre prognatum, Gulielmo Griſant medico celeberrimo, Mertonenſis Collegii in Academia Oxonienſi alumno. Urbanus iſte, ſeu *Gallus* ſeu *Anglus* Decembris decimo nono deceſſit 1370.

---

[i] Menſe Septembri. *Id.* Col. 354. Primo die. *Leland. de Script.* p. 312.

[k] Apud Januam. *Nic. Trivett.* ad A. 1305.

[l] JORZ. *Rymer.*

[m] Genere nobilis. *Ciacon. ib.* Col. 374.

[n] Si hoc uſque ad mortem non fungitur munere.

[o] Anno 1306 Jun. 14. graves componit lites inter Academicos Cantabrigienſes et Fratres Praedicatores cum Fratribus Minoribus, Burdegale factum, ubi utriuſque partis procuratores aderant, Romam in appellatione profecturi.

[p] Deceſſit 13 Dec. 1310; decimo enim quinto Februarii ejuſdem anni Rex Angliae Papam reſcribit ut Joannem de Lenham ad dignitatem Cardinalitiam promoveat, loco Thomae Joyce defuncti. *Rym. Fœd.* T. 3. p. 249.

[q] P. 172.

XXVIII. GRIMOALDUS DE GRISANT.

OMNIUM quos creavit Cardinales dictus Urbanus, primus fuit, quem Ciaconius et reliqui quos ille ſequutus eſt, (in nominum recitatione ſaepenumero admodum ridiculi) vocant fratrem Anglicum Grimaldi de Griſato, quem natione Anglum fuiſſe noſtri contendunt. Caeterum Papae antedicti ex fratre nepotem extitiſſe in confeſſo eſt. Quare dubitandum non eſt vero nomine Grimoaldum de Griſant appellandum, et Anglicum dictum, ſi non ob patriam, ſaltem propterea quod vel patre vel avo Anglico fuerit prognatus. Sicut Hadrianus quartus S. Rufi prope Valentiam primum fuit Canonicus, tum Cardinalis à patruo creatus menſe Septembri 1366, tt. S. Petri ad vincula, poſtea vero Epiſcopus Cardinalis Albanus declaratus, adminiſtratione ſibi interea permiſſa Decanatus Eboracenſis, et Praebendae de Sutton in eccleſia Wellenſi. Deceſſit Avenione Aprilis decimo ſexto[s] 1387.

XXIX. JOANNES THORISBY.

JOANNES THORISBY Archiepiſcopus Eboracenſis (ſicuti Balaeus tradidit) Cardinalis Romanus hiis temporibus creatus eſt; quod verum fuiſſe non diffido, quanquam neque Ciaconius, neque Onuphrius ejuſce rei mentionem ullam fecerint. De illo vide plura apud Eboracenſes Archiepiſcopos[t].

---

[r] Patre fortaſſe Anglicus.

[s] Decimo octavo. *Ciacon.* T. 2. Col. 562.

[t] P. 687, Not. k.

XXX. SIMON LANGHAM.

SIMON LANGHAM Cantuarienſis Archiepiſcopus per Urbanum antedictum Presbyter Cardinalis creatus eſt[u] menſe Septembris 1368, et poſtea in Epiſcopum Cardinalem Praeneſtinum promotus à Gregorio undecimo. De quo ſupra plura inter Cantuarienſes[x].

XXXI. ADAMUS EASTON.

ADAMUS EASTON, loco infimo natus, idque (ut videtur) in Comitatu Herefordenſi, Doctor fuit Theologus Oxonienſis[y], et multa ſcripſit, utpote vir egregie eruditus, ſapiens, in rebus gerendis dexteritatis eximiae, et linguae tam Graecae quam Hebraeae (quod in illo aevo mireris) apprime peritus. Quapropter, ob dotes animi ſingulares et merita ſua, ſine ullo gratiae reſpectu, Cardinalis creatus eſt tt. S. Caeciliae; ſed per quem, ambiguum: Per Urbanum[z] ut plurimi volunt anno Pontificatus primo; vel (ut alii, quod probabilius exiſtimo) à Gregorio undecimo. Quandocunque id fuerit, certum eſt, Antipapa contra Urbanum excitato (qui nomen aſſumpſit Clementis ſeptimi) à Cardinalium plurimis deſertum Urbanum, et de fide caeterorum dubium, ac eos praecipue metuentem quorum virtutes maxime eminebant; ſeptem ex illis Januarii 2. 1385 comprehendiſſe[a], et dum Nuceria Genuam per mare defertur, quinque ex illis ſaccis involutos, immanitate pluſquam barbara in mare praecipitatos demerſiſſe. Duorum qui ſervati ſunt, unus fuit hic noſter Adamus, qui crudeliſſimè tortus, et dignitatibus omnibus eccleſiaſticis exutus, in carcere foediſſimo jamdiu detentus, poſt exauthorationem cuidam camerae Pontificiae clerico cuſtodiendus traditus eſt. Urbano vero mortuo, poſtquam in ſumma inopia quinque annos traduxiſſet, Bonifacius nonus cunctis eum honoribus reſtituit[b], et literis ad Regem Richardum ſecundum perſcriptis (quae coram regni ordinibus in parliamento, tum forte congregatis, recitatae ſunt) teſtatus eſt, Urbanum nunquam ſacerdotiis eum ſuis privaſſe, ſed eorundem jus et poſſeſſionem illi ſemper integra conſervaſſe. Deinde magnis eum laudibus efferens, inter caetera *magnum regni zelatorem* vocavit, anno nimirum 1390. Fortuna jam poſtea uſus ſecundiſſima, ſeptem annos vixit, et decimo nono Septembris 1397 decedens, in eccleſia tituli ſui ſepultus eſt, ubi monumentum habet marmoreum, effigie et inſignibus ſuis ornatum, hoc epitaphio ſatis barbaro inſcriptum:

---

[u] Titulo S. Sixti Preſbyteri Cardinalis. *Regiſtr. Hatfeild.* Dunelm.

[x] P. 115.

[y] Decanus Eboracenſis Papali Proviſione 1381. Rector Eccleſ. de Somerſham, privatus 1386.

[z] Ciaconius eum vocat Epiſcopum *Londinenſem* (Ughellius *Herefordenſem*) et recenſet uti creatum in prima creatione 1378, ſed in utroque erratum eſt. *Adam* adhuc 1379. 9 Martii erat Monachus S. Benedicti, et interrogatus depoſuit quae noverat de geſtis tempore electionis Urbani ſexti. Et in inveſtitura Regni Siciliae, quam primo Junii 1381 Urbanus Carolo conceſſit, et cui Cardinales ſubſcripſerunt, *Adam* non ſubſcripſit; ſed una cum aliis, qui non erant Cardinales, recenſetur ut teſtis, et vocatur *Adam* de Anglia. *MS. Anſtis.*

[a] In caſtro Civitatis Luceriae carceri mancipatur, à quo tandem ad preces Regis Angliae, dignitate Cardinalatus exutus, liberatur.

[b] Decimo octavo Decembris 1389. Et anno 1392 permutat Canonicatum de Sarum et Praebendam de Yatemenſtre pro Rectoria de Hecham Norwic. Dioeceſ. *Regiſtr. Norv.* et *Elien.*

“ Artibus iſte pater famoſus in omnibus Adam,
“ Theologus ſummus, Cardiquenalis erat.
“ Anglia cui patriam, titulum dedit iſta Beatae
“ Ceciliaeque morſque ſuprema polum[c].

Volumina reliquit à ſe conſcripta pluſquam viginti, quorum pars maxima, vel Hebraea lingua exarata ſunt; vel tranſlationes fuerunt alienorum operum ex Hebraea in Latinam linguam; vel ſaltem de lingua Hebraea conſcripta ſunt. Inter caetera vero, ſi taceam, officium viſitationis B. Virginis ab eo compoſitum, metuo ne ſuccenſeant mihi Pontificii noſtri. Ciaconius et Onuphrius Londinenſem eum vocant Epiſcopum, quod ab omni probabilitate, atque adeo veritate eſt abhorrentiſſimum. Ad Archiepiſcopatum certe Cantuarienſem à Monachis electum comperi, ſed Rege adverſante, ideoque electionem eam Romae protinus caſſatam.

XXXII. Gulielmus Courtney.

Multo eſt probabilius Gulielmum Courtneium Epiſcopum tum Londinenſem, ab eodem Urbano Cardinalem creatum[d]; id quod Walſingamus [tunc vivens] ſcriptum reliquit. Caeterum hac de re quid exiſtimandum cenſeam, expoſui ſupra inter Londinenſes[e].

XXXIII. Philippus Repindon.

Philippus Repindon, Doctor Theologus Oxonienſis, et ejuſdem Academiae Cancellarius, ex Abbate Leiceſtrenſi Epiſcopus Lincolnienſis conſtitutus, et viceſimo nono Maii 1405 conſecratus, poſtquam doctrinam Wiclevianam jamdiù propugnaſſet: Cardinalis creatus eſt tt. SS. Nerei et Achillei decimo octavo Septembris 1408 per Gregorium duodecimum, qui jurejurando ſe obſtrinxerat, novum Cardinalem neminem ſe lecturum antequam ſchiſma eſſet ſublatum. Veruntamen ab omnibus Cardinalibus ſe videns deſertum (quinque duntaxat exceptis) decem uno eodemque tempore ordinavit, quorum unus fuit Repindonus. De quo vide plura inter Lincolnienſes[f].

XXXIV. Thomas Langley.

Thomas Langley Epiſcopus Dunelmenſis, Cardinalis Presbyter creatus eſt Junii ſexto 1411 per Joannem 22 Pontificem. Deceſſit anno 1437. De quo conſule Dunelmenſes[g].

---

[c] Infra haec legimus inſculpta, ——— “ Adamo Anglo S. T. P. Ceciliae Preſbytero Cardinali, Epiſcopatus Londi- “ nenſis perpetuo adminiſtratori, Integritate, Doctrina et Religione praeſtanti. Obiit die xv Aug. 1398.

[d] Circa A. D. 1378 Gulielmo Courtneio Herefordenſi Epiſcopo delatam fuiſſe Cardinalitiam dignitatem, eamque non ſuſcepiſſe traditur in MS. quod nunc aſſervatur apud Monachos Ciſtertienſes Romae in Monaſterio S. Crucis. *MS. Anſtis.*

[e] P. 186.

[f] P. 296.

[g] P. 751.

XXXV. ROBERTUS HALAM.

ROBERTUS HALAM, Sariſburienſis Epiſcopus, una cum Langlaeo antedicto Presbyter ſimiliter Cardinalis renunciatur. Qui diem clauſit extremum in arce Gotliebenſi prope Conſtantiam, dum Concilio ibi congregato intereſſet, Septembris quarto 1417, uti ſuo loco retulimus[h].

XXXVI. HENRICUS BEAUFORT.

HENRICUS cognominatus Beaufort à loco (ut opinor) nativitatis, Henrici quarti Regis frater, Epiſcopus Wintonienſis, in Cardinalium album aſcriptus eſt per Martinum quintum viceſimo tertio Junii 1426, tt. S. Euſebii. Exceſſit è vivis Aprilis undecimo 1447. De quo inter Wintonienſes ſatis prolixe[i].

XXXVII. HENRICUS CHICHLEY.

HENRICUS CHICHLEY Archiepiſcopus Cantuarienſis (ſi verum ſit quod retulit Antiquitatum Britannicarum author) titulo etiam S. Euſebii Cardinalis creatus eſt anno 1428: Sed allucinatum credo. Nam alibi ejuſce rei nullam reperi mentionem, ne in epitaphio quidem tumulo ſuo adſcripto, ubi percurſae ab eo dignitates ſigillatim diligenterque recenſentur.

XXXVIII. JOANNES STAFFORD.

SICUT Henricum Cantuarienſem pro Wintonienſi, ſic etiam Joannem Cantuarienſem pro Eboracenſi (deceptus nominis ſimilitudine) Catalogo ſuo Cardinalium aſcripſit (ſed perperam) author antedictus, atque ad titulum S. Sabinae ordinatum dicit 1434.

XXXIX. JOANNES KEMP.

JOANNES KEMP Eboracenſis Archiepiſcopus ad titulum antedictum ordinatus eſt nono Auguſti 1439. Et tempore ſatis longo poſtea, jam Cantuarienſis Archipraeſul, ad titulum S. Rufinae tranſlatus eſt. Obiit Martii 30. 1486[k].

---

[h] Inter Epiſcopos Sariſburienſes. p. 349.

[i] P. 231, 232.

[k] Inter Cantuar. Archiepiſcopos obiiſſe dicitur ab Authore noſtro 22 Martii 1453. Vid. p. 128.

XL.

XL. Thomas Bourchier.

THOMAS BOURCHIER, Archiepiſcopus Cantuarienſis, à Paulo ſecundo Cardinalis renunciatus eſt tt. S. Cyriaci in Thermis, decimo octavo Septembris 1464. Qui deceſſit triceſimo Martii 1486[l].

XLI. Joannes Moorton.

ARCHIEPISCOPUS etiam Cantuarienſis Joannes Moorton per Alexandrum ſextum, Praeſul praeſtantiſſimus à Pontifice peſſimo, Cardinalis declaratur tt. S. Anaſtaſii viceſimo[m] Septembris 1493. Qui anno defunctus eſt 1500.

XLII. Christophorus Urswike.

CHRISTOPHORUM URSVICUM Decanum Eboracenſem, necnon et Windeſorenſem, atque Regi ab eleëmoſynis, ad titulum S. Praxedis Cardinalem ordinatum ſcripſit Balaeus, ejuſque rei authores citat Pol. Virgilium atque Onuphrium; quod ab illis traditum nondum reperi. Nominis ſimilitudine deceptum non dubito. Nam in epitaphio[n], tumulo ejus inciſo, ubi omnes quos adeptus eſt honores accurate recenſentur (viſitur autem etiamnum in eccleſia parochiali Hackneiae prope Londinum) de purpureo galero nuſquam habetur mentio.

XLIII. Christophorus Bambridge.

CHRISTOPHORUS BAMBRIGIUS Eboracenſis Archiepiſcopus Cardinalis haud dubie creatus eſt, atque ad titulum antedictum S. Praxedis ordinatus menſe Martio 1511. Romae cum Legationem obiret, eadem humanitate exceptus qua Somercottus, Eveſhamenſis et alii populares noſtri, veneno eſt ſublatus Julii 14. 1514, prout in hiſtoria vitae ejus, ſupra eſt à me expoſitum[o].

[l] Vide inter Archiep. Cantuar. p. 129.

[m] 12 Kal. Sept. *Ciacon.* T. 3. Col. 167.

[n] Hoc eſt. "Chriſtopherus Urſwicus Regis Henrici ſeptimi Eleëmoſynarius, vir ſua aetate clarus, ſummatibus atque infimatibus juxta charus. Ad exteros Reges undecies pro patria Legatus; Decanatum Eboracenſem, Archidiaconatum Richmundiae, Decanatum Windeſoriae habitos vivens reliquit. Epiſcopatum Norwicenſem oblatum recuſavit: Magnos honores tota vita ſprevit: frugali vita contentus, hic vivere, hic mori maluit, plenus annis obiit ab omnibus deſideratus, funeris pompam, etiam Teſtamento vetuit: hic ſepultus carnis reſurrectionem, in adventum Chriſti expectat. Obiit Anno Domini 1521. 24 Octob."

[o] Inter Archiepiſcopos Eboracenſes. p. 700.

XLIV. THOMAS WOLSEY.

THOMAS WOLSAEUS Eboracenſis Archiepiſcopus, Cardinalis creatus tt. S. Caeciliae ſeptimo Septembris 1515: fato ſuo functus eſt viceſimo nono Novembris 1530, de quo ſuo loco ſatis prolixe.

XLV. JOANNES FISHER.

JOANNES FISHERUS Epiſcopus Roffenſis, quod de primatu Regio juramentum ſuſcipere recuſaret, et conjugium Regis cum Anna Bolenia nullo modo vellet approbare, ad mortem eſt damnatus anno 1535. Quod ut Pontifici Paulo tertio nunciatum eſt, conſilio ſatis abſurdo, galeri purpurei honore ornandum duxit; ſive in morituri qualecunque ſolatium, ſive quod caput ſacra purpura honeſtatum, Regem attingere non auſurum ſperaret; id quod exitium illi maturavit, ut videtur. Nam Maii 21[p], ad titulum ordinatus S. Vitalis, (titulum illi ſane non vitalem ſed mortiferum) ut primum ea res innotuit, in loco magnatum ſuppliciis deſtinato (qui collis dicitur juxta Turrim) viceſimo Junii 1535 ſecuri eſt percuſſus.

XLVI. REGINALDUS POLUS.

REGINALDUS POLUS, Cantuarienſis poſtmodum Archiepiſcopus, per Paulum tertium Cardinalis creatus, viceſimo Maii[q] 1536, tt. SS. Nerei et Achillei, poſtea ad titulum primo S. Mariae in Coſmedin, ac deinde S. Priſcae tranſlatus eſt. Cujus vitae hiſtoriam habes ſatis amplam ſupra inter Cantuarienſes[r].

XLVII. PETRUS[s] PETOW.

QUOMODO Petrus Petous Franciſcanus, Cardinalitia dignitate à Paulo [quarto] honeſtatus eſt decimo tertio Junii 1557, et Legatus à latere, ac Sariſburienſis Epiſcopus declaratus, ut Polo Cardinali aegrè faceret; in vita ejuſdem Poli partim, partim Cranmeri, inter Cantuarienſes, pluribus à me ſupra eſt expoſitum. In Gallia deceſſit menſe Aprili 1558, cum pileum purpureum in Anglia (quod peſſime eum habuiſſe credo) nondum geſtaſſet.

[p] Viceſimo. *Ciacon.* T. 3. Col. 573. [q] Viceſimo Decembris 1536. *Id.* Col. 600. [r] P. 145 &c. [s] Ciaconius Gulielmum vocat.

XLVIII. GULIELMUS ALLEN.

AD Cardinalium noſtrae gentis, temporis ordine poſtremum, nequitia vero, omnium (ut auguror) facile primum eſt perventum. Qui quanquam patria Anglus, inter Anglos tamen adeo non meretur numerari, ut tanquam alter Heroſtratus, quo nomen ſibi compararet juxta nomen magnorum qui ſunt in terra; eccleſiae noſtrae totius Chriſtiani orbis (abſit dicto invidia) nobiliſſimae, incendium ſit molitus. Quare, memoriam ejus, poſteritati calamus meus non commendaret, ſi mentionem ejus omittendo, oblivione ſepeliri poſſe ſperarem. Patriae proditor iſte ſceleratiſſimus, in Comitatu Lancaſtrenſi natus, et in Collegio Orialenſi Oxoniae educatus, ad Romaniſtarum caſtra profugiens, poſt multos ſudores et labores exantlatos, ut Angliam tyrannidi Pontificiae et Hiſpani imperio ſubjugaret, ab iſto tulit praemium, Archiepiſcopatum Mechlinienſem, ab illo vero galerum purpureum, Cardinalis creatus tt. S. Martini in montibus, ſtilo noſtro, viceſimo octavo Julii[t] 1587. Interiit Romae ſexto[u] Octobris, et in eccleſia Anglorum ſepultus, epitaphio hujuſmodi honeſtatur:

“DEO TRINO ET UNI.

“GULIELMO ALANO, LANCASTRIENSI, S. R. E. Presb. Cardinali Angliae, qui extorris à patria, perfunctus laboribus diuturnis, in orthodoxa religione tuenda, ſudoribus multis in ſeminariis ad ſalutem patriae inſtituendis, fovendis, periculis plurimis ob eccleſiam Romanam, opere, ſcriptis, omni corporis et animi contentione defenſam, hic in ejus gremio, ſcientiae, pietatis, modeſtiae, integritatis fama, et exemplo clarus, et piis omnibus charus, occubuit 17 Kal. Novembris, anno aetatis LXIII, exilii XXXIII, ſalutis humanae MDXCIV.”

* * *

XLIX. PHILIPPUS HOWARD.

PHILIPPUS HOWARD Henrici Norfolciae Ducis frater, impubis adhuc inter Dominicanos Cremonenſes aſcriptus, Catharinam Reginam in Angliam comitatus, aliquando ei à Sacris et Eleëmoſynis aſtitit. In Italiam reverſus, 1675 menſe Maio Cardinalis Presbyter creatus eſt de S. Maria ſupra Minervam. Poſtea Romae commoratus, et Cardinalis Anglicani titulo inſignitus, mira morum comitate, Anglis praecipuè ſuis peregrinantibus, ſe contendavit. Obiit Romae decimo octavo Junii 1694, et ad titulum ſuum eſt tumulatus; Sepulchro hoc Elogium inſcribitur:

---

[t] Jun. 7. 1587. *Ciacon.* T. 4. Col. 172.

[u] Vid. Epitaphium.

“ D. O. M. Fr. Philippo Thomae Houuardo de Norfolcia et Arun-
“ della, S. R. E. Presbytero Cardinali Tituli Sanctae Mariae ſupra Miner-
“ vam, ex ſacra familia Fratrum Praedicatorum S. Mariae Majoris Archi-
“ presbytero, Magnae Britanniae Protectori, Magno Angliae Eleëmoſy-
“ nario, Patriae et Pauperum Patri Filio, Provinciae Anglicanae ejuſdem
“ Ordinis Parenti et Reſtauratori optimo, Haeredes inſcripti moerentes
“ poſuere; annuentibus S. R. E. Cardinalibus eminentiſſ. Palutio de Al-
“ teriis, Franciſco ——, Galeatio Mareſcotto, Fabricio Spada, ſupremi
“ teſtamenti executoribus. Obiit XIV Kal. Jul. Anno Sal. MDCXCIV.”



Coenobiorum illorum Catalogus, quorum Abbates locum habebant inter magnates in ſuperiori conſeſſu Parliamentario, prout in Regiſtro patet anni 1514.

S. Petri Weſtmonaſt.
S. Albani.
S. Edmundi de Bury.
Glaſtonienſis.
Abendonenſis.
Eveſhamenſis.
Glouceſtrenſis.
Ramſeienſis.
B. Mariae Eboraci.
Teuxburienſis.
Readingenſis.
De Bello, ſive Battaile.
Winchcombenſis.
Hida juxta Winton.
S. Benedicti de Hulm.
Berdſeienſis.
Salopienſis.
Crowlandenſis.
Cirenceſtrenſis.
Walthamenſis.
Malmesburienſis.
Thorneienſis.
S. Auguſtini Cantuariae.
Selbeienſis.
Burg. S. Petri.
S. Joannis Colceſtriae.
Taveſtokenſis.
Prior Coventrenſis.

Quibus adjungi conſuevit Prior Ordinis S. Joan. Hieroſolymis, qui vulgo Magiſter Militum Joannitarum, et primus Angliae Baro haberi voluit.

Valent Archiepiſcopatus et Epiſcopatus ſecundum rationem cenſus fiſcalis:

		Solvent pro primitiis:	Papae reddere conſueverunt:
Archiep.	Cantuarienſis.	2682. 12. 02	10000 Flor. *pro primitiis.* 5000 Floren. *pro pallio.*
Epiſc.	Londinenſis.	1000. 00. 00	3000 Floren.
	Wintonienſis.	2873. 18. 01⅞	12000 Ducatorum.
	Elienſis.	2134. 18. 06½	7000 Ducat.
	Lincolnienſis.	828. 04. 09½	5000 Ducat.
	Lichfeldenſis.	559. 17. 03½	1733 Ducat.
	Sarisburienſis.	1385. 05. 00	4500 Aureorum.
	Bathonio-Wellenſis.	533. 01. 03	430 Floren.
	Exonienſis.	500. 00. 00	6000 Ducat.
	Norwicenſis.	834. 11. 01½	5000 Ducat.
	Wigornienſis.	929. 13. 03	2000 Floren.
	Herefordenſis.	768. 11. 00½	1800 Floren.
	Ciceſtrenſis.	677. 01. 03	333 Floren.
	Roffenſis.	358. 04. 09½	1300 Floren.
	Oxonienſis.	381. 11. 00½	
	Gloceſtrenſis.	315. 07. 01	
	Petroburgenſis.	414. 17. 08½	
	Briſtolienſis.	294. 11. 00¾	
	Menevenſis.	426. 02. 01	1500 Floren.
	Landavenſis.	154. 14. 02	700 Floren.
	Bangorenſis.	131. 16. 03	126 Floren.
	Aſaphenſis.	187. 11. 08	126 Floren.
Archiep.	Eboracenſis.	1610. 00. 00	10000 Ducat. 5000 Ducat. *pro pallio.*
Epiſc.	Dunelmenſis.	1821. 01. 03	9000 Floren.
	Carleolenſis.	531. 04. 09½	1000 Floren.
	Ceſtrenſis.	420. 01. 08	

INDEX CHRONOLOGICUS
ARCHIEPISCOPORUM et EPISCOPORUM
ANGLIAE.

Sedes CANTUARIENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
AUGUSTINUS	596.	597.
Laurentius	611.	604.
Mellitus	619.	619.
Juſtus	624.	624.
Honorius	634.	634.
Deus-Dedit	655.	654.
Theodorus	668.	668.
Brithwaldus	692.	693.
Tatwinus	731.	731.
Nothelmus	736.	735.
Cuthbertus	742.	742.
Brègwinus	759.	759.
Lambertus	764.	763.
Athelardus	793.	793.
Wulfredus	807.	803.
Theogildus	832.	830.
Celnothus	832.	830.
Athelredus	871.	871.
Plegmundus	889.	891.
Athelmus	915.	923.
Wlfhelmus	924.	928.
Odo	934.	941.
Dunſtanus	961.	954.
Ethelgarus	988.	988.
Siricius	989.	989.
Aluricius	993.	996.
Elphegus	1006.	1005.
Livingus	1013.	1013.
Agelnothus	1020.	1020.
Eadſinus	1038.	1038.
Robertus Gemeticenſis	1050.	1050.
Stigandus	1052.	1052.
Lanfrancus	1070.	1070.
Anſelmus	1093.	1093.
Rodulphus	1114.	1114.
Gulielmus Corbel	1122.	1122.
Theobaldus	1138.	1138.
Thomas Becket	1162.	1162.
Richardus	1171.	1174.
Baldwinus	1184.	1184.
Reginaldus Fitzjocelinus	1191.	1191.
Hubertus Wallterus	1193.	1193.
Stephanus Lancton	1206.	1207.
Richardus Wetherſhed	1229.	1229.
Sanctus Edmundus	1234.	1234.
Bonifacius	1244.	1245.
Robertus Kilwardby	1272.	1272.
Joannes Peckham	1278.	1278.
Robertus Winchelſey	1294.	1294.
Walterus Raynold	1313.	1313.
Simon Mepeham	1327.	1328.
Joannes Stratford	1333.	1333.
Thomas Bradwardin	1348.	1349.
Simon Iſlip	1349.	1349.
Simon Langham	1366.	1366.
Gulielmus Wittleſey	1367.	1368.
Simon Sudbury	1375.	1375.
Gulielmus Courtney	1381.	1381.
Thomas Arundel	1396.	1396.
Henricus Chichley	1414.	1414.
Joannes Stafford	1443.	1443.
Joannes Kemp	1452.	1452.
Thomas Bourchier	1454.	1454.
Joannes Moorton	1486.	1486.
Henricus Dean	1501.	1501.
Gulielmus Warham	1504.	1503.
Thomas Cranmer	1533.	1533.
Reginaldus Poole	1555.	1555.
Matthaeus Parker	1559.	1559.
Edmundus Grindall	1575.	1575.
Joannes Whitgift	1583.	1583.
Richardus Bancroft	1604.	1604.
Georgius Abbot	1610.	1610.
Gulielmus Laud		1633.
Gulielmus Juxon		1660.
Gilbertus Sheldon		1663.
Gulielmus Sandcroft		1677.
Joannes Tillotſon		1691.
Thomas Teniſon		1694.
Gulielmus Wake		1715.
Joannes Potter		1736.

INDEX CHRONOLOGICUS.

Sedes LONDINENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Mellitus	606.	605.
Ceadda	654.	654.
Wina	666.	666.
Erkenwaldus	675.	675.
Waldherus		685.
Ingualdus	731.	731.
Igwulphus	747.	747.
Wighed		
Eadbright		
Eadgarus		789.
Kenwalchus		
Eadbaldus		
Hecbert	802.	802.
Oſmundus	833.	815.
Ethelnothus		816.
Ceolbertus		830.
Renulphus		
Suithulſus	851.	
Eadſtan	860.	898.
Wlſſius		900.
Ethelwardus		
Elſtan	898.	926.
Theodredus		
Wulſtanus		
Brithelmus	957.	
Dunſtanus	958.	958.
Alſtanus	966.	961.
Wulfſtanus		998.
Alhunus	1012.	1012.
Alwy		
Elfwardus		
Robertus Normannus	1044.	1044.
Gulielmus	1050.	1050.
Hugo de Orivalle	1070.	1075.
Mauritius	1087.	1085.
Richardus de Beaumes. 1.	1108.	1108.
Gilbertus Univerſalis	1128.	1128.
Robertus de Sigillo	1140.	1141.
Richardus Beaumes. 2.	1151.	1152.
Gilbertus Foliot	1161.	1163.
Richardus Nigellus	1189.	1189.
Gulielmus de S. Maria	1199.	1199.
Euſtachius de Fauconbridge.	1222.	1221.
Rogerus Niger	1229.	1229.
Fulco Baſſet	1244.	1244.
Henricus de Wingham	1259.	1259.
Richardus Talbot	1262.	1262.
Henricus de Sandwich	1263.	1263.
Joannes de Chiſhul	1274.	1274.
Richardus de Graveſend	1280.	1280.
Radulphus de Baldock	1305.	1304.
Gilbertus Segrave	1313.	1313.
Richardus Newport	1317.	1317.
Stephanus Graveſend	1318.	1318.
Richardus Bintworth	1338.	1338.
Radulphus Stratford	1339.	1339.
Michael Northbrook	1355.	1354.
Simon Sudbury	1361.	1361.
Gulielmus Courtney	1375.	1375.
Robertus Braybrook	1381.	1381.
Rogerus Walden	1404.	1404.
Nicolaus Bubwith	1406.	1406.
Richardus Clifford	1407.	1407.
Joannes Kemp	1421.	1422.
Gulielmus Gray	1426.	1426.
Robertus Fitz-hugh	1431.	1431.
Robertus Gilbert	1435.	1436.
Thomas Kemp	1449.	1449.
Richardus Hill	1489.	1489.
Thomas Savage	1497.	1496.
Gulielmus Warham	1503.	1502.
Gulielmus Barnes	1505.	1504.
Richardus Fitz-James	1506.	1506.
Cuthbertus Tonſtall	1522.	1522.
Joannes Stokeſley	1530.	1530.
Edmundus Bonner	1540.	1540.
Nicolaus Ridley	1549.	1550.
Edmundus Grindall	1559.	1559.
Edwinus Sands	1570.	1570.
Joannes Elmer	1576.	1576.
Richardus Fletcher	1594.	1594.
Richardus Bancroft	1597.	1597.
Richardus Vaughan	1604.	1604.
Thomas Ravis	1607.	1607.
Georgius Abbot	1609.	1609.
Joannes King	1611.	1611.
Georgius Mountaigne		1621.
Gulielmus Laud		1628.
Gulielmus Juxon		1633.
Gilbertus Sheldon		1660.
Humfredus Henchman		1663.
Henricus Compton		1675.
Joannes Robinſon		1713.
Edmundus Gibſon		1723.

Sedes WINTONIENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Birinus	635.	635.
Agilbertus	650.	650.
Wina		663.
Eleutherius		670.
Headda	673.	676.
Daniel	704.	703.
Humfridus	745.	744.
Kinchardus	756.	754.
Athelardus		780.
Egbaldus		790.
Dudda	794.	
Kineberthus		
Alhmundus		803.
Wigthenius		812.
Herefridus		829.
Edmundus		
Helmſtanus		833.
Suithunus		852.
Adferthus	863.	863.
Dumbertus	871.	871.
Denewulſus	879.	879.
Athelmus		
Bertulſus		
Frithſtanus	905.	909.
Brinſtanus	931.	932.
Elphegus Calvus	946.	935.
Elſſinus	946.	951.

Brithel-

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Brithelmus	958.	958.
Ethelwaldus	963.	963.
Elphegus	984.	984.
Kenulfus	1006.	1006.
Brithwoldus	1008.	1006.
Elſinus	1015.	1015.
Alwinus	1038.	1032.
Stigandus	1047.	1047.
Walkelinus	1070.	1070.
Gulielmus Giffard	1107.	1107.
Henricus Bleſenſis	1129.	1129.
Richardus Toclivius	1174.	1174.
Godfridus de Lucy	1189.	1189.
Petrus de Rupibus	1204.	1205.
Gulielmus de Raley	1243.	1244.
Ethelmarus	1260.	1260.
Joannes Exonienſis	1265.	1262.
Nicolaus Elienſis	1268.	1268.
Joannes de Pontiſſara	1280.	1282.
Henricus Woodlock	1304.	1305.
Joannes Sandallus	1316.	1316.
Reginaldus Aſſerius	1320.	1320.
Joannes de Stratford	1323.	1323.
Adam de Orlton	1333.	1333.
Gulielmus Edendon	1345.	1346.
Gulielmus Wickham	1367.	1367.
Henricus Beaufort	1405.	1404.
Gulielmus Waynfleet	1447.	1447.
Petrus Courtney	1486.	1486.
Thomas Langton	1493.	1493.
Richardus Fox	1502.	1500.
Thomas Wolſey	1530.	1529.
Stephanus Gardiner	1534.	1531.
Joannes Poynet	1550.	1550.
Joannes White	1556.	1556.
Robertus Horn	1560.	1560.
Joannes Watſon	1580.	1580.
Thomas Cowper	1584.	1583.
Gulielmus Wickham	1595.	1595.
Gulielmus Day	1595.	1595.
Thomas Bilſon	1597.	1597.
Jacobus Mountague	1616.	1616.
Lancelotus Andrews	1618.	1618.
Richardus Neile		1627.
Walterus Curle		1632.
Brianus Duppa		1660.
Georgius Morley		1662.
Petrus Mews		1684.
Jonathan Trelawney		1707.
Carolus Trimnell		1721.
Richardus Willis		1723.
Benjamin Hoadly		1734.

Sedes ELIENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Hervaeus	1109.	1109.
Nigellus	1133.	1133.
Galfridus Rydall	1171.	1171.
Gulielmus Longchamp	1189.	1189.
Euſtachius	1198.	1197.
Joannes de Fontibus	1219.	1219.
Galfridus de Burgo	1225.	1225.
Hugo Norwold	1229.	1229.
Gulielmus de Kilkenny	1255.	1255.
Hugo Balſam	1257.	1257.
Joannes de Kirkby	1286.	1286.
Gulielmus de Luda	1290.	1290.
Radulphus Walpoole	1299.	1299.
Robertus Orford	1302.	1302.
Joannes de Keeton	1310.	1310.
Joannes Hotham	1316.	1316.
Simon Montacute	1336.	1336.
Thomas Lyldus	1344.	1345.
Simon Langham	1361.	1362.
Joannes Barnet	1366.	1366.
Thomas Arundel	1375.	1374.
Joannes Fordham	1388.	1388.
Philippus Morgan	1425.	1426.
Ludovicus Luxemburgenſis.	1435.	1438.
Thomas Bourchier	1443.	1448.
Gulielmus Gray	1454.	1454.
Joannes Morton	1478.	1478.
Joannes Alcock	1486.	1486.
Richardus Redman	1501.	1501.
Jacobus Stanley	1506.	1506.
Nicolaus Weſt	1515.	1515.
Thomas Goodrich	1534.	1534.
Thomas Thirlby	1554.	1554.
Richardus Cox	1559.	1559.
Martinus Heton	1559.	1559.
Lancelotus Andrews	1609.	1609.
Nicolaus Felton	1618.	1618.
Joannes Buckeridge		1628.
Franciſcus White		1631.
Matthaeus Wren		1638.
Benjamin Laney		1667.
Petrus Gunning		1674.
Franciſcus Turner		1684.
Simon Patrick		1691.
Joannes Moore		1707.
Gulielmus Fleetwood		1714.
Thomas Green		1723.
Robertus Butts		1738.

Sedes LINCOLNIENSIS.

Epiſcopi Dorcaceſtrenſes.

Birinus		636.
Agilbertus		650.

Epiſcopi Sidnaceſtrenſes.

Eadheadus	678.	678.
Ethelwinus		678.
Edgarus		
Kinebertus		
Alwigh	733.	732.
Eadulfus	751.	750.
Ceolulfus	764.	767.
Ealdulfus	787.	796.
Brightredus	872.	872.

Epiſcopi

INDEX CHRONOLOGICUS.

Epiſcopi Legeceſtrenſes ſeu *Dorcaceſtrenſes.*	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Tota		737.
Edbertus	764.	764.
Werenbertus		
Unwora		803.
Rethunus		813.
Aldredus	851.	851.
Ceolredus	873.	873.
Halardus		886.
Kenulfus	905.	909.
Leofwinus		949.
Ailnothus	960.	960.
Aſcwyn		967.
Alſhelmus		994.
Eadnothus		1005.
Eadhericus		1017.
Eadnothus		1034.
Ulfus		1050.
Wulfinus	1053.	

Epiſcopi Lincolnienſes.	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Remigius de Feſchamp	1070.	1067.
Robertus Bloet	1092.	1093.
Alexander	1123.	1123.
Robertus de Cheſney	1147.	1147.
Walterus de Conſtantiis	1183.	1183.
Sanctus Hugo	1186.	1186.
Gulielmus Bleſenſis	1203.	1203.
Hugo Wallis	1209.	1209.
Robertus Grouthead	1235.	1235.
Henricus Lexinton	1254.	1254.
Benedictus de Graveſend	1258.	1258.
Oliverus Sutton	1280.	1280.
Joannes D'Alderby	1300.	1300.
Thomas Beak	1319.	1319.
Henricus Burwaſh	1320.	1320.
Thomas le Beck	1341.	1342.
Joannes Synwell	1351.	1347.
Joannes Bokingam	1363.	1363.
Henricus Beaufort	1397.	1398.
Philippus Repindon	1405.	1405.
Richardus Flemming	1420.	1420.
Gulielmus Gray	1431.	1431.
Gulielmus Alnewick	1436.	1436.
Marmaducus Lumley	1450.	1449.
Joannes Chadworth	1452.	1452.
Thomas Scot al. Rotheram.	1471.	1471.
Joannes Ruſſel	1480.	1480.
Gulielmus Smith	1495.	1495.
Thomas Wolſey	1514.	1514.
Gulielmus Atwater	1514.	1514.
Joannes Longland	1521.	1521.
Henricus Holbech	1547.	1547.
Joannes Tayler	1552.	1552.
Joannes White	1553.	1554.
Thomas Watſon	1557.	1557.
Nicolaus Bullingham	1559.	1559.
Thomas Cowper	1570.	1570.
Gulielmus Wickham	1584.	1584.
Gulielmus Chaderton	1594.	1595.
Gulielmus Barſowe	1608.	1608.
Richardus Neile	1613.	1613.
Georgius Mountaigne	1617.	1617.
Joannes Williams	1621.	1621.
Thomas Winniffe		1641.
Robertus Sanderſon		1660.
Benjamin Laney		1663.
Gulielmus Fuller		1667.
Thomas Barlow		1675.
Thomas Teniſon		1691.
Jacobus Gardiner		1694.
Gulielmus Wake		1705.
Edmundus Gibſon		1715.
Richardus Reynolds		1723.

Sedes LICHFELDENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Dwina	656.	655.
Cellach		658.
Trumherus		660.
Jarumannus	664.	663.
Cedda	669.	669.
Winfridus	672.	672.
Saxulfus	672.	676.
Headda	692.	691.
Aldwinus	721.	721.
Witta	733.	737.
Hemel		752.
Cuthfridus	764.	765.
Berthunnus		
Higbertus	785.	785.
Aldulphus		786.
Humbertus		
Herewinus		812.
Higbertus		
Ethelwoldus		818.
Humberhtus	858.	829.
Kenferth	864.	870.
Cumbertus	872.	
Tunbriht		890.
Ella		920.
Alfgar	928.	944.
Kinſy		960.
Winſy		974.
Elſeth		992.
Godwinus		1007.
Leofgarus		1021.
Brithmarus		1027.
Wulſius	1039.	1039.
Leofwinus	1054.	1054.
Petrus	1067.	1067.
Robertus de Limeſey	1088.	1086.
Robertus Peche	1117.	1120.
Rogerus de Clinton	1129.	1129.
Walterus Durdent	1149.	1149.
Richardus Peche	1162.	1161.
Giraldus Puella	1182.	1183.
Hugo Nunant	1186.	1187.
Galfridus de Muſchamp	1199.	1198.
Walterus de Gray	1210.	
Gulielmus de Cornhul	1215.	1214.
Alexander de Savensby	1224.	1224.
Hugo de Pateſhul	1240.	1240.
Rogerus de Weſeham	1245.	1245.
Rogerus de Molend	1357.	1257.

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Walterus de Langton	1296.	1296.
Rogerus Northbrough	1322.	1322.
Robertus Stretton	1360.	1360.
Walterus Skirlaw	1385.	1385.
Richardus Scroope	1386.	1386.
Joannes Burghill	1399.	1398.
Joannes Keterich	1415.	1414.
Jacobus Cary	1419.	
Gulielmus Heiworth	1420.	1420.
Gulielmus Boothe	1447.	1447.
Nicolaus Cloſe	1452.	1452.
Reginaldus Butler	1453.	1453.
Joannes Halſe	1459.	1459.
Gulielmus Smith	1492.	1493.
Joannes Arundell	1496.	1496.
Galfridus Blythe	1503.	1503.
Rolandus Lee	1534.	1534.
Richardus Sampſon	1543.	1542.
Radulphus Baine	1554.	1554.
Thomas Bentham	1559.	1559.
Gulielmus Overton	1578.	1580.
Georgius Abbot	1609.	1609.
Richardus Neile	1610.	1610.
Joannes Overal	1614.	1614.
Thomas Morton	1618.	1618.
Robertus Wright		1632.
Acceptus Frewen		1644.
Joannes Hacket		1661.
Thomas Wood		1671.
Gulielmus Lloyd		1692.
Joannes Hough		1699.
Edwardus Chandler		1717.
Richardus Smalbrook		1730.

Sedes SARISBURIENSIS.

Epiſcopi Scireburnenſes.

Aldhelmus	705.	705.
Fordhere	709.	709.
Herewaldus	738.	739.
Ethelwoldus		755.
Denefrith		790.
Wilbertus		798.
Ealhſtanus	817.	834.
Eadmundus	868.	868.
Etheleage	872.	872.
Alfsy		875.
Aſſer		879.
Swithelmus	883.	
Ethelwaldus		
Werſtanus	905.	909.
Ethelbaldus	918.	918.
Sigelmus		
Alfredus		
Wulfſinus	940.	966.
Alfwoldus	958.	
Ethelricus		
Ethelſius		
Brithwinus		
Elmerus		
Brinwin		
Elfwoldus		

Epiſcopi Wiltonenſes.

	Conſecrat Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Ethelſtanus		909.
Odo		
Oſulfus		941.
Alfſtanus	970.	971.
Alfgarus		
Siricius		
Alfricus	989.	989.
Brithwoldus		1006.

Epiſcopi Sarisburienſes.

Hermannus		1058.
Oſmundus		1078.
Rogerus	1107.	1107.
Jocelinus		1142.
Hubertus Walterus	1189.	1189.
Herebertus Pauper	1194.	1194.
Richardus Poore	1217.	1217.
Robertus Bingham	1229.	1229.
Gulielmus Eboracenſis	1247.	1247.
Aegidius de Bridport	1256.	1256.
Walterus de la Wyle	1263.	1263.
Robertus de Wikhampton	1274.	1274.
Walterus Scammel	1284.	1284.
Henricus de Braundſton	1287.	1287.
Gulielmus de la Corner	1289.	1289.
Nicolaus de Longeſpe	1291.	1291.
Simon de Gandavo	1298.	1297.
Rogerus de Mortival	1315.	1315.
Robertus Wivil	1329.	1329.
Radulphus Erghum	1375.	1375.
Joannes Waltham	1388.	1388.
Richardus Metford	1395.	1395.
Nicolaus Bubwith	1407.	1407.
Robertus Halam	1408.	1407.
Joannes Chaundler	1417.	1417.
Robertus Nevill	1427.	1427.
Gulielmus Aiſcoth	1438.	1438.
Richardus Beauchamp	1450.	1450.
Leonellus Woodvill	1482.	1482.
Thomas Langton	1485.	1484.
Joannes Blythe	1493.	1493.
Henricus Deane	1500.	1500.
Edmundus Audley	1502.	1502.
Laurentius Campegius	1524.	1524.
Nicolaus Shaxton	1535.	1535.
Joannes Salcot al. Capon	1539.	1539.
Joannes Jewell	1559.	1559.
Edmundus Gheaſt	1571.	1571.
Joannes Piers	1578.	1577.
Joannes Coldwell	1591.	1591.
Henricus Cotton	1598.	1598.
Robertus Abbot	1615.	1615.
Martinus Fotherby	1618.	1618.
Robertus Tounſon	1620.	1620.
Joannes Davenant	1621.	1621.
Brianus Duppa		1641.
Humphredus Henchman		1660.
Joannes Earle		1663.
Alexander Hyde		1665.
Seth Ward		1667.
Gilbertus Burnet		1689.
Gulielmus Talbot		1715.

	Conſecrat. ſecundum	
	Edit. Godw. A.D.	Edit. noſtr. A.D.
Richardus Willis		1721.
Benjamin Hoadly		1723.
Thomas Sherlock		1734.

Sedes BATHONIO-WELLENSIS.

	Conſecrat. ſecundum	
	Edit. Godw. A.D.	Edit. noſtr. A.D.
Adelmus	905.	909.
Wifelinus		923.
Elfeth		
Wulfhelmus		
Brithelmus	958.	958.
Kinewardus	974.	
Sigarus		975.
Alwynus		997.
Burwoldus		1000.
Leoningus		
Ethelwinus		1013.
Brithwinus		
Merewith		1027.
Dudoca	1031.	1033.
Giſo	1059.	1059.
Joannes de Villula	1088.	1088.
Godefridus	1123.	1123.
Robertus	1136.	1135.
Reginaldus Fitzjocelin	1174.	1174.
Savaricus	1192.	1192.
Jocelinus de Welles	1205.	1206.
Rogerus	1244.	1244.
Gulielmus Bitton al. Button.	1247.	1248.
Walterus Giffard	1264.	1264.
Gulielmus Bitton al. Button.	1267.	1267.
Robertus Burnel	1274.	1275.
Gulielmus de Marchia	1292.	1293.
Walterus Haſelſhaw	1302:	1302.
Joannes Drokensford	1310.	1309.
Radulphus de Salopia	1329.	1329.
Joannes Barnet	1363.	1363.
Joannes Harewell	1366.	1366.
Walterus Skirlaw	1386.	1386.
Radulphus Erghum	1388.	1388.
Henricus Bowet	1401.	1401.
Nicolaus Bubwith	1408.	1407.
Joannes Stafford	1425.	1425.
Thomas de Bekinton	1443.	1443.
Robertus Stillington	1465.	1465.
Richardus Fox	1491.	1491.
Oliverus King	1495.	1495.
Hadrianus de Caſtello	1505.	1504.
Thomas Wolſey	1518.	1518.
Joannes Clerk	1523.	1523.
Gulielmus Knight	1541.	1541.
Gulielmus Barlow	1549.	1548.
Gilbertus Bourn	1554.	1554.
Gilbertus Barkley	1559.	1559.
Thomas Godwin	1584.	1584.
Joannes Still	1592.	1592.
Jacobus Mountagu	1608.	1608.
Arthurus Lake	1616.	1616.
Gulielmus Laud		1626.
Leonardus Mawe		1628.
Walterus Curle		1629.
Gulielmus Pierce		1632.
Robertus Creighton		1670.
Petrus Mews		1672.
Thomas Kenn		1684.
Richardus Kidder		1691.
Georgius Hooper		1703.
Joannes Wynne		1727.

Sedes EXONIENSIS.

Epiſcopi Cornubienſes.

	Edit. Godw. A.D.	Edit. noſtr. A.D.
Athelſtanus	905.	909.
Conanus		
Ruydocus		
Aldredus		
Britwinus		
Athelſtanus	966.	
Wolfi		1051.
Woronus		
Wolocus		
Stidio		
Adelredus		
Burwoldus		

Epiſcopi Devonienſes.

	Edit. Godw. A.D.	Edit. noſtr. A.D.
Eadulphus	905.	
Putta		
Eadulphus		909.
Ethelgarus	932.	932.
Algarus	942.	942.
Alfwoldus	952.	953.
Alwolfus	972.	972.
Sidemannus		
Alfredus		978.
Alfwoldus		989.
Eadnothus		1004.
Livingus	1032.	1032.

Epiſcopi Exonienſes.

	Edit. Godw. A.D.	Edit. noſtr. A.D.
Leofricus	1050.	1050.
Osbernus	1074.	1072.
Gulielmus Warelwaſt	1107.	1107.
Robertus Chicheſter	1128.	1138.
Gulielmus Warelwaſt	1150.	1155.
Bartholomaeus Iſcanus	1161.	1161.
Joannes	1186.	1186.
Henricus Marſhall	1191.	1194.
Simon de Apulia	1206.	1214.
Gulielmus Brewer	1224.	1224.
Richardus Blondy	1245.	1245.
Walterus Broneſcomb	1257.	1257.
Petrus Quivil	1280.	1280.
Thomas Button	1293.	1292.
Walterus Stapledon	1307.	1309.
Jacobus Barkley	1326.	1326.
Joannes Grandeſſonus	1327.	1327.
Thomas Brentingham	1370.	1370.
Edmundus Stafford	1395.	1395.
Joannes Keterich		1419.
Joannes Cary	1419.	
Edmundus Lacy	1420.	1420.
Georgius Nevill	1455.	1458.

Joannes

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat. ſecundum	
	Edit. Godw.	Edit. noſtr.
	A. D.	A. D.
Joannes Boothe	1466.	1466.
Petrus Courtney	1477.	1478.
Richardus Fox	1486.	1487.
Oliverus King	1492.	1492.
Richardus Redman	1495.	1495.
Joannes Arundell	1501.	1502.
Hugo Oldham	1504.	1504.
Joannes Voyſey al. Harman.	1520.	1519.
Milo Coverdale	1551.	1551.
Jacobus Turbervill	1556.	1555.
Gulielmus Alley	1560.	1560.
Gulielmus Bradbridge	1570.	1570.
Joannes Woolton	1579.	1579.
Gervaſius Babington	1594.	1594.
Gulielmus Cotton	1598.	1598.
Valentinus Cary	1621.	1621.
Joſephus Hall		1627.
Radulphus Brownrigg		1642.
Joannes Gauden		1660.
Seth Ward		1662.
Antonius Sparrow		1667.
Thomas Lamplugh		1676.
Jonathan Trelawney		1689.
Offspring Blackhall		1707.
Lancelotus Blackburne		1716.
Stephanus Weſton		1724.

Sedes NORWICENSIS.

Epiſcopi Dunwicenſes.

Foelix	630.	630.
Thomas		647.
Bregilſus		652.
Biſus		669.
Acca		673.
Aſtwolphus		
Eadfarthus	734.	731.
Cuthwinus		
Aldberthus		767.
Eglaſius		
Heardredus		
Aelphunus		
Tidferthus		785.
Weremundus		
Wilredus		870.

Epiſcopi Elmhamenſes.

Bedwinus		673.
Northbertus		680.
Headulacus		731.
Edilfridus		
Lanferthus		
Athelwolfus		
Alcarus		
Sibba		816.
Alherdus		785.
Humbirctus		826.
Athulfus	955.	955.
Alfridus		966.
Theodredus I.		
Theodredus II.		

	Conſecrat. ſecundum	
	Edit. Godw.	Edit. noſtr.
	A. D.	A. D.
Athelſtanus		
Algarus		
Alwinus		1020.
Alfricus		
Alifreius		
Stigandus		1038.
Grinketellus		1040.
Egelmarus	1047.	1047.

Epiſcopi Thetfordenſes.

Herfaſtus		1070.
Gulielmus Galſagus		1085.

Epiſcopi Norwicenſes.

Herebertus Loſinga		1091.
Everardus	1121.	1121.
Gulielmus Turbus	1151.	1146.
Joannes Oxonienſis	1175.	1175.
Joannes Grey	1200.	1200.
Pandulfhus Maſca	1222.	1222.
Thomas de Blundevil	1226.	1226.
Radulphus	1236.	1236.
Gulielmus de Raley	1239.	1239.
Walterus de Sufeild	1244.	1244.
Simon de Wanton	1257.	1257.
Rogerus de Skerwing	1268.	1266.
Gulielmus Middleton	1278.	1278.
Radulphus Walpoole	1288.	1288.
Joannes Salmon	1299.	1299.
Gulielmus Ayermin	1325.	1325.
Antonius de Beck	1337.	1337.
Gulielmus Bateman		1343.
Thomas Percy		1355.
Henricus Spencer	1370.	1370.
Alexander	1408.	1407.
Richardus Courtney	1413.	1413.
Joannes Wakering	1416.	1416.
Gulielmus Alnewick	1426.	1426.
Thomas Brown	1436.	1436.
Gualterus Hart	1445.	1445.
Jacobus Goldwell	1472.	1472.
Thomas Jan	1499.	1499.
Richardus Nix	1501.	1501.
Gulielmus Rugg al. Repps.	1536.	1536.
Thomas Thirlbey	1550.	1550.
Joannes Hopton	1554.	1554.
Joannes Parkhurſt	1560.	1560.
Edmundus Freak	1575.	1575.
Edmundus Scambler	1584.	1584.
Gulielmus Redman	1594.	1594.
Joannes Jegon	1602.	1602.
Joannes Overall	1618.	1618.
Samuel Harſnet	1619.	1619.
Franciſcus White		1628.
Richardus Corbet		1632.
Richardus Montague		1638.
Joſephus Hall		1641.
Edwardus Reynolds		1660.
Antonius Sparrow		1676.
Gulielmus Lloyd		1685.
Joannes Moore		1691.
Carolus Trimnell		1707.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Thomas Green		1721.
Joannes Leng		1723.
Gulielmus Baker		1727.
Robertus Butts		1732.
Thomas Gooch		1738.

Sedes WIGORNIENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Boſelus	679.	680.
Oſtforus		691.
Egwinus		692.
Wilfridus	717.	717.
Milredus		743.
Weremundus		775.
Tilherus		778.
Eathoredus		781.
Denebertus		798.
Eadbertus		822.
Alwinus		
Werefridus		873.
Wilfreth		
Ethelhunus	915.	915.
Wilferth	922.	922.
Kinewoldus	929.	929.
Dunſtanus		957.
Oſwaldus		960.
Adulfus		992.
Wulſtanus I.		1002.
Leofiius		1024.
Britteagus		1033.
Livingus	1038.	1038.
Aldredus		1046.
Wulſtanus II.		1062.
Samſon	1097.	1096.
Theulphus	1115.	1115.
Simon	1125.	1125.
Aluredus		1158.
Joannes Pagham		1150.
Rogerus		1164.
Baldwinus	1181.	1180.
Gulielmus de Northale	1189.	1186.
Robertus	1191.	1191.
Henricus		1193.
Joannes de Conſtantiis	1196.	1196.
Maugerus	1200.	1200.
Walterus Gray	1214.	1214.
Silveſter		1216.
Gulielmus de Bleys	1218.	1218.
Walterus de Cantilupo	1237.	1237.
Nicolaus de Ely	1268.	1266.
Godefridus Giffard	1269.	1268.
Gulielmus de Geynsborough.	1302.	1302.
Walterus Raynald	1308.	1308.
Walterus Maydenſton	1313.	1313.
Thomas Cobham	1317.	1317.
Adamus de Orlton	1327.	1327.
Simon Montacutus	1333.	1333.
Thomas Hennihall	1337.	1337.
Wulſtanus de Braundesford.	1338.	1338.
Joannes Thursby	1349.	1349.
Reginaldus Brian	1352.	1352.
Joannes Barnet	1362.	1362.
Gulielmus Wittleſey	1363.	1363.
Gulielmus de Lynna	1368.	1368.
Henricus Wakefeild	1375.	1375.
Tidemannus de Winchcomb.	1395.	1395.
Richardus Clifford	1401.	1401.
Thomas Peverell	1407.	1407.
Philippus Morgan	1419.	1419.
Thomas Polton	1426.	1425.
Thomas Bourchier	1435.	1435.
Joannes Carpenter	1443.	1443.
Joannes Alcock	1476.	1477.
Robertus Morton	1486.	1486.
Joannes Gigles	1497.	1497.
Silveſter Gigles	1499.	1998.
Julius Medicis	1521.	1521.
Hieronimus de Nugutiis	1522.	1522.
Hugo Latimer	1535.	1535.
Joannes Bell	1539.	1539.
Nicolaus Heath	1543.	1543.
Joannes Hooper	1551.	1552.
Richardus Pates	1554.	1554.
Edwinus Sands	1559.	1559.
Nicolaus Bullingham	1570.	1570.
Joannes Whitgift	1577.	1577.
Edmundus Freak	1584.	1584.
Richardus Fletcher	1593.	1592.
Thomas Bilſon	1596.	1596.
Gervaſius Babington	1597.	1597.
Henricus Parry	1610.	1610.
Joannes Thornborough	1616.	1616.
Joannes Prideaux		1641.
Georgius Morley		1660.
Joannes Gauden		1662.
Joannes Earle		1662.
Robertus Skinner		1663.
Walterus Blandford		1671.
Jacobus Fleetwood		1675.
Gulielmus Thomas		1683.
Edwardus Stillingfleet		1689.
Gulielmus Lloyd		1699.
Joannes Hough		1717.

Sedes HEREFORDENSIS.

	Conſecrat Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Putta	680.	676.
Tirhtellus		691.
Torteras		718.
Waſtoldus		
Cuthbertus	736.	736.
Podda		741.
Ecca		
Cedda		
Albertus		
Eſna		
Celmund		
Utellus		
Wulfhard		
Benna		
Edulfus		
Cuthwulfus		
Mucellus		
Deorlaf		

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Cunemund		
Edgar		
Tidhelm		
Wulfhelm		
Alfricus		
Athulfus		
Ethelſtanus		1012.
Leovegarus		1056.
Walterus	1060.	1060.
Robertus Loſinga	1079.	1079.
Gerardus		1096.
Raynelmus	1107.	1107.
Galfridus de Cliva	1115.	1115.
Richardus	1120.	1120.
Robertus de Betun	1131.	1131.
Gilbertus Foliot	1149.	1147.
Robertus de Melun	1162.	1163.
Robertus Foliot	1174.	1174.
Gulielmus Verus	1186.	1186.
Aegidius de Bruſe	1200.	1200.
Hugo de Mapenore	1216.	1216.
Hugo Foliot	1219.	1219.
Radulphus de Maydenſtan.	1234.	1234.
Petrus de Egueblank	1239.	1240.
Joannes Breton	1268.	1269.
Thomas Cantilupus	1275.	1275.
Richardus Swinfeild	1282.	1282.
Adam de Orlton	1317.	1317.
Thomas Charlton	1327.	1327.
Joannes Trilleck	1344.	1344.
Ludovicus Charlton	1361.	1361.
Gulielmus Courtney	1369.	1369.
Joannes Gilbert	1375.	1375.
Joannes Trevenant	1389.	1389.
Robertus Maſcall	1405.	1404.
Edmundus Lacy	1417.	1417.
Thomas Polton	1420.	1420.
Thomas Spofford	1422.	1421.
Richardus Beauchamp	1448.	1448.
Reginaldus Butler	1450.	1450.
Joannes Stanbery	1453.	1453.
Thomas Milling	1474.	1474.
Edmundus Audley	1492.	1492.
Hadrianus de Caſtello	1502.	1502.
Richardus Mayo	1504.	1504.
Carolus Boothe	1516.	1516.
Edwardus Fox	1535.	1535.
Joannes Skip	1539.	1539.
Joannes Harley	1553.	1553.
Robertus Parfew	1554.	1554.
Joannes Scory	1559.	1559.
Herebertus Weſtfayling	1585.	1585.
Robertus Bennet	1602.	1602.
Franciſcus Godwin	1617.	1617.
Auguſtinus Lindſell		1633.
Matthaeus Wren		1634.
Theophilus Field		1635.
Georgius Coke		1636.
Nicolaus Monk		1660.
Herebertus Croft		1661.
Gilbertus Ironſide		1691.
Humfredus Humphreys		1701.
Philippus Biſſe		1712.
Benjamin Hoadly		1721.
Henricus Egerton		1723.

Sedes CICESTRENSIS.

Epiſcopi Seolſeyenſes.

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Wilfridus		
Eadbertus	711.	711.
Eolla		
Sigga	733.	733.
Alubrith		
Oſa		790.
Giſelherus		
Tota		
Wigthun		
Ethelulphus		
Beornegus	906.	906.
Coenred		
Gutheard		
Alfred	960.	960.
Eadhelm	970.	970.
Ethelgarus	980.	980.
Ordbright	988.	988.
Elmar		
Ethelricus	1019.	1019.
Grinketellus	1039.	1039.
Heca	1047.	1047.
Agelricus	1057.	1057.

Epiſcopi Ciceſtrenſes

	Conſecrat. Edit. Godw. A. D.	ſecundum Edit. noſtr. A. D.
Stigandus	1070.	1070.
Gulielmus		1088.
Radulphus		1091.
Seffridus I.	1125.	1125.
Hilarius		1148.
Joannes de Greenford	1174.	1174.
Seffridus II.		1180.
Simon de Welles	1198.	1204.
Nicolaus de Aquila	1209.	1210.
Richardus Poore	1215.	1214.
Radulphus de Warham	1217.	1217.
Radulphus Nevill	1223.	1224.
Richardus de la Wich	1245.	1245
Joannes Clipping	1253.	1253.
Stephanus de Berkſtead	1261.	1262.
Gilbertus de S. Leofardo	1288.	1288.
Joannes de Langton		1305.
Robertus Stratford		1337.
Gulielmus de Len	1362.	1362.
Gulielmus Reade	1369.	1369.
Thomas Ruſhook	1385.	1385.
Richardus Mitford		1389.
Robertus Waldby	1395.	1395.
Robertus Reade	1396.	1396.
Stephanus Patrington	1417.	1415.
Henricus Ware	1418.	1418.
Joannes Kemp	1422.	1420.
Thomas Polton	1423.	1421.
Joannes Rickingale	1426.	1426.
Simon Sidenham	1430.	1429.

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat.	ſecundum
	Edit. Godw. A. D.	Edit. noſtr. A. D.
Richardus Praty		1438.
Adam Molins	1445.	1445.
Reginaldus Peacock	1450.	1449.
Joannes Arundell	4458.	1457.
Edwardus Story	1477.	1477.
Richardus Fitz-James	1504.	1503.
Robertus Sherborn	1508.	1508.
Richardus Sampſon	1536.	1536.
Georgius Day	1543.	1543.
Joannes Scory		1552.
Joannes Chriſtopherſon	1557.	1557.
Gulielmus Barlow	1559.	1559.
Richardus Curteis	1570.	1570.
Thomas Bickley	1585.	1584.
Antonius Watſon	1596.	1596.
Lancelotus Andrews	1605.	1605.
Samuel Harſnet	1609.	1609.
Georgius Carlton	1619.	1619.
Richardus Mountague		1628.
Brianus Duppa		1638.
Henricus King		1641.
Petrus Gunning		1669.
Radulphus Brideoak		1675.
Guido Carleton		1678.
Joannes Lake		1685.
Simon Patrick		1689.
Robertus Grove		1691.
Joannes Williams		1696.
Thomas Manningham		1709.
Thomas Bowers		1722.
Edwardus Waddington		1724.
Franciſcus Hare		1731.
Matthias Mawſon		1740.

Sedes ROFFENSIS.

	Conſecrat.	ſecundum
	Edit. Godw. A. D.	Edit. noſtr. A. D.
Juſtus	606.	604.
Romanus	622.	624.
Paulinus	631.	633.
Ithamar		644.
Damianus	656.	656.
Putta	669.	669.
Quichelmus	676.	676.
Gebmundus	681.	681.
Tobias	693.	692.
Adulfus	727.	727.
Dun, al. Duina	741.	741.
Eardulfus	747.	747.
Diora		778.
Weremundus		788.
Beornmod	800.	803.
Tadnoth		841.
Bedenoth		
Godwinus		
Cutherwulf		868.
Swithulfus		880.
Buiricus		898.
Cheolmund		
Chineferth		
Burrhicus		
Alfſtanus		955.
Godwinus		985.
Godwinus		
Siwardus	1058.	1058.
Arnoſtus	1075.	1075.
Gundulphus	1077.	1076.
Radulphus	1108.	1108.
Earnulphus	1115.	1115.
Joannes	1125.	1125.
Aſcelinus		1142.
Walterus	1147.	1147.
Gualerinus	1183.	1182.
Gilbertus Glanvill	1185.	1185.
Benedictus	1214.	1214.
Henricus de Sanford	1227.	1227.
Richardus de Wendover	1238.	1238.
Laurentius de S. Martino	1251.	1251.
Walterus de Merton	1274.	1274.
Joannes de Bradfeild	1278.	1278.
Thomas Inglethorp	1283.	1283.
Thomas de Wuldham	1291.	1291.
Haymo de Heath	1319.	1319.
Joannes de Shepey	1352.	1352.
Gulielmus Wittleſey	1361.	1361.
Thomas Trilleg	1363.	1364.
Thomas Brinton	1372.	1372.
Gulielmus de Bottleſham	1389.	1389.
Joannes de Bottleſham	1400.	1400.
Richardus Yong	1404.	1404.
Joannes Kemp	1419.	1419.
Joannes Langdon	1422.	1422.
Thomas Brown	1434.	1435.
Gulielmus Wells	1436.	1436.
Joannes Lowe	1443.	1444.
Thomas Rotheram	1467.	1468.
Joannes Alcock	1471.	1471.
Joannes Ruſſell	1476.	1476.
Edmundus Audley	1480.	1480.
Thomas Savage	1492.	1493.
Richardus Fitz-James	1496.	1497.
Joannes Fiſher	1504.	1504.
Joannes Hilſey	1536.	1535.
Nicolaus Heath	1539.	1540.
Henricus Holbeach	1544.	1544.
Nicolaus Ridley	1547.	1547.
Joannes Poynet	1550.	1550.
Joannes Scory	1551.	1551.
Mauritius Griffin	1554.	1554.
Edmundus Gueſt	1559.	1559.
Edmundus Freake	1571.	1571.
Joannes Piers	1576.	1576.
Joannes Yong	1577.	1577.
Gulielmus Barlowe	1605.	1605.
Richardus Neile	1608.	1608.
Joannes Buckeridge	1611.	1611.
Walterus Curle		1628.
Joannes Bowle		1629.
Joannes Warner		1637.
Joannes Dolben		1666.
Franciſcus Turner		1683.
Thomas Sprat		1684.
Franciſcus Atterbury		1713.
Samuel Bradford		1723.
Joſephus Wilcocks		1731.

Sedes

INDEX CHRONOLOGICUS.

Sedes OXONIENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Robertus King	1541.	1542.
Hugo Curwin	1567.	1567.
Joannes Underhill	1589.	1589.
Joannes Bridges	1603.	1603.
Joannes Howſon	1619.	1619.
Richardus Corbet		1628.
Joannes Bancroft		1632.
Robertus Skinner		1640.
Gulielmus Paul		1663.
Walterus Blandford		1665.
Nathaniel Crew		1671.
Henricus Compton		1674.
Joannes Fell		1675.
Samuel Parker		1686.
Timotheus Hall		1688.
Joannes Hough		1690.
Gulielmus Talbot		1699.
Joannes Potter		1715.
Thomas Secker		1737.

Sedes GLOCESTRENSIS.

Joannes Wakeman	1541.	1541.
Joannes Hooper	1550.	1550.
Jacobus Brokes		1554.
Richardus Cheiney	1562.	1562.
Joannes Bullingham	1581.	1581.
Godfridus Goldsborough	1598.	1598.
Thomas Ravis	1604.	1604.
Henricus Parry	1607.	1607.
Aegidius Tomſon	1611.	1611.
Milo Smith	1612.	1612.
Godefridus Goodman		1624.
Gulielmus Nicholſon		1660.
Joannes Prichet		1672.
Robertus Frampton		1681.
Edwardus Fowler		1691.
Richardus Willis		1714.
Joſephus Wilcocks		1721.
Elias Sydall		1731.
Martinus Benſon		1734.

Sedes PETROBURGENSIS.

Joannes Chambers	1541.	1541.
David Poole	1557.	1557.
Edmundus Scambler	1560.	1560.
Richardus Howland	1584.	1584.
Thomas Dove	1600.	1600.
Gulielmus Pierſe		1630.
Auguſtinus Lindſell		1632.
Franciſcus Dee		1634.
Joannes Towers		1638.
Benjamin Laney		1660.
Joſephus Henſhaw		1663.
Gulielmus Lloyd		1679.
Thomas White		1685.
Richardus Cumberland		1691.
White Kennet		1718.
Robertus Clavering		1728.

Sedes BRISTOLIENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Paulus Buſh	1542.	1542.
Joannes Holyman	1554.	1554.
Richardus Cheyney	1562.	1562.
Joannes Bullingham	1581.	1581.
Richardus Fletcher	1589.	1589.
Joannes Thornborough	1603.	1603.
Nicolaus Felton	1617.	1617.
Rolandus Searchfield	1619.	1619.
Robertus Wright		1622.
Georgius Coke		1632.
Robertus Skinner		1636.
Thomas Weſtfield		1641.
Thomas Howell		1644.
Gilbertus Ironſide I.		1660.
Guido Carleton		1671.
Gulielmus Gulſton		1678.
Joannes Lake		1684.
Jonathan Trelawney		1685.
Gilbertus Ironſide II.		1689.
Joſephus Hall		1691.
Joannes Robinſon		1710.
Georgius Smalridge		1714.
Hugo Boulter		1719.
Gulielmus Bradſhaw		1724.
Carolus Cecill		1732.
Thomas Secker		1734.
Thomas Gooch		1737.
Joſephus Butler		1738.

Sedes WESTMONASTERIENSIS.

Thomas Thirlby	1540.	1540.

Sedes MENEVENSIS.

Archiepiſcopi Menevenſes.

S. David ——
Cenauc ——
Eliud ——
Ceneu ——
Morwal ——
Haernunen ——
Elwaed ——
Gurnven ——
Lendivord ——
Gorwyſc ——
Gogan ——
Cledauc ——
Anian ——
Elvoed ——
Ethelmen ——
Elanc ——
Maſcoed ——
Sadermen ——
Catellus ——
Sulhaithnay ——
Novis ——
Etwal ——
Aſſer ——
Arthuael ——
Sampſon ——

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat.	ſecundum
	Edit. Godw. A. D.	Edit. noſtr. A. D.
Ruclinus		
Rodherich		
Elguni		
Lunverd		
Nergu		
Sulhider		
Eneuris		
Morgeneu		
Nathan		
Jevan		
Arguſtel		
Morgenveth		
Ervin		
Tramerin		
Joſeph		
Bleithud		
Sulgheim		
Abraham		
Rithmarch		
Wilfridus		

Epiſcopi Menevenſes.

Bernardus	1115.	1115.
David Fitz-Gerald		1147.
Petrus	1176.	1176.
Galfridus		1203.
Silveſter Giraldus	1199.	
Jorwerth	1215.	1215.
Anſelmus	1247.	1230.
Thomas	1247.	1248.
Thomas Carren		1256.
Thomas Beck	1280.	1280.
David de S. Edmundo	1293.	
David Martin		1296.
Henricus Gower	1328.	1328.
Joannes Thorisby	1347.	1347.
Reginaldus Brian	1349.	1350.
Thomas Faſtolf	1353.	1352.
Adam Houghton	1361.	1361.
Joannes Gilbert	1389.	1389.
Guido de Mona	1401.	1397.
Henricus Chichley	1409.	1408.
Joannes Keterich	1414.	1414.
Stephanus Patrington	1415.	1415.
Benedictus Nicols	1417.	1417.
Thomas Rodburn		1433.
Gulielmus Linwood		1442.
Joannes Langton	1446.	1447.
Joannes Delabere	1447.	1447.
Robertus Tully		1460.
Richardus Martin	1482.	1482.
Thomas Langton	1483.	1483.
Hugo Pavy		1485.
Joannes Morgan	1503.	1496.
Robertus Sherborn		1505.
Edwardus Vaughan	1509.	1509.
Richardus Raulins	1523.	1523.
Gulielmus Barlow	1536.	1536.
Robertus Ferrar	1549.	1548.
Henricus Morgan		1554.
Thomas Young	1559.	1559.
Richardus Davies	1561.	1561.

	Conſecrat.	ſecundum
	Edit. Godw. A. D.	Edit. noſtr. A. D.
Marmaducus Middleton		1582.
Antonius Rudd	1594.	1594.
Richardus Milborn	1615.	1615.
Gulielmus Laud	1621.	1621.
Theophilus Field		1627.
Rogerus Mainwaring		1635.
Gulielmus Lucy		1660.
Gulielmus Thomas		1677.
Laurentius Womack		1683.
Joannes Lloyd		1686.
Thomas Watſon		1687.
Georgius Bull		1705.
Philippus Biſſe		1710.
Adam Ottley		1712.
Richardus Smalbrook		1723.
Elias Sydall		1731.
Nicolaus Clagget		1731.

Sedes LANDAVENSIS.

Dubritius		
Teliau		
Oudoceus		
Ubilwynus		
Aidanus		
Elgiſtil		
Lunapeius		
Comegern		
Argwiſtil		
Gurvan		
Guodloiu		
Edilbinus		
Grecielus		
Berthgwin		
Trychan		
Elvogus		
Catgwaret		
Cerenhir		
Nobis		
Gulfridus		
Nudd		
Cimeliauc		
Libiau		927.
Marchlvith		
Pater		
Gucan, al. Gogwan	982.	982.
Bledri	993.	983.
Joſeph	1022.	1022.
Herewaldus	1056.	1056.
Urbanus	1107.	1107.
Uhtrid	1139.	1139.
Galfridus		
Nicolaus de Gurgant		1149.
Gulielmus de Salſo Mariſco.		1185.
Henricus		1194.
Gulielmus	1219.	1219.
Elias de Radnor		1234.
Gulielmus de Burgo	1244.	1244.
Joannes de la Ware		1253.
Gulielmus de Radnor		1256.
Gulielmus de Brews	1266.	1266.
Joannes Monumethenſis	1269.	1295.

Joannes

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Joannes de Egleſcliff	1323.	1323.
Joannes Paſcal	1347.	1347.
Rogerus Cradock	1362.	1361.
Thomas Ruſhook	1383.	1383.
Gulielmus de Bottleſham		1386.
Edmundus Bromfeld	1389.	1389.
Tidemannus		1393.
Andreas Barret		1395.
Joannes Burghill		1396.
Thomas Peverell	1399.	1398.
Joannes la Zouch	1408.	1408.
Joannes Welles	1423.	1425.
Nicolaus Aſhby	1441.	1441.
Joannes Hunden	1458.	1458.
Joannes Smith		1476.
Joannes Marſhall	1478.	1478.
Joannes Ingleby		1496.
Milo Salley	1504.	1500.
Georgius Athequa	1516.	1516.
Robertus Holgate	1537.	1537.
Antonius Kitchin	1545.	1545.
Hugo Jones	1566.	1566.
Gulielmus Blethin	1575.	1575.
Gervaſius Babington	1591.	1591.
Gulielmus Morgan	1595.	1595.
Franciſcus Godwin	1601.	1601.
Georgius Carlton	1618.	1618.
Theophilus Feild	1619.	1619.
Gulielmus Murray		1627.
Morganus Owen		1639.
Hugo Lloyd		1660.
Franciſcus Davies		1667.
Gulielmus Lloyd		1675.
Gulielmus Beaw		1679.
Joannes Tyler		1706.
Robertus Clavering		1724.
Joannes Harris		1729.
Matthias Mawſon		1738.
Joannes Gilbert		1740.

Sedes BANGORENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Hervaeus		1092.
David	1120.	1120.
Mauritius, al. Meuric	1139.	1139.
Gulielmus		
Guido, al. Guianus	1177.	1177.
Albanus	1195.	1195.
Robertus Salopienſis	1197.	1197.
Caducanus	1215.	1215.
Howellus	1236.	1236.
Richardus		1237.
Anianus	1267.	1267.
Caducanus	1306.	1306.
Gruffinus	1306.	1307.
Ludovicus	1320.	
Matthaeus	1334.	1328.
Thomas de Ringſtead	1357.	1357.
Gervaſius de Caſtro	1367.	1367.
Howellus	1370.	1371.
Joannes Gilbert		1372.
Joannes	1376.	1376.
Joannes Swaffam		
Richardus Yong	1400.	1400.
Ludovicus		
Benedictus Nicolls	1408.	1408.
Gulielmus Barrow	1418.	1418.
Nicolaus		
Thomas Cheriton	1436.	1436.
Joannes Stanbery	1448.	1448.
Jacobus		1452.
Thomas Ednam	1464.	1464.
Henricus Dean	1496.	1496.
Thomas Pigot	1500.	1500.
Joannes Penny	1504.	1505.
Thomas Skevington	1509.	1509.
Joannes Capon	1534.	1534.
Joannes Bird	1539.	1539.
Arthurus Bulkley	1541.	1541.
Gulielmus Glyn	1555.	1555.
Rolandus Merick	1559.	1559.
Nicolaus Robinſon	1566.	1566.
Hugo Bellot	1585.	1585.
Richardus Vaughan	1595.	1595.
Henricus Rowlands	1598.	1598.
Ludovicus Bayly	1616.	1616.
David Dolben		1631.
Edmundus Griffith		1633.
Gulielmus Roberts		1637.
Robertus Morgan		1666.
Humfredus Lloyd		1673.
Humfredus Humphreys		1689.
Joannes Evans		1701.
Benjamin Hoadly		1715.
Richardus Reynolds		1721.
Gulielmus Baker		1723.
Thomas Sherlock		1727.
Carolus Cecil		1734.
Thomas Herring		1737.

Sedes ASAPHENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Kentigernus		
S. Aſaph		
Galfridus	1151.	1151.
Adam		1175.
Reinerus	1188.	1186.
Abraham		1225.
Howel ap Ednevet	1235.	1240.
Anianus I.	1248.	1249.
Anianus II.	1268.	1268.
Leolinus de Bromfeild	1293.	1293.
David ap Blethin	1319.	1314.
Ephraim		
Henricus		
Joannes Trevaur I.		1352.
Leolinus ap Madoc	1357.	1357.
Gulielmus de Spridlington	1376.	1376.
Laurentius Child	1382.	1382.
Alexander Bach	1390.	1390.
Joannes Trevaur II.	1395.	1395.
Robertus	1411.	1410.
Joannes Low		1433.
Reginaldus Peacock	1444.	1444.

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Thomas	1450.	1450.
Richardus Redman		1471.
David ap Owen	1503.	1503.
Edmundus Birkhead	1513.	1513.
Henricus Standiſh	1519.	1518.
Gulielmus Barlow	1535.	1535.
Robertus Parfew	1536.	1536.
Thomas Goldwell	1555.	1555.
Richardus Davies	1559.	1559.
Thomas Davies	1561.	1561.
Gulielmus Hughes	1573.	1573.
Gulielmus Morgan	1601.	1601.
Richardus Parry	1604.	1604.
Joannes Hanmer		1623.
Joannes Owen		1629.
Georgius Griffith		1660.
Henricus Glemham		1667.
Iſaac Barrow		1669.
Gulielmus Lloyd		1680.
Edwardus Jones		1699.
Georgius Hooper		1703.
Gulielmus Beveridge		1704.
Gulielmus Fleetwood		1708.
Joannes Wynne		1714.
Franciſcus Hare		1727.
Thomas Tanner		1731.
Iſaac Maddox		1736.

Sedes EBORACENSIS.

	Conſecrat. Edit. Godw. A.D.	ſecundum Edit. noſtr. A.D.
Paulinus		625.
Cedda		664.
Wilfridus I.		667.
Boſa		677.
Joannes	687.	687.
Wilfridus II.	718.	718.
Egbertus	731.	743.
Coena, al. Albertus	767.	767.
Eanbaldus I.	781.	780.
Eanbaldus II.	797.	796.
Wulſius		812.
Wimundus	832.	831.
Wilferus	854.	854.
Ethelbaldus	897.	
Redewardus		
Wulſtanus I.		941.
Oskitellus	955.	956.
Athelwoldus	971.	
Oſwaldus	971.	972.
Aldulfus	993.	993.
Wulſtanus II.	1003.	1003.
Alfricus, al. Putta	1023.	1023.
Kinſius	1050.	1051.
Aldredus	1061.	1061.
Thomas I.	1070.	1070.
Gerardus	1101.	1101.
Thomas II.	1109.	1109.
Thurſtanus	1119.	1119.
Henricus Murdac	1142.	1147.
S. Gulielmus	1153.	1153.
Rogerus	1154.	1154.
Galfridus Plantagenet	1191.	1191.
Walterus Gray	1217.	1215.
Sewallus	1256.	1256.
Godfridus de Kinton	1258.	1258.
Walterus Giffard	1265.	1265.
Gulielmus Wickwane	1279.	1279.
Joannes Romanus	1285.	1285.
Henricus Newerk	1298.	1298.
Thomas Corbridge	1299.	1299.
Gulielmus de Greenfeild	1305.	1305.
Gulielmus de Melton	1317.	1317.
Gulielmus le Zouch	1342.	1342.
Joannes Thorisby	1352.	1352.
Alexander Nevill	1373.	1374.
Thomas Arundell	1388.	1388.
Robertus Waldby	1396.	1396.
Richardus Scroope	1397.	1398.
Henricus Bowett	1406.	1407.
Joannes Kemp	1425.	1426.
Gulielmus Boothe	1453.	1452.
Georgius Nevill	1466.	1464.
Laurentius Booth	1477.	1476.
Thomas Rotheram	1480.	1480.
Thomas Savage	1501.	1501.
Chriſtophorus Bambridge	1508.	1508.
Thomas Wolſey	1515.	1514.
Edwardus Lee	1531.	1531.
Robertus Holgate	1544.	1544.
Nicolaus Heath	1553.	1555.
Thomas Young	1560.	1560.
Edmundus Grindall	1570.	1570.
Edwinus Sands	1576.	1576.
Joannes Piers	1588.	1588.
Matthaeus Hutton	1594.	1594.
Tobias Matthews	1606.	1606.
Georgius Mountaigne		1628.
Samuel Harſnet		1628.
Richardus Neile		1631.
Joannes Williams		1641.
Acceptus Frewen		1660.
Richardus Sterne		1664.
Joannes Dolben		1683.
Thomas Lamplugh		1688.
Joannes Sharp		1691.
Gulielmus Dawes		1713.
Lancelotus Blackburne		1724.

Sedes DUNELMENSIS.

Epiſcopi Lindisfarnenſes.

Aidanus	637.	635.
Finanus	651.	651.
Colmannus	661.	661.
Tuda	664.	664.
Eata	665.	665.
Cuthbertus	684.	685.
Eadbertus	687.	688.
Egbertus		698.
Ethelwoldus		724.
Kenulfus		740.
Higbaldus		781.
Egbertus	802.	803.

Egfridus

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Conſecrat. ſecundum Edit. Godw. A. D.	 Edit. noſtr. A. D.
Egfridus		830.
Eanbertus		846.

Epiſcopi Cunecaceſtrenſes.

Eardurfus		854.
Cuthardus		900.
Tilredus		915.
Withredus		927.
Uhtredus		944.
Sexhelmus		947.
Aldredus		957.
Alffius		968.

Epiſcopi Haguſtaldenſes.

Eata		678.
Tumbertus		681.
Eata iterum		685.
Joannes Beverlacenſis		686.
Acca	709.	709.
Frithebertus	734.	734.
Alhmundus	767.	767.
Tilherus		
Aethelbertus	789.	789.
Heandredus	797.	797.
Eanbertus		800.
Tidferthus		806.

Epiſcopi Dunelmenſes.

Aldwinus	990.	990.
Eadmundus	1025.	1021.
Eadredus		1041.
Egelricus		1042.
Egelwinus		1056.
Walcherus	1071.	1071.
Gulielmus de S. Carilefo	1080.	1080.
Ranulfus Flambard	1099.	1099.
Galfridus Rufus	1128.	1133.
Gulielmus de S. Barbara	1143.	1143.
Hugo Puſar	1154.	1153.
Philippus Pictavienſis	1197.	1197.
Richardus de Mariſco	1217.	1217.
Richardus Poore	1228.	1228.
Nicolaus de Fernham	1241.	1241.
Walterus de Kirkham	1250.	1249.
Robertus Stitchell	1260.	1260.
Robertus de Inſula	1274.	1274.
Antonius Beak	1283.	1283.
Richardus Kellow	1311.	1311.
Ludovicus Beaumont	1317.	1318.
Richardus de Bury	1333.	1333.
Thomas Hatfeild	1345.	1345.
Joannes Fordham	1381.	1381.
Walterus Skirlaw	1388.	1388.
Thomas Langley	1406.	1406.
Robertus Nevill	1438.	1438.
Laurentius Boothe	1457.	1457.
Gulielmus Dudley	1476.	1476.
Joannes Sherwood	1483.	1485.
Richardus Fox	1494.	1494.
Gulielmus Severus	1502.	1502.
Chriſtophorus Bambridge	1507.	1507.
Thomas Ruthall	1508.	1509.

	Conſecrat. ſecundum Edit. Godw. A. D.	 Edit. noſtr. A. D.
Thomas Wolſey	1523.	1523.
Cuthbertus Tunſtall	1530.	1530.
Jacobus Pilkinton	1560.	1560.
Richardus Barnes	1577.	1577.
Matthaeus Hutton	1589.	1589.
Tobias Matthews	1594.	1595.
Gulielmus James	1606.	1606.
Richardus Neile	1617.	1617.
Georgius Mountaigne		1627.
Joannes Howſon		1628.
Thomas Moreton		1632.
Joannes Coſin		1660.
Nathaniel Crew		1674.
Gulielmus Talbot		1721.
Edwardus Chandler		1730.

Sedes CARLEOLENSIS.

Adelwaldus	1133.	1133.
Bernardus		1157.
Hugo	1218.	1216.
Walterus Malclerk	1223.	1223.
Silveſter de Everdon	1247.	1247.
Thomas Vipont	1255.	1254.
Robertus Chauſe	1258.	1258.
Radulfus de Ireton	1280.	1280.
Joannes de Halton	1288.	1292.
Joannes de Roſſe	1318.	1325.
Joannes de Kirkby	1332.	1332.
Gilbertus de Welton	1353.	1353.
Thomas de Appleby	1363.	1363.
Robertus Reade	1396.	1396.
Thomas Merkes	1397.	1396.
Gulielmus de Strikland	1400.	1400.
Rogerus Whelpdale	1419.	1419.
Gulielmus Barrow	1423.	1422.
Marmaducus Lumley	1430.	1430.
Nicolaus Cloſe	1450.	1449.
Gulielmus Percy	1452.	1452.
Joannes Kingſcote	1462.	1462.
Richardus Scroope	1464.	1464.
Edwardus Storey	1468.	1468.
Richardus Bell	1478.	1478.
Gulielmus Sever	1496.	1496.
Rogerus Layburn	1503.	1503.
Joannes Penny	1509.	1509.
Joannes Kite	1520.	1521.
Robertus Aldrich	1537.	1537.
Owinus Oglethorp	1556.	1557.
Joannes Beſt	1561.	1560.
Richardus Barnes	1570.	1570.
Joannes Mey	1577.	1577.
Henricus Robinſon	1598.	1598.
Robertus Snowden	1616.	1616.
Richardus Milborn	1621.	1621.
Richardus Senhouſe		1624.
Franciſcus White		1626.
Barnabas Potter		1628.
Jacobus Uſher		1641.
Richardus Sterne		1660.
Edwardus Rainbow		1664.
Thomas Smith		1684.

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Consecrat. secundum Edit. Godw. A. D.	Edit. noſtr. A. D.
Gulielmus Nicholſon		1702.
Samuel Bradford		1718.
Joannes Waugh		1723.
Georgius Fleming		1734.

Sedes CESTRENSIS.

	Consecrat. secundum Edit. Godw. A. D.	Edit. noſtr. A. D.
Joannes Bird		1541.
Georgius Cotes	1556.	1554.
Cuthbertus Scott		1556.
Gulielmus Downham	1561.	1561.
Gulielmus Chaderton	1579.	1579.
Hugo Bellot	1595.	1595.
Richardus Vaughan	1597.	1597.
Georgius Lloyd	1604.	1604.
Thomas Morton	1616.	1616.
Joannes Bridgeman	1619.	1619.
Brian Walton		1660.
Henricus Ferne		1661.
Georgius Hall		1662.
Joannes Wilkins		1668.
Joannes Pearſon		1672.
Thomas Cartwright		1686.
Nicolaus Stratford		1689.
Gulielmus Dawes		1707.
Franciſcus Gaſtrell		1714.
Samuel Peploe		1726.

CARDINALES.

Joanna Papa.
Ulricus.
Robertus Pollen.
Hadrianus 4 Papa.
Galfridus Monumethenſis.
Boſo.
Henricus Bleſenſis.
Herebertus de Boſham
Joannes Cummin
Stephanus Lancton
Rogerus Curſon.
Robertus Somercot.
Joannes.
Ancherus.
Gulielmus Bray.
Robertus Kilwardby.
Hugo de Eveſham.
Theobaldus.
Bernardus de Anguiſcello.
Berardus.
Arnoldus de Cantilupo.
Leonardus Guercinus.
Gulielmus Maklesfeild.
Walterus Winterborn.
Thomas Joyce.
Sertorius Wallenſis.
Urbanus 5 Papa.
Grimoaldus de Griſant.
Joannes Thorisby.
Simon Langham.
Adamus Eaſton.
Gulielmus Courtney.
Philippus Repindon.
Thomas Langley.
Robertus Halam.
Henricus Beaufort.
Henricus Chichley.
Joannes Stafford.
Joannes Kemp.
Thomas Bourchier.
Joannes Moorton.
Chriſtophorus Urſwike.
Chriſtophorus Bambridge.
Thomas Wolſey.
Joannes Fiſher.
Reginaldus Poole.
Petrus Petow.
Gulielmus Allen.
Philippus Howard.

INDEX ALPHABETICUS
PRAENOMINUM
ARCHIEPISCOPORUM et EPISCOPORUM
ANGLIAE.

			A. D.
ABRAHAM.		Menev.	
		Aſaph.	1225.
Acca.		Norw.	673.
		Dunel.	709.
Acceptus	Frewen.	Lichf.	1644.
		Ebor.	1660.
Adam		Aſaph.	1175.
	Houghton.	Menev.	1361.
	Molins.	Ciceſtr.	1445.
	Orlton.	Heref.	1317.
		Wigor.	1327.
		Wint.	1333.
	Ottley.	Menev.	1712.
Adelmus.		Bath.	909.
Adelredus.		Exon.	
Adelwaldus.		Carl.	1133.
Adelwinus.		Bath.	997.
Adferthus.		Wint.	863.
Adulfus.		Roffen.	727.
Aegidius	de Bridport.	Sariſb.	1256.
	de Bruſe.	Heref.	1200.
	Tomſon.	Gloceſt.	1611.
Aelphunus.		Norw.	
Aeſcwy.		Lincol.	
Agelricus.		Ciceſtr.	1019.
		Ciceſtr.	1057.
Agelnothus.		Cant.	1020.
Agilbertus.		Lincol.	650.
		Wint.	650.
Aidanus.		Land.	
		Dunel.	635.
Ailnothus.		Lincol.	960.
Albanus.		Bang.	1195.
Albertus.		Ebor.	767.
		Heref.	
Alcarus.		Norw.	
Aldberthus.		Norw.	767.
Aldhelmus.		Sariſb.	705.
Aldredus.		Exon.	
		Lincol.	851.
		Dunel.	957.
		Wigor.	1046.
		Ebor.	1061.
Aldulfus.		Lichf.	786.

			A. D.
		Ebor.	993.
Aldwinus.		Lichf.	721.
		Dunel.	990.
Alexander.		Lincol.	1123.
	Bach.	Aſaph.	1390.
	Hyde.	Sariſb.	1665.
	Nevill.	Ebor.	1374.
	de Savenſby.	Lichf.	1224.
	Totington.	Norw.	1407.
Alfgar.		Lichf.	944.
		Sariſb.	981.
Alfredus.		Sariſb.	940.
		Ciceſtr.	960.
		Exon.	978.
Alfricus.		Sariſb.	989.
		Cant.	996.
	al. Putta.	Ebor.	1023.
		Norw.	
		Heref.	
Alfridus.		Norw.	
Alfſius.		Sariſb.	875.
		Wint.	951.
		Dunel.	968.
Alfſtanus.		Lond.	961.
		Sariſb.	971.
		Roffen.	955.
Alfwoldus.		Exon.	953.
		Sariſb.	978.
		Exon.	989.
Algarus.		Norw.	
		Norw.	
		Exon.	
Alherdus.		Norw.	785.
Alhmundus.		Dunel.	767.
		Wint.	803.
Alhunus.		Lond.	1012.
Alifreius.		Norw.	
Alphegus.		Bath.	
Alſhelmus.		Lincol.	
Alubrith.		Ciceſtr.	
Aluredus.		Wigor.	1158.
Aluricius.		Sariſb.	989.
		Cant.	996.
Alwigh.		Lincol.	732.

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
Alwinus.		Wigor.	
		Bath.	997.
		Norw.	1020.
		Wint.	1032.
Alwolfus.		Exon.	972.
Alwy.		Lond.	
Andreas	Barret.	Land.	1395.
Anianus.		Menev.	
		Aſaph.	1249.
		Bang.	1267.
		Aſaph.	1268.
Anſelmus.		Cant.	1093.
		Menev.	1230.
Antonius	Beak.	Dunel.	1283.
	de Beck.	Norw.	1337.
	Kitchin.	Land.	1545.
	Rudd.	Menev.	1594.
	Sparrow.	Exon.	1667.
		Norw.	1676.
	Watſon.	Ciceſtr.	1596.
Arguſtel.		Menev.	
Argwiſtil.		Land.	
Arnoſtus.		Roſſen.	1075.
Arthuael.		Menev.	
Arthurus	Bulkley.	Bang.	1541.
	Lake.	Bath.	1616.
Aſaph.		Aſaph.	
Aſcelinus.		Roſſen.	1142.
Aſcwyn.		Lincol.	
Aſſer.		Menev.	
		Sariſb.	879.
Aſtwolphus.		Norw.	
Athelardus.		Wint.	780.
		Cant.	793.
Athelmus.		Wint.	
		Bath.	909.
		Cant.	923.
Athelredus.		Cant.	871.
Athelſtanus.		Exon.	909.
		Exon.	
		Norw.	
Athelwoldus.		Ebor.	
Athelwolfus.		Norw.	
Athulfus.		Norw.	955.
		Heref.	
Auguſtinus.		Cant.	597.
	Lindſell.	Petrob.	1632.
		Heref.	1633.

B.

Baldwinus.		Wigor.	1180.
		Cant.	1184.
Barnabas	Potter.	Carl.	1628.
Bartholomaeus	Iſcanus.	Exon.	1161.
Bedenoth.		Roſſen.	
Bedwinus.		Norw.	673.
Benedictus.		Roſſen.	1214.
	de Graveſend.	Lincol.	1258.
	Nicolls.	Bang.	1408.
		Menev.	1417.
Benjamin	Hoadly.	Bang.	1715.
		Heref.	1721.
		Sariſb.	1723.
		Wint.	1734.

			A. D.
	Laney.	Petrob.	1660.
		Lincol.	1663.
		Elien.	1667.
Benna.		Heref.	
Beornegus.		Ciceſtr.	906.
Beornmod.		Roſſen.	803.
Bernardus.		Menev.	1115.
		Carl.	1157.
Berthgwin.		Land.	
Berthunnus.		Lichf.	
Bertulfus.		Wint.	
Birinus.		Wint.	635.
Biſus.		Norw.	669.
Bledri.		Land.	983.
Bleithud.		Menev.	
Bonifacius.		Cant.	1245.
Boſa.		Ebor.	677.
		Ciceſtr.	790.
Boſelus.		Wigor.	680.
Bregwinus.		Cant.	759.
Bregilſus.		Norw.	652.
Brianus	Duppa.	Ciceſtr.	1638.
		Sariſb.	1641.
		Wint.	1660.
	Walton.	Ceſtr.	1660.
Brinſtanus.		Wint.	932.
Brinwin.		Sariſb.	
Brithelmus.		Lond.	958.
		Wint.	958.
		Bath.	958.
Brithmarus.		Lichf.	1027.
Brithwaldus.		Cant.	693.
Brithwinus.		Sariſb.	
		Sariſb.	1009.
		Bath.	1027.
Brithwoldus.		Wint.	1006.
		Sariſb.	1006.
Britteagus.		Wigor.	1033.
Britwinus.		Exon.	
Buiricus.		Roſſen.	898.
Bumfrith.		Lichf.	890.
Burrhicus.		Roſſen.	
Burwoldus.		Exon.	
		Bath.	

C.

Cadar.		Lond.	
Caducanus.		Bang.	1215.
		Bang.	1306.
Carolus	Boothe.	Heref.	1516.
	Cecill.	Briſt.	1732.
		Bang.	1734.
	Trimnell.	Norw.	1707.
		Wint.	1721.
Catellus.		Menev.	
Catgwaret.		Land.	
Ceadda.		Lond.	654.
Cedda.		Ebor.	664.
		Lichf.	669.
		Heref.	
Cellach.		Lichf.	658.
Celmund.		Heref.	
Celnothus.		Cant.	830.

Cenauc

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
Cenauc.		Menev.	
Ceneu.		Menev.	
Ceolbertus.		Lond.	830.
Ceolredus.		Lincol.	873.
Ceolulfus.		Lincol.	767.
Ceorulfus.		Lond.	
Cerenhir.		Land.	
Cheolmund.		Roffen.	
Chineferth.		Roffen.	
Chriſtophorus	Bambridge.	Dunel.	1507.
		Ebor.	1508.
Cimeliauc.		Land.	
Cledauc.		Menev.	
Coena.		Ebor.	767.
Coenred.		Ciceſtr.	
Colmannus.		Dunel.	661.
Comegern.		Land.	
Conanus.		Exon.	
		Lond.	
Cumbertus.		Lichf.	
Cunemund.		Heref.	
Cuthardus.		Dunel.	900.
Cuthbertus		Dunel.	685.
		Heref.	736.
		Cant.	742.
	Scott.	Ceſtr.	1556.
	Tonſtall.	Lond.	1522.
		Dunel.	1530.
Cutherwulf.		Roffen.	868.
Cuthfridus.		Lichf.	765.
Cuthwinus.		Norw.	
Cuthwulfus.		Heref.	

D.

Damianus.		Roffen.	656.
Daniel.		Wint.	703.
David	ap Blethin.	Aſaph.	1314.
	ap Owen.	Aſaph.	1503.
	Dolben.	Bang.	1631.
	de S. Edmundo.	Menev.	
	Fitz-Gerald.	Menev.	1147.
	Martinus.	Menev.	1296.
	Poole.	Petrob.	1557.
		Menev.	
		Bang.	1120.
Dedwinus.		Lond.	
Denefrithus.		Sariſb.	790.
Denewulfus.		Wint.	879.
Deorlaf.		Heref.	
Deus-Dedit.		Cant.	654.
Dinebertus.		Wigor.	798.
Diora.		Roffen.	778.
Doythwal.		Menev.	
Dubritius.		Land.	
Dudda.		Wint.	
Dudoca.		Bath.	1033.
Dumbertus.		Wint.	871.
Dun, Duina.		Roffen.	741.
Dunſtanus.		Wigor.	957.
		Lond.	958.
		Cant.	959.
Dwina.		Lichf.	655.

E.

			A. D.
Eadbaldus.		Lond.	
Eadbertus.		Dunel.	688.
		Ciceſtr.	711.
		Wigor.	822.
Eadbright.		Lond.	
Eadfarthus.		Norw.	731.
Eadgarus.		Lond.	
Eadheadus.		Lincol.	678.
Eadhelm.		Ciceſtr.	970.
Eadhericus.		Lincol.	1017.
Eadmundus.		Sariſb.	868.
		Dunel.	1021.
Eadnothus.		Exon.	1004.
		Lincol.	1005.
		Lincol.	1034.
Eadredus.		Dunel.	1041.
Eadſinus.		Wint.	1015.
		Cant.	1038.
Eadſtan.		Lond.	
Eadulfus.		Lincol.	750.
		Exon.	
		Exon.	909.
Ealdulfus.		Lincol.	796.
Ealfeagus.		Lichf.	992.
Ealhſtanus.		Sariſb.	834.
Eanbaldus.		Ebor.	780.
		Ebor.	796.
Eanbertus.		Dunel.	846.
Eardulfus.		Roffen.	747.
		Dunel.	854.
Earnulphus.		Roffen.	1115.
Eata.		Dunel.	665.
Eatheadus.		Lichf.	691.
Eathoredus.		Wigor.	781.
Ecca.		Heref.	
Edbertus.		Lincol.	764.
Edgarus.		Heref.	
		Lincol.	
Edilbinus.		Land.	
Edilfridus.		Norw.	
Edmundus	Audley.	Roffen.	1480.
		Heref.	1492.
		Sariſb.	1502.
	Birkhead.	Aſaph.	1513.
	Bonner.	Lond.	1540.
	Bromfeld.	Land.	1389.
	Freak.	Roffen.	1571.
		Norw.	1575.
		Wigor.	1584.
	Gibſon.	Lincol.	1715.
		Lond.	1723.
	Griffith.	Bang.	1633.
	Grindall.	Lond.	1559.
		Ebor.	1570.
		Cant.	1575.
	Gueſt.	Roffen.	1559.
		Sariſb.	1571.
	Lacy.	Heref.	1417.
		Exon.	1420.
	voc. Sanctus.	Cant.	1234.
	Scambler.	Petrob.	1560.

Edulfus.

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
		Norw.	1584.
	Stafford.	Exon.	1395.
		Wint.	
Edulfus.		Heref.	
Edwardus	Chandler.	Lichf.	1717.
		Dunel.	1730.
	Fowler.	Gloceſt.	1691.
	Fox.	Heref.	1535.
	Jones.	Aſaph.	1699.
	Lee.	Ebor.	1531.
	Rainbow.	Carl.	1664.
	Reynolds.	Norw.	1660.
	Stillingfleet.	Wigor.	1689.
	Story.	Carl.	1468.
		Ciceſtr.	1477.
	Vaughan.	Menev.	1509.
	Waddington.	Ciceſtr.	1724.
Edwinus	Sands.	Wigor.	1559.
		Lond.	1570.
		Ebor.	1576.
Egbaldus.		Wint.	790.
Egbertus.		Dunel.	698.
		Ebor.	743.
		Dunel.	803.
Egelmarus.		Norw.	1047.
Egelricus.		Dunel.	1042.
Egelwinus.		Dunel.	1056.
Egfridus.		Dunel.	830.
Eglaſius.		Norw.	
Egwinus.		Wigor.	692.
Egwulfus.		Lond.	
Elanc.		Menev.	
Eldunen.		Menev.	
Eleutherius.		Wint.	670.
Elffinus.		Wint.	951.
Elfwardus.		Lond.	
Elfwoldus.		Sariſb.	
Elgiſtil.		Land.	
Elguni.		Menev.	
Elias	de Radnor.	Land.	1234.
	Sydall.	Menev.	1731.
		Gloceſt.	1731.
Eliud.		Menev.	
Ella.		Lichf.	920.
Elmar.		Ciceſtr.	
Elmerus.		Sariſb.	
Elphegus.		Bath.	
	Calvus.	Wint.	935.
		Cant.	984.
		Wint.	1005.
Elſeth.		Lichf.	992.
Elſinus.		Wint.	1015.
Elſius.		Wint.	1006.
Elſtan.		Lond.	
Elvanus.		Lond.	
Eludgeth.		Menev.	
Elvoed.		Menev.	
Elvogus.		Land.	
Elwaed.		Menev.	
Eneuris.		Menev.	
Eolla.		Ciceſtr.	
Ephraim.		Aſaph.	
Erkenwaldus.		Lond.	675.
Ervin.		Menev.	

			A. D.
Eſna.		Heref.	
Ethelbaldus.		Ebor.	
		Sariſb.	918.
Ethelbertus.		Dunel.	789.
Etheleage.		Sariſb.	872.
Ethelgarus.		Exon.	932.
		Ciceſtr.	980.
		Cant.	988.
Ethelhunus.		Wigor.	915.
Ethelmarus.		Wint.	1260.
Ethelmen.		Menev.	
Ethelnothus.		Lond.	
Ethelricus.		Sariſb.	
		Ciceſtr.	1019.
Ethelſius.		Sariſb.	
Ethelſtanus.		Sariſb.	909.
		Heref.	1012.
Ethelulphus.		Ciceſtr.	
Ethelwaldus.		Sariſb.	
		Wint.	963.
Ethelwardus.		Lond.	
		Sariſb.	
Ethelwinus.		Lincol.	678.
		Bath.	1013.
Ethelwoldus.		Dunel.	724.
		Sariſb.	755.
		Lichf.	818.
Etwal.		Menev.	
Everardus.		Norw.	1121.
Euſtachius		Elien.	1197.
	de Fauconbridge.	Lond.	1221.

F.

Faſtidius.		Lond.	
Finanus.		Dunel.	651.
Fleogildus.		Cant.	830.
Foelix.		Norw.	630.
Fordhere.		Sariſb.	709.
Franciſcus	Atterbury.	Roffen.	1713.
	Davies.	Land.	1667.
	Dee.	Petrob.	1634.
	Gaſtrell.	Ceſtr.	1714.
	Godwin.	Land.	1601.
		Heref.	1617.
	Hare.	Aſaph.	1727.
		Ciceſtr.	1731.
	Turner.	Roffen.	1683.
		Elien.	1684.
	White.	Carl.	1626.
		Norw.	1628.
		Elien.	1631.
Frithebertus.		Dunel.	734.
Frithſtanus.		Wint.	909.
Fulco	Baſſet.	Lond.	1244.

G.

Galfridus.		Land.	
		Menev.	1203.
	Arthurus.	Aſaph.	1151.
	Blythe.	Lichf.	1503.
	de Burgo.	Elien.	1225.
	de Cliva.	Heref.	1115.
	de Muſchamp.	Lichf.	1198.
	Plantagenet.	Ebor.	1191.

Gebmundus.

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
	Rufus.	Dunel.	1133.
	Rydall.	Elien.	1174.
Gebmundus.		Roffen.	681.
Georgius	Abbot.	Lichf.	1609.
		Lond.	1609.
		Cant.	1610.
	Athequa.	Land.	1516.
	Bull.	Menev.	1705.
	Carlton.	Land.	1618.
		Ciceſtr.	1619.
	Coke.	Briſtol.	1632.
		Heref.	1636.
	Day.	Ciceſtr.	1543.
	Fleming.	Carl.	1734.
	Griffith.	Aſaph.	1660.
	Hooper.	Aſaph.	1703.
		Bath.	1703.
	Lloyd.	Ceſtr.	1604.
	Morley.	Wigor.	1660.
		Wint.	1662.
	Mountaigne.	Lincol.	1617.
		Lond.	1621.
		Dunel.	1627.
		Ebor.	1628.
	Nevill.	Exon.	1458.
		Ebor.	1464.
	Smalridge.	Briſtol.	1714.
Gerardus.		Heref.	1096.
		Ebor.	1101.
Gervaſius	Babington.	Land.	1591.
		Exon.	1594.
		Wigor.	1597.
	de Caſtro.	Bang.	1367.
Gilbertus	Barkley.	Bath.	1559.
	Bourn.	Bath.	1554.
	Burnett.	Sariſb.	1689.
	Foliot.	Heref.	1147.
		Lond.	1163.
	Glanvill.	Roffen.	1185.
	Ironſide.	Briſtol.	1660.
	Ironſide.	Briſtol.	1689.
		Heref.	1691.
	de S. Leofardo.	Ciceſtr.	1288.
	Segrave	Lond.	1313.
	Sheldon.	Lond.	1660.
		Cant.	1663.
	Univerſalis.	Lond.	1128.
	de Welton.	Carl.	1353.
Girardus	Puella.	Lichf.	1183.
Giſelherus.		Ciceſtr.	
Giſo.		Bath.	1059.
Godefridus		Bath.	1123.
	Giffard.	Wigor.	1268.
	Goldsborough.	Gloceſt.	1598.
	Goodman.	Gloceſt.	1624.
	de Kinton.	Ebor.	1258.
	de Lucy.	Wint.	1189.
Godwinus.		Lichf.	1007.
	1^{s}.	Roffen.	
	2^{s}.	Roffen.	985.
	3^{s}.	Roffen.	
Gogan.		Menev.	
Gorwyſc.		Menev.	
Grecielus.		Land.	

			A. D.
Grinketellus.		Norw.	1038.
		Ciceſtr.	1039.
Gruffinus.		Bang.	1307.
Gualeranus.		Roffen.	1182.
Gucan.		Land.	
Guido		Bang.	1177.
	Carleton.	Briſtol.	1671.
		Ciceſtr.	1678.
	de Moria.	Menev.	1397.
Gulfridus.		Land.	
Gulielmus	Aiſcoth.	Sariſb.	1438.
	Alley.	Exon.	1560.
	Alnewick.	Norw.	1426.
		Lincol.	1436.
	Atwater.	Lincol.	1514.
	Ayermin.	Norw.	1325.
	Baker.	Bang.	1723.
		Norw.	1727.
	de S. Barbara.	Dunel.	1143.
	Barlow.	Aſaph.	1535.
		Menev.	1536.
		Bath.	1548.
		Ciceſtr.	1559.
	Barlowe.	Roffen.	1605.
		Lincol.	1608.
	Barnes.	Lond.	1504.
	Barrow.	Bang.	1418.
		Carl.	1422.
	Bateman.	Norw.	1343.
	Beaw.	Land.	1679.
	Beveridge.	Aſaph.	1704.
	Bitton.	Bath.	1248.
	Bitton.	Bath.	1267.
	Bleſenſis.	Lincol.	1203.
	Blethin.	Land.	1575.
	de Bleys.	Wigor.	1218.
	Boothe.	Lichf.	1447.
		Ebor.	1452.
	de Bottleſham.	Land.	1386.
		Roffen.	1389.
	Bradbridge.	Exon.	1570.
	Bradſhaw.	Briſtol.	1724.
	Brewer.	Exon.	1224.
	de Brews.	Land.	1266.
	de Burgo.	Land.	1244.
	Button.	Bath.	1248.
	Button.	Bath.	1267.
	de S. Carileſo.	Dunel.	1080.
	Chaderton.	Ceſtr.	1579.
		Lincol.	1595.
	Corbel.	Cant.	1122.
	de la Corner.	Sariſb.	1289.
	de Cornhul.	Lichf.	1214.
	Cotton.	Exon.	1598.
	Courtney.	Heref.	1369.
		Lond.	1375.
		Cant.	1381.
	Dawes.	Ceſtr.	1707.
		Ebor.	1713.
	Day.	Wint.	1595.
	Downham.	Ceſtr.	1561.
	Dudley.	Dunel.	1476.
	Eboracenſis.	Sariſb.	1247.

INDEX PRAENOMINUM.

A. D.
Edendon. —— Wint. 1346.
Fleetwood. —— Aſaph. 1708.
Elien. 1714.
Fuller. —— Lincol. 1667.
Galſagus. —— Norw. 1085.
de Geynsborough Wigor. 1302.
Giffard. —— Wint. 1107.
Glyn. —— Bang. 1555.
Gray. —— Lond. 1426.
Lincol. 1431.
Gray. —— Elien. 1454.
de Greenfeild. — Ebor. 1305.
Gulſton. —— Briſtol. 1678.
Heiworth. —— Lichf. 1420.
Hughes. —— Aſaph. 1573.
James. —— Dunel. 1606.
Juxon. —— Lond. 1633.
Cant. 1660.
de Kilkenny. —— Elien. 1255.
Knight. —— Bath. 1541.
Laud. —— Menev. 1621.
Bath. 1626.
Lond. 1628.
Cant. 1633.
de Len. —— Ciceſtr. 1362.
Linwood. —— Menev. 1442.
Lloyd. —— Land. 1675.
Petrob. 1679.
Norw. 1685.
Lloyd. —— Aſaph. 1680.
Lichf. 1692.
Wigor. 1699.
Longchamp. —— Elien. 1189.
Lucy. —— Menev. 1660.
de Luda. —— Elien. 1290.
Lunimere. —— Ciceſtr. 1362.
de Lynna. —— Wigor. 1368.
de Marchia. —— Bath. 1293.
de S. Maria. —— Lond. 1199.
de Melton. —— Ebor. 1317.
Middleton. —— Norw. 1278.
Morgan. —— Land. 1595.
Aſaph. 1601.
Murray. —— Land. 1627.
Nicholſon. —— Gloceſt. 1660.
Nicholſon. —— Carl. 1702.
Northhale. —— Wigor. 1186.
Overton. —— Lichf. 1580.
Paul. —— Oxon. 1663.
Percy. —— Carl. 1452.
Pierſe. —— Petrob. 1630.
Bath. 1632.
de Radnor. —— Land. 1256.
de Raley. —— Norw. 1239.
Wint. 1244.
Reade. —— Ciceſtr. 1369.
Redman. —— Norw. 1594.
Repps. —— Norw. 1536.
Roberts. —— Bang. 1637.
Rugg. —— Norw. 1536.
de Salſo Mariſco. Land. 1185.
voc. Sanctus. —— Ebor. 1152.
Sandcroft. —— Cant. 1677.
Severus. —— Carl. 1496.

A. D.
Dunel. 1502.
Smith. —— Lichf. 1493.
Lincol. 1495.
de Spridlington. Aſaph. 1376.
Strikland. —— Carl.
Talbott. —— Oxon. 1699.
Sariſb. 1715.
Dunel. 1721.
Thomas. —— Menev. 1677.
Wigor. 1683.
Turbus. —— Norw. 1146.
Verus. —— Heref. 1186.
Wake. —— Lincol. 1705.
Cant. 1715.
Warelwaſt. —— Exon. 1107.
Warham. —— Lond. 1502.
Cant. 1503.
Waynfleet. —— Wint. 1447.
Wells. —— Roffen. 1436.
Wickham. —— Wint. 1367.
Wickham. —— Lincol. 1584.
Wint. 1595.
Wickwane —— Ebor. 1279.
Wittleſey. —— Roffen. 1361.
Wigor. 1363.
Cant. 1368.
le Zouch. —— Ebor. 1342.
—— Lond. 1050.
—— Ciceſtr. 1088.
—— Bang.
—— Land. 1219.
Gundulphus. —— Roffen. 1076.
Guodloiu. —— Land.
Gurnven. —— Menev.
Gurvan. —— Land.
Gutheardus. —— Ciceſtr.

H.

Hadrianus de Caſtello. —— Heref. 1502.
Bath. 1504.
Haernunen. —— Menev.
Halardus. —— Lincol. 886.
Harvaeus. —— Bang. 1092.
Elien. 1109.
Haymo de Heath. —— Roffen. 1319.
Headda. —— Wint. 676.
—— Lichf. 691.
Headulacus. —— Norw. 731.
Heahmundus. —— Sariſb. 868.
Heandredus. —— Dunel. 797.
Heardredus. —— Norw.
Heathobertus. } —— Lond. 802.
Hecbert. }
Heca. —— Ciceſtr. 1047.
Helmſtanus. —— Wint. 833.
Hemel. —— Lichf. 752.
Henricus Beaufort. —— Lincol. 1398.
Wint. 1404.
Bleſenſis. —— Wint. 1129.
Bowett. —— Bath. 1401.
Ebor. 1407.
de Braundſton. Sariſb. 1287.
Burwaſh. —— Lincol. 1320.
Chichley.

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
	Chichley.	Menev.	1408.
		Cant.	1414.
	Compton.	Oxon.	1674.
		Lond.	1675.
	Cotton.	Sariſb.	1598.
	Dean.	Bang.	1496.
		Sariſb.	1500.
		Cant.	1501.
	Egerton.	Heref.	1723.
	Ferne.	Ceſtr.	1661.
	Glemham.	Aſaph.	1667.
	Gower.	Menev.	1328.
	Holbeach.	Roffen.	1544.
		Lincol.	1547.
	King.	Ciceſtr.	1641.
	Lexinton.	Lincol.	1254.
	Marſhall.	Exon.	1194.
	Morgan.	Menev.	1554.
	Murdac.	Ebor.	1147.
	Newerk.	Ebor.	1298.
	Parry.	Gloceſt.	1607.
		Wigor.	1610.
	Robinſon.	Carl.	1598.
	Rowlands.	Bang.	1598.
	de Sanford.	Roffen.	1227.
	de Sandwich.	Lond.	1263.
	Spencer.	Norw.	1370.
	Standiſh.	Aſaph.	1518.
	Wakefeild.	Wigor.	1375.
	Ware.	Ciceſtr.	1418.
	de Wingham.	Lond.	1259.
	Woodlock.	Wint.	1305.
		Wigor.	1193.
		Land.	1194.
		Aſaph.	
Herebertus	Croft.	Heref.	1661.
	Loſinga.	Norw.	1091.
	Pauper.	Sariſb.	1194.
	Weſtfayling.	Heref.	1585.
Herefridus.		Wint.	829.
Herewaldus.		Sariſb.	739.
		Land.	1056.
Herewinus.		Lichf.	812.
Herfaſtus.		Norw.	1070.
Hermannus.		Sariſb.	1058.
Hernon.		Menev.	
Hervaeus.		Bang.	1092.
		Elien.	1109.
Hieronymus	de Nugutiis.	Wigor.	1522.
Higbaldus.		Dunel.	781.
Higbertus.		Lichf.	785.
		Lichf.	
Hilarius.		Lond.	
		Ciceſtr.	1148.
Honorius.		Cant.	634.
Howellus	ap Ednevet.	Aſaph.	1240.
		Bang.	1236.
		Bang.	1371.
Hubertus	Walterus.	Sariſb.	1189.
		Cant.	1193.
Hugo	Balſam.	Elien.	1257.
	Bellot.	Bang.	1585.
		Ceſtr.	1595.
	Boulter.	Briſt.	1719.

			A. D.
	Curwin.	Oxon.	1567.
	Foliot.	Heref.	1219.
	Jones.	Land.	1566.
	Latimer.	Wigor.	1535.
	Lloyd.	Land.	1660.
	de Mapenore.	Heref.	1216.
	Norwold.	Elien.	1229.
	Nunant.	Lichf.	1187.
	Oldham.	Exon.	1504.
	de Orivalle.	Lond.	1075.
	de Pateſhull.	Lichf.	1240.
	Pavy.	Menev.	1485.
	Puſar.	Dunel.	1153.
	voc. Sanctus.	Lincol.	1186.
	Wallis.	Lincol.	1209.
		Carl.	1216.
Humberhtus.		Lichf.	829.
Humbertus.		Lichf.	
Humbirctus.		Norw.	826.
Humfredus		Wint.	744.
	Henchman.	Sariſb.	1660.
		Lond.	1663.
	Humphreys.	Bang.	1689.
		Heref.	1701.
	Lloyd.	Bang.	1673.

I.

Jacobus	Barkley.	Exon.	1326.
	Brokes.	Gloceſt.	1554.
	Cary.	Lichf.	
	Fleetwood.	Wigor.	1675.
	Gardiner.	Lincol.	1694.
	Goldwell.	Norw.	1472.
	Mountague.	Bath.	1608.
		Wint.	1616.
	Pilkinton.	Dunel.	1560.
	Stanley.	Elien.	1506.
	Turbervill.	Exon.	1555.
	Uſher.	Carl.	1641.
		Bang.	1452.
Jarumannus.		Lichf.	663.
Jevan.		Menev.	
Ilturus.		Lond.	
Ingualdus.		Lond.	
Joannes	Alcock.	Roffen.	1471.
		Wigor.	1477.
		Elien.	1486.
	D' Alderby.	Lincol.	1300.
	Arundel.	Ciceſtr.	1457.
	Arundel.	Lichf.	1496.
		Exon.	1502.
	Bancroft.	Oxon.	1632.
	Barnet.	Wigor.	1362.
		Bath.	1363.
		Elien.	1366.
	Bell.	Wigor.	1539.
	Beſt.	Carl.	1560.
	Beverlacenſis.	Ebor.	687.
	Bird.	Bang.	1539.
		Ceſtr.	1541.
	Blythe.	Sariſb.	1493.
	Bokingam.	Lincol.	1363.
	Booth.	Exon.	1466.
	de Bottleſham.		

INDEX PRAENOMINUM.

		A. D.
de Bottleſham.	Roffen.	1400.
Bowle.	Roffen.	1629.
de Bradfeild.	Roffen.	1278.
Breton.	Heref.	1269.
Bridges.	Oxon.	1603.
Bridgeman.	Ceſtr.	1619.
Buckeridge.	Roffen.	1611.
	Elien.	1628.
Bullingham.	Briſtol.	1581.
	Gloceſt.	1581.
Burghill.	Land.	1396.
	Lichf.	1398.
Capon.	Bang.	1534.
	Sariſb.	1539.
Carpenter.	Wigor.	1443.
Cary.	Exon.	
Chadworth.	Lincol.	1452.
Chambers.	Petrob.	1541.
Chaundler.	Sariſb.	1417.
de Chiſhul.	Lond.	1274.
Chriſtopherſon.	Ciceſtr.	1557.
Clerk.	Bath.	1523.
Clipping.	Ciceſtr.	1253.
Coldwell.	Sariſb.	1591.
de Conſtantiis.	Wigor.	1196.
Coſin.	Dunel.	1660.
Cotes.	Ceſtr.	1554.
Davenant.	Sariſb.	1621.
Delabere.	Menev.	1447.
Dolben.	Roffen.	1666.
	Ebor.	1683.
Drokensford.	Bath.	1309.
Earle.	Wigor.	1662.
	Sariſb.	1663.
de Egleſcliff.	Land.	1323.
Elmer.	Lond.	1576.
Evans.	Bang.	1701.
Exonienſis.	Wint.	1262.
Fell.	Oxon.	1675.
Fiſher.	Roffen.	1504.
de Fontibus.	Elien.	1219.
Fordham.	Dunel.	1381.
	Elien.	1388.
Gauden.	Exon.	1660.
	Wigor.	1662.
Gigles.	Wigor.	1497.
Gilbert.	Bang.	1372.
	Heref.	1375.
	Menev.	1389.
Gilbert.	Land.	1740.
Grandeſſon.	Exon.	1327.
de Greenford.	Ciceſtr.	1174.
Grey.	Norw.	1200.
Hacket.	Lichf.	1661.
Hales. Halſe.	Lichf.	1459.
de Halton.	Carl.	1292.
Hanmer.	Aſaph.	1623.
Harewell.	Bath.	1366.
Harley.	Heref.	1553.
Harman.	Exon.	1519.
Harris.	Land.	1729.
Hilſey.	Roffen.	1535.
Holyman.	Briſtol.	1554.

		A. D.
Hooper.	Cloceſt.	1550.
	Wigor.	1552.
Hopton.	Norw.	1554.
Hotham.	Elien.	1316.
Hough.	Oxon.	1690.
	Lichf.	1699.
	Wigor.	1717.
Howſon	Oxon.	1619.
	Dunel.	1628.
Hunden.	Land.	1458.
Jegon.	Norw.	1602.
Jewell.	Sariſb.	1559.
Ingleby.	Land.	1496.
de Keeton.	Elien.	1310.
Kemp.	Roffen.	1419.
	Ciceſtr.	1420.
	Lond.	1422.
	Ebor.	1426.
	Cant.	1452.
Keterich.	Menev.	1414.
	Lichf.	1414.
	Exon.	1419.
King.	Lond.	1611.
Kingſcote.	Carl.	1462.
de Kirkby.	Elien.	1286.
de Kirkby.	Carl.	1332.
Kite.	Carl.	1521.
Lake.	Briſtol.	1684.
	Ciceſtr.	1685.
Langdon.	Roffen.	1422.
Langton.	Menev.	1447.
de Langton.	Ciceſtr.	1305.
Leng.	Norw.	1723.
Lloyd.	Menev.	1686.
Longland.	Lincol.	1521.
Low.	Aſaph.	1433.
	Roffen.	1444.
Marſhall.	Land.	1478.
Mey.	Carl.	1577.
Monumethenſis	Land.	1295.
Moore.	Norw.	1691.
	Elien.	1707.
Moorton.	Elien.	1478.
	Cant.	1486.
Morgan.	Menev.	1496.
Overall.	Lichf.	1614.
	Norw.	1618.
Owen.	Aſaph.	1629.
Oxonienſis.	Norw.	1175.
Pagham.	Wigor.	1150.
Parkhurſt.	Norw.	1560.
Paſcal.	Land.	1347.
Peckham.	Cant.	1278.
Pearſon.	Ceſtr.	1672.
Penny.	Bang.	1505.
Piers.	Roffen.	1576.
	Sariſb.	1577.
	Ebor.	1588.
de Pontiſſara.	Wint.	1282.
Potter.	Oxon.	1715.
	Cant.	1736.
Poynet.	Roffen.	1550.
	Wint.	1550.
Prichet.	Gloceſt.	1672.

Prideaux.

INDEX PRAENOMINUM.

		A. D.
Prideaux.	Wigor.	1641.
Rickingale.	Ciceſtr.	1426.
Robinſon.	Briſtol.	1710.
	Lond.	1713.
Romanus.	Ebor.	1285.
de Roſſe.	Carl.	1325.
Ruſſell.	Roffen.	1476.
	Lincol.	1480.
Salcot.	Bang.	1534.
	Sariſb.	1539.
Salmon.	Norw.	1299.
Sandallus.	Wint.	1316.
Scory.	Roffen.	1551.
	Ciceſtr.	1552.
	Heref.	1559.
Sharp.	Ebor.	1691.
de Shepey.	Roffen.	1352.
Sherwood.	Dunel.	1485.
Skip.	Heref.	1539.
Smith.	Land.	1476.
Stafford.	Bath.	1425.
	Cant.	1443.
Stanbery.	Bang.	1448.
	Heref.	1453.
Still.	Bath.	1592.
Stokeſly.	Lond.	1530.
Stratford.	Wint.	1323.
	Cant.	1333.
Swaffam.	Bang.	1376.
Synwell.	Lincol.	1347.
Tayler.	Lincol.	1552.
Thoriſby.	Menev.	1347.
	Wigor.	1349.
	Ebor.	1352.
Thornborough.	Briſtol.	1603.
	Wigor.	1616.
Tillotſon.	Cant.	1691.
Towers.	Petrob.	1638.
Trevaur.	Aſaph.	1352.
Trevaur.	Aſaph.	1395.
Trevenant.	Heref.	1389.
Trilleck.	Heref.	1344.
Tyler.	Land.	1706.
de Villula.	Bath.	1088.
Underhill.	Oxon.	1589.
Voyſey.	Exon.	1519.
Wakeman.	Gloceſt.	1541.
Wakering.	Norw.	1416.
Waltham.	Sariſb.	1388.
de la Ware.	Land.	1253.
Warner.	Roffen.	1637.
Watſon.	Wint.	1580.
Waugh.	Carl.	1723.
Welles	Land.	1425.
White.	Lincol.	1554.
	Wint.	1556.
Whitgift.	Wigor.	1577.
	Cant.	1583.
Wilkins.	Ceſtr.	1668.
Williams.	Lincol.	1621.
	Ebor.	1641.
Williams.	Ciceſtr.	1696.
Woolton.	Exon.	1579.
Wynne.	Aſaph.	1714.

			A. D.
		Bath.	1727.
	Yong.	Roffen.	1577.
	Young.	Menev.	1496.
	la Zouch.	Land.	1408.
	———	Ebor.	687.
	———	Roffen.	1125.
	———	Exon.	1186.
	———	Bang.	1376.
Jocelinus	de Welles.	Bath.	1206.
	———	Sariſb.	1142.
Jonathan	Trelawney.	Briſtol.	1685.
		Exon.	1689.
		Wint.	1707.
Jorwerth.	———	Menev.	1215.
Joſephus	Butler.	Briſtol.	1738.
	Hall.	Exon.	1627.
		Norw.	1641.
	———	Briſtol.	1691.
	Henſhaw.	Petrob.	1663.
	Wilcocks.	Gloceſt.	1721.
		Roffen.	1731.
	———	Menev.	
	———	Land.	1022.
Iſaac	Barrow.	Aſaph.	1669.
	Maddox.	Aſaph.	1736.
Ithamar.	———	Roffen.	644.
Julius	de Medicis.	Wigor.	1521.
Juſtus.	———	Roffen.	604.
		Cant.	624.

K.

Kenea.	———	Menev.	
Kenferth.	———	Lichf.	870.
Kentigernus.	———	Aſaph.	
Kenulfus.	———	Dunel.	740.
	———	Lincol.	909.
	———	Wint.	1006.
Kenwalchus.	———	Lond.	
Kinchardus.	———	Wint.	754.
Kineberthus.	———	Wint.	
Kinebertus.	———	Lincol.	
	———	Lichf.	870.
Kinewardus. } Kinewoldus. }	———	Bath.	974.
Kinewoldus.	———	Wigor.	929.
Kinſius.	———	Lichf.	960.
	———	Ebor.	1051.

L.

Lambertus.	———	Cant.	763.
Lancelotus	Andrews.	Ciceſtr.	1605.
		Elien.	1609.
		Wint.	1618.
	Blackburne.	Exon.	1716.
		Ebor.	1724.
Lanferthus.	———	Norw.	
Lanfrancus.	———	Cant.	1070.
Laurentius	Booth.	Dunel.	1457.
		Ebor.	1476.
	Campegius.	Sariſb.	1524.
	Child.	Aſaph.	1382.
	de S. Martino.	Roffen.	1251.
	Womack.	Menev.	1683.
	———	Cant.	604.

INDEX PRAENOMINUM.

		A. D.
de Bottleſham.	Roſſen.	1400.
Bowle.	Roſſen.	1629.
de Bradfeild.	Roſſen.	1278.
Breton.	Heref.	1269.
Bridges.	Oxon.	1603.
Bridgeman.	Ceſtr.	1619.
Buckeridge.	Roſſen.	1611.
	Elien.	1628.
Bullingham.	Briſtol.	1581.
	Gloceſt.	1581.
Burghill.	Land.	1396.
	Lichf.	1398.
Capon.	Bang.	1534.
	Sariſb.	1539.
Carpenter.	Wigor.	1443.
Cary.	Exon.	
Chadworth.	Lincol.	1452.
Chambers.	Petrob.	1541.
Chaundler.	Sariſb.	1417.
de Chiſhul.	Lond.	1274.
Chriſtopherſon.	Ciceſtr.	1557.
Clerk.	Bath.	1523.
Clipping.	Ciceſtr.	1253.
Coldwell.	Sariſb.	1591.
de Conſtantiis.	Wigor.	1196.
Coſin.	Dunel.	1660.
Cotes.	Ceſtr.	1554.
Davenant.	Sariſb.	1621.
Delabere.	Menev.	1447.
Dolben.	Roſſen.	1666.
	Ebor.	1683.
Drokensford.	Bath.	1309.
Earle.	Wigor.	1662.
	Sariſb.	1663.
de Egleſcliff.	Land.	1323.
Elmer.	Lond.	1576.
Evans.	Bang.	1701.
Exonienſis.	Wint.	1262.
Fell.	Oxon.	1675.
Fiſher.	Roſſen.	1504.
de Fontibus.	Elien.	1219.
Fordham.	Dunel.	1381.
	Elien.	1388.
Gauden.	Exon.	1660.
	Wigor.	1662.
Gigles.	Wigor.	1497.
Gilbert.	Bang.	1372.
	Heref.	1375.
	Menev.	1389.
Gilbert.	Land.	1740.
Grandeſſon.	Exon.	1327.
de Greenford.	Ciceſtr.	1174.
Grey.	Norw.	1200.
Hacket.	Lichf.	1661.
Hales. Halſe.	Lichf.	1459.
de Halton.	Carl.	1292.
Hanmer.	Aſaph.	1623.
Harewell.	Bath.	1366.
Harley.	Heref.	1553.
Harman.	Exon.	1519.
Harris.	Land.	1729.
Hilſey.	Roſſen.	1535.
Holyman.	Briſtol.	1554.
Hooper.	Cloceſt.	1550.
	Wigor.	1552.
Hopton.	Norw.	1554.
Hotham.	Elien.	1316.
Hough.	Oxon.	1690.
	Lichf.	1699.
	Wigor.	1717.
Howſon	Oxon.	1619.
	Dunel.	1628.
Hunden.	Land.	1458.
Jegon.	Norw.	1602.
Jewell.	Sariſb.	1559.
Ingleby.	Land.	1496.
de Keeton.	Elien.	1310.
Kemp.	Roſſen.	1419.
	Ciceſtr.	1420.
	Lond.	1422.
	Ebor.	1426.
	Cant.	1452.
Keterich.	Menev.	1414.
	Lichf.	1414.
	Exon.	1419.
King.	Lond.	1611.
Kingſcote.	Carl.	1462.
de Kirkby.	Elien.	1286.
de Kirkby.	Carl.	1332.
Kite.	Carl.	1521.
Lake.	Briſtol.	1684.
	Ciceſtr.	1685.
Langdon.	Roſſen.	1422.
Langton.	Menev.	1447.
de Langton.	Ciceſtr.	1305.
Leng.	Norw.	1723.
Lloyd.	Menev.	1686.
Longland.	Lincol.	1521.
Low.	Aſaph.	1433.
	Roſſen.	1444.
Marſhall.	Land.	1478.
Mey.	Carl.	1577.
Monumethenſis	Land.	1295.
Moore.	Norw.	1691.
	Elien.	1707.
Moorton.	Elien.	1478.
	Cant.	1486.
Morgan.	Menev.	1496.
Overall.	Lichf.	1614.
	Norw.	1618.
Owen.	Aſaph.	1629.
Oxonienſis.	Norw.	1175.
Pagham.	Wigor.	1150.
Parkhurſt.	Norw.	1560.
Paſcal.	Land.	1347.
Peckham.	Cant.	1278.
Pearſon.	Ceſtr.	1672.
Penny.	Bang.	1505.
Piers.	Roſſen.	1576.
	Sariſb.	1577.
	Ebor.	1588.
de Pontiſſara.	Wint.	1282.
Potter.	Oxon.	1715.
	Cant.	1736.
Poynet.	Roſſen.	1550.
	Wint.	1550.
Prichet.	Gloceſt.	1672.

Prideaux.

INDEX PRAENOMINUM.

		A. D.
Prideaux.	Wigor.	1641.
Rickingale.	Ciceſtr.	1426.
Robinſon.	Briſtol.	1710.
	Lond.	1713.
Romanus.	Ebor.	1285.
de Roſſe.	Carl.	1325.
Ruſſell.	Roffen.	1476.
	Lincol.	1480.
Salcot.	Bang.	1534.
	Sariſb.	1539.
Salmon.	Norw.	1299.
Sandallus.	Wint.	1316.
Scory.	Roffen.	1551.
	Ciceſtr.	1552.
	Heref.	1559.
Sharp.	Ebor.	1691.
de Shepey.	Roffen.	1352.
Sherwood.	Dunel.	1485.
Skip.	Heref.	1539.
Smith.	Land.	1476.
Stafford.	Bath.	1425.
	Cant.	1443.
Stanbery.	Bang.	1448.
	Heref.	1453.
Still.	Bath.	1592.
Stokeſly.	Lond.	1530.
Stratford.	Wint.	1323.
	Cant.	1333.
Swaffam.	Bang.	1376.
Synwell.	Lincol.	1347.
Tayler.	Lincol.	1552.
Thoriſby.	Menev.	1347.
	Wigor.	1349.
	Ebor.	1352.
Thornborough.	Briſtol.	1603.
	Wigor.	1616.
Tillotſon.	Cant.	1691.
Towers.	Petrob.	1638.
Trevaur.	Aſaph.	1352.
Trevaur.	Aſaph.	1395.
Trevenant.	Heref.	1389.
Trilleck.	Heref.	1344.
Tyler.	Land.	1706.
de Villula.	Bath.	1088.
Underhill.	Oxon.	1589.
Voyſey.	Exon.	1519.
Wakeman.	Gloceſt.	1541.
Wakering.	Norw.	1416.
Waltham.	Sariſb.	1388.
de la Ware.	Land.	1253.
Warner.	Roffen.	1637.
Watſon.	Wint.	1580.
Waugh.	Carl.	1723.
Welles	Land.	1425.
White.	Lincol.	1554.
	Wint.	1556.
Whitgift.	Wigor.	1577.
	Cant.	1583.
Wilkins.	Ceſtr.	1668.
Williams.	Lincol.	1621.
	Ebor.	1641.
Williams.	Ciceſtr.	1696.
Woolton.	Exon.	1579.
Wynne.	Aſaph.	1714.

			A. D.
		Bath.	1727.
	Yong.	Roffen.	1577.
	Young.	Menev.	1496.
	la Zouch.	Land.	1408.
	——	Ebor.	687.
	——	Roffen.	1125.
	——	Exon.	1186.
	——	Bang.	1376.
Jocelinus	de Welles.	Bath.	1206.
	——	Sariſb.	1142.
Jonathan	Trelawney.	Briſtol.	1685.
		Exon.	1689.
		Wint.	1707.
Jorwerth.	——	Menev.	1215.
Joſephus	Butler.	Briſtol.	1738.
	Hall.	Exon.	1627.
		Norw.	1641.
	——	Briſtol.	1691.
	Henſhaw.	Petrob.	1663.
	Wilcocks.	Gloceſt.	1721.
		Roffen.	1731.
	——	Menev.	
	——	Land.	1022.
Iſaac	Barrow.	Aſaph.	1669.
	Maddox.	Aſaph.	1736.
Ithamar.	——	Roffen.	644.
Julius	de Medicis.	Wigor.	1521.
Juſtus.	——	Roffen.	604.
		Cant.	624.

K.

Kenea.	——	Menev.	
Kenferth.	——	Lichf.	870.
Kentigernus.	——	Aſaph.	
Kenulfus.	——	Dunel.	740.
	——	Lincol.	909.
	——	Wint.	1006.
Kenwalchus.	——	Lond.	
Kinchardus.	——	Wint.	754.
Kineberthus.	——	Wint.	
Kinebertus.	——	Lincol.	
	——	Lichf.	870.
Kinewardus. Kinewoldus.	——	Bath.	974.
Kinewoldus.	——	Wigor.	929.
Kinſius.	——	Lichf.	960.
	——	Ebor.	1051.

L.

Lambertus.	——	Cant.	763.
Lancelotus	Andrews.	Ciceſtr.	1605.
		Elien.	1609.
		Wint.	1618.
	Blackburne.	Exon.	1716.
		Ebor.	1724.
Lanferthus.	——	Norw.	
Lanfrancus.	——	Cant.	1070.
Laurentius	Booth.	Dunel.	1457.
		Ebor.	1476.
	Campegius.	Sariſb.	1524.
	Child.	Aſaph.	1382.
	de S. Martino.	Roffen.	1251.
	Womack.	Menev.	1683.
	——	Cant.	604.

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
Lendivord.	——	Menev.	
Leofgarus.	——	Lichf.	1021.
Leofricus.	——	Exon.	1050.
Leoffius.	——	Wigor.	1024.
Leofwinus.	——	Lincol.	959.
	——	Lichf.	1054.
Leolinus	de Bromfeild.	Aſaph.	1293.
	ap Madoc.	Aſaph.	1357.
Leonardus	Mawe.	Bath.	1628.
Leonellus	Woodvill.	Sariſh.	1482.
Leovegarus.	——	Heref.	1056.
Libiau.	——	Land.	927.
Livingus.	——	Bath.	1010.
		Cant.	1013.
	——	Exon.	1032.
		Wigor.	1038.
Ludovicus	Bayly.	Bang.	1616.
	Beaumont.	Dunel.	1318.
	Charlton.	Heref.	1361.
	Luxembergenſis.	Elien.	1438.
	——	Bang.	
	——	Bang.	
Lunapeius.	——	Land.	
Lunverd.	——	Menev.	
Lywarch.	——	Menev.	

M.

Madenew.	——	Menev.	
Maelsdkwythe.	——	Menev.	
Marchlvith.	——	Land.	
Marmaducus	Lumley.	Carl.	1430.
		Lincol.	1449.
	Middleton.	Menev.	1582.
Martinus	Benſon.	Glouceſt.	1734.
	Fotherby.	Sariſb.	1618.
	Heton.	Elien.	1599.
Maſcoed.	——	Menev.	
Matthaeus	Hutton.	Dunel.	1589.
		Ebor.	1594.
	Parker.	Cant.	1559.
	Wren.	Heref.	1634.
		Norw.	1635.
		Elien.	1638.
	——	Bang.	1328.
Matthias	Mawſon.	Land.	1738.
		Ciceſtr.	1740.
Maugerus.	——	Wigor.	1200.
Mauritius	Griffin.	Roffen.	1554.
	——	Lond.	1085.
	——	Bang.	1139.
Mellitus.	——	Lond.	605.
		Cant.	619.
Merewith.	——	Bath.	1027.
Meuric.	——	Bang.	1139.
Michael	Northbrook.	Lond.	1354.
Milo	Coverdale.	Exon.	1551.
	Salley.	Land.	1500.
	Smith.	Glouceſt.	1612.
Milredus.	——	Wigor.	743.
Morganus	Owen.	Land.	1639.
Morgeneu	——	Menev.	
Morgenueth.	——	Menev.	
Morwal.	——	Menev.	
Mucellus.	——	Heref.	

N.

			A. D.
Namis.	——	Menev.	
Nathan.	——	Menev.	
Nathaniel	Crew.	Oxon.	1671.
		Dunel.	1674.
Nergu.	——	Menev.	
Nicolaus	de Aquila.	Ciceſtr.	1210.
	Aſhby.	Land.	1441.
	Bubwith.	Lond.	1406.
		Sariſb.	1407.
		Bath.	1407.
	Bullingham.	Lincol.	1559.
		Wigor.	1570.
	Clagget.	Menev.	1731.
		Exon.	1742.
	Cloſe.	Carl.	1449.
		Lichf.	1452.
	Elienſis.	Wigor.	1266.
		Wint.	1268.
	Felton.	Briſtol.	1617.
		Elien.	1618.
	de Fernham.	Dunel.	1241.
	ap Gurgant.	Land.	1149.
	Heath.	Roffen.	1540.
		Wigor.	1543.
		Ebor.	1555.
	de Longeſpe.	Sariſb.	1291.
	Monk.	Heref.	1660.
	Ridley.	Roffen.	1547.
		Lond.	1550.
	Robinſon.	Bang.	1566.
	Shaxton.	Sariſb.	1535.
	Stratford.	Ceſtr.	1689.
	Weſt.	Elien.	1515.
Nigellus.	——	Elien.	1133.
Nobis.	——	Land.	
Northbertus.	——	Norw.	680.
Nothelmus.	——	Cant.	735.
Novis.	——	Menev.	
Nudd.	——	Land.	

O.

Obinus.	——	Lond.	
Odo.	——	Sariſb.	
		Cant.	941.
Offspring	Blackhall.	Exon.	1707.
Oliverus	King.	Exon.	1492.
		Bath.	1495.
	Sutton.	Lincol.	1280.
Ordbright.	——	Ciceſtr.	988.
Oſa.	——	Ciceſtr.	790.
Oſbernus.	——	Exon.	1072.
Oſkitellus.	——	Ebor.	956.
Oſmundus.	——	Lond.	815.
	——	Sariſb.	1078.
Oſtforus.	——	Wigor.	691.
Oſulfus.	——	Sariſb.	941.
Oſwaldus.	——	Wigor.	960.
		Ebor.	972.
Oſwynus.	——	Lond.	
Oudoceus.	——	Land.	
Owinus	Oglethorp.	Carl.	1557.

Palladius.

INDEX PRAENOMINUM.

P.

			A. D.
Palladius.		Lond.	
Pandulfhus	Maſca.	Norw.	1222.
Pater.		Land.	
Paulinus.		Ebor.	625.
		Roffen.	633.
Paulus	Buſh.	Briſtol.	1542.
Peletun.		Ciceſtr.	
Petrus	Courtney.	Exon.	1478.
		Wint.	1486.
	de Egueblank.	Heref.	1240.
	Gunning.	Ciceſtr.	1669.
		Elien.	1674.
	Mews.	Bath.	1672.
		Wint.	1684.
	Quivil.	Exon.	1280.
	de Rupibus.	Wint.	1205.
		Lichf.	1067.
		Menev.	1176.
Philippus	Biſſe.	Menev.	1710.
		Heref.	1712.
	Morgan.	Wigor.	1419.
		Elien.	1426.
	Pictavienſis.	Dunel.	1197.
	Repindon.	Lincol.	1405.
Plegmundus.		Cant.	891.
Podda.		Heref.	741.
Putta.		Roffen.	669.
		Heref.	676.
		Exon.	

Q.

Quichelmus.		Roffen.	676.

R.

Radulphus	Bains.	Lichf.	1554.
	de Baldock.	Lond.	1304.
	Brideoak.	Ciceſtr.	1675.
	Brownrigg.	Exon.	1642.
	Erghum.	Sariſb.	1375.
		Bath.	1388.
	de Ireton.	Carl.	1280.
	de Maydenſtan.	Heref.	1234.
	Nevill.	Ciceſtr.	1224.
	de Salopia.	Bath.	1329.
	Stratford.	Lond.	1339.
	Walpoole.	Norw.	1288.
		Elien.	1299.
	de Warham.	Ciceſtr.	1217.
		Ciceſtr.	1091.
		Roffen.	1108.
		Norw.	1236.
Ranulfus.	Flambard.	Dunel.	1099.
Raynelmus.		Heref.	1107.
Redewardus.		Ebor.	
Reginaldus	Aſſerius.	Wint.	1320.
	Brian.	Menev.	1350.
		Wigor.	1352.
	Butler.	Heref.	1450.
		Lichf.	1453.
	Fitz-Jocelin.	Bath.	1174.
		Cant.	1191.
	Peacock.	Aſaph.	1444.
		Ciceſtr.	1449.
	Poole.	Cant.	1555.
Reinerus.		Aſaph.	1186.
Remigius	de Feſchamp.	Lincol.	1067.
Renulphus.		Land.	
Reſtitutus.		Lond.	
Rethunus.		Lincol.	829.
Richardus	Bancroft.	Lond.	1597.
		Cant.	1604.
	Barnes.	Carl.	1570.
		Dunel.	1577.
	Beauchamp.	Heref.	1448.
		Sariſb.	1450.
	de Beaumes.	Lond.	1108.
	de Beaumes.	Lond.	1152.
	Bell.	Carl.	1478.
	Bintworth.	Lond.	1338.
	Blondy.	Exon.	1245.
	de Bury.	Dunel.	1333.
	Cheyney.	Briſt.	1562.
		Gloceſt.	1562.
	Clifford.	Wigor.	1401.
		Lond.	1407.
	Corbet.	Oxon.	1628.
		Norw.	1632.
	Courtney.	Norw.	1413.
	Cox.	Elien.	1559.
	Cumberland.	Petrob.	1691.
	Curteis.	Ciceſtr.	1570.
	Davies.	Aſaph.	1559.
		Menev.	1561.
	Fitz-James.	Roffen.	1497.
		Ciceſtr.	1503.
		Lond.	1506.
	Flemming.	Lincol.	1420.
	Fletcher.	Briſtol.	1589.
		Wigor.	1592.
		Lond.	1594.
	Fox.	Exon.	1487.
		Bath.	1491.
		Dunel.	1494.
		Wint.	1500.
	de Graveſend.	Lond.	1280.
	Hill.	Lond.	1489.
	Howland.	Petrob.	1584.
	Kellow.	Dunel.	1311.
	Kidder.	Bath.	1691.
	de Mariſco.	Dunel.	1217.
	Martin.	Menev.	1482.
	Mayo.	Heref.	1504.
	Milborn.	Menev.	1615.
		Carl.	1621.
	Mitford.	Ciceſtr.	1389.
		Sariſb.	1395.
	Morus.	Wint.	1174.
	Mountague.	Ciceſtr.	1628.
		Norw.	1638.
	Neile.	Roffen.	1608.
		Lichf.	1610.
		Lincol.	1613.
		Dunel.	1617.
		Wint.	1627.
		Ebor.	1631.

Newport.

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
	Newport.	Lond.	1317.
	Nigellus.	Lond.	1189.
	Nix.	Norw.	1501.
	Parry.	Aſaph.	1604.
	Pates.	Wigor.	1554.
	Peche.	Lichf.	1161.
	Poore.	Ciceſtr.	1214.
		Sariſb.	1217.
		Dunel.	1228.
	Praty.	Ciceſtr.	1438.
	Raulins.	Menev.	1523.
	Redman.	Aſaph.	1471.
		Exon.	1495.
		Elien.	1501.
	Reynolds.	Bang.	1721.
		Lincol.	1723.
	Sampſon.	Ciceſtr.	1536.
		Lichf.	1542.
	Scroope.	Lichf.	1386.
		Ebor.	1398.
	Scroope.	Carl.	1464.
	Senhouſe.	Carl.	1624.
	Smalbrook.	Menev.	1723.
		Lichf.	1730.
	Snowden.	Carl.	1616.
	Sterne.	Carl.	1660.
		Ebor.	1664.
	Swinfeild.	Heref.	1282.
	Talbot.	Lond.	1262.
	Toclivius.	Wint.	1174.
	Vaughan.	Bang.	1595.
		Ceſtr.	1597.
		Lond.	1604.
	de Wendover.	Roffen.	1238.
	Wetherſhed.	Cant.	1229.
	de la Wich.	Ciceſtr.	1245.
	Willis.	Gloceſt.	1714.
		Sariſb.	1721.
		Wint.	1723.
	Yong.	Bang.	1400.
		Roffen.	1404.
	———	Heref.	1120.
	———	Cant.	1174.
	———	Bang.	1237.
Rithmarch.	———	Menev.	
Robertus	Abbot.	Sariſb.	1615.
	Aldrich.	Carl.	1537.
	Bennet.	Heref.	1602.
	de Betun.	Heref.	1131.
	Bingham.	Sariſb.	1229.
	Bloet.	Lincol.	1093.
	Braybrook.	Lond.	1381.
	Burnell.	Bath.	1275.
	Butts.	Norw.	1732.
		Elien.	1738.
	Chauſe.	Carl.	1258.
	de Cheſney.	Lincol.	1147.
	Chicheſter.	Exon.	1138.
	Clavering.	Land.	1724.
		Petrob.	1728.
	Creighton.	Bath.	1670.
	Ferrar.	Menev.	1548.
	Fitz-Hugh.	Lond.	1431.
	Foliot.	Heref.	1174.
	Frampton.	Gloceſt.	1681.
	Gemeticenſis.	Lond.	1044.
		Cant.	1050.
	Gilbertus.	Lond.	1436.
	Grove.	Ciceſtr.	1691.
	Grouthead.	Lincol.	1235.
	Halam.	Sariſb.	1407.
	Holgate.	Land.	1537.
		Ebor.	1544.
	Horn.	Wint.	1560.
	de Inſula.	Dunel.	1274.
	Kilwardby.	Cant.	1272.
	King.	Oxon.	1542.
	de Limeſey.	Lichf.	1086.
	Loſinga.	Heref.	1079.
	Maſcall.	Heref.	1404.
	de Maydenſtan.	Heref.	1234.
	de Melun.	Heref.	1163.
	Moorton.	Wigor.	1486.
	Morgan.	Bang.	1666.
	Nevill.	Sariſb.	1427.
		Dunel.	1438.
	Normannus.	Lond.	1044.
	Orford.	Elien.	1302.
	Parfew.	Aſaph.	1536.
		Heref.	1554.
	Peccam. Peche.	Lichf.	1120.
	Reade.	Carl.	1396.
		Ciceſtr.	1396.
	Salopienſis.	Bang.	1197.
	Sanderſon.	Lincol.	1660.
	Sherborn.	Menev.	1505.
		Ciceſtr.	1508.
	de Sigillo.	Lond.	1141.
	Skinner.	Briſtol.	1636.
		Oxon.	1640.
		Wigor.	1663.
	Stillington.	Bath.	1465.
	Stitchell.	Dunel.	1260.
	Stratford.	Ciceſtr.	1337.
	Stretton.	Lichf.	1360.
	Tounſon.	Sariſb.	1620.
	Tully.	Menev.	1460.
	Waldby.	Ciceſtr.	1395.
		Ebor.	1396.
	Warelwaſt.	Exon.	1155.
	Warton.	Aſaph.	1536.
		Heref.	1554.
	de Wikhampton.	Sariſb.	1274.
	Winchelſey.	Cant.	1294.
	Wivill.	Sariſb.	1329.
	Wright.	Briſtol.	1622.
		Lichf.	1632.
	———	Bath.	1135.
	———	Wigor.	1191.
	———	Aſaph.	1410.
Rodherich.	———	Menev.	
Rodulphus	———	Cant.	1114.
Rogerus	de Clinton.	Lichf.	1129.
	Cradock.	Land.	1361.
	Layburn.	Carl.	1503.
	Mainwaring.	Menev.	1635.
	de Molend.	Lichf.	1257.

de Mortival.

INDEX PRAENOMINUM.

			A.D.
	de Mortival.	Sariſb.	1315.
	Niger.	Lond.	1229.
	Northbrough.	Lichf.	1322.
	de Skerwing.	Norw.	1266.
	Walden.	Lond.	1404.
	de Weſeham.	Lichf.	1245.
	Whelpdale.	Carl.	1419.
		Sariſb.	1107.
		Ebor.	1154.
		Wigor.	1164.
		Bath.	1244.
Rolandus	Lee.	Lichf.	1534.
	Merick.	Bang.	1559.
	Searchfield.	Briſtol.	1619.
Romanus.		Roffen.	624.
Ruclinus.		Menev.	
Ruydocus.		Exon.	

S.

			A.D.
Saderman.		Menev.	
Samſon.		Menev.	
		Wigor.	1096.
Samuel	Bradford.	Carl.	1718.
		Roffen.	1723.
	Harſnett.	Ciceſtr.	1609.
		Norw.	1619.
		Ebor.	1628.
	Parker.	Oxon.	1686.
	Peploe.	Ceſtr.	1726.
Sathveney.		Menev.	
Savaricus.		Bath.	1192.
Saxulfus.		Lichf.	676.
Seffridus.	1^{s}.	Ciceſtr.	1125.
	2^{s}.	Ciceſtr.	1180.
Seth	Ward.	Exon.	1662.
		Sariſb.	1667.
Sewallus.		Ebor.	1256.
Sexhelmus.		Dunel.	947.
Sibba.		Norw.	816.
Sidemannus.		Exon.	
Sigarus.		Bath.	975.
Sigelmus.		Sariſb.	
		Sariſb.	
Sigga.		Ciceſtr.	733.
Silveſter	de Everdon.	Carl.	1247.
	Gigles.	Wigor.	1498.
	Giraldus.	Menev.	
		Wigor.	1216.
Simon	de Apulia.	Exon.	1214.
	de Gandavo.	Sariſb.	1297.
	Iſlip.	Cant.	1349.
	Langham.	Elien.	1362.
		Cant.	1366.
	Mepeham.	Cant.	1328.
	Montacute.	Wigor.	1333.
		Elien.	1336.
	Patrick.	Ciceſtr.	1689.
		Elien.	1691.
	Sidenham.	Ciceſtr.	1429.
	Sudbury.	Lond.	1361.
		Cant.	1375.
	de Wanton.	Norw.	1257.
	de Welles.	Ciceſtr.	1204.
		Wigor.	1125.
Siricius.		Sariſb.	988.
		Cant.	989.
Siwardus.		Roffen.	1058.
Stephanus	de Berkſtead.	Ciceſtr.	1262.
	Gardiner.	Wint.	1531.
	Graveſend.	Lond.	1318.
	Lancton.	Cant.	1207.
	Patrington.	Menev.	1415.
		Ciceſtr.	1415.
	Weſton.	Exon.	1724.
		Lond.	
Stidio.		Exon.	
Stigandus.		Norw.	1038.
		Wint.	1047.
		Cant.	1052.
		Ciceſtr.	1070.
Suithulfus.		Lond.	
Suithunus.		Wint.	852.
Sulgheim.		Menev.	
Suthaithnay.		Menev.	
Sulhider.		Menev.	
Swithelmus.		Sariſb.	
Swithulfus.		Roffen.	880.
Sylvay.		Menev.	

T.

			A.D.
Tadnoth.		Roffen.	841.
Tatwinus.		Cant.	731.
Tedfridus.		Norw.	785.
Teliau.		Land.	
Teliaus.		Menev.	
Theanus.		Lond.	
Theobaldus.		Cant.	1138.
Theodorus.		Cant.	668.
Theodredus		Norw.	
	Bonus.	Lond.	
		Lond.	
Theodwinus.		Lond.	
Theogildus.		Cant.	830.
Theonus.		Lond.	
Theophilus	Field.	Land.	1619.
		Menev.	1627.
		Heref.	1635.
Theulphus.		Wigor.	1115.
Thomas	de Appleby.	Carl.	1363.
	Arundel.	Elien.	1374.
		Ebor.	1388.
		Cant.	1396.
	Barlow.	Lincol.	1675.
	Beak.	Lincol.	1319.
	Beck.	Menev.	1280.
	le Beck.	Lincol.	1342.
	Becket.	Cant.	1162.
	de Bekinton.	Bath.	1443.
	Bentham.	Lichf.	1559.
	Bickley.	Ciceſtr.	1584.
	Bilſon.	Wigor.	1596.
		Wint.	1597.
	de Blundevil.	Norw.	1226.
	Bourchier.	Wigor.	1435.
		Elien.	1443.
		Cant.	1454.
	Bowers.	Ciceſtr.	1722.
	Bradwardin.	Cant.	1349.

INDEX PRAENOMINUM.

		A. D.
Brentingham.	Exon.	1370.
Brinton.	Roffen.	1372.
Brown.	Roffen.	1435.
	Norw.	1436.
Button.	Exon.	1292.
Cantilupe.	Heref.	1275.
Carren.	Menev.	1256.
Cartwright.	Ceſtr.	1686.
Charlton.	Heref.	1327.
Cheriton.	Bang.	1436.
Cobham.	Wigor.	1317.
Corbridge.	Ebor.	1299.
Cowper.	Lincol.	1570.
	Wint.	1583.
Cranmer.	Cant.	1533.
Davies.	Aſaph.	1561.
Diaconus.	Norw.	647.
Dove.	Petrob.	1600.
Ednam.	Bang.	1464.
Faſtolf.	Menev.	1352.
Godwin.	Bath.	1584.
Goldwell.	Aſaph.	1555.
Gooch.	Briſtol.	1737.
	Norw.	1738.
Goodrich.	Elien.	1534.
Green.	Norw.	1721.
	Elien.	1723.
Hatfeild.	Dunel.	1345.
Hennihall.	Wigor.	1337.
Herring.	Bang.	1737.
Howell.	Briſtol.	1644.
Jan.	Norw.	1499.
Inglethorp.	Roffen.	1283.
Kemp.	Lond.	1449.
Kenn.	Bath.	1684.
Lamplugh.	Exon.	1676.
	Ebor.	1688.
Langley.	Dunel.	1406.
Langton.	Menev.	1483.
	Sariſb.	1484.
	Wint.	1493.
Lyldus.	Elien.	1345.
Manningham.	Ciceſtr.	1709.
Merkes.	Carl.	1396.
Milling.	Heref.	1474.
Morton.	Ceſtr.	1616.
	Lichf.	1618.
	Dunel.	1632.
Percy.	Norw.	1355.
Peverell.	Land.	1398.
	Wigor.	1407.
Pigot.	Bang.	1500.
Polton.	Heref.	1420.
	Ciceſtr.	1421.
	Wigor.	1425.
Ravis.	Gloceſt.	1604.
	Lond.	1607.
de Ringſtead.	Bang.	1357.
Rodburn.	Menev.	1433.
Rotheram.	Roffen.	1468.
	Lincol.	1471.
	Ebor.	1480.

			A. D.
	Ruſhook.	Land.	1383.
		Ciceſtr.	1385.
	Ruthall.	Dunel.	1509.
	Savage.	Roffen.	1493.
		Lond.	1496.
		Ebor.	1501.
	Secker.	Briſtol.	1734.
		Oxon.	1737.
	Sherlock.	Bang.	1727.
		Sariſb.	1734.
	Skevington.	Bang.	1509.
	Smith.	Carl.	1684.
	Spofford.	Heref.	1421.
	Sprat.	Roffen.	1684.
	Tanner.	Aſaph.	1731.
	Teniſon.	Lincol.	1691.
		Cant.	1694.
	Thirlby.	Weſtm.	1540.
		Norw.	1550.
		Elien.	1554.
	Trilleg.	Roffen.	1364.
	Vipont.	Carl.	1254.
	Watſon.	Lincol.	1557.
	Watſon.	Menev.	1687.
	Weſtfield.	Briſtol.	1641.
	White.	Petrob.	1685.
	Winniffe.	Lincol.	1641.
	Wood.	Lichf.	1671.
	Wolſey.	Lincol.	1514.
		Ebor.	1514.
		Bath.	1518.
		Dunel.	1523.
		Wint.	1529.
	de Wuldham.	Roffen.	1291.
	Young.	Menev.	1559.
		Ebor.	1560.
	—	Ebor.	1070.
	—	Ebor.	1109.
	—	Menev.	1248.
Thurſtanus.	—	Aſaph.	1450.
Tidemannus	—	Ebor.	1119.
	de Winchcomb.	Land.	1393.
Tidferthus.		Wigor.	1395.
	—	Norw.	785.
Tidhelm.	—	Dunel.	806.
Tilherus.	—	Heref.	
	—	Wigor.	778.
Tilredus.	—	Dunel.	
Timotheus	Hall.	Oxon.	1689.
Tirhtellus.	—	Dunel.	915.
Tobias	—	Heref.	691.
	Matthews.	Dunel.	1595.
		Ebor.	1606.
Torteras.	—	Roffen.	692.
Tota.	—	Heref.	718.
	—	Ciceſtr.	
Tramerin.	—	Lincol.	737.
Trumherus.	—	Menev.	
Trychan.	—	Lichf.	660.
Tuda.	—	Land.	
Tunbriht.	—	Dunel.	664.
	—	Lichf.	890.

Valentinus

INDEX PRAENOMINUM.

			A. D.
V.			
Valentinus	Cary. ——	Exon.	1621.
Ubilwinus.	——	Land.	
Uhtredus.	——	Dunel.	944.
Uhtrid.	——	Land.	1139.
Ulfus.	——	Lincol.	1050.
Unwora.	——	Lincol.	803.
Vodinus.	——	Lond.	
Urbanus.	——	Land.	1107.
Utellus.	——	Heref.	
W.			
Walcherus.	——	Dunel.	1071.
Waldherus.	——	Lond.	685.
Walkelinus.	——	Wint.	1070.
Walſtodus. Walſtoldus. }	——	Heref.	
Walterus.	Blandford. ——	Oxon.	1665.
		Wigor.	1671.
	Bronſcomb. ——	Exon.	1257.
	de Cantilupo. ——	Wigor.	1237.
	de Conſtantiis. —	Lincol.	1183.
	Curle. ——	Roffen.	1628.
		Bath.	1629.
		Wint.	1632.
	Durdent. ——	Lichf.	1149.
	Giffard.	Bath.	1264.
		Ebor.	1265.
	Gray. ——	Lichf.	
		Wigor.	1214.
		Ebor.	1215.
	Hart. ——	Norw.	1445.
	Haſelſhaw. ——	Bath.	1302.
	de Kirkham. ——	Dunel.	1249.
	de Langton. ——	Lichf.	1296.
	Malclerk. ——	Carl.	1223.
	Maydenſton. ——	Wigor.	1313.
	de Merton. ——	Roffen.	1274.
	Raynold. ——	Wigor.	1308.
		Cant.	1313.
	Scammel. ——	Sariſb.	1284.
	Skirlaw. ——	Lichf.	1385.
		Bath.	1386.
		Dunel.	1388.
	Stapledon. ——	Exon.	1309.
	de Sufeild. ——	Norw.	1244.
	de la Wyle. ——	Sariſb.	1263.
	——	Heref.	1060.
	——	Roffen.	1147.

			A. D.
Werebertus. Werefridus. }	——	Wigor.	873.
Weremundus.	——	Norw.	869.
	——	Wigor.	775.
	——	Roffen.	788.
Werenbertus.	——	Lincol.	768.
Werſtanus.	——	Sariſb.	909.
White	Kennet. ——	Petrob.	1718.
Wiſelinus.	——	Bath.	923.
Wighed.	——	Lond.	
Wigthenius.	——	Wint.	812.
Wigthun.	——	Ciceſtr.	
Wilbertus.	——	Sariſb.	798.
Wilferth.	——	Wigor.	922.
Wilferus.	——	Ebor.	854.
Wilſeth.	——	Wigor.	
Wilfridus.	——	Ebor.	667.
	——	Ciceſtr.	
	——	Wigor.	717.
	——	Ebor.	718.
	——	Menev.	
Wilredus.	——	Norw.	870.
Wimundus.	——	Ebor.	831.
Wina.	——	Wint.	663.
		Lond.	666.
Winfridus.	——	Lichf.	672.
Winſy.	——	Lichf.	974.
Withredus.	——	Dunel.	927.
Witta.	——	Lichf.	737.
Wlfhelmus.	——	Heref.	
	——	Bath.	923.
		Cant.	928.
	——	Bath.	944.
Wlſſius.	——	Lond.	
Wolfgarus.	——	Sariſb.	
Wolocus.	——	Exon.	
Woronus.	——	Exon.	
Wulſhard.	——	Heref.	
Wulfredus.	——	Cant.	803.
Wulſſinus.	——	Sariſb.	966.
	——	Lincol.	1053.
Wulſius.	——	Ebor.	812.
	——	Lichf.	1039.
Wulſtanus	de Braundsford.	Wigor.	1338.
	Reprobus. ——	Wigor.	1002.
		Ebor.	1003.
	——	Ebor.	941.
	——	Wigor.	1062.
	——	Lond.	

INDEX ALPHABETICUS
COGNOMINUM
ARCHIEPISCOPORUM et EPISCOPORUM
ANGLIAE.

			A. D.
ABBOT	Georgius.	Lichf.	1609.
		Lond.	1609.
		Cant.	1610.
Aiſcoth	Gulielmus.	Sariſb.	1438.
Alcock	Joannes.	Roffen.	1471.
		Wigor.	1477.
		Elien.	1486.
D' Alderby	Joannes.	Lincol.	1300.
Aldrich	Robertus.	Carl.	1537.
Alley	Gulielmus.	Exon.	1560.
Alnewick	Gulielmus.	Norw.	1426.
		Lincol.	1436.
Andrews	Lancelotus.	Ciceſtr.	1605.
		Elien.	1609.
		Wint.	1618.
de Appleby	Thomas.	Carl.	1363.
de Apulia	Simon.	Exon.	1214.
de Aquila	Nicolaus.	Ciceſtr.	1210.
Arthurus	Galfridus.	Aſaph.	1151.
Arundel	Joannes.	Ciceſtr.	1457.
	Joannes.	Lichf.	1496.
		Exon.	1502.
	Thomas.	Elien.	1374.
		Ebor.	1388.
		Cant.	1396.
Aſhby	Nicolaus.	Land.	1441.
Aſſerius	Reginaldus.	Wint.	1320.
Athequa	Georgius.	Land.	1516.
Atterbury	Franciſcus.	Roffen.	1713.
Atwater	Gulielmus.	Lincol.	1514.
Audley	Edmundus.	Roffen.	1480.
		Heref.	1492.
		Sariſb.	1502.
Ayerman	Gulielmus.	Norw.	1325.

B.

Babington	Gervaſius.	Land.	1591.
		Exon.	1594.
		Wigor.	1597.
Bach	Alexander.	Aſaph.	1390.
Bayly	Ludovicus.	Bang.	1616.
Bains	Radulphus	Lichf.	1554.

			A. D.
Baker	Gulielmus.	Bang.	1723.
		Norw.	1727.
de Baldock	Radulphus.	Lond.	1304.
Bambridge	Chriſtophorus.	Dunel.	1507.
		Ebor.	1508.
Bancroft	Joannes.	Oxon.	1632.
	Richardus.	Lond.	1597.
		Cant.	1604.
de S. Barbara	Gulielmus.	Dunel.	1143.
Barkley	Gilbertus.	Bath.	1559.
	Jacobus.	Exon.	1326.
Barlow	Gulielmus.	Menev.	1536.
		Bath.	1548.
		Ciceſtr.	1559.
	Gulielmus.	Roffen.	1605.
		Lincol.	1608.
	Thomas.	Lincol.	1675.
Barnes	Gulielmus.	Lond.	1504.
	Richardus.	Carl.	1570.
		Dunel.	1577.
Barnet	Joannes.	Wigor.	1362.
		Bath.	1363.
		Elien.	1366.
Barret	Andreas.	Land.	1395.
Barrow	Gulielmus.	Bang.	1418.
		Carl.	1422.
	Iſaac.	Aſaph.	1669.
Baſſet	Fulco.	Lond.	1244.
Bateman	Gulielmus.	Norw.	1343.
Beak	Antonius.	Dunel.	1283.
	Thomas.	Lincol.	1319.
Beaw	Gulielmus.	Land.	1679.
Beauchamp	Richardus.	Heref.	1448.
		Sariſb.	1450.
Beaufort	Henricus.	Lincol.	1398.
		Wint.	1404.
de Beaumes	Richardus.	Lond.	1108.
	Richardus.	Lond.	1152.
Beaumont	Ludovicus.	Dunel.	1318.
de Beck	Antonius.	Norw.	1337.
	Thomas.	Menev.	1280.
	Thomas.	Lincol.	1342.
Becket	Thomas.	Cant.	1162.

de

INDEX COGNOMINUM.

			A.D.
de Bekinton	Thomas. —	Bath.	1443.
Bell	Joannes. —	Wigor.	1539.
	Richardus. —	Carl.	1478.
Bellott	Hugo. —	Bang.	1585.
		Ceſtr.	1595.
Bennet	Robertus. —	Heref.	1602.
Benſon	Martinus. —	Gloceſt.	1734.
Bentham	Thomas. —	Lichf.	1559.
de Berkſtead	Stephanus. —	Ciceſtr.	1262.
Beſt	Joannes. —	Carl.	1560.
de Betun	Robertus. —	Heref.	1131.
Beveridge	Gulielmus. —	Aſaph.	1704.
Beverlacenſis	Joannes. —	Ebor.	687.
Bickley	Thomas. —	Ciceſtr.	1584.
Bilſon	Thomas. —	Wigor.	1596.
		Wint.	1597.
Bingham	Robertus. —	Sariſb.	1229.
Bintworth	Richardus. —	Lond.	1338.
Bird	Joannes. —	Bang.	1539.
		Ceſtr.	1541.
Birkhead	Edmundus. —	Aſaph.	1513.
Biſſe	Philippus. —	Menev.	1710.
		Heref.	1712.
Bitton	Gulielmus. —	Bath.	1248.
	Gulielmus. —	Bath.	1267.
Blackburne	Lancelotus. —	Exon.	1716.
		Ebor.	1724.
Blackhall	Offspring. —	Exon.	1707.
Blandford	Walterus. —	Oxon.	1665.
		Wigor.	1671.
Bleſenſis	Gulielmus. —	Lincol.	1203.
	Henricus. —	Wint.	1129.
ap Blethin	David. —	Aſaph.	1314.
de Bleys	Gulielmus. —	Wigor.	1218.
Bloët	Robertus. —	Lincol.	1093.
Blondy	Richardus. —	Exon.	1245.
de Blundevil	Thomas. —	Norw.	1226.
Blythe	Galfridus. —	Lichf.	1503.
	Joannes. —	Sariſb.	1493.
Bokingam	Joannes. —	Lincol.	1363.
Bonner	Edmundus. —	Lond.	1540.
Bonus	Theodredus.	Lond.	
Boothe	Carolus. —	Heref.	1516.
	Gulielmus. —	Lichf.	1447.
		Ebor.	1452.
	Joannes. —	Exon.	1466.
	Laurentius. —	Dunel.	1457.
		Ebor.	1476.
de Bottleſham	Gulielmus. —	Land.	1386.
		Roffen.	1389.
	Joannes. —	Roffen.	1400.
Boulter	Hugo. —	Briſtol.	1719.
Bourchier	Thomas. —	Wigor.	1435.
		Elien.	1443.
		Cant.	1454.
Bourn	Gilbertus. —	Bath.	1554.
Bowers	Thomas. —	Ciceſtr.	1722.
Bowet	Henricus. —	Bath.	1401.
		Ebor.	1407.
Bowle	Joannes. —	Roffen.	1629.
Bradbridge	Gulielmus. —	Exon.	1570.
de Bradfeild	Joannes. —	Roffen.	1278.
Bradford	Samuel. —	Carl.	1718.
		Roffen.	1723.
Bradſhaw	Gulielmus. —	Briſtol.	1724.
Bradwardin	Thomas. —	Cant.	1349.
de Braundsford	Wulſtanus. —	Wigor.	1338.
de Braundſton	Henricus. —	Sariſb.	1287.
Braybrook	Robertus. —	Lond.	1381.
Brentingham	Thomas. —	Exon.	1370.
Breton	Joannes. —	Heref.	1269.
Brewer	Gulielmus. —	Exon.	1224.
de Brews	Gulielmus. —	Land.	1266.
Brian	Reginaldus. —	Wigor.	1352.
Brideoak	Radulphus. —	Ciceſtr.	1675.
Bridges	Joannes. —	Oxon.	1603.
Bridgeman	Joannes. —	Ceſtr.	1619.
de Bridport	Aegidius. —	Sariſb.	1256.
Brinton	Thomas. —	Roffen.	1372.
Brokes	Jacobus. —	Gloceſt.	1554.
Bromfeld	Edmundus. —	Land.	1389.
	Leolinus. —	Aſaph.	1293.
Broneſcomb	Walterus. —	Exon.	1257.
Brown	Thomas. —	Roffen.	1435.
		Norw.	1436.
Brownrigg	Radulphus. —	Exon.	1642.
de Bruſe	Aegidius. —	Heref.	1200.
Bubwith	Nicolaus. —	Lond.	1406.
		Sariſb.	1407.
		Bath.	1407.
Buckeridge	Joannes. —	Roffen.	1611.
		Elien.	1628.
Bulkley	Arthurus. —	Bang.	1541.
Bull	Georgius. —	Menev.	1705.
Bullingham	Joannes. —	Briſtol.	1581.
		Gloceſt.	1581.
	Nicolaus. —	Lincol.	1559.
		Wigor.	1570.
Burghill	Joannes. —	Land.	1396.
		Lichf.	1398.
de Burgo	Galfridus. —	Elien.	1225.
	Gulielmus. —	Land.	1244.
Burnell	Robertus. —	Bath.	1275.
Burnet	Gilbertus. —	Sariſb.	1689.
Burwaſh	Henricus. —	Lincol.	1320.
de Bury	Richardus. —	Dunel.	1333.
Buſh	Paulus. —	Briſtol.	1542.
Butler.	Joſephus. —	Briſtol.	1738.
	Reginaldus. —	Heref.	1450.
		Lichf.	1453.
Button	Gulielmus. —	Bath.	1248.
	Gulielmus. —	Bath.	1267.
	Thomas. —	Exon.	1292.
Butts	Robertus. —	Norw.	1732.
		Elien.	1738.

C.

Calvus	Elphegus. —	Wint.	935.
Campegius	Laurentius. —	Sariſb.	1524.
de Cantilupo	Thomas. —	Heref.	1275.
	Walterus. —	Wigor.	1237.
Capon	Joannes. —	Bang.	1534.
		Sariſb.	1539.
de S. Carileſo	Gulielmus. —	Dunel.	1080.
Carlton	Georgius. —	Land.	1618.
		Ciceſtr.	1619.
	Guido. —	Briſtol.	1671.
		Ciceſtr.	1678.

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
Carpenter	Joannes.	Wigor.	1443.
Carren	Thomas.	Menev.	1256.
Cary	Jacobus.	Lichf.	
	Joannes.	Exon.	
	Valentinus.	Exon.	1621.
Cartwright	Thomas.	Ceſtr.	1686.
de Caſtello	Hadrianus.	Heref.	1502.
		Bath.	1504.
Cecill	Carolus.	Briſtol.	1732.
		Bang.	1734.
Chaderton	Gulielmus.	Ceſtr.	1579.
		Lincol.	1595.
Chadworth	Joannes.	Lincol.	1452.
Chambers	Joannes.	Petrob.	1541.
Chandler	Edwardus.	Lichf.	1717.
		Dunel.	1730.
Charlton	Ludovicus.	Heref.	1361.
	Thomas.	Heref.	1327.
Chaundler	Joannes.	Sariſb.	1417.
Chauſe	Robertus.	Carl.	1258.
Cheyney	Richardus.	Briſtol.	1562.
		Glouceſt.	1562.
Cheriton	Thomas.	Bang.	1436.
de Cheſney	Robertus.	Lincol.	1147.
Chicheſter	Robertus.	Exon.	1138.
Chichley	Henricus.	Menev.	1408.
		Cant.	1414.
Child	Laurentius.	Aſaph.	1382.
de Chiſhull	Joannes.	Lond.	1274.
Chriſtopherſon	Joannes.	Ciceſtr.	1557.
Clagget	Nicolaus.	Menev.	1731.
Clavering	Robertus.	Land.	1724.
		Petrob.	1728.
Clerk	Joannes.	Bath.	1523.
Clifford	Richardus.	Wigor.	1401.
		Lond.	1407.
de Clinton	Rogerus.	Lichf.	1129.
Clipping	Joannes.	Ciceſtr.	1253.
de Cliva	Galfridus.	Heref.	1115.
Cloſe	Nicolaus.	Carl.	1449.
		Lichf.	1452.
Cobham	Thomas.	Wigor.	1317.
Coke	Georgius.	Briſt.	1632.
		Heref.	1636.
Coldwell	Joannes.	Sariſb.	1591.
Compton	Henricus.	Oxon.	1674.
		Lond.	1675.
de Conſtantiis	Joannes.	Wigor.	1196.
	Walterus.	Lincol.	1183.
Corbel	Gulielmus.	Cant.	1122.
Corbet	Richardus.	Oxon.	1628.
		Norw.	1632.
Corbridge	Thomas.	Ebor.	1299.
de la Corner	Gulielmus.	Sariſb.	1289.
de Cornhul	Gulielmus.	Lichf.	1214.
Coſin	Joannes.	Dunel.	1660.
Cotes	Georgius.	Ceſtr.	1554.
Cotton	Gulielmus.	Exon.	1598.
	Henricus.	Sariſb.	1598.
Coverdale	Milo.	Exon.	1551.
Courtney	Gulielmus.	Heref.	1369.
		Lond.	1375.
		Cant.	1381.
	Petrus.	Exon.	1478.
		Wint.	1486.
	Richardus.	Norw.	1413.
Cowper	Thomas.	Lincol.	1570.
		Wint.	1583.
Cox	Richardus.	Elien.	1559.
Cradock	Rogerus.	Land.	1361.
Cranmer	Thomas.	Cant.	1533.
Creighton	Robertus.	Bath.	1670.
Crew	Nathaniel.	Oxon.	1671.
		Dunel.	1674.
Croft	Herbertus.	Heref.	1661.
Cumberland	Richardus.	Petrob.	1691.
Curle	Walterus.	Roffen.	1628.
		Bath.	1629.
		Wint.	1632.
Curteis	Richardus.	Ciceſtr.	1570.
Curwin	Hugo.	Oxon.	1567.
D.			
Davenant	Joannes.	Sariſb.	1621.
Davies	Franciſcus.	Land.	1667.
	Richardus.	Aſaph.	1559.
		Menev.	1561.
	Thomas.	Aſaph.	1561.
Dawes	Gulielmus.	Ceſtr.	1707.
		Ebor.	1713.
Day	Georgius.	Ciceſtr.	1543.
	Gulielmus.	Wint.	1595.
Dean	Henricus.	Bang.	1496.
		Sariſb.	1500.
		Cant.	1501.
Dee	Franciſcus.	Petrob.	1634.
Delabere	Joannes.	Menev.	1447.
Diaconus	Thomas.	Norw.	647.
Dolben	David.	Bang.	1631.
	Joannes.	Roffen.	1666.
		Ebor.	1683.
Dove	Thomas.	Petrob.	1600.
Downham	Gulielmus.	Ceſtr.	1561.
Drokensford	Joannes.	Bath.	1309.
Dudley	Gulielmus.	Dunel.	1476.
Duppa	Brianus.	Ciceſtr.	1638.
		Sariſb.	1641.
		Wint.	1660.
Durdent	Walterus.	Lichf.	1149.
E.			
Earle	Joannes.	Wigor.	1692.
		Sariſb.	1663.
Eboracenſis	Gulielmus.	Sariſb.	1247.
Edendon	Gulielmus.	Wint.	1346.
de S. Edmundo	David.	Menev.	
Ednam	Thomas.	Bang.	1464.
Egerton	Henricus.	Heref.	1723.
de Egleſcliff	Joannes.	Land.	1323.
de Egueblank	Petrus.	Heref.	1240.
Elienſis	Nicolaus.	Wigor.	1266.
		Wint.	1268.
Elmer	Joannes.	Lond.	1576.
Erghum	Radulphus.	Sariſb.	1375.
		Bath.	1388.
Evans	Joannes.	Bang.	1701.
de Everdon	Silveſter.	Carl.	1247.
Exonienſis	Joannes.	Wint.	1262.

Faſtolf

INDEX COGNOMINUM.

F.

			A. D.
Faſtolf	Thomas.	Menev.	1352.
de Fauconbridge	Euſtachius.	Lond.	1221.
Feild	Theophilus.	Land.	1619.
		Menev.	1627.
		Heref.	1635.
Fell	Joannes.	Oxon.	1675.
Felton	Nicolaus.	Briſtol.	1617.
		Elien.	1618.
Ferne	Henricus.	Ceſtr.	1661.
de Fernham	Nicolaus.	Dunel.	1241.
Ferrar	Robertus.	Menev.	1548.
de Feſchamp	Remigius.	Lincol.	1067.
Fiſher	Joannes.	Roffen.	1504.
Fitz-Gerald	David.	Menev.	1147.
Fitz-Hugh	Robertus.	Lond.	1431.
Fitz-James	Richardus.	Roffen.	1497.
		Ciceſtr.	1503.
		Lond.	1506.
Fitz-Jocelin	Reginaldus.	Bath.	1174.
		Cant.	1191.
Flambard	Ranulfus.	Dunel.	1099.
Fleetwood	Gulielmus.	Aſaph.	1708.
		Elien.	1714.
	Jacobus.	Wigor.	1675.
Fleming	Georgius.	Carl.	1734.
	Richardus.	Lincol.	1420.
Fletcher	Richardus.	Briſtol.	1589.
		Wigor.	1592.
		Lond.	1594.
Foliot	Gilbertus.	Heref.	1147.
		Lond.	1163.
	Hugo.	Heref.	1219.
	Robertus.	Heref.	1174.
de Fontibus	Joannes.	Elien.	1219.
Fordham	Joannes.	Dunel.	1381.
		Elien.	1388.
Fotherby	Martinus.	Sariſb.	1618.
Fowler	Edwardus.	Gloceſt.	1691.
Fox	Edwardus.	Heref.	1535.
	Richardus.	Exon.	1487.
		Bath.	1491.
		Dunel.	1494.
		Wint.	1500.
Frampton	Robertus.	Gloceſt.	1681.
Freak	Edmundus.	Roffen.	1571.
		Norw.	1575.
		Wigor.	1584.
Frewen	Acceptus.	Lichf.	1644.
		Ebor.	1660.
Fuller	Gulielmus.	Lincol.	1667.

G.

			A. D.
Galſagus	Gulielmus.	Norw.	1085.
de Gandavo	Simon.	Sariſb.	1297.
Gardiner	Jacobus.	Lincol.	1694.
	Stephanus.	Wint.	1531.
Gaſtrell	Franciſcus.	Ceſtr.	1714.
Gauden	Joannes.	Exon.	1660.
		Wigor.	1662.
Gemeticenſis	Robertus.	Lond.	1044.
		Cant.	1050.
de Geynsborough	Gulielmus.	Wigor.	1302.
Gibſon	Edmundus.	Lincol.	1715.
		Lond.	1723.
Giffard	Godfridus.	Wigor.	1268.
	Gulielmus.	Wint.	1107.
	Walterus.	Bath.	1264.
		Ebor.	1265.
Gigles	Joannes.	Wigor.	1497.
	Silveſter.	Wigor.	1498.
Gilbert	Joannes.	Bang.	1372.
		Heref.	1375.
		Menev.	1389.
	Joannes.	Land.	1740.
	Robertus.	Lond.	1436.
Giraldus	Silveſter.	Menev.	
Glanvill	Gilbertus.	Roffen.	1185.
Glemham	Henricus.	Aſaph.	1667.
Glyn	Gulielmus.	Bang.	1555.
Godwin	Franciſcus.	Land.	1601.
		Heref.	1617.
	Thomas.	Bath.	1584.
Goldſborough	Godfridus.	Gloceſt.	1598.
Goldwell	Jacobus.	Norw.	1472.
	Thomas.	Aſaph.	1555.
Gooch	Thomas.	Briſtol.	1737.
		Norw.	1738.
Goodman	Godfridus.	Gloceſt.	1624.
Goodrich	Thomas.	Elien.	1534.
Gower.	Henricus.	Menev.	1328.
Grandeſſon	Joannes.	Exon.	1327.
de Graveſend	Benedictus.	Lincol.	1258.
	Richardus.	Lond.	1280.
	Stephanus	Lond.	1318.
Gray	Gulielmus.	Lond.	1426.
		Lincol.	1431.
	Gulielmus.	Elien.	1454.
	Walterus.	Lichf.	
		Wigor.	1214.
		Ebor.	1215.
Green	Thomas.	Norw.	1721.
		Elien.	1723.
de Greenfeild	Gulielmus.	Ebor.	1305.
de Greenford	Joannes.	Ciceſtr.	1174.
Grey	Joannes.	Norw.	1200.
Griffin	Mauritius.	Roffen.	1554.
Griffith	Edmundus.	Bang.	1633.
	Georgius.	Aſaph.	1660.
Grindall	Edmundus.	Lond.	1559.
		Ebor.	1570.
		Cant.	1575.
Grove	Robertus.	Ciceſtr.	1691.
Grouthead	Robertus.	Lincol.	1235.
Gueſt	Edmundus.	Roffen.	1559.
		Sariſb.	1571.
Gulſton	Gulielmus.	Briſtol.	1678.
Gunning	Petrus.	Ciceſtr.	1669.
		Elien.	1674.
de Gurgant	Nicolaus.	Land.	1149.

H.

Hacket	Joannes.	Lichf.	1661.
Halam	Robertus.	Sariſb.	1407.
Hales	Joannes.	Lichf.	1459.

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
Hall	Joſephus.	Exon.	1627.
		Norw.	1641.
	Timotheus.	Oxon.	1688.
Halſe	Joannes.	Lichf.	1459.
de Halton	Joannes.	Carl.	1292.
Hanmer	Joannes.	Aſaph.	1623.
Hare	Franciſcus.	Aſaph.	1727.
		Ciceſtr.	1731.
Harewell	Joannes.	Bath.	1366.
Harley	Joannes.	Heref.	1553.
Harman	Joannes.	Exon.	1519.
Harris	Joannes.	Land.	1729.
Harſnet	Samuel.	Ciceſtr.	1609.
		Norw.	1619.
		Ebor.	1628.
Hart	Walterus.	Norw.	1445.
Haſelſhaw	Walterus.	Bath.	1302.
Hatfeild	Thomas.	Dunel.	1345.
Heath	Nicolaus.	Roffen.	1540.
		Wigor.	1543.
		Ebor.	1555.
de Heath	Haymo.	Roffen.	1319.
Heiworth	Gulielmus.	Lichf.	1420.
Henchman	Humfredus.	Sariſb.	1660.
		Lond.	1663.
Hennihall	Thomas.	Wigor.	1337.
Henſhaw	Joſephus.	Petrob.	1663.
Herring	Thomas.	Bang.	1737.
Heton	Martinus.	Elien.	1599.
Hill	Richardus.	Lond.	1489.
Hilſey	Joannes.	Roffen.	1535.
Hoadley	Benjamin.	Bang.	1715.
		Heref.	1721.
		Sariſb.	1723.
		Wint.	1734.
Holbeach	Henricus.	Roffen.	1544.
		Lincol.	1547.
Holgate	Robertus.	Land.	1537.
		Ebor.	1544.
Holyman	Joannes.	Briſtol.	1554.
Hooper	Georgius.	Aſaph.	1703.
		Bath.	1703.
	Joannes.	Gloceſt.	1550.
		Wigor.	1552.
Hopton	Joannes.	Norw.	1554.
Horn	Robertus.	Wint.	1560.
Hotham	Joannes.	Elien.	1316.
Hough	Joannes.	Oxon.	1690.
		Lichf.	1699.
		Wigor.	1717.
Houghton	Adam.	Menev.	1361.
Howell	Thomas.	Briſtol.	1644.
Howland	Richardus.	Petrob.	1584.
Howſon	Joannes.	Oxon.	1619.
		Dunel.	1628.
Hughes	Gulielmus.	Aſaph.	1573.
Humphreys	Humfredus.	Bang.	1689.
		Heref.	1701.
Hunden	Joannes.	Land.	1458.
Hutton	Matthaeus.	Dunel.	1589.
		Ebor.	1594.
Hyde	Alexander.	Sariſb.	1665.
I.			
James	Gulielmus.	Dunel.	1606.
Jan	Thomas.	Norw.	1499.
Jegon	Joannes.	Norw.	1602.
Jewell	Joannes.	Sariſb.	1559.
Ingleby	Joannes.	Land.	1496.
Inglethorp	Thomas.	Roffen.	1283.
de Inſula	Robertus.	Dunel.	1274.
Jones	Edwardus.	Aſaph.	1699.
	Hugo.	Land.	1566.
de Ireton	Radulfus.	Carl.	1280.
Ironſide	Gilbertus.	Briſtol.	1660.
	Gilbertus.	Briſtol.	1689.
		Heref.	1691.
Iſcanus	Bartholomæus.	Exon.	1161.
Iſlip	Simon.	Cant.	1349.
Juxon	Gulielmus.	Lond.	1633.
		Cant.	1660.
K.			
de Keeton	Joannes.	Elien.	1310.
Kellow	Richardus.	Dunel.	1311.
Kemp	Joannes.	Roffen.	1419.
		Ciceſtr.	1420.
		Lond.	1422.
		Ebor.	1426.
		Cant.	1452.
	Thomas.	Lond.	1449.
Kenn	Thomas.	Bath.	1684.
Kennet	White.	Petrob.	1718.
Keterich	Joannes.	Menev.	1414.
		Lichf.	1414.
		Exon.	1419.
Kidder	Richardus.	Bath.	1691.
de Kilkenny	Gulielmus.	Elien.	1255.
Kilwardby	Robertus.	Cant.	1272.
King	Henricus.	Ciceſtr.	1641.
	Joannes.	Lond.	1611.
	Oliverus.	Exon.	1492.
		Bath.	1495.
	Robertus.	Oxon.	1542.
Kingſcote	Joannes.	Carl.	1462.
de Kinton	Godfridus.	Ebor.	1258.
de Kirkby	Joannes.	Elien.	1286.
	Joannes.	Carl.	1332.
de Kirkham	Walterus.	Dunel.	1249.
Kitchin	Antonius.	Land.	1545.
Kite	Joannes.	Carl.	1521.
Knight	Gulielmus.	Bath.	1541.
L.			
Lacy	Edmundus.	Heref.	1417.
		Exon.	1420.
Lake	Arthurus.	Bath.	1616.
	Joannes.	Briſtol.	1684.
		Ciceſtr.	1685.
Lamplugh	Thomas.	Exon.	1676.
		Ebor.	1688.
Lancton	Stephanus.	Cant.	1207.
Langdon	Joannes.	Roffen.	1422.
Langham	Simon.	Elien.	1362.
		Cant.	1366.
Langley	Thomas.	Dunel.	1406.

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
Langton	Joannes.	Ciceſtr.	1305.
	Joannes.	Menev.	1447.
	Thomas.	Menev.	1483.
		Sariſb.	1484.
		Wint.	1493.
	Walterus.	Lichf.	1296.
Lany	Benjamin.	Petrob.	1660.
		Lincol.	1663.
		Elien.	1667.
Latimer	Hugo.	Wigor.	1535.
Laud	Gulielmus.	Menev.	1621.
		Bath.	1626.
		Lond.	1628.
		Cant.	1633.
Layburn	Rogerus.	Carl.	1503.
Lee	Edwardus.	Ebor.	1531.
	Rolandus.	Lichf.	1534.
de Len	Gulielmus.	Ciceſtr.	1362.
Leng	Joannes.	Norw.	1723.
de S. Leofardo	Gilbertus.	Ciceſtr.	1288.
Lexinton	Henricus.	Lincol.	1254.
de Limeſey	Robertus.	Lichf.	1086.
Lindſell	Auguſtinus.	Petrob.	1632.
		Heref.	1633.
Linwood	Gulielmus.	Menev.	1442.
Lloyd	Georgius.	Ceſtr.	1604.
	Gulielmus.	Land.	1675.
		Petrob.	1679.
		Norw.	1685.
	Gulielmus.	Aſaph.	1680.
		Lichf.	1692.
		Wigor.	1699.
	Hugo.	Land.	1660.
	Humfredus.	Bang.	1673.
	Joannes.	Menev.	1686.
Longchamp	Gulielmus.	Elien.	1189.
de Longeſpe	Nicolaus.	Sariſb.	1291.
Longland	Joannes.	Lincol.	1521.
Loſinga	Herebertus.	Norw.	1091.
	Robertus.	Heref.	1079.
Low	Joannes.	Aſaph.	1433.
		Roffen.	1444.
Lucy	Godefridus.	Wint.	1189.
	Gulielmus.	Menev.	1660.
de Luda	Gulielmus.	Elien.	1290.
Lumley	Marmaducus.	Carl.	1430.
		Lincol.	1449.
Lunimere	Gulielmus.	Ciceſt.	1362.
Luxembergenſis	Ludovicus.	Elien.	1438.
Lyldus	Thomas.	Elien.	1345.
de Lynna	Gulielmus.	Wigor.	1368.

M.

Maddox	Iſaac.	Aſaph.	1736.
ap Madoc	Leolinus.	Aſaph.	1357.
Malclerk	Walterus.	Carl.	1223.
Manningham	Thomas.	Ciceſtr.	1709.
Mainwaring	Rogerus.	Menev.	1635.
de Mapenore	Hugo.	Heref.	1216.
de Marchia	Gulielmus.	Bath.	1293.
de S. Maria	Gulielmus.	Lond.	1199.
de Mariſco	Richardus.	Dunel.	1217.
Marſhall	Henricus.	Exon.	1194.
	Joannes.	Land.	1478.

			A. D.
Martin	David.	Menev.	1296.
de S. Martino	Laurentius.	Roffen.	1251.
Maſca	Pandulfhus.	Norw.	1222.
Maſcall	Robertus.	Heref.	1404.
Matthews	Tobias.	Dunel.	1595.
		Ebor.	1606.
Mawe	Leonardus.	Bath.	1628.
Mawſon	Matthias.	Land.	1738.
		Ciceſtr.	1740.
de Maydenſtan	Radulphus.	Heref.	1234.
	Walterus.	Wigor.	1313.
Mayo	Richardus.	Heref.	1504.
de Medicis	Julius.	Wigor.	1521.
de Melton	Gulielmus.	Ebor.	1317.
de Melun	Robertus.	Heref.	1163.
Mepeham	Simon.	Cant.	1328.
Merick	Rolandus.	Bang.	1559.
Merkes	Thomas.	Carl.	1396.
de Merton	Walterus.	Roffen.	1274.
Mews	Petrus.	Bath.	1672.
		Wint.	1684.
Mey	Joannes.	Carl.	1577.
Middleton	Gulielmus.	Norw.	1278.
Milbourn	Richardus.	Menev.	1615.
		Carl.	1621.
Milling	Thomas.	Heref.	1474.
Mitford	Richardus.	Ciceſtr.	1389.
		Sariſb.	1395.
de Molend	Rogerus.	Lichf.	1257.
Molins	Adam.	Ciceſtr.	1445.
de Mona	Guido.	Menev.	1397.
Monk	Nicolaus.	Heref.	1660.
Montacute	Simon.	Wigor.	1333.
		Elien.	1336.
Monumethenſis	Joannes.	Land.	1295.
Moore	Joannes.	Norw.	1691.
		Elien.	1707.
Moorton	Joannes.	Elien.	1478.
		Cant.	1486.
	Robertus.	Wigor.	1486.
Moreton	Thomas.	Ceſtr.	1616.
		Lichf.	1618.
		Dunel.	1632.
Morgan	Gulielmus.	Land.	1595.
		Aſaph.	1601.
	Henricus.	Menev.	1554.
	Joannes.	Menev.	1496.
	Philippus	Wigor.	1419.
		Elien.	1426.
	Robertus.	Bang.	1666.
Morley	Georgius.	Wigor.	1660.
		Wint.	1662.
de Mortival	Rogerus.	Sariſb.	1315.
Morus	Richardus.	Wint.	1174.
Mountague	Jacobus.	Bath.	1608.
		Wint.	1616.
	Richardus.	Ciceſtr.	1628.
		Norw.	1638.
Mountaigne	Georgius.	Lincol.	1617.
		Lond.	1621.
		Dunel.	1627.
		Ebor.	1628.
Murdac	Henricus.	Ebor.	1147.

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
Murray	Gulielmus.	Land.	1627.
de Muſchamp	Galfridus.	Lichf.	1198.
N.			
Neile	Richardus.	Roffen.	1608.
		Lichf.	1610.
		Lincol.	1613.
		Dunel.	1617.
		Wint.	1627.
		Ebor.	1631.
Nevill	Alexander.	Ebor.	1374.
	Georgius.	Exon.	1458.
		Ebor.	1464.
	Radulphus	Ciceſtr.	1224.
	Robertus.	Sariſb.	1427.
		Dunel.	1438.
Newerk	Henricus.	Ebor.	1298.
Newport	Richardus.	Lond.	1317.
Nicholſon	Gulielmus.	Gloceſt.	1660.
	Gulielmus.	Carl.	1702.
Nicolls	Benedictus.	Bang.	1408.
		Menev.	1417.
Nigellus	Richardus.	Lond.	1189.
Niger	Rogerus.	Lond.	1229.
Nix	Richardus.	Norw.	1501.
Normannus	Robertus.	Lond.	1044.
Northbrook	Michael.	Lichf.	1354.
Northbrough	Rogerus.	Lichf.	1322.
Northale	Gulielmus.	Wigor.	1186.
Norwold	Hugo.	Elien.	1229.
de Nugutiis	Hieronymus.	Wigor.	1522.
Nunant	Hugo.	Lichf.	1187.
O.			
Oglethorp	Owinus.	Carl.	1557.
Oldham	Hugo.	Exon.	1504.
Orford	Robertus.	Elien.	1302.
de Orivalle	Hugo.	Lond.	1075.
Orlton	Adam.	Heref.	1317.
		Wigor.	1327.
		Wint.	1333.
Ottley	Adam.	Menev.	1712.
Overall	Joannes.	Lichf.	1614.
		Norw.	1618.
Overton	Gulielmus.	Lichf.	1580.
Owen	Joannes.	Aſaph.	1629.
	Morganus.	Land.	1639.
ap Owen	David.	Aſaph.	1503.
Oxonienſis	Joannes.	Norw.	1175.
P.			
Pagham	Joannes.	Wigor.	1150.
Parfew	Robertus.	Aſaph.	1536.
		Heref.	1554.
Parker	Matthaeus.	Cant.	1559.
	Samuel.	Oxon.	1686.
Parkhurſt	Joannes.	Norw.	1560.
Parry	Henricus.	Gloceſt.	1607.
		Wigor.	1610.
	Richardus.	Aſaph.	1604.
Paſcal	Joannes.	Land.	1347.
Pates	Richardus.	Wigor.	1554.
de Pateſhull	Hugo.	Lichf.	1240.
Patrick	Simon.	Ciceſtr.	1689.
		Elien.	1691.
Patrington	Stephanus.	Menev.	1415.
		Ciceſtr.	1415.
Paul	Gulielmus.	Oxon.	1663.
Pauper	Herbertus.	Sariſb.	1194.
Pavy	Hugo.	Menev.	1485.
Peacock	Reginaldus.	Aſaph.	1444.
		Ciceſtr.	1449.
Pearſon	Joannes.	Ceſtr.	1672.
Peccam	Robertus.	Lichf.	1120.
Peche	Richardus.	Lichf.	1161.
	Robertus.	Lichf.	1120.
Peckham	Joannes.	Cant.	1278.
Penny	Joannes.	Bang.	1505.
Peploe	Samuel.	Ceſtr.	1726.
Percy	Gulielmus.	Carl.	1452.
	Thomas.	Norw.	1355.
Peverell	Thomas.	Land.	1398.
		Wigor.	1407.
Pictavienſis	Philippus.	Dunel.	1197.
Pierſe	Gulielmus.	Petrob.	1630.
		Bath.	1632.
Piers	Joannes.	Roffen.	1576.
		Sariſb.	1577.
		Ebor.	1688.
Pigot	Thomas.	Bang.	1500.
Pilkinton	Jacobus.	Dunel.	1560.
Plantagenet	Galfridus.	Ebor.	1191.
Polton	Thomas.	Heref.	1420.
		Ciceſtr.	1421.
		Wigor.	1425.
de Pontiſſara	Joannes.	Wint.	1282.
Poole	David.	Petrob.	1557.
	Reginaldus.	Cant.	1555.
Poore	Richardus.	Ciceſtr.	1214.
		Sariſb.	1217.
		Dunel.	1228.
Potter	Barnabas.	Carl.	1628.
	Joannes.	Oxon.	1715.
		Cant.	1736.
Poynet	Joannes.	Roffen.	1550.
		Wint.	1550.
Praty	Richardus.	Ciceſtr.	1438.
Prichet	Joannes.	Gloceſt.	1672.
Prideaux	Joannes.	Wigor.	1641.
Puella	Girardus.	Lichf.	1183.
Puſar	Hugo.	Dunel.	1153.
Q.			
Quivil	Petrus.	Exon.	1280.
R.			
de Radnor	Gulielmus.	Land.	1256.
Rainbow	Edwardus.	Carl.	1664.
de Raley	Gulielmus.	Norw.	1239.
		Wint.	1244.
Ravis	Thomas.	Gloceſt.	1604.
		Lond.	1607.
Raulins	Richardus.	Menev.	1523.
Raynold	Walterus.	Wigor.	1308.
		Cant.	1313.
Reade	Gulielmus.	Ciceſtr.	1369.
	Robertus.	Carl.	1396.

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
		Cicestr.	1396.
Redman	Gulielmus. —	Norw.	1594.
	Richardus.—	Asaph.	1471.
		Exon.	1495.
		Elien.	1501.
Repindon	Philippus. —	Lincol.	1405.
Repps	Gulielmus. —	Norw.	1536.
Reprobus	Wulstanus. —	Wigor.	1002.
		Ebor.	1003.
Reynolds	Edwardus.—	Norw.	1660.
	Richardus.—	Bang.	1721.
		Lincol.	1723.
Rickingale	Joannes. —	Cicestr.	1426.
Ridley	Nicolaus.—	Roffen.	1547.
		Lond.	1550.
de Ringstead	Thomas.—	Bang.	1357.
Roberts	Gulielmus. —	Bang.	1637.
Robinſon	Henricus. —	Carl.	1598.
	Joannes. —	Briſtol.	1710.
		Lond.	1713.
	Nicolaus.—	Bang.	1566.
Rodburn	Thomas.—	Menev.	1433.
Romanus	Joannes. —	Ebor.	1285.
de Roſſe	Joannes. —	Carl.	1325.
Rotheram	Thomas.—	Roffen.	1468.
		Lincol.	1471.
		Ebor.	1480.
Rowlands	Henricus. —	Bang.	1598.
Rudd	Antonius. —	Menev.	1594.
Rugg	Gulielmus. —	Norw.	1536.
Rufus	Galfridus. —	Dunel.	1133.
de Rupibus	Petrus. —	Wint.	1205.
Ruſhook	Thomas.—	Land.	1383.
		Ciceſtr.	1385.
Ruſſell	Joannes. —	Roffen.	1476.
		Lincol.	1480.
Ruthall	Thomas.—	Dunel.	1509.
Rydall	Galfridus. —	Elien.	1174.
	S.		
Salcot	Joannes. —	Bang.	1534.
		Sariſb.	1539.
Salley	Milo. —	Land.	1500.
Salmon	Joannes. —	Norw.	1299.
de Salopia	Radulphus. —	Bath.	1329.
	Robertus. —	Bang.	1197.
de Salſo Mariſco	Gulielmus. —	Land.	1185.
Sampſon	Richardus.—	Ciceſtr.	1536.
		Lichf.	1542.
voc. Sanctus	Edmundus. —	Cant.	1234.
	Gulielmus. —	Ebor.	1152.
	Hugo.—	Lincol.	1186.
Sandallus	Joannes. —	Wint.	1316.
Sandcroft	Gulielmus. —	Cant.	1677.
Sanderſon	Robertus. —	Lincol.	1660.
Sands	Edwinus.—	Wigor.	1559.
		Lond.	1570.
		Ebor.	1576.
de Sandwich	Henricus. —	Lond.	1263.
de Sanford	Henricus. —	Roffen.	1227.
Savage	Thomas. —	Roffen.	1493.
		Lond.	1496.
		Ebor.	1501.
de Savenſby	Alexander.—	Lichf.	1224.
Scambler	Edmundus. —	Petrob.	1560.
		Norw.	1584.
Scammel	Walterus. —	Sariſb.	1284.
Scory	Joannes. —	Roffen.	1551.
		Ciceſtr.	1552.
		Heref.	1559.
Scott	Cuthbertus. —	Ceſtr.	1556.
Scroope	Richardus.—	Lichf.	1386.
		Ebor.	1398.
	Richardus.—	Carl.	1464.
Searchfield	Rolandus. —	Briſtol.	1619.
Secker	Thomas. —	Briſtol.	1734.
		Oxon.	1737.
Segrave	Gilbertus. —	Lond.	1313.
Senhouſe	Richardus.—	Carl.	1624.
Severus	Gulielmus. —	Carl.	1496.
		Dunel.	1502.
Sharp	Joannes. —	Ebor.	1691.
Shaxton	Nicolaus. —	Sariſb.	1535.
Sheldon	Gilbertus. —	Lond.	1660.
		Cant.	1663.
de Shepey	Joannes. —	Roffen.	1352.
Sherborn	Robertus. —	Menev.	1505.
		Ciceſtr.	1508.
Sherlock	Thomas. —	Bang.	1727.
		Sariſb.	1734.
Sidenham	Simon. —	Ciceſtr.	1429.
de Sigillo	Robertus. —	Lond.	1141.
de Skerwing	Rogerus. —	Norw.	1266.
Skevington	Thomas.—	Bang.	1509.
Skinner	Robertus. —	Briſtol.	1636.
		Oxon.	1640.
		Wigor.	1663.
Skip	Joannes. —	Heref.	1539.
Skirlaw	Walterus. —	Lichf.	1385.
		Bath.	1386.
		Dunel.	1388.
Smalbrook	Richardus.—	Menev.	1723.
		Lichf.	1730.
Smalridge	Georgius. —	Briſtol.	1714.
Smith	Gulielmus. —	Lichf.	1493.
		Lincol.	1495.
	Joannes. —	Land.	1476.
	Milo. —	Gloceſt.	1612.
	Thomas.—	Carl.	1684.
Snowden	Robertus. —	Carl.	1616.
Sparrow	Antonius. —	Exon.	1667.
		Norw.	1676.
Spencer	Henricus. —	Norw.	1370.
Spofford	Thomas.—	Heref.	1421.
Sprat	Thomas.—	Roffen.	1684.
de Spridlington	Gulielmus. —	Aſaph.	1376.
Stafford	Edmundus. —	Exon.	1395.
	Joannes. —	Bath.	1425.
		Cant.	1443.
Stanbery	Joannes. —	Bang.	1448.
		Heref.	1453.
Standiſh	Henricus. —	Aſaph.	1518.
Stanley	Jacobus. —	Elien.	1506.
Stapledon	Walterus. —	Exon.	1309.
Sterne	Richardus.—	Carl.	1660.
		Ebor.	1664.
Still	Joannes. —	Bath.	1592.
Stillingfleet	Edwardus.—	Wigor.	1689.

Stillington

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
Stillington	Robertus.	Bath.	1465.
Stitchell	Robertus.	Dunel.	1260.
Stokeſly	Joannes.	Lond.	1530.
Story	Edwardus.	Carl.	1468.
		Ciceſtr.	1477.
Stratford	Joannes.	Wint.	1323.
		Cant.	1333.
	Nicolaus.	Ceſtr.	1689.
	Radulphus.	Lond.	1339.
	Robertus.	Ciceſtr.	1337.
Stretton	Robertus.	Lichf.	1360.
de Strikland	Gulielmus.	Carl.	1400.
Sudbury	Simon.	Lond.	1361.
		Cant.	1375.
de Sufeild	Walterus.	Norw.	1244.
Sutton	Oliverus.	Lincol.	1280.
Swaffam	Joannes.	Bang.	1376.
Swinfeild	Richardus.	Heref.	1282.
Sydall	Elias.	Menev.	1731.
		Gloceſt.	1731.
Synwell	Joannes.	Lincol.	1347.

T.

Talbott	Gulielmus.	Oxon.	1699.
		Sariſb.	1715.
		Dunel.	1721.
	Richardus.	Lond.	1262.
Tanner	Thomas.	Aſaph.	1731.
Tayler	Joannes.	Lincol.	1552.
Teniſon	Thomas.	Lincol.	1691.
		Cant.	1694.
Thirlby	Thomas.	Weſtm.	1540.
		Norw.	1550.
		Elien.	1554.
Thomas	Gulielmus.	Menev.	1677.
		Wigor.	1683.
Thoriſby	Joannes.	Menev.	1347.
		Wigor.	1349.
		Ebor.	1352.
Thornborough	Joannes.	Briſtol.	1603.
		Wigor.	1616.
Tillotſon	Joannes.	Cant.	1691.
Toclivius	Richardus.	Wint.	1174.
Tomſon	Aegidius.	Gloceſt.	1611.
Tonſtall	Cuthbertus.	Lond.	1522.
		Dunel.	1530.
Totington	Alexander.	Norw.	1407.
Tounſon	Robertus.	Sariſb.	1620.
Towers	Joannes.	Petrob.	1638.
Trelawney	Jonathan.	Briſtol.	1685.
		Exon.	1689.
		Wint.	1707.
Trevaur	Joannes.	Aſaph.	1352.
	Joannes.	Aſaph.	1395.
Trevenant	Joannes.	Heref.	1389.
Trilleck	Joannes.	Heref.	1344.
Trilleg	Thomas.	Roffen.	1364.
Trimnell	Carolus.	Norw.	1707.
		Wint.	1721.
Tully	Robertus.	Menev.	1460.
Turbervill	Jacobus.	Exon.	1555.
Turbus	Gulielmus.	Norw.	1146.
Turner	Franciſcus.	Roffen.	1683.
		Elien.	1684.
Tyler	Joannes.	Land.	1706.

V.

			A. D.
Vaughan	Edwardus.	Menev.	1509.
	Richardus.	Bang.	1595.
		Ceſtr.	1597.
		Lond.	1604.
Verus	Gulielmus.	Heref.	1186.
de Villula	Joannes.	Bath.	1088.
Vipont	Thomas.	Carl.	1254.
Underhill	Joannes.	Oxon.	1589.
Univerſalis	Gilbertus.	Lond.	1128.
Voyſey	Joannes.	Exon.	1519.
Uſher	Jacobus.	Carl.	1641.

W.

Waddington	Edwardus.	Ciceſtr.	1724.
Wake	Gulielmus.	Lincol.	1705.
		Cant.	1715.
Wakefeild	Henricus.	Wigor.	1375.
Wakeman	Joannes.	Gloceſt.	1541.
Wakering	Joannes.	Norw.	1416.
Waldby	Robertus.	Ciceſtr.	1395.
		Ebor.	1396.
Walden	Rogerus.	Lond.	1404.
Wallis	Hugo.	Lincol.	1209.
Walpoole	Radulphus.	Norw.	1288.
		Elien.	1299.
Walterus	Hubertus.	Sariſb.	1189.
		Cant.	1192.
Waltham	Joannes.	Sariſb.	1388.
Walton	Brianus.	Ceſtr.	1660.
de Wanton	Simon.	Norw.	1257.
Ward	Seth.	Exon.	1662.
		Sariſb.	1667.
Ware	Henricus.	Ciceſtr.	1418.
de la Ware	Joannes.	Land.	1253.
Warelwaſt	Gulielmus.	Exon.	1107.
	Robertus.	Exon.	1155.
Warham	Gulielmus.	Lond.	1502.
		Cant.	1503.
de Warham	Radulfus.	Ciceſtr.	1217.
Warner	Joannes.	Roffen.	1637.
Warton	Robertus.	Aſaph.	1536.
		Heref.	1554.
Watſon	Antonius.	Ciceſtr.	1596.
	Joannes.	Wint.	1580.
	Thomas.	Lincol.	1557.
	Thomas.	Menev.	1687.
Waugh	Joannes.	Carl.	1723.
Waynfleet	Gulielmus.	Wint.	1447.
Wells	Gulielmus.	Roffen.	1436.
	Joannes.	Land.	1425.
de Welles	Jocelinus.	Bath.	1206.
	Simon.	Ciceſtr.	1204.
de Welton	Gilbertus.	Carl.	1353.
de Wendover	Richardus.	Roffen.	1238.
de Weſeham	Rogerus.	Lichf.	1245.
Weſt	Nicolaus.	Elien.	1515.
Weſtfayling	Herebertus.	Heref.	1585.
Weſtfield	Thomas.	Briſtol.	1641.
Weſton	Stephanus.	Exon.	1724.
Wetherſhed	Richardus.	Cant.	1229.
Whelpdale	Rogerus.	Carl.	1419.

White

INDEX COGNOMINUM.

			A. D.
White	Franciſcus. —	Carl.	1626.
		Norw.	1628.
		Elien.	1631.
	Joannes. —	Lincol.	1554.
		Wint.	1556.
	Thomas. —	Petrob.	1685.
Whitgift	Joannes. —	Wigor.	1577.
		Cant.	1583.
de la Wich	Richardus. —	Ciceſtr.	1245.
Wickham	Gulielmus. —	Wint.	1367.
	Gulielmus. —	Lincol.	1584.
		Wint.	1595.
Wickwane	Gulielmus. —	Ebor.	1279.
de Wikhampton	Robertus. —	Sariſb.	1274.
Wilcocks	Joſephus. —	Gloceſt.	1721.
		Roſſen.	1731.
Wilkins	Joannes. —	Ceſtr.	1668.
Williams	Joannes. —	Lincol.	1621.
		Ebor.	1641.
	Joannes. —	Ciceſtr.	1696.
Willis	Richardus. —	Gloceſt.	1714.
		Sariſb.	1721.
		Wint.	1723.
de Winchcomb	Tidemannus.	Land.	1393.
		Wigor.	1395.
Winchelſey	Robertus. —	Cant.	1294.
de Wingham	Henricus. —	Lond.	1259.
Winniffe	Thomas. —	Lincol.	1641.
Wittleſey	Gulielmus. —	Roſſen.	1361.
		Wigor.	1363.
		Cant.	1368.
Wivill	Robertus. —	Sariſb.	1329.
Womack	Laurentius. —	Menev.	1683.
Wood	Thomas. —	Lichf.	1671.
Woodlock	Henricus. —	Wint.	1305.
Woodvill	Leonellus. —	Sariſb.	1482.
Wolſey	Thomas. —	Lincol.	1514.
		Ebor.	1514.
		Bath.	1518.
		Dunel.	1523.
		Wint.	1529.
Woolton	Joannes. —	Exon.	1579.
Wren	Matthaeus. —	Heref.	1634.
		Norw.	1635.
		Elien.	1638.
Wright	Robertus. —	Briſtol.	1622.
		Lichf.	1632.
de Wuldham	Thomas. —	Roſſen.	1291.
de la Wyle	Walterus. —	Sariſb.	1263.
Wynne	Joannes. —	Aſaph.	1714.
		Bath.	1727.
Y.			
Yong	Joannes. —	Roſſen.	1577.
	Richardus. —	Bang.	1400.
		Roſſen.	1404.
Young	Joannes. —	Menev.	1496.
	Thomas. —	Menev.	1559.
		Ebor.	1560.
Z.			
le Zouch	Gulielmus. —	Ebor.	1342.
	Joannes. —	Land.	1408.

FINIS.

10 D

MVSEVM
BRITAN
NICVM